This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

THESAURUS MONUMENTORUM ECCLESIASTICORUM ET HISTORICORUM,

SIVE

HENRICI CANISII LECTIONES ANTIQUÆ,

Ad Sæculorum Ordinem Digeſtæ

VARIISQUE OPUSCULIS AUCTÆ,

Quibus

PRÆFATIONES HISTORICAS, ANIMADVERSIONES CRITICAS, ET NOTAS IN SINGULOS AUCTORES ADJECIT

JACOBUS BASNAGE,

Cum Indicibus Locupletiſſimis.

TOMI III. PARS II.

ANTVERPIÆ,

APUD RUDOLPHUM & GERHARDUM WETSTENIOS

M D C C X X V.

Digitized by Google

Digitized by Google

UDALSCALCI
NARRATIO DE
CONTROVERSIIS
INTER
HERMANNUM
EPISCOPUM AUGUSTANUM
ET
EGINONEM ABBATEM
S. UDALRICI.

Continet multa ſcitu digna, & in iis Miracula ad
S. UDALRICUM & S. AFRAM;

Præterea Epiſtolas
PASCHALIS QUINQUE,
ARNOLDI Moguntini Archiepiſcopi tres,
EGINONIS ABBATIS
S. UDALRICI QUATUOR.

Omnia a Caniſio primum e Codice M. S. Auguſtano edita.

Digitized by Google

Digitized by Google

JACOBI BASNAGII IN HANC UDALSCALCI NARRATIONEM OBSERVATIO.

SÆC. XII. ANNO 1120.

DE *Udalſcalco* hæc habebat *Caniſius* in præfatione ſecundi Tomi: *Udalſcalcum ex m. ſ. codicibus Monaſterii S. Udalrici & Afræ Auguſtæ habui: quis autem Udalſcalcus, quis Hermannus, & Egino fuerit, docet Bruſchius de Monaſteriis.*

I. Cum præ manibus nobis non ſit *Bruſchii* Liber & careant procul dubio plurimi, pauca quædam hìc delibare cenſuimus: Primo nata eſt illa controverſia inter *Eginonem* Abbatem & *Hermannum* Epiſcopum occaſione Inveſtiturarum. Jam a longo tempore ſedem Epiſcopalem tenebat *Hermannus*, eique adhæſerat amicitiâ conjunctiſſimus Abbas; cum ſubito ortæ ſunt inter eos controverſiæ. Epiſcopus ab Abbate velut excommunicatus habitus eſt: crimina ipſi intentat ſæpius, tum apud Pontificem, tum apud Arnaldum Moguntinum. Inde ſchisma conflatum. Fuga ſibi conſuluit Abbas, quem deſeruere monachi, ipſumque velut perturbatorem ſunt exſecrati, qua de cauſa Apologeticam Epiſtolam ipſis reſcribere coactus eſt. Sed dum Italiam peragraret, obiit in itinere. I. *De Eginone.*

II. *Udalſcalcus* hic fuit Auguſtianus Monachus, dein Abbas, *Eginonis* itinerum ſocius fuit, & dum e ſeculo migraret infœlix Abbas, præſens adfuit. Sic de illo Egino: *Socium laboris noſtri fratrem Udalſcalcum præ hominum multitudine cum navis capere non poſſet &c.* Ipſe vero Udalſcalcus patroni mortem deſcribens: *Piſas & ego perveni, ſperans laboris & doloris mei finem, cum ſcilicet Dominum meum & Patrem reperirem; ſed triſtitia ſuper triſtitiam illo jam in extremis poſito mihi accumulabatur.* Fuit igitur *Udalſcalcus* Abbatis ſui vehementiſſimus defenſor, ita addictus cauſæ Patroni, ut *Henricum* Imperatorem *Neroni* conferre non pertimeſcat; imo pontificem ipſum, quod pro libitu ipſius in *Hermannum* non ſæviret, acriter increpat: *O prudentia Romana*, exclamat ille relatis Paſchalis ſecundi Epiſtolis, *quantâ obdormiſti, quod gratiâ tui dixerim, negligentiâ.* Huic Udalſcalco tribuit Voſſius vitas Mariæ Magdalenæ, Afræ, atque Udalrici Præſulis Auguſtani; nec immerito: patet enim ex Auguſtano Chronico *Udalſcalcum* ſcripſiſſe Legendam totam „ S. Afræ tam „ converſionis quam Paſſionis, ſimiliter & Almi confeſſoris *Udalrici*, inci„ piens: II. *De Udalſcalco.*

„ *Inclyta devotis colimus &c.*

Nam eam alligaverat metro, poſtulante Epiſcopo Conſtantienſe. De Beata vero *Maria Magdalena*, quam venerabatur ſingulari affectu, ut fert idem Chronicon, *compoſuit ſingularem cantum ſuper verba ſancti Gregorii.* Nec ea ſunt tantummodo Udalſcalci opera, quem Auguſtenſes ſpeciale decus *Chronic. Auguſt. l. 2. c. 2. p.*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1120

Ordinis doctiſſimumque appellant; nam tragico Carmine ſepulturas Abbatum, elegiaco fratrum circa introitum dormitorii deſcripſerat *Prudentium* imitatus. Fuit igitur non modo Hiſtoricus, ſed & Poëta Heroico Carmine ſæpius canens: Muſicæ fuit etiam peritiſſimus. *Eginone* mortuo *Udalſcalcus* ex Italia reverſus Abbas Auguſtenſis, in locum *Eginonis*, creatus eſt.

III. *De tempore quo ſcripſit.*

III. De tempore quo Narrationem ſcripſit, vix dubium eſſe poteſt, hoc factum fuiſſe ſub *Calixto* ſecundo, dum 1°. narrat *Hermannum* fuiſſe damnatum a *Paſchale*, *Gelaſio* nec non *a ſancto adhuc ſuperſtite Papa Calixto ſecundo*. Fuit igitur adhuc in vivis *Calixtus*, cum hanc controverſiam in litteras referret *Udalſcalcus*. 2°. annum adhuc clarius indicat; aſſerit enim Eginonem fuiſſe Abbatem electum anno Chriſti 1109. per decem annos ab ipſius electione lites agitatas fuiſſe cum Hermanno, qui ipſe fuerat ad Epiſcopatum promotus ab Henrico IV. an. 1094. Obiit *Egino* durantibus adhuc illis controverſiis an. 1119. Non dubium igitur, quin *Udalſcalcus* illas memoriæ mandaverit an. 1120. vel ſaltem ante mortem *Hermanni*, quæ contigit an. 1124. ſuccedente ei *Waltero Palatino* in Tubingen. Brevis eſt illa narratio *Udalſcalci*; in ea tamen evagatur ad miracula quædam narranda. Hoc potuis obſervandum, narrationi ſuæ inſeruiſſe varias Epiſtolas *Paſchalis* Papæ, *Arnaldi* Moguntini, & *Eginonis* Abbatis, quorum partes tuebatur: quidquid enim vel *Hermannus* vel Monachi ab Eginone poſt ejus fugam in ſui defenſionem afferebant, omiſit.

PROOE-

Digitized by Google

PROOEMIUM SEQUENTIUM.

SÆC. XII. ANNO 1120.

Ub venerabili Abbate Eginone *pro Christi positis in dispersione sancti* Oudalrici *&* S. Afræ *cœnobitis* Oudalscalcus, *servus eorum, utinam non inutilis, bravio donari æternæ beatitudinis.*

Gratiâ Solis justitiæ illustrati nationis pravæ atque perversæ renuntiastis cœcitati, ac per hoc in persecutione propter justitiam tribulati, Evangelica attestatione meruistis esse beati. Malach. 4. Philip. 2. Matth. 5. *Patrem enim vestrum spiritualem carni & sanguini præposuistis, immundum tangere noluistis, dum ipso docente* Augustensem *dictum Episcopum in interdictis Sacramentis, minime recepistis. Quapropter vestræ quasi in præmium conceditur sanctitati, ut si qui ex vobis ab eo sunt ordinati, nulli per hoc canonum subjaceant severitati, sed in ejusdem patris vestri pendeat potestate, ab hujusmodi contagio Apostolica vos absolvere auctoritate; maxime illos, qui post factam sibi Pontificalis officii suspensionem, ullam ab eo percepêre consecrationem.*

Ut autem pater idem magis ac magis honoretur vel ametur, qualiter sit Abbas constitutus literis commendetur; tum pro cavenda oblatrantium falsitate, tum pro tenenda rei hujus veritate. Dein quomodo dictus Episcopus investiatur, ut totum gratiæ tribuendum esse doceatur, quidquid in eo vel sub eo ab Ecclesia recipiatur. Quantis etiam miraculorum beneficiis locus vester sub tali Abbate declaratur, ad laudem Dei, *memoriæ non subtrahatur. Postremo tyrannide impiorum prævalente, quomodo locum ipsum Ecclesia reliqueritis præcipiente, calamo non dissimuletur, ut ad tantum justitiæ fervorem exæquandum posteritas provocetur.*

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1120.

UDALSCALCI NARRATIO DE CONTROVERSIIS INTER HERMANNUM ET EGINONEM.

I. *Egino Abbas.*

ANno Dominicæ incarnationis milleſimo centeſimo nono, *Auguſtenſi* cœnobio in honore ſancti *Udalrici* & *S. Afræ* (a) conſtructo, Dominus *Egino* Abbas intronizatur, qui in eodem loco regulari educandus diſciplina, puer à parentibus DEO, ſub venerabili ejusdem monaſterii Abbate *Diemaro*, oblatus, per incrementa temporum adprime ſacris eſt literis imbutus. Puerili autem flore ad juventutis maturitatem perducto, honeſtioris vitæ pollebat ſtudio. Sed quia Schiſma vigebat ibi tunc temporis illud, cujus erat caput *Henricus* Rex; cauſa *Wibertus*; conſilio meliore locum mutavit eundem: præſertim cum prædicto patre ſanctiſſimo jam dudum orbatus fuiſſet, & alii in eodem ſchiſmate conſtituto ſubdi noluiſſet. Perveniens ergo ad *S. Blaſii Cellam*, *Nigra in Silva* ſitam, benignè ab omnibus ſuſcipitur, ibique tam diu prudens tyro converſatur, quouſque in bonæ memoriæ *Gebehardi Conſtantienſis* Epiſcopi, de ſede jam expulſi, miniſterium aſſumeretur. Tanta ſiquidem perſecutionis rabie præfatus Tyrannus in Catholicam exarſit Eccleſiam, ut Neronem myſterium iniquitatis operantem ab inferis emerſiſſe timeres. Niſi quod ille Petro occiſo nullum Sedi Apoſtolicæ, ut iſte Hæreſiarcham *Wibertum* intruſerit; cui etiam cunctis Catholicis Epiſcopis proturbatis, Sedes eorum per ſuperpoſitos ſubdiderit. Illi, inquam, reverendo præſuli pater iſte adeo neceſſarius, adeo fuit acceptus, ut ſæpius legatione ejus ad domnum *Papam* fungeretur; depoſito interdum ex obedientia habitu monachico, ut hoſtis per ſimulatam ſecularium ſpeciem falleretur. Quid plura? Totius laboris & anguſtiæ ejus comes permanſit individuus, donec pace Eccleſiæ reddita, ſede receptus eſt propria. Per idem tempus prædictum *Auguſtenſe* cœnobium patre carebat; domnus autem *Egino*, jam ut emeritus miles quietem monaſterii velut in præmium receperat. Ad quod *Auguſtenſes* fratres, nuntios mittentes, confratrem ſuum revocabant & animo concordi in abbatem ſibi eligebant: quem ille renuens ut puta, onus, honorem penitus abdicaſſet, ſi non ex ſupra memorati præſulis juſſione, nec non multarum ſpiritualium vel Catholicarum perſonarum perſuaſione ſubire acquieviſſet: maxime cum *Auguſtenſis* Epiſcopus, à quo erat inveſtiendus, communionem Eccleſiæ jam recepiſſet, inſuper & abjurationem omnis hæreſeos in præſentia Apoſtolicæ Sedis legati feciſſet. Nullus enim eorum, qui *Wiberti* & *Henrici* conſenſerant hæreſi, ab Apoſtolica ſede recipiebatur, qui non prius eadem peſte cum capitibus ſuis abjurata, Catholicam Eccleſiam publicè profitebatur.

Henricus Imperator Neronem agit.

2. *Theſſ.* 2.

Hoc in loco minus prætermittendum videtur, quod quidam veritatis ſubverſores quaſi ratiocinando calumniantur dicentes: Huic patri ſedem non vacaſſe; dum tres eo

(a) Eccleſia vero eorumdem Sanctorum conſtructa fuit ab Henrico Abbate tertio poſt Udalſcalcum in Monaſterii regimine ſucceſſore, an. 1184. ut fert Chronicum Auguſtanum. l. 1. c. 1. p. 790. BASN.

Digitized by Google

eo ſuperveniente fateantur inibi ſediſſe. O linguam mendoſam, ô labia doloſa: ideo poſuerunt in cœlum os ſuum, ut lingua eorum tranſeat in terram. Tres inquiunt, ibi ſederunt. Si tres fuerunt; aut omnes, aut duo ex illis ſuperpoſiti extiterunt: ſi omnes; nullus eorum abbas: ſi autem duo; pater iſte non tribus, ſed uni eſt ſuperpoſitus. Ergo ſive illud ſit, ſive illud; falſum eſt quod dictum. Verum ut fidelibus, ne offendant, rei hujus veritas patefiat; tranſcurſis obturata aure Scyllæis canibus, his dictis intendatur. SÆC. XII. ANNO 1120. *Pſalm.* 72.

II. *Hartmannus Abbas Auguſtenſis.*

Defuncto igitur ejusdem *Auguſtenſis* loci abbate, nomine *Sigahardo*, domnus *Hartmannus Gotwigenſis* abbas eidem præficitur cœnobio. Quod quia intolerabile viſum eſt Eccleſiæ (talem ſcilicet perſonam à Schismatico Epiſcopo nomen regiminis accepiſſe) quod incautè fecit, in ſua rediens correxit. Deinde non multo evoluto tempore quidam nomine *Beringarius*, *Vuldenſis* profeſſus, Auguſtenſibus vero incognitus, pro fratris ſui munere obſequii, locum ipſum ſuſcepit regendum. Qui etſi idiota fuiſſet, tamen quia contra ſtatuta canonum, non à fratribus electus, ut puta, ignotus, illô adveniſſet, intellexit: intelligens & ipſe diſcedendo correxit. Hæc tamen omnia in Schismate & à Schismatico præſule ſunt facta. Tandem illa generali abſolutionis diſpenſatione per Apoſtolicæ ſedis legatos, videlicet *Richardum Albanum* & *Gebehardum Conſtantienſem* Epiſcopos in Teutonici regni diffuſa latitudine etiam Auguſtenſis Epiſcopus amicitia non excludebatur: qui, ut prædictum eſt, per hæreſeos abjurationem & unicæ Eccleſiæ profeſſionem, reconciliabatur. Tamen quia tempus miſerendi nondum advenit, etſi religioſus alterius iterum loci, videlicet *Wezzinesbrunnenſis* Abbas & huic Auguſtenſi ſupervenit. Hic quanto prudentior, altiora ſe quærendo, cecidit; tanto celerior, fratribus quoque ſuis idipſum exigentibus, ſua repetendo, ſurrexit. *Pſal.* 101. *Eccleſ.* 3.

Egino eligitur Abbas.

Tandem, rebus, ut dictum eſt, Eccleſiaſticis tranquillè diſpoſitis, non neophytus, non alienus, vel alio ovili occupatus, ſed loci ab infantia profeſſus, pater *Egino*, nullo præſidente, eligitur Abbas; canonicè electus ordinatur. Et unde vel cui ſuperpoſitus? Eccleſia in Schismate poſitum depoſuit: alienigena oves, ut puta non proprias, deſeruit: paſtorem ſuum grex derelictus recepit. Sic nimirum ſic tribus conſtitutis, immo deſtitutis Abbatibus quartus, ut fertur, pater iſte eſt ſuperpoſitus. Sed ut oblatrantibus breviter concludamus*; aut iſte ſtatuatur, ut illi deponantur; aut illi tres approbentur, ut iſte reprobetur. Ex his duobus parum laborantes, unum ſcilicet probabile immo neceſſarium probavimus: alterum illis ſemper laboraturis probandum dimittimus. Nec dum ſtilus retrahi poterit, dum qualiter inimicus proprio confodiatur mucrone, occurrit.

III. *Hartmannus abdicat.*

Cauſa extitit, qua prælibatus *Gotwigenſis* Abbas, *Auguſtam* veniens, huic patris noſtri inveſtituræ interfuit. Tum vero grande cerneres ſpectaculum, quomodo ſcilicet Abbas electum noſtrum veluti robuſtior agonotheta debellaret expectantium. Sic ſe habet popularis concurſus; litibus nimirum oblectari & ſeditionibus, ut hinc partem plauſibus attollat, inde parti illudat. Verum hic pugna non præveniente, ſpes illam affectantium deluſa eſt; nullo vincente, nullo ruente. Siquidem Abbas, quod ante non fecerat, curam vel nomen hujus regiminis publicè abdicarat, fratribus obedientiæ voto indulſo, familiæ etiam ſacramento, quo ſibi erat obligata, reſoluto. Ingens tamen clamor populi, Deum ſuper his collaudantis, attollitur, ut & tali acclamatione inſidiatori adulterans ſuſpicio tollatur. Vides adhuc æmule primum & maximum de illis tribus Abbatibus, dextras nobis dediſſe. Videbis & ultimum, non tamen minimum, eadem poſtea feciſſe: niſi tibimet contrarius, nobiſcum fatearis, neutrum eorum neceſſarium extitiſſe. Etenim extra legem uſurpans poteſtatem, ſicut ei cui jure debetur, intromittendo, non nocet; ſic non ejus, ſed propriæ tantum ſaluti, ab illicitis ceſſando proſpiciet. Dominus quippe facit judicium patientibus injuriam, non irrogantibus. *Gal.* 2. *Pſalm.* 145.

Hoc ergo ordine pater iſte intronizatus, ut alter Jeremias, vitiorum ſpinas, quæ inibi ultra modum ſuccreverant, omni cœpit anniſu evellere, atque virtutum germina, quoslibet viros convocando religioſos ſtuduit excolere. Unde contigit, ut locus ex incolentium pravitate jam diu abjectus ac deſpicabilis, per hujus bonæ converſationis odorem vitæ, acceptus haberetur & honorabilis; adeo ut in brevi, numerus Deo fideliter ſervientium augeretur, prædiis quoque vel Eccleſiæ theſauris copioſius ditaretur. Sancti etiam, quorum ibi venerantur patrocinia, majori ſignorum vel miraculorum clarificantur gloria. Ex quibus, multis prætermiſſis, pauca ſubnotentur, quæ ſpecialius ad ejusdem patris noſtri conſolationem pertinere videntur. *Jerem.* 1.

IV. *Bruno damoniacus ſanatus.*

Quidam ex Laico converſus, *Bruno* vocatus, ab eo monachus ordinatur, aliquamdiu

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1120. diu ſanus & incolumis commoratur. Credo Tyrocinii fervore tepefacto, vis dæmoniaca, quæ ad tempus receſſerat, jam ſeptempliciter aucta redibat. Freneſi namque arripiebatur graviter; & ſicut ſe habet hoc genus, vix à multis captus tenebatur. Nobis verò mirantibus ſuper his atque ſtupentibus, etiam domnus Abbas accurrit feſtinantius. *Matth. 12.* Stridet miſer dentibus, ligno duriori, ne linguam maſticando conſumat, fit gargariſmus. Videres pectus, utpote ubi minus premebatur, in cumulum ſuccreſcere, faciem palleſcere, totum verò corpus tremere, quælibet contigua velle carpere ac ſecum diſcerpere. At ubi benedictionem patris noſtri promeruit, paulatim quaſi de ſomno gravi evigilans, reſedit; ſicque, ut nunquam dæmoniacus languor rediret, convaluit.

V. *Epileptici ſanati ad S. Afram.* Alii quoque duo ex eodem monaſterio fratres, quorum unus *Adalgoz*, alter *Hecil* vocabatur, eadem epilepſia, diverſo tempore, non diversè corripiebantur. Quibus ut ab ipſo patre quædam ſancta præcantabantur, nobis aſtantibus, in momento & illi ſanabantur.

Turbis aliquando ad feſtum patroni noſtri ſancti *Udalrici* undique verſum confluentibus, quidam homo novem jam annis & dimidio ita contractus, ut plantis pedum natibus velut innatis videretur, aſello vectus advenit. Cujus etiam aſini dorſo digiti pedum ſeſſoris impreſſi cernebantur; ut quantum vitium naturæ dominaretur humanæ, & ex animalis vulnere, contra naturam ſcilicet inflicto, colligatur. Hic, nobis Miſſarum ſolemnia ad altare ſancti *Udalrici* celebrantibus, manibus reptans, & genibus ad ſepulchrum beatæ *Afræ* pervenit, ibique ſpe aliquantula ſanitatis, ut poſtmodum ipſe retulit, orationem fudit. Interim animo occurrit, artus jam diu contractos velle diſtendere, maxime cum gravius quàm ſolebant cœpiſſent dolere. Tota ergo nitens virtute, plantas vix modicum è carnium cavernis potuit removere. Nervi verò ſe paulatim extendentes crepitare audiebantur, ita vero ut cremium aridiſſimum confringi putaretur. Tum ipſo præ dolore nimium vociferante, à populo irruente ſuſtollitur, & ad tumbam ſancti *Udalrici* defertur; ubi cum diutius ſine voce & motu jacuiſſet, ſubito pectus cœpit intumeſcere; ita ut cuncta corporis interiora ibi timerentur erumpere. Quapropter cunctis aſtantibus, animæ egreſſum præſtolantibus, ſæpe dictus pater monaſterii, ſalviæ folio muti linguæ ſuppoſito interrogat, quomodo valeat. Bene, inquit, domine, bene; ſi tantum curam habebitis de me. Exinde pater accepit eum in ſua. Nondum ſeptem diebus completis, clero & populo convenientibus, *Crucem* iſte tam diu vermis & non homo, per medium civitatis portabat, cunctisque *Deum* magno cum tripudio glorificantibus, quia perfectæ ſanitati redditus eſſet, ſaltibus lætitiæ demonſtrabat.

VII. *Puella claudа imedit.* Puella quoque ſeptennis, ex utero matris clauda, parentibus comitantibus ad eundem perducitur locum: de quo etſi plura mira, & huic ætati inſolita idoneis atteſtantibus perſonis cognoviſſemus, nos tamen ea tantum quæ vidimus ſubnotare curavimus. Cum eſſet, ut dictum eſt, debilis, & imbecillo corpuſculo, auſteriori maxime veſcebatur cibo, pro magnis deputans delitiis, ſi quando reficiebatur ovorum edulio vel lactis. *Jeſu* nomen in ore jugiter volvebat, angelico potius quam humano vultu reſplendebat. Ultra omne deſiderium quotidie Dominicum delectabatur percipere Sacramentum; cui & quanta reverentia ſeu lachrymarum compunctione approximabat? inſpicientium crebrius conſcientiam judicabat: perſonas hominum juxta vitæ meritum penſabat, dum quosdam libenter aſpiciebat, à quibusdam obtutum, tanquam *Matth. 9.* nequitia reverberatum, avertebat. Nobis verò cur hoc faceret percontantibus, ac Domini cum publicanis & peccatoribus manducantis exemplum proponentibus; Ipſum, inquit, Deum teſtor, non cauſa deſpectionis me hoc agere, ſed timoris; quod etiam rivus iſte mei prodit ſudoris; Siquidem, ut unum ex plurimis dicamus, duos forte ſupervenientes aſpiciens clericos, unum alloquitur, alterum abominatur. A circumſtantibus rogatur, ut & alterum intueatur: Ecce, inquit, annuo veſtræ precationi; Sed vos amabo huic meæ parcite afflictioni. Facies enim pallebat, ſudor per totum corpuſculum decurrebat. Nos quaſi pœnitentia ducti triſtabamur quidem in doloris compaſſione, ſed lætabamur in dubiæ rei comprobatione. Vigilantius autem de clericorum ſciſcitantes converſatione veraciter didicimus, eundem quem puella deteſtabatur, monachum fuiſſe, ſed habitum clerici, potiori abjecto induiſſe.

Sed ne aliquis objiciat, hanc illos prius cognoviſſe, ideoque in utriusque penſatione nihil miraculi extitiſſe: exceptis veris, ut oſtenſum eſt, indiciis, quæ fidem dare poterant dictis, plurimorum occultiora detegebat peccata, quæ nonnunquam per confitentes verè ſibi probavimus revelata. Hæc dum in Eccleſia noctes ac dies pæne, orationum inſtantiâ continuaret, quadam die veſpertina hora reptando circa memoriam beati *Udalrici* ad altare usque provolvitur; cujus pallam cum geniculans tetigiſſet, repente

Digitized by Google

repente locus quo hærebat movetur, ita ut puella acrius laberetur. Ad cujus erectionem circumſtantes accurrunt, claudam ex more ſeſſum componunt. Tum illa, Statuite, inquit, me ſuper pedes meos, quia Dominus direxit greſſus meos. Illis hoc non ſine admiratione facientibus, & ne caderet, adhuc retinentibus, relictis omnibus progreditur, & quaſi alienis pedibus nutando primum abutitur, ſed in brevi tota natura reſtituitur. Nec mora, in turbas rapitur, &, ſicut eſt humana curioſitas, hilarior * cujus hanc domus promeretur: comitatur epulas laſcivia, hauriuntur innocentis auribus vaniloquia, attrahitur ſcurrilitate pueritia, minuitur boni ſpecie gratia; DEO tamen propitio, dolore corripitur acerrimo, attenuatoque diuturna caſtigatione corpuſculo, in Domini confeſſione à præſenti nequam eripitur ſæculo.

SÆC. XII. ANNO 1120. *Pſalm.* 39.

VIII. *Cæca videt.*

Mulier quædam *Auguſtenſis*, non ignota, civis, nebula obducitur cæcitatis, octo eo & amplius viſu privatur annis. Quæ dum ſolito ad beati *Udalrici* ſepulchrum quodam die humili proſterneretur ſupplicatione, ſubito totam replevit clamore Baſilicam, invitans omnes ad redditam ſibi lucis gratiam. Fama univerſam convocat civitatem Domini laudantem ſuper tam evidenti miraculo pietatem.

Pater idem cui noſter ſervit ſtylus, teſtatur ſe quendam mutum vidiſſe ad ſæpe dicti ſancti *Udalrici* mauſoleum confediſſe, cui repente ſolutis linguæ vinculis, loquendi ſit reſtituta facultas, per indicium currentis ex ore ſanguinis.

Quid referam de Energumenis? quos ibi fere toties vidimus liberari, quoties vexari. Contigit enim quadam fœmina meritis beatæ *Afræ* curata & *Crucem* ſicuti moris eſt, confluenti turbæ per medium urbis præferente, aliam arrepticiam in Eccleſia ſanctæ Dei genetricis liberatam cum ſibi juncta multitudine occurriſſe, ſicque unitis duobus ſemper vincentis *Jeſu* vexillis duplici exultantem Dei populum triumpho, hinc inde cum laudibus in ſua rediſſe.

In hujus noſtri templi dedicatione, præfato patre verbum vitæ ad populum aliquando faciente, quidam dæmonio vexatus, magnis cœpit ſtrepere vocibus, ita ut magis ad eum compeſcendum, quam ad verbum audiendum occuparetur vulgus. Tum ſubitò hoſtis humani generis, Quid, inquit, tantopere me ſedatis, cum poſt paululum quam utili circumferar negotio videatis? Hæc nobis audientibus, cunctosque pro viribus ab eo qui mendax ab initio fuerat avertentibus, ecce cruentatum militem quaſi ex acie fugientem per medium populi cernimus diſcurrentem, atque urbem ab hoſtibus captam terribili clamore nuntiantem; flebilis omnium vociferatio, nulla fugientium expectatio, domus Dei aſylum fieri poſſe deſperatur, dum & inerme vulgus egreditur, à ſuburbanis arma rapiuntur, ad locum certaminis properatur, in ſe quæque ruunt, nec hoſtem quem feriant inveniunt. Tandem in ſe reverſi, Satanæ inſidias cognoſcunt, mendoſum militem requirunt, ſed reperire, ut puta evaneſcente phantasmatis transfiguratione, nequeunt. quæ illuſio quamquam ex cujus acciderit peccato neſcitur, tamen quoties ad audiendum verbum divinum congregamur, ne aliorſum intendamus, in commune per hoc factum exhortamur.

Joan. 8.

XII. *Fur per viſionem detegitur.*

Presbyter quidam nomine *Luipoldus* ejusdem Eccleſiæ ædituus, jam ſenio confectus moritur. Per cujus ſepulturam alius è vicino ſacerdos defunctum ſibi videre videtur per ſomnum, quaſi catenam evomentem quinque cubitorum. Quam narrans viſionem conſilium fuit, omnem mortui perſcrutandam fore ſuppellectilem, ne quid forte de rebus Eccleſiæ ibidem contigiſſet latitare. Domo ergo everſa, Zona ex optima reperitur purpura, quæ ex ſomnii conjectura menſurata tantæ extitit longitudinis, quantæ catena viſionis, à fratribus confeſtim recognoſcitur, in veſtiario reponitur.

XIII. *Evaneſcit mulier.*

Duos calices argenteos cum patenis quædam furatur paupercula, ſed fores Eccleſiæ non valens egredi, nota proditur ſacrilegii; capitur miſerrima, reddito furto trahitur ad ſupplicia. Sed quæ onerata crimine, etſi occulto, non potuit effugere; exonerata manus evaſit tortorum DEO parcente. Omnibus quippe ad hoc crudele currentibus ſpectaculum, quæ puniatur quæritur, ſed diu quæſita non invenitur.

XIV. *Varia Reliquia.*

Gloria inquam majori ſignorum vel miraculorum ſancti noſtri illuſtrantur, majori etiam ſtudio ſub iſto patre noſtro venerantur. Ut enim taceamus *Coloniæ*.... (*b*) ex undecim millibus virginum, *Albini* quoque Martyris, ſanctorum *Maurorum*, nec non multas eum ſanctorum undecunque *Reliquias* acquiſiſſe, quibus *Auguſtam* allatis, ſanctos inibi hactenus latentes, videlicet *Dionyſium* (*c*) primum ejusdem civitatis Epiſco-

(*b*) Mirare hic undecim mille virgines celebrari. BASN.

(*c*) Zozimus erat frater Hilariæ, Matris Afræ, cujus nomen immutatum dum baptizaretur, & appellatus eſt Dionyſius. Quot fabulæ de iis narrantur? Dionyſius enim & Afra Auguſtam numquam venerunt. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1120. Episcopum, *Quiriacum* cum sociis suis viginti 4. Martyribus demum jam reperiuntur, tanquam bene notis civibus, assurrexisse. His, inquam, veluti novis prætermissis inventionem beatæ *Afræ* antiqua jam pæne oblivione abolitam, solenniter constituit celebrari; viginti quatuor prædictorum Martyrum, simul cum sancta *Hylaria* passorum festivitatem sub una die nihilominus statuit venerari. Nec in tali fraudatur studio, dum pretiosissimo remuneratur thesauro, capite scilicet ejusdem Martyris *Hylariæ* illis diebus invento.

XV. *Lites Abbatis cum Episcopo. Job. 1.* Sed totius bonitatis adversarius, veluti *Job*, patrem istum, non gratis Deum colere ratus, quippe qui prosperis rebus, vel honoribus sit circumvallatus, ac pro nihilo ducens exterioribus eum privari, quasi carnem ejus & ossa desiderat flagellari, dum se cum fratribus suis, tanquam carnem ossibus per cordis vel animæ unitatem adhærentibus, ab ipso loco machinatur proturbare, quibusdam ex ipsis longius à se passibus vitæ remotis, sicuti in convivio voluptatis igne consumptis. Ergo hic qui nomen pastori; super ovile ejusdem tenet civitatis, adversus eum concitavit, adeo ut qui defendere gregem à morsibus luporum debuit, non ut mercenarius fugeret, sed ipse lupus effectus, oves raperet, laniaret atque dispergeret. Cujus tamen persecutionis causa ipsi Episcopo interdictum ab Apostolica sede pontificale extitit officium; quo illo abutente Abbas noster tantæ noluit præsumptioni communicare. Ut autem finis hujus rei lucidius subsequatur, initium quoque stilo cautius digerente proponatur.

XVI. *Episcopi Augustensis Electio.* ** Pro domina seu domna.* Beatæ memoriæ *Urbano Papa* Romæ præsidente, sedes *Augustensis* vacabat Ecclesiæ. Præfato autem Tyranno *Henrico* Imperatore apud *Veronam* tunc temporis morante, quippe * dona *Mahtilde* prohibente *Longobardiam* non valens ingredi, nec *Italiam* obstantibus *Teutonicis* principibus egredi; quidam Comes nomine *Oudalricus* tyrannidi suæ consentaneus, videns eum hinc inde magnis jactari angustiis, acceptis mutuo quingentis à *Veronensibus* talentis pro Episcopatu *Augustensi*, fratri suo dando sibi obtulit. Insuper & comitatum *Teutonicas* adeundi partes promisit; quod etiam persolvit. Hoc pacto luscus frater Comitis adducitur, nec ante ab excommunicata laica manu investitur, quàm memoratum pondus argenti Veronensibus persolvere juramento constringitur. Sic militum manu copiosa Comes stipatus fratrem non dico electum, sed nec facie notum invexit Augustensibus. Cogente tamen armatæ manus timore, ut Episcopus excipitur; diligentius, ut agnoscatur, inspicitur; paulatim cæcum se excepisse Augusta miratur. In hoc completam esse Prophetæ maledictionem *Psalm. 68. Rom. 11.* in commune lamentatur: Obscurentur, inquit, oculi eorum, ne videant & dorsum eorum semper incurva. Quem enim pro oculo sibi ad salutem prospicientem suscepe-
Matth. 15. runt, hunc exteriore & interiore cæcitate natum, ex dorsi incurvatione, id est, ex suimet tortitudine quantocius intellexerunt. Cæcus namque si cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt. Talis ergo electus, contra statuta canonum gradu promovetur presbyteratus; ordinationem pontificatus non incongruo accessu à modo subiturus. Siquidem ab Episcopo *Aquileiensi*, qui abusive patriarcha vocatur, sub pallio *Wiberti* hæresiarchæ, præmissis duobus juramentis ordinatur. Cum enim ordinandus se licentiam magistri sui *Magontiensis* Archiepiscopi hujusmodi consecrationis accepisse fateretur; nec nudis verbis ab ordinatore, etsi à duobus Apostolicis excommunicato, *Urbano* scilicet atque *Gregorio* crederetur; ministerialis ex potiori familia beatæ *Mariæ*, qui hoc sacramento probaret, inquiritur. Quo non invento, tributarius quidam ex eadem familia, *Bero* dictus, optimis induitur vestibus; & primo se ministerialem militem, utputa qui erat grandis staturæ, juramento confinxit; secundo Dominum suum licentiam Archiepiscopi, consecrationem accipiendi habere, sicuti ipse ad conversionem postmodum veniens nobis retulit, coactus fefellit.

XVII. *Episcopus Augustensem Ecclesiam spoliat.* Hoc itaque execratus ordine consequenti visitatur omine; novus etenim Pontifex sancta sanctorum ingreditur, DEUM non placaturus, sed irritaturus. Missæ officio, ut videbatur ad hoc peracto, Diaconus populum ad Episcopi benedictionem humiliandum exhortaturus, non mente, ut putabatur, alienatus, hoc utitur præconio: Inclinate, inquit; capita vestra DEO. Ab omnibus exhortatio pontificalis benedictionis suggeritur: à levita, ut populus Deo capita inclinet, iterum atque iterum repetitur. Talia perstabat memorans, fixusque manebat. Percontatus post à familiaribus utrum ex industria hoc fecerit, idem Diaconus testabatur DEUM, se non sponte, sed quasi in extasi præcinuisse. Denique mendacio compositus *Augustam* regreditur Episcopus, Clerum & populum jam libera tyrannide oppressurus. Siquidem divites ac pauperes deprædatur; Ecclesia sanctæ DEI Genitricis infinito per eum thesauro privatur; Canonicorum prædia vel oblationes in beneficia laicis accommodantur; horæ Canonicæ seu Missæ non celebrantur, dum pro laudibus Dei querelæ ob victus penuriam

Digitized by Google

nuriam frequentantur. Temporibus illis præfatus Romanæ Sedis legatus *Richardus* Albanus Episcopus in Teutonicas directus partes *Mogontiam* devenit. Ubi cum apud *Ingelenheim Heinricum* Imperatorem regalibus privatìset insignibus; capite nimirum hæreseos abscisso, communioneque omnibus reddita, singula in unum Ecclesiæ pacificantur membra. Hic, inquam, hic dictus Episcopus in generali absolutione non excipitur, sed per *Wibertinæ* hæreseos abjurationem, nec dum ventilata sui causa, inter cæteros recipitur. Legato quoque Augustam veniente, cleri ac populi exponuntur querimoniæ; dictum videlicet Episcopum absque canonica electione seu consecratione Sedem illam invasisse. Diligentius res audita discutitur: Si aliquis canonicorum se huic subtrahat accusationi perquiritur: omnes unum dicentes, idem sapientes, nominatim subscribuntur: cuncta in domni Apostolici præsentia finienda differuntur: Synodus colligitur *Warstallensis:* adsunt cum suo Episcopo nuntii Ecclesiæ *Augustensis:* refert legatus quæ audierit, qualiterve audita distulerit: idonea iteratur accusatio; nulla prætenditur excusatio: facilè ab omnibus concordatur, ut talis Episcopus deponatur. Quod & factum fuisset, si non *Gebehardus* Constantiensis in Ecclesia Augustensi hoc faciendum persuasisset. Eo namque tempore domnus Papa Teutonicum adire proposuerat regnum; quod in ruinam perficere nequivit multorum. Apontificali tamen suspensus officio semiepiscopus regreditur. Terminus huic rei finiendæ constituitur. Augusta sui liberationem dolens præstolatur, dum in spe Apostolici adventus defraudatur: infraque scilicet terminum idem Episcopus, pro interdicti restitutione officii, Apostolicum adivit: sed literas ab eo hunc in modum se continentes accepit. Sæc. XII. Anno 1120.

Paschalis Episcopus servus servorum Dei, Augustensis Ecclesiæ Canonicis & cæteris parochianis salutem & Apostolicam benedictionem. XVIII. *Paschalis Epistola.*

Venit ad nos non vocatus frater noster *Herimannus* vestræ civitatis Episcopus, causam suam postulans certiori fine concludi. Nos autem querelarum vestrarum memores, quod fratres qui adversus eum in Concilio coram nobis capitula protulerant, cum eo in præsentiarum coram nobis minimè affuerunt; ne qua pars adversum nos possit præjudicium conqueri, causæ ipsius pertractationem in proximas Kalendas Novembres, fratrum nostrorum deliberatione, distulimus: ad quem videlicet terminum omnes qui adversus eum causam agunt, litteris præsentibus ad nostram audientiam invitavimus. Interim eidem fratri nostro potestatem concedimus, ut eos qui Ecclesiæ bona rapiunt & invadunt, juxta sanctiones canonicas excommunicare prævaleat. Volumus enim, ut tàm ipse, quàm Ecclesia quæ sub eo est, usque ad præfinitum tempus pacem & tranquillitatem, Domino largiente, obtineat. Data X. Kalend. Decembris.

Has literas vix Venetium asportavit, initoque consilio cunctos earundem conscios, ut unius anni spatio non detegerentur, jurare compulit; sicque fictis pro libitu mendaciis, domum rediit. Excogitatâ verò graviori adhuc nequitiâ, unum de accusatoribus suis, qui præstantior cæteris videbatur, pretio corrupit, & literas quasi ex *Augustensium* persona occulte per eum Apostolico direxit. qui falsitatis nuntius benignè susceptus, dum auditur, magna contra eum Papa indignatione invehitur: corde & corde loqui ab omnibus deprehenditur. *Curiensi* tamen Episcopo atque *Gotwigensi* Abbate pro ipso supplicantibus, datis veluti Augustensium respondentibus literis, abire permittitur, vera cum falsis relaturus: Vera hoc modo. XIX. *Alia Paschalis Epistola.*

Paschalis Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Augustensis Ecclesiæ clericis salutem & Apostolicam benedictionem.

Post impetitionem quam super Episcopo vestro feciſtis, dilectionis vestræ literas suscepimus. In quibus quia pacem & concordiam cum eodem Episcopo vos habere nobis significastis, lætati sumus, si eandem concordiam gratis factam fuisse constiterit. Nos tamen constitutum terminum expectamus, ut quidquid æquitas dictaverit, auxiliante Domino exequamur. Data VIII. Idus Februarii.

Quibus literis clam Episcopo lectis, contra nuntium infremuit, non æqua pretio sibi referri mandata objicit, patre iterum mendacii suggerente, interminatur, ne tam adversa prodantur, sed prospera fingantur. Egreditur in publicum, arriguntur aures expectantium; parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Dum falsò benedictione Apostolica salutatur Episcopus, eademque gratia participatur populus. Nec longum evolvitur tempus, & Cardinalis nomine *Divitius* à Papa missus Teutonicas adiit partes. Quo Romam regresso, Episcopo quasi per Cardinalem restituto sub nullo tamen testimonio, pontificali abutitur officio. Jam utiliori Achitofel utens consilio, quoslibet ex Clericis vel laicis potentiores suo secretiori ascivit consortio, ut hoc modo, inferioribus suffocatis, nemo proditor falsitatis, nemo præco esset veritatis. XX. *Hermannus agnoscitur Episc. Augustensis.* *Horat. de arte Poët.* 2. *Reg.* 15. 16. 17.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1120. tis. Pontifex ergo vix Melchiſedech ſecundus prædicatur; cunctis retro dictis vel factis, oblivioni traditis, ut legitimus per omnia frequentatur. Sub hujus medio ſilentii noctisque caliginoſo curſu, pater *Egino*, in veræ lucis præconem, *Auguſtam* ut prælibatum eſt, revocatur; honore Abbatis ſublimatur: aſſumitur & ipſe in amicum, utputa inter primos tenentes principatum: poſt modicum talem Epiſcopum miratur, dum ſui patris, videlicet Præſulis *Conſtantienſis*, recordatur. Paulatim ſe ab ejus ſubtrahit familiaritate, non à communionis unitate; quia nec dum quicquam certi de tantæ præſumptionis cognovit immanitate. Sed *Deus* tantum virum hujusmodi nolens diutius ludificari figmentis, quo modo ſanguis ſanguinem tangat, hoc ordine revelat. Deprehenſus jam crebrius in ſtupri fœditate dictus Epiſcopus, poſt monialium ſeu aliarum meretricum ſcortum, perpetraſſe in Eccleſia diffamatur adulterium: Cujus videlicet uxoris maritus, cùm eſſet fortitudine ac bonitate conſpicuus, facile totam civitatem in adulteri poſſet concitare necem. Sed malens gladio ſpirituali judicium ſibi fieri, quàm materiali, Sedem petivit Apoſtolicam, de crimine facturus querimoniam. Auguſtenſis verò Eccleſia tanto ſcelere, quaſi de graviſſimo erroris ſomno experrecta, ad eandem Sedem literas dirigit, quid ſuper tali Epiſcopo ſentire debeat inquirit. Quæ infra poſitis informatur ſcriptis.

Oſee. 4.

Hermannus adulter.

XXI. *Paſchalis. Epiſtola.*

P. Epiſcopus ſervus ſervorum DEI, dilectis filiis Auguſtenſis Eccleſiæ clericis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Pro querelis quibusdam, quæ ſuper Epiſcopo veſtro ad audientiam ante quinquennium pervenerunt, nos ei tunc temporis officium Epiſcopale interdixiſſe meminimus. quia & à noſtro id temporis legato bonæ memoriæ *Richardo* Albano Epiſcopo, ſicut veſtris ſignificatur literis, invitatus, & noſtra præceptione præmonitus, nequaquam ad ſtatutum terminum ante nos curavit occurrere, aut purgationis debitum exhibere. Ex illo nunquam interdicti remiſſionem nos ei feciſſe meminimus. Latorem præſentium Apoſtolicæ Sedis, auxilium poſtulantem, veſtræ fraternitati commendamus, ut in querela quam adverſus eum Epiſcopum gerit, vos ejus juſtitiam tueamini. Data Romæ IX. Kal. Decembris.

XXII. *Paſchalis Epiſtola Moguntino Epiſcopo.*

Moguntienſi quoque Epiſcopo expoſitæ querelæ his literis injungitur diſcuſſio.

P. Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, *Arnoldo* venerabili fratri Mogontino Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Super cætera horrenda & infamia, quæ de perſona Auguſtenſis, jam dudum ad Sedis Apoſtolicæ audientiam perlata ſunt, nuper querelam *Adalberti* Auguſtenſis civis lachrymabili ſuggeſtione ſuſcepimus. Quam nimirum perſonis Eccleſiaſticis & dicere & audire turpe eſt, ſed ex ipſius Adalberti poteris relatione cognoſcere. Tibi ergo ad quem hujusmodi diſcuſſio pro Metropolitanæ dignitatis debito attinet, literarum præſentium perceptione injungimus, ut hujusce negotii veritatem, convocatis fratribus, ſollicita inquiſitione diſcutias; & quod juſtitia exegerit decernatis. Quod enim à vobis juſtè & rationabiliter auctore Deo ſtatutum fuerit, noſ ratum habebimus.

XXIII. *Arnoldi Moguntini Epiſtola.*

Hoc accepto Archiepiſcopus mandato, Auguſtenſium Prælatos tali invitat præcepto.

Arnoldus Dei repropitiante clementia devotus in Chriſto gregis Moguntini famulus Reverendo Abbati unâ cum chariſſimis filiis Auguſtenſis Eccleſiæ fratribus & dominis, conſilium paternæ affectionis in ſpiritu divinæ conſolationis.

Dilectioni veſtræ fratres amantiſſimi inſinuamus, literas nos à Sede Apoſtolica nuper accepiſſe, in quibus cum ſit veſtri Epiſcopi nobis injuncta diſcuſſio, placuit ſumma diligentia id fieri, Eccleſiæ noſtræ & fratrum conſilio, ſervato tenore canonico; ne vel actori cauſa pereat, vel ſummum Pontificem indiligentiam noſtram cauſari oporteat. Querimoniam univerſam, vobis notam cum habeamus à prædicta ſede remiſſam, ſuo loco & tempore retractandam, illas domni Papæ bullatas transmittimus vobis exemplatas; earum commoniti authoritate, aut Dominum Abbatem, aut quoslibet ex vobis idoneos prælatos veſtros, tempore *Werzeburgenſis* curiæ, ad nos deſtinate, tunc quidquid nobis interim Eccleſiæ noſtræ & fratrum ſuggeſſerit ſpiritus, per veſtros vobis plenius intimabimus. Vale.

XXIV. *De Hermanno lites judicanda a Pontifice.*

Verum quia hisdem temporibus *Longobardiæ*, in regia expeditione, infamatus morabatur Epiſcopus; Abbas noſter quendam è fratribus ſuis nomine *Ratpotonem* cum Apoſtolici literis Auguſtam delatis ad eum dirigit, ut Papam adeat de officii reſtitutione, ſeu de objecti ſacrilegii purgatione acturus, obnixius ſuggerit. At ſpreto Epiſcopus ſalubriori conſilio, ut criminis conſcius, ſolito mendacii armatur præſidio. Literæ ſiquidem tanquam ex Auguſtenſis Eccleſiæ perſona finguntur, per Canonicum

Contra-

Digitized by Google

Conradum & dictum fratrem *Ratpotonem* Apoſtolico diriguntur. Quarum fallacia ex hujusmodi deprehenditur reſcripto. SÆC. XII. ANNO 1120.

P. Epiſcopus ſervus ſervorum DEI, dilectis filiis, D. Decano & cæteris Auguſtenſis Eccleſiæ canonicis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Diu eſt, quod frater noſter *Herimannus* Epiſcopus veſter de tribus apud nos fuit capitulis inpetitus; de pravo videlicet electionis & conſecrationis acceſſu; de converſatione perverſa; & de rerum Eccleſiarum diſtractione. Pro quibus ipſo ab Epiſcopali officio ſuſpenſo, terminus conſtitutus eſt, quo pars utraque ante noſtram deberet præſentiam convenire. Infra quem nimirum terminum confrater veſter & concanonicus *Conradus* ad nos venit; & ſicut ipſe aſſerit à nobis accepit, quod Epiſcopus liber eſſet, niſi illi conſtituto termino convenirent. Cum itaque nuper ante nos, & de quibusdam aliis gravibus idem diffamaretur Epiſcopus, cum his ad memoriam noſtram etiam illa præterita redierunt. Unde oportunum duximus, cauſam ipſius, ne diutius Eccleſiæ detrimentum afferat, terminare. Sed quoniam propter difficultates itinerum & perſonæ irfirmitatem, noſtro nequit ſe offerre conſpectui; confratri noſtro *Widoni* Curienſi Epiſcopo negotium illud providimus injungendum. Præcipimus ergo, ut ipſe cauſam omnem diligentius audiat. Et ſi Epiſcopus veſter de rerum Eccleſiaſticarum, & de perverſæ converſationis emendationem fecit; & de aliis, quæ objecta ſunt, tertia Epiſcoporum vel quinta presbyterorum manu ſe purgaverit, reſtitutionem interdicti ſibi officii conſequatur. Data *Beneventi* Kal. Aprilis. XXV. *Paſchalis. Epiſtola.*

His literis aliquantiſper immorandum videtur, dum plena in eis ſuperiorum notitia continetur. Primò namque primum ponitur, quomodo iſte, utinam mercenarius, non per oſtium, ſed aliunde ingreditur; ingreſſus ut mactet & perdat, pro conſecratione execratur. dein conſequentia, perverſa ſcilicet vita cum rapina. Terminus, inquiunt, conſtituitur, quo pars utraque invitatur. Pars accuſata literas terminum indicantes ſub juramento, ut prædictum eſt, celat, ut altera loci juſtitiæ ignara obmuteſcat. A neutra ergo parte aditur. Et hoc eſt, quod dicitur, quod Epiſcopus liber eſſet, niſi illi conſtituto termino convenirent. Tamen irrefragabili determinatur confirmatione; ſicut inquiunt, Conradus aſſerit. O prudentia Romana, quanta obdormiſti, quod gratia tui dixerim, negligentia; ne forte dicendum ſit, te ut bonum quandoque dormitare Homerum. Cur, ſicut ipſe aſſerit, non ſicut tu aſſeris, cum memoriter cætera noveris, numerum diffinis capitulorum, officii non taces ſuſpenſionem, quo cuncta diſcutienda ſeu finienda fuerant, repræſentas terminum, libertatis tantum conditionem neſcis, ut & nos neſcire cohorteris? Sed quoniam, inquiunt, propter difficultatem itinerum & perſonæ infirmitatem & cætera. Hinc evidens colligitur mendacium; itinerum ſcilicet difficultas & perſonæ infirmitas, cùm, ut poſtea reſcivimus, præſentari nollet ſaniſſimus. Nam dum eundem Canonicum, cur hujusmodi confingeret, percontaremur, apologeticum, Verum, inquit, dixi, cum cæcum à Nativitate pro infirmo duxi. Cæterum ne quis miretur Archiepiſcopo injunctum negotium alii Apoſtolicum commiſiſſe diſcutiendum; ſciat iſtum Canonicum hujus videlicet varietatis auctorem, *Curienſis* Epiſcopi fuiſſe fratrem, ideoque *Mogontienſem* ut Regis inimicum Auguſtæ abominari, fratrem verò ſuum in hac cauſa ibidem aſſeruiſſe non detrectari. Cautius tamen & ipſi injungitur; ſi nimirum Epiſcopus de rerum Eccleſiaſticarum, & de perverſæ converſationis emendationem (ſicut falſæ teſtabantur literæ) fecit. & cetera. Hic, inquam, Epiſcopus multis conductus promiſſis Auguſtam venit; clero ac populo objiciente, non niſi facta ficta emendatione, purgationem Epiſcopi minime recipi debere. Quatuor infames eliguntur perſonæ, quinta Sacramentis addicitur pœnæ, dum plusquam à quingentis convincuntur falſò jurare. Sic purgatus Epiſcopus interrogat Epiſcopum, ſi jam pontificale licitum ſit officium. Hoc eo non annuente, ſed ut Apoſtolicum pro ejus reſtitutione interpellet, perſuadente, diſceſſum eſt. Tum iterum dictus Epiſcopus in regiæ conturbernio expeditionis Italiam proficiſcitur, armata manu jam tertio domum beati *Petri* ingreditur; cum excommunicatis communicare non veretur. Non differt Archiepiſcopus hoc taliter intimare Auguſtenſibus. XXVI. *Hermanni crimina imputata. Joan. 10.* *Pontifex Dormitat.*

Arnoldus DEI gratia Mogontinæ Sedis Archiepiſcopus domno * E. Abbati Auguſtenſis cœnobii cum cæteris fidelibus Eccleſiæ Catholicæ membris, coaleſcere in corpus Chriſti in Spiritu unitatis. XXVII. *Epiſtola Arnoldi.* ** Eginoni.*

Jam dudum clamor aſcendit in cœlum ſuper eo, qui veſter dicitur Epiſcopus; atque ab ipſa, ut noſtis, Apoſtolica Sede querimoniæ ſeriem & præceptum diſcutiendi illum accepimus. Quia verò charitas nunquam excidit, & odientes etiam diligit, ex ſuperabundati, ſi fieri poteſt, fugientem revocaremus, & magnis vulneribus magna *Exodi 2.* *1. Cor. 13.*

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1120. medicamenta componeremus, ſi ægrotus veſter ſe ipſum recognoſceret, & medicum etiam vocantem non detrectaret. Nunc igitur quodammodo vos iſta cauſa vocat; in quamcumque patrem ceciderit, conſilium videtur, quatenus ex noſtra commonitione viva illum voce conveniatis, ut reſipiſcat, ut ſaluti ſuæ nunc ſaltem conſulat, excommunicationis contagia deſerat, & non usque in finem prævaricando excedat. Noſtis, novit & ipſe, quam horribili comminatione diſtractus, ab ipſo beati *Petri* Vicario ſit, longo jam tempore, officio ſuſpenſus; neque tamen adverterit, qualiter etiam excommunicatione ſe contaminaverit & nullam ſalutis viam exinde quæſierit. Proinde ſicut nos quod noſtrum eſt, ita & vos quod veſtrum eſt, facite; Eccleſiaſtica correptione illi intimate, quia vicinior erit illi via ſalutis, ſi ſe ipſum humiliaverit & veniam quæſierit, quàm ſi audientiam ſynodalem expectaverit, ubi judicem in neutram partem flecti oportebit. Quod ſi veſtræ fraternitatis verba & noſtra hæc monita non attenderit, illi interim præter jam vetitum officium, cleri populique obedientiam avertimus; quia ipſum irrevocabilem & inobedientem judicamus.

XXVIII. *Egino exulat.* His literis ab Abbate receptis, totique Eccleſiæ lectis, Epiſcopus regreditur, non dubitans quin pro Catholico ſuſcipiatur. Eccleſiam ergo noſtram ex more ingreditur; à nemine occurritur. Siquidem Abbas interdictum abnuerat, ſuisque hinc cavendum indixerat. Quæritur contemptus cauſa; referuntur univerſa. Tum verò nihil humanum in homine cerneres; beſtiam ex fremitu vel diſcurſu putares. Blaſphemiis Abbas minisque afficitur; ut publicus regni hoſtis proſcribitur. Urbis tamen civibus tanti viri expulſionem non ferentibus, propinquorum amicorumque turba colligitur armata: nec ſic quidem poteſt effectum habere voluntas peſſimè concepta. Interim Archiepiſcopus alias eô dirigit literas in hunc modum:

XXIX. *Hermannus excommunicatus ab Arnoldo. * Eginone.* Sanctæ Auguſtenſis Eccleſiæ filiis & fratribus, cum * E. Abbate ſancti *Udalrici*, *Arnoldus* Mogontinæ ſedis miniſter indignus, fraternam dilectionem cum oratione.

Quod proximè à Domino *Præneſtino* Romanæ ſedis legato Apoſtolica auctoritate denuntiatum fuit vobis, nos quoque eadem denunciamus vobis. Sed quia hæc neglexiſtis, nec vos nec ille quem dicitis Epiſcopum veſtrum, ſancto concilio interfuiſtis; ipſum quidem, quia jam diu à domno Papa Epiſcopali & Sacerdotali ſuſpenſus eſt officio, communione corporis & ſanguinis *Domini* usque ad ſatisfactionem privatum eſſe ſciatis: vos autem adhuc noſtra interceſſione dilatos, idem tamen ſubituros niſi ſancto concilio *Frideslariæ* V. Kal. Auguſti celebrando, Abbates & Prælatos Eccleſiæ veſtræ intereſſe faciatis. Quod quidem ſicut in mandato accepimus, Apoſtolica authoritate & noſtra præcipimus. Præterea ſuper querela illius veſtri *Adalberti* nos eadem firmaſſe, quæ Apoſtolicam ſedem feciſſe cognovimus, fraternitati veſtræ notificamus. Adulterum enim & adulteram & omnes conſentientes excommunicavimus. In qua damnatione veſter dictus Epiſcopus non excipitur, quia non faciendo juſtitiam patienti injuriam, conſenſum crimini adhibere probatur.

XXX. *Populus recuſat confirmationem ab Hermanno.* Quibus item à patre noſtro prædicatis, cunctisque jam ad Epiſcopi facinus per regium timorem proclivis, totum pondus prælii ſolius Abbatis imminebat capiti. Sabbatum ſanctum Pentecoſtes ſupervenit, in quo non longe pro baptizanda cujusdam Comitis filia à monaſterio receſſit: Epiſcopus verò exploraturus ſi chriſma ſuum reciperemus, idem petiit monaſterium. A Priore loci, nomine *Markwardo*, baptismatis agitur officium: dum ad hoc venitur, Epiſcopo jubente chriſma noſtrum ab Antiſtite, catholico acceptum miniſtro, aufertur, ſuumque baptiſtæ offertur. Tum ille quaſi alienum tangere formidat, notum Sacramenti vaſculum quæritat. Hoc, inquit portitor execrati liquoris, accipere debetis, aliud non habebitis. Voce publica profitetur baptiſta, nolle ſe hæretico inquinari Sacramento. Exilit Epiſcopus, vociferatur altius, fit in populo ſtrepitus, diſcurrit clerus, divina & humana habentur promiſcua. Quid ageret præcurſoris Chriſti diſcipulus? tantum ſpiculatoris præſtolabatur gladius; niſi quod Johannem Herodes in carcere, iſtum juxta altare hoſtis trucidaret Eccleſiæ, uterque tamen occumberet pro veritate. Tanto quippe furore Præſul debacchatur, ut non ſibi imperanti, ſed populo non obtemperanti ſacrilegii dilatio jure aſſcribatur. Tandem Miſſarum ſolennia inchoantur, Sacerdos ad altare progreditur, vere dignam Deo hoſtiam immolaturus, ipſe pæne victima paulo ſuperius: Pſallentium ora blaſphemiis obſtruuntur, ab Eccleſia vi expelluntur, Divina ex hoc officia fratribus interdicuntur. Hoc triumpho contentus Pontifex contemptus, clauſtrum ingreditur; menſa pranſuro apponitur. Saturatis omnibus exitur, pater cœnobii regreditur, ſeries rei geſtæ retexitur. Veſpertina ſynaxis Abbate incipiente ſolemniter agitur, eoque magis inſiſtendum divinæ ſervituti pater idem hortatur, quo ad Sathanæ injuriam fieri credatur. Ipſe verò jam non in palam procedit, dum undique

Matth. 14.

Digitized by Google

que timor mortis occurrit. Audax namque peſſimorum perquiritur contumacia, pro nece Abbatis, copioſa pecunia, ſeu alia promittuntur beneficia; Epiſcopus hoc non pro ſacrilegio ſed pro juſto fieri indicit judicio. Proceſſione tamen ordinata ſanctæ Dei Genitricis intratur Eccleſia. Ubi dum totius civitatis conveniret populus, Abbate jubente, literæ ſuperius poſitæ recitantur, laicis quoque interpretantur. Hæc eſt, inquit pater, cauſa, pro qua tam, ut noſtis, patior adverſa. Ecce ejicior cum pueris quos mihi dedit Deus, à facie veſtra; ſit omnium horum veſtra teſtis conſcientia. Quo facto Letania incipitur, minitans cervici gladius, Deo protegente, ſine læſione tranſitur. SÆC. XII. ANNO 1120.

Jam decimus ordinationis patris hujus inſtabat annus, & quaſi decimæ bonorum fructuum offeruntur Deo, dum propter juſtitiam pater cum filiis privatur domo. Eodem quippe monaſterio hoſtili manu repleto, nulloque fratre qui patrem ſequi nollet invento, pax fugæ obtinetur, egreſſus à novis viatoribus præparatur. Nec defuit ultionis divinæ præſagium, quo & ſuperbi perterrerentur, & humiles conſolarentur: ambitus enim monaſterii terræ motu validiſſimo quaſſatur, Eccleſia cum terra campanis hinc inde percuſſis ruinam minatur, ſepulchrum beatæ *Afræ* diſſoluto metallo aperiri videtur, comitatus Dominæ hoc ſigno famulis diſpergendis ſpondetur. Gratiarum actionibus Dei qui in ſanctis ſuis eſt mirabilis, propenſius peractis, pedeſtri turba peregrinum ſæculi ſalum calcatur, ex utroque latere uda plangentium ora fixis in terram vultibus diſſimulantur, *Licus* tranſitur, monaſterium ſancti Petri non longe poſitum aditur, fit multus occurrentium apparatus, finitis Dei, quibus excipiebantur laudibus ſeu ſacratiſſimæ lectionis conſolationibus, ſub noſtro paſtore duplicati gregis adunatur ovile. Ubi dum vix ſeptem moraremur diebus *Auguſta*, loci ſui capitalis non ferens deſtructionem, Epiſcopum ut alterum convenit Egeatem, in commune revocari poſtulamur, importune reddi exigimur, Paraſceve per omnia ſimulatur, dum altaria denudantur, ſigna non pulſantur, divina officia ſub ſilentio lamentantur. Aptiores ergo eliguntur perſonæ, pro noſtri diriguntur revocatione, quidquid contrarii ſubierimus, literis promittitur non repetendum ulterius. Communicato virorum Catholicorum conſilio regredimur, clero ac populo in obviam ruente, cum laudibus excipimur. Sed Sathana cribrari nos, ut triticum expetente, Chriſtus pro Petri intervenit fide, dum falſi fratres inter nos diſcernuntur, veri non ſubvertuntur. Novo itaque congredimur prælio, peſtiferæ ſuaſionis delinimur blandimento, ut videlicet patri noſtro renunciantes, alterum eligamus, cùm illum, ut puta Præſulis inimicum, habere nequeamus. Abbas ocius remanentibus inibi ſubjectis proturbatur, locus perpetrando ſceleri datur. Nec ſic dolore concepto ad iniquitatis parturitionem perducto ut Abbas jam è medio tollatur, hoc modo excogitatur: Impiorum turba colligitur, Abbati locus juſtitiam defendendi promittitur, nihil quàm ut in præſentiam veniat reſtare nuntiatur. Lætior pater ad urbem properat, concludere paratus quidquid propoſuerat. Verum ille, qui per angelum ſuum Joſeph revelat, ut cum *Jeſu* in Ægyptum Herodianam declinans perſecutionem deſcendat, ipſe nihilominus, ut innocens hujus patris ſanguis non effundatur, præcavere dignatur. Maximam etenim itineris conſumpſerat partem: & ecce obvium habet nuncium, literas à fratribus ſuis ferentem, quæ intra & extra urbem inſidias ei indicant paratas. Abbas convertitur, à cruenta diſputatione tortorum eruitur.

XXXI. *Novæ turbæ de electione Abbatis.*

Pſalm. 67.

Luc. 22.

Pſalm. 7.

Matth. 2.

Interea rex jam ſecundo excommunicatus, *Teutonicum* ex *Italia* adiens regnum, *Auguſtam* cum duobus eadem excommunicatione damnatis ingreditur Epiſcopis. Qui cum à fratribus prædictis accuratius ſuſciperetur, paſtor bonus dolens gregem ſibi commiſſum, hac participationis contagione eſſe temeratum, hujusmodi dirigit ei mandatum:

XXXII. *Eginonis Epiſtola.*

Novit fraternitatis veſtræ diſcretio, quomodo matri noſtræ ſanctæ Eccleſiæ condolentes, corpore & ſpiritu fugerimus illam perſequentes; novit quibus pacis & veritatis promiſſionibus ſimus revocati, nec tamen à promittentibus conſecuti. Mundus enim pacem promittere poteſt, dare non poteſt. Ego autem pacem illam, quam Chriſtus diſcipulis ſuis dedit, inquirens, Herodianam iterum perſecutionem cum ipſo *Jeſu* in nocte tribulationis declinavi, vobis tamen prius idipſum faciendum intimavi. E contra Dominici timoris & paterni amoris obliti, alienum paſtorem vos meæ parvitatis grex, vos inquam filii mei, quos in Chriſto genui, illum *Guntherum* noſtræ profeſſionis inimicum, ad quælibet eſtis ſecuti. Me etenim, qui locum defendendi juſtitiam in conſpectu totius Eccleſiæ deſidero, violenter expulſo, vobis potius congrueret nudipedalis lamentatio, quàm regalis ſine capite jubilatio. Hæc vobis honeſta occaſio, hæc meæ expulſioni fraterna poſſet prætendi compaſſio. Huc accedit, quod illum

Joan. 14. *Matth.* 2.

1. Cor. 4.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1120. illum alterum Judam, traditorem meum dicam *Ratpotonem*, quem, meo ſpiritu & corpore vobiſcum congregato, tradidi ſatanæ in interitum carnis, modis omnibus ſequendo & amplectendo in communionem recepiſtis, partim illi communicantibus non reſtitiſtis, ſicque hujusmodi contagione penè omnes polluti eſtis. In quibus omnibus, *1. Cor. 5.* quia Epiſcopi præceptis obtemperaſtis, votum obedientiæ, quod mihi coram DEO & Sanctis ejus ſingillatim per nomina promiſiſtis, eheu violaſtis. Quid ultra faciam vobis? domnum Priorem, magiſtrum veſtrum, poſt me fugientem, me ſequentem, per illum dictum raptorem *Ratpotonem*, quod dictu nefas eſt, deſpoliaſtis. Et ſi in hoc non omnes, ut credo, conſenſiſtis, in facientes tamen non digna ultione exarſiſtis. *Joſue. 7.* Quid dicam? Anathema in medio tui eſt Iſrael, non poteris ſtare contra hoſtes *1. Mach. 2.* tuos. Senior noſter domnus *Engilboldus*, non ut Mathathias in vobis Princeps ſurrexit. Ipſe videat quid fecerit. Veruntamen quia ipſe & alii perpauci obedientiæ ſuæ mihi, poſt hæc omnia, mandaverunt obſequia, quod dixi præſens, præcipio & abſens. Dixi enim vos locum non debere mutare, quamdiu poſſetis à communione illius Epiſcopi vos obſervare. Quod quia prævaricati eſtis, vel nunc ſaltem, qui Domini velit fieri, me non tardet ſequi. Ego enim vos non longe vobis expecto, ſi *Dan. 13.* quos ex vobis recipere promeruero, gratias ago. Interim illum *Heinricum* dierum malorum inveteratum, communione corporis & ſanguinis Domini ſciatis eſſe privatum.

XXXIII. *Monachorum fuga.* His auditis altius quidam ingemuêre, quidam deriſêre. Presbyter verò, nomine *Eberhardus*, cum bonæ indolis adoleſcente *Odalrico* monaſterium egreſſus *Licique* torrentibus vix tranſcurſis cum paludibus, laſſos pedites miſſi à dicto *Ratpotone* inſequuntur equites. Inermes ab armatis capiuntur, deſpoliati ut oves minantur; evaſum utcumque gurgitis periculum intrare coguntur; in deriſum vulgo per medium plateârum nudipedales reducuntur. A quibusdam mitioribus impetratur ut præda illis reddatur, ſed à Ratpotone hanc in præmium recipiunt, vel ſi quid talibus perfugis auferre poſſent. Dimiſſi iterum eandem viam arripiunt, patris ſequi præceptum, etſi artubus, animis non deficiunt. O miſeram rerum faciem. In vaſti medio campi, jam defecti, proſternuntur; frigore undoſa membra diſſolvuntur, diei conſolatio tollitur, noctis terror invehitur. Tandem reſpirante aliquantulum fortiore, per devia diſcurritur; ſi qua humana appareat converſatio, cæcutiente viſu palpatur. Villa ex improviſo offenditur, domus contiguæ oſtium pulſatur, quis intempeſta nocte adſit percontatur. Ut pauperibus, cauſa Dei, aperiatur humiliter ſupplicatur. Quamvis tardè, intromittitur, focus accenditur, quod verè pauper ſit cernitur. Pro ſocio in via derelicto interpellatur, precibus annuitur; plauſtro impoſitus ſacerdos, ut à ſamari- *Luc. 10.* tano in ſtabulum ducitur. Tepafactis artubus, apponitur jejunis cibus: matutini aguntur: ad locum ſibi condictum proficiſcuntur. Alii quoque fratres monachi habitu depoſito, negotiatoribus junguntur, alii noctu effugientes patrem noſtrum ſequuntur. Quidam verò ex ipſis ſubdola intentione obedientiam abbati ſuo demandant, nec tamen paſſibus corporis, ſicut nec cordis appropinquant. Quibus iſtis reſpondetur literis:

XXXIV. *Eginonis Epiſtola.* Egino Dei gratia, quod eſt; fratribus, diligentibus Deum omnia cooperari in bonum.

Rom. 8. Literas obedientiæ veſtræ fidelitatem inſinuantes, jam ſæpius accepi; ſed quod eadem fides non ſit in vobis univerſalis, teſtatur diſſenſio, imò contentio particularis. *1. Cor. 11.* Partes autem diſcordantium non habet Eccleſia. Ergo illi extra Eccleſiam tunc con- *1. Tim. 5.* vincuntur, qui fidem quæ eſt in Chriſto irritam feciſſe concluduntur. Unde nollem vos quaſi in commune eulogia obedientiæ ad me direxiſſe, ſed magis diviſos à nobis corde & calamo diviſiſſe. Qui enim legationi proximè vobis à me factæ non timuerunt detrahere, eorum nomina ad verecundiam filiis iniquitatis non oporret latere, Rogo autem, quid eos ibi offenderit dicant. Puto filios regni regalem monitionem *Matth. 8.* perturbaſſe. Ponam iterum eandem monitionem ad eorum confuſionem, vel, quod mallem, ad eorum correctionem. Me, inquam, qui locum defendendi juſtitiam in conſpectu totius Eccleſiæ deſidero, violenter expulſo, vobis potius congrueret nudipedalis lamentatio, quàm regalis ſine capite jubilatio. Sine capite, inquam, hoc eſt, ſine Abbate, ſine Priore; iterum atque iterum dicam, ſine capite. Abbas inquiunt, *Guntherus* tantum aſtabat. Quis iſte locus defenſionis? Quomodo aſtabat? Pro capite an pro cauda? Ipſe non concedit pro cauda; & vos non conceditis pro capite illum aſtitiſſe. Ut eſſet amborum neutrum, & illius uſurpatio, & veſtra invalida probavit reluctatio. Me, inquam, violenter expulſo. Nonne ipſi rationi vim facere videntur, qui hujusmodi dictis Regi me injuriam irrogaſſe fatentur? An uno è duobus conceſſo alteram

Digitized by Google

alterum non conceditur? An cum muſica in luctu excluditur, in gaudio non admitti- Sæc.
tur? Hoc modo filiis ſponſi me qualicunque illis ablato, magis congrueret nudipeda- XII.
lis lamentatio, quàm regalis ſine capite jubilatio. Anno

Quare ipſam literam literati non attendunt? Nonne nudis pedibus incedere, eſt ju- 1120.
dicem ad miſericordiam flectere? Ergo illi magis Regem offenderunt, qui ficta lætitia *Eccli. 22.*
ac per hoc duplici corde ipſi occurrerunt. Hæc, inquam, vobis honeſta occaſio, non ut ſuſpicantur Regem non honorandi, ſed non jubilandi: hæc mei expulſioni fraterna poſſet prætendi compaſſio. Hæc verba ſi exponimus, pueris ludum facimus, cùm aperte confundant offendentes in ſuperioribus. Cæterum ut cœpiſtis, hoſtiam *Pſalm. 26.*
vociferationis non immoletis, videlicet ab officio Miſſæ abſtinendo & horas Canonicas ſub ſilentio, vigilanter tamen perſolvendo. Ad ultimum verò ſua monita vel præcepta hujusmodi concludit ſententia.

Egino Dei gratia, quod eſt, electis in Chriſto, propter quos omnia ſuſtineo, Id- XXXV.
ipſum ſapere in alterutrum ſecundum Jeſum Chriſtum. *Rom. 15.*

Quoniam veſtræ fraternitati cuncta quæ de inſtantibus periculis dicenda erant, tàm abſens quàm præſens intimavi, reſtat, ut obtemperantes nobis in Chriſto à facie iniquitatis in ſinum matris Eccleſiæ colligamus; apoſtatantes autem à Deo, ac per hoc à noſtra obedientia, quia filios Dei conturbant, juſtæ cenſura ſententiæ abſcindamus. Præcipimus ergò in verbo Domini, ut quicunque in vobis ſe filios Eccleſiæ recognoſcunt, incontaminato per inobedientiam loco ulterius non remaneant, ne cum *Num. 16.*
Dathan & Abiron inferno deglutiente pereant. His verò qui in hac qua cœperunt contra nos contumacia perdurare decreverunt, eundem locum in virtute ſancti Spiri- *Rom. 15.*
tus interdicimus, ne per illos diutius nomen Dei blasphemetur in gentibus. Miro etenim modo localem facere obedientiam & conditionalem nituntur; cum non niſi in ambitu quatuor parietum clauſtri, & non irato contra Abbatem Epiſcopo monachis eam ſervandam eſſe fatentur. Hi quia Sarabattarum laſciviam ſequuntur, à fortiſſimo genere cœnobitarum excluduntur. Ut autem finem multimodis verbis faciamus, omnes voto ſanctæ obedientiæ nobis in Chriſto obligatos, ad locum per nuntium, noſtrum conditum invitamus; alienantes autem retrorſum ac noſtræ fraternitatis fugientes conſortium ab unitate corporis Eccleſiæ gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei *Epheſ. 6.*
amputamus.

Auguſtenſibus de his omnibus Abbatem incuſantibus, ſuique deſtructorem loci in- XXXVI.
clamantibus, pater idem ſcriptis excuſatur talibus: *Egino ſeſe excuſat.*

Sanctæ Auguſtenſis Eccleſiæ filiis univerſis, Egino, Dei gratia, quod eſt.

Novit beatitudo veſtra qualiter apud vos hactenus converſatus ſim, quomodo vi expulſus diſceſſerim, & quomodo vocatus redierim. Hujus vocationis credidi promiſſis; maximè quia catholicis redundabat dictis; dum quidquid juſtum, quidquid Canonicum, quidquid tàm veſtræ quam meæ ſaluti eſſet neceſſarium, loqui inter vos ſit mihi conceſſum, imò loquenti conſilium & auxilium veſtrum non ſit negatum. Ex hoc nihil his contrarii, nihil novi, nihil locutus ſum dubii, unde deberem, nec confeſſus, nec convictus, expelli. Jam profugus receſſi, quid ultra patimini fugientem perſequi? Fratres mei, ſancta obedientia vocante, me ſequuntur, quos inermes armati ex vobis inſequuntur, & contumelia afficientes deprædantur. O prudentiam, ô fortitudinem Auguſtenſium ad hoc redactam, ut uni homini ſancta illorum conculcanti reſiſtere timeant, ſubjici non erubeſcant. Siquidem præcepto illius Apoſtatæ Ratpotonis, monachorum perſecutoris, obtemperatur in vobis, dum qui nullius eſt apud Deum dignitatis, tantæ ſit apud vos poteſtatis, ut poſtquam qui nos lingua doloſa expellat, etiam gladio perſequi prævaleat. Tandem precor redite ad cor. Quia ſi tacti intrinſecus fueritis, me non niſi vera inter vos dixiſſe videbitis, ac per hoc à perſecutione mea ceſſabitis.* . . . . .

Reverendæ paternitatis ac diligendæ fraternitatis, cunctis utriusque ſexus in Chriſto fidelibus, *Egino* ille cujus incolatus eſt ſuper terra prolongatus, cœleſtis patriæ aſſo- *Pſalm. 119.*
ciari civibus. *1. Joan. 4.*

Quoniam Deus charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus *Eginonis*
in eo, omnis qui manet in Deo, imò in quo manet Deus, nimirum ſpiritu charita- *Apologia.*
tis eſt repletus. Ex fonte verò dilectionis rivulus emanat compaſſionis. Hoc igitur ſalubri fonte redundantibus neceſſarium duxi paucis abſolvere, quibus ſubjacuerim caſibus, præmiſſa cauſa quæ tot provocavit adverſa, ut virtus compaſſionis creſcat ex cauſa

* . . . . *Hiatum hunc reſarciri poſſe jam quidem mihi nulla ſpes eſt; quod aliud exemplum, quantum ego ſcio, non extat.* *Aliena quadam inſerta erant; ab alia manu poſtea id factum, ne pagella vacarent ſcilicet.* Cam.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1120. cauſa juſtitiæ & veritatis. Quamvis enim peccator indignus officio regiminis, ut multi veſtrum noverunt, cœnobii fungebar *Auguſtenſis*. Ubi quanta DEUS noſtris temporibus, non dico meritis fecerit; quod videlicet religioſos viros inibi coadunaverit, quamque virtutibus rebus quoque exterioribus locus idem in brevi ſuccreverit, non modo vicinos & contiguos, ſed etiam remotos latere minimè potuit. Verum quia juxta egregium prædicatorem, oportet hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant, expetente Satana ut cribraret nos ſicut triticum, quem defenſorem ac propugnatorem ſperabamus, utputa gregis dominici paſtorem, *Auguſtenſem* Epiſcopum, crudelem ſenſimus perſecutorem. Qui cum à beatæ memoriæ Papa *Paſchali* pro diuturna inobedientia, in omni pontificali officio fuiſſet interdictus, atque à ſucceſſore ejus *Gelaſio* ſecundo, nec non à ſancto adhuc ſuperſtite Papa *Calixto* ſecundo, absque ſpe ejusdem recuperandi officii ſit damnatus, ab ipſa Apoſtolica ſede hoc accepimus mandatum, hujusmodi vitare ut mortiferum. Nos tamen ut minus perfecti non ſtatim ad hæc implenda convaluimus; cum *Petro* ſcilicet ad ancillæ carnis vocem adhuc pertimuimus; cum tam nefanda, potius humana ſapientibus acquieſcendo, quàm divinis & Apoſtolicis præceptis obtemperando, diſſimulavimus.

1. Cor. 18. Luc. 22. 1. Cor. 15. Joan. 18.

Denique ipſo contra jus fasque omnibus modis graſſante, adeò ut catholicum Papam reſpueret, Burdinum reciperet, nomenque ejus in cerei Paſchalis benedictione recitari præciperet, ac plebem ſibi ſubjectam, tanti hæreſiarchæ literarum ſalutatione pollueret, nos etiam in his omnibus ſecum contaminari cogeret: tandem ut arcus fortium ſuperaretur, nos hactenus infirmi divino robore accingimur, in medium progredimur; cum *Apoſtolis*, etſi longè impares, proteſtamur: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Hac voce non minori quàm Scribæ & Phariſæi Pontifex iſte commovetur furore; dum mox vincula & carcerem minatur & exilium: nec unquam ceſſaverit, quousque ego & fratres mei, qui cum XII. Chriſtum ſequebantur, aliis retro abeuntibus, à monaſterii quiete proturbamur. Nec tamen huic præſuli poſt innumeras contumelias & injurias, noſtri ſuffecit expulſio, quin in omnes terræ fines nos ejus pro poſſe ſequeretur perſecutio. Quamobrem cum Archiepiſcopum noſtrum, nec non magnum Epiſcoporum, Abbatum ſeu Principum Catholicorum adirem colloquium; expoſitæ querelæ; in commune pro ſceleris immanitate mirantur & lamentantur. Proinde communicato prudentiorum conſilio ad Romanam dirigor ſedem, tum pro ſpeciali noſtra neceſſitate, tum pro communi Eccleſiæ utilitate. Quod iter cum arriperem, ex hoſtium inſidiis periculoſiſſimum, potius per devia quàm regia via utcunque perveni *Placentiam*. Ubi dum puer meus, quem ab infantia nutrieram, cum omnibus rebus noſtris, exceptis equitaturis, nocte aufugiſſet; qui in paucis ſæpius de itineris perfectione diffidebam, in nihili jam, de ejus, qui cuncta creavit ex nihilo, miſericordia, præſumebam. Quid plura? Per abrupta montium, per vaſtiſſimam eremum, per terram famis & ſitis, ubi veſtigium non inveniebatur hominis, tranſivimus. Sed quaſi in precium tanti laboris Domnum Apoſtolicum in maritimis locis, videlicet apud *Roſellam* civitatem invenimus; à quo hilariſſimo ut eſt vultu recipimur. *Romam* una ſecum deducimur, relaturi terræ noſtræ, ut ipſius verbis utamur, triumphum Eccleſiæ. Jam enim quis illius terræ concurſus? quantus omnis ſexus & ætatis apparatus? militiæ quoque Romanæ, ultra trium dierum iter occurrentis, quàm jucundus fuerit comitatus, Cæſar, ſi ſupereſſet, indignans miraretur; Tullius forſitan attraheretur, dum vexillo *Crucis* omnium conſulum & Imperatorum ſuperari trophæa conſpicaretur. Appropinquante verò ſummo Pontifice ad Urbem, puerorum & infantium cum ramis omnigenarum arborum occurrentium excipitur laudibus; quos ne quis opprimeret vel abigeret, cum Jeſu benedicens ajebat, ſinite parvulos venire ad me, talium enim eſt regnum cœlorum. Deinde coronatus ut regali ſacerdotio Eccleſiam credas potiri, per medium deducitur civitatis, plateis auro, gemmis pretioſiſſimis, palliis undique adornatis. Nec defuere Græcorum & Latinorum concentibus confuſi Judæorum plauſus; ut cæca gens vel invita confiteatur, unde magis puniatur. Vix hora decima cum eſſet. III. Non. Junii, à mane protracta rareſcit proceſſionum frequentia, quando & idem pater univerſalis à Lateranenſi exceptus Sede in palatium, ut moris eſt, judicum legali perducitur carmine. Ab hinc usque in Kal. Julii præſentia jugiter tantæ ſanctitatis perfruebar viri, hac inſtantia neſciente faſtidium, quia ſemper in majus accendebatur deſiderium. Siquidem hilaris vultus ſub verborum pondere; jejuniorum ſeu vigiliarum diſcretio, absque eo, quod intrinſecus latet, cunctis intuentibus in eodem patre uno atque eodem ſpiritu operante mirabili effectu patet. Laus omnis inferior, dum vir iſte revera Apoſtolicus virtutibus & miraculorum ſignis comprobetur ſublimior. Quæ quia tota *Francia*, *Longobardia*, *Tuſcia*,

1. Reg. 1. Act. 5. Joan. 6. Matth. 19. Cant. 4.

Digitized by Google

Tuſcia, atque *Apulia* prædicat, hujus anguſtia chartulæ ſuperſedeat. Igitur percepta à ſanctis ejus manibus Dominici Sacramenti communione, & inter crebra oſcula, largiſſima benedictione, iter rediturus arripui, navique per mare tranſiturus, apud *Oſtiam* civitatem cum *Aquenſi* Epiſcopo intravi. Quæ cùm ſocium laboris noſtri fratrem *Udalſcalcum* præ hominum multitudine capere non poſſet, alteram, quæ tamen cum noſtra erat itura, aſcendit. Sed mox pelago turbato naves in tantum ſunt disjectæ quod infra XIV. dies nec loqui invicem potuimus nec videre. Cœpi ultra modum de amiſſo fratre contriſtari, ex triſtitia infirmari, vixque *Piſas* valebam deportari. Ubi qualiter frater me invenerit, quidve poſtea de me factum ſit, ipſe fideliter referat, animamque meam veſtris orationibus commendet. Æ C. XII. ANNO 1120.

Heu me Pater amande, quid agam? orphanum & pupillum in exilio derelinquis filium, & tu ad patriam pergis & ad Dominum. Pauciſſima ponam verba, quia magis tunc jubilabam dolore, quam garriebam ore. Igitur decimo quarto, ut dictum eſt die, poſt innumera maris, famis, & ſitis pericula, *Piſas* & ego perveni, ſperans laboris & doloris mei finem, cum ſcilicet dominum meum & patrem reperirem, ſed triſtitia ſuper triſtitiam, illo jam in extremis poſito, mihi accumulabatur, nec ulla ſpes conſolationis inveniebatur. Tum vero quantis pater filium amplectitur ſuſpiriis, quantis filius patrem infundit lachrymis, pretioſa in conſpectu Domini mors ejus teſtatur, dum me qui perieram recepto, mox à præſenti ſæculo nequam erui precatur. Fratribus ergo ſuis & amicis per me valedicens, & ut in Eccleſiæ obedientia ad mortem usque permaneant exhortans, tanquam præſentia faſtidiens, ad futura jam rapitur: usque ad ultimum enim ſpiritum nulla ex ore ejus niſi vox pſalmodiæ auditur. Pſalmus autem hic erat quem ſæpius replicabat. Laudate pueri Dominum laudate nomen Domini. Cujus & extremus verſiculus egredientem comitatur ſpiritum ejus; illud optabile his verbis præfigurans; Euge, quod erit in proximo auditurus, qui in pauca fidelis, ſuper multa es conſtitutus. Quos enim in Chriſto per Evangelium genuit, hos digne in domo Domini ad gloriam ut mater filios, lætus recipit. Itaque aſtante religioſiſſima *Camaldulenſis* Ordinis congregatione, poſt intimam peccatorum ſuorum *Confeſſionem*, poſt olei ſacroſancti *Unctionem*, dominicis munitus *Sacramentis*, idibus Julii vita æterna mortem ſæculi commutavit præſentis. Depoſitus eſt autem in Beati *Michaelis* monaſterio juxta incomparabiles *Piſanorum* divitias optimo Archiepiſcoporum mauſolio, ubi neſciuntur tenebræ, excluſæ jugiter ſole vel oleo. Nullus ergo ex ſimplicioribus hujusmodi tanquam fortuitis, etſi adverſis, quantum ad humanum aſpectum ſcandalizetur caſibus; cùm Abrahæ patriarchæ divinitus præcipiatur, ut terram nativitatis ſuæ egrediatur: Moyſes & Aaron non in terra repromiſſionis moriantur: Apoſtoli quoque per omnes terræ fines diſpergantur, quatenus & nos non in terra eſſe patriam ſed cœlum verbis & exemplis inſtruamur.

Eginonis mors.

Pſal. 112.

Pſal. 115.

Luc. 16.

1. *Cor.* 4.

Gen. 12. *Deut.* 34. *Deut.* 32. *Pſalm.* 38.

Digitized by Google

CARMEN
DE
ITINERE ET OBITU
EGINONIS
ABBATIS S. UDALRICI AUGUSTÆ.

CAR-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1120.

CARMEN
DE
ITINERE ET OBITU
EGINONIS
ABBATIS S. UDALRICI AUGUSTÆ.

HIC patris occaſus, dum veri ſolis ad ortum
Tendit, & ad portum, qui neſcit tempora caſus.
Eſt tibi gaudendum pro tam præſtante corona,
Fili mente bona ſimul eſt quoque mente dolendum.
Nam velut orbatus remanes patre ſpirituali,
Et tibi cauſa mali reputatur is, unde beatus.
Sed tamen eſt pia ſpes, hic qua dolor alleviatur,
Scilicet optima res, qua juſtus quisque beatur;
Nato reddit ubi patrem ſinus ille paternus
Ergo ſi nos jungat ibi pater ille ſupernus.

O ſtile plangentis, quid per diverſa vagaris,
Ut dolor eſt unus, ſic una voce fruaris.
Finis ad hanc vocem verborum ſuſcipiatur,
Finis nos patris monet, ut finis teneatur,
Nam variis animus licet involucris ſubigatur,
Sæpe tamen loquitur quod ſemper quis meditatur.
Res miſeranda nimis ſub honore Dei referatur,
Ut pietas ejus quàm magna ſit hinc videatur,
Largus in auxilio miſerorum cum doceatur

Cum patre filius exulat, unicus hos comitatur
In ſpecie famuli fuit, ut Judas toleratur.
Nam nihil officio diſtant; ſervus Dominis ſimilatur.
Jam procul à patria via deſerti ſpeculatur
Quæ locus ad fraudem furis ſub corde paratur:
Noctis adeſt tempus; magis ille dolo tenebratur;
Rebus enim cunctis, quibus illud iter rugetatur
Direptis abiit. Mortem fortuna minatur
Sed pater omnipotens ſpoliatis auxiliatur
Spem tribuendo viæ peragendæ; nec dubitatur
Munus enim magnum miſero ſpes firma probatur.
Quid moror? intratur eremus, tandem peragratur
Octo tamen ſoles ibi cum ſudore vagatur
Cum latro difficilis, via difficilis patiatur
*Ecce laboris honor; prope * ſanctus Papa moratur*
Tum volucres homines reputares, ſic properatur
Vix expectatur, quod ad illum perveniatur
Suſcipit inventus clementer, amat, veneratur
Eſt locus, adventus patris hujus ut expediatur
Qualiter in cathedra Romano jure locatur

Omnis

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1120.

Omnis adeſt ætas, ubi ſexus uterque gregatur
Cleri ſeu populi vox lætitia modulatur
Quolibet ornatu via, qua tranſit variatur
Pompa triumphalis tibi Cæſar tanta negatur
Te veniente decus patrum cum lege fugatur;
Hujus in adventu lex juſtitiæ renovatur
Cum ſocero pugnas; civile malum dominatur
Per te nulla quies, dum Cato ſiti moriatur:
Hoc ſed patre pio gens genti pacificatur
Eccleſiæque Status jus in proprium reparatur,
Plurima ſigna Deus ſuper infirmis operatur
Ejus per meritum dum quæque febris relevatur;
Quod quia Tuſcanus, Ligur, Appulus aſtipulatur
Carmine præſenti per plura ſuperſedeatur;
Aſt ad eos, quibus iſte ſtilus ſervit, redeatur
Ad mare tendebant ut ab hoſte viæ caveatur
Navis ut aggreditur, ſubmergens unda levatur
Ut pater à genito miſeranda ſorte feratur
Quam rerum faciem, niſi paſſus, quis meditatur.
* . . . . . .

* . . . Videntur quædam deeſſe, nam & hic in m. ſ. alia manu aliena quædam addita ſunt, ne pagella ſcilicet vacaret.

VITA

Digitized by Google

VITA
ET
RES GESTÆ
S. HENRICI
IMPERATORIS
HOC NOMINE PRIMI.
INCERTO AUCTORE.
EX
Membranis M. S. Monaſterii Windbergenſis in Bavaria.

A 1 CANI-

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1145.

CANISIUS

Ad Lectorem.

MArtyrologium Romanum die XIV. Julii. *Bamberga S. Henrici primi Imperatoris, qui cum uxore ſua Chunigunde perpetuam virginitatem ſervavit; & ſanctum Stephanum Hungarorum Regem cum univerſo fere ejus regno ad fidem Chriſti ſuſcipiendam induxit.* Ad quæ verba Card. Baronius. De eo etiam hac die Molanus in addit. ad Uſuard. licet Henricum ſecundum appellet, reſpectu Henrici alterius, qui anno Domini 919. ſucceſſit Conrado Imperatori. Sed ille pientiſſimus præ humilitate noluit dici Imperator, ut ſcribit Witichindus in Annal. Sax. lib. 1. Albertus Crantzius in Metrop. Sax. lib. 3. cap. 2. & Hiſt. Eccleſ. Saxon. lib. 3. cap. 14. & alii omnes, ex quibus apparet, Henricum hunc, de quo agimus, primum ejus nominis fuiſſe Imperatorem, licet plerique reſpectu illius hunc primum appellent. Hujus præclariſſimas res geſtas ſcriptas fuiſſe ab Adelboldo Epiſcopo Ultrajectenſi, tradit Sigeb. de viris Illuſt. cap. 339. Hæc Baronius. Utrum autem hæc quam nunc publicamus, ſit vita ab Adelboldo conſcripta, non auſim affirmare; quia Codex Windbergenſis, ex quo apographum deſumpſimus, nomine Auctoris carebat. Vidimus eandem Hiſtoriam in Manuſcriptis Membranis Monaſterii Rebdorffenſis prope Aichſtadium.

J A-

Digitized by Google

JACOBI BASNAGII DE SCRIPTORE HUJUS VITÆ OBSERVATIO.

I. TRibuitur vulgo hæc vita *Adelboldo*, qui cum ipsi non bene cederet bellorum cura, Monasticam vitam amplexus est, deinde vero factus est Episcopus Trajectinus anno 1008. ab *Henrico Secundo*, cui fuit charissimus. Notat quidem Sigebertus *Adelboldum Episcopum Trajectensem scripsisse vitam Henrici an.* 1024. *Gretzerus* qui eam edidit, testatur manuscriptum codicem sic ferre: *Vita Henrici Imperatoris ab Adelboldo Trajectensi Episcopo, ut creditur, conscripta.* Alius M. S. codex *Buchellii* eadem habebat cum adjecta hac clausula: *ut legitur in speculo Historiali*: Unde sequitur a plurimis hanc vitam *Adelboldo* fuisse vindicatam. Ab altera parte *Joannes de Beka*, qui res Ecclesiæ Ultrajectensis, cujus fuit Clericus, tanta cura prosecutus est sæculo decimo tertio, opusque dicavit præsuli suo, nullam in *Adelboldo* Vitæ *Henrici Imperatoris* mentionem fecit: deinde vero suspicionem movent clausulæ operis titulo in codicibus manuscriptis additæ: *ut creditur*, *ut legitur*. Ut quod res est, vel quod saltem mihi videtur, aperiam. 1°. Credendum potius *Sigeberto* viro doctissimo & antiquiori quam *Joanni de Beka*, quem fugere potuit vita Henrici secundi ab *Adelboldo* exarata. Non dubitem igitur illud opus olim confeciſſe *Aldelboldum*, sed quod penitus periit, vel saltem in cœnobiorum tenebris delitescit. 2°. Fides non habenda codicibus M. S. utpotæ qui non præferant absolute nomen *Adelboldi*: ab amanuensi, cui fama notus erat *Adelboldus*, adjectum est ipsius nomen, tamen cum aliqua restrictione, anxius hæsitans sibi conciliavit autoritatem tum ex opinione vulgi, tum ex *Historiali speculo*: eam igitur quam habemus Vitam Henrici secundi male *Adelboldo* tribueris. 3°. Eam tamen ab antistite quodam litteris commissam facile crediderim, ea motus ratione, quod author velit *successoribus suis indicare* quæ contigisse cognoverat. 4°. Is autem diu post Henricum vixit, cum adjiciat miraculum *modernis temporibus patratum*. Quid sint moderna *tempora*, nisi sæculum saltem, ab ætate Henrici diversum? 5°. Narrat *Conradi* Regis Romanorum mandato, Prælatos Bambergenses *magna mirabilia ab* Henrico post mortem facta nuntiasse *Eugenio* Papæ, qui Henricum Albo Sanctorum inseruit. fuit ille *Eugenius* III. qui anno 1145. Pontificatum adiit. Non igitur antea scripsit author ille, qui rem peractam refert. 6°. Imo si conjecturis locum dare licet, eum multo serius vixisse contenderemus, quippe qui asserat suo tempore nulla fieri miracula: *Nunc tempora*

I. *De authore hujus vitæ.* *Si vis plura de Adelboldo, V. Batav. Sacra. p. 1. p. 26.*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1145.

miraculorum non ſunt; ſigna debentur non fidelibus ſed infidelibus. Quæ conciliari non poſſunt cum miraculis ab ipſo relatis, etiam dum Romæ fieret de liberatio ſub *Eugenio* Papa, an *Henricus* inter Beatos recenſeri deberet. Conjectura quidem nobis videtur firma; cum tamen hujus autoris ætas ſit incerta, nec quo anno aſſignari poſſet, divinandi nobis non ſit facultas. Tempora *Eugenii* papæ notiora indicavimus.

II. *De Henrico.*

II. *Henricus*, cujus hic vita ſcribitur, aliquando dicitur *Primus*, alias *ſecundus* hujus nominis, ea ſcilicet ratione, quod cum *Henricus Auceps* a Pontifice Romano non fuerit imperiali corona redimitus, eum multi Cæſarem non Imperatorem agnoſcant. Hic tantum Sancti titulo decoratur, nulla diſtinctione primi vel ſecundi indicata. Uxorem cum qua virginitatem ſervaverat illibatam, ut ajunt, adulterii ſuſpicione laborantem probavit per ignem, ignitosque vomeres illæſo pede calcaviſſe, hacque ratione à crimine intentato ſeſe liberaſſe ferunti. *Henricum* Phreneſi vel Epilepſia agitatum qui dicunt, male ipſius famæ, imo & ſanctitati conſulunt; quis enim Epilepticum vel Phreneticum venerari velit? Reſtitutæ rationis gloriam *Erendrudi* detrahi ſatius eſt, quàm talia de Imperatore absque fundamento aſſerere. Hic nihil tale dicitur. Narratur quidem poſt Imperatorem mortuum de ſalute periclitatum. Sed aliquem aduſtum hoc eſt *B. Laurentium*, cui calicem pretioſiſſimum obtulerat, *catino aureo partis dextræ lancem oneraſſe, cujus pondere ad terram usque collapſus eſt, ita ut Dæmones fugam arripuerint: angeli vero animam Henrici in ſuum conſortium cum gaudio ſuſceperunt.* Biographus vult hæc myſtice intelligi: alii portentum ad fabulas amandaverint, Mezgerus vero autumat erratum in Perſona & quæ de Henrico II. hic leguntur, ejus ſucceſſori Henrico III. convenire: eadem dixerat prius Annaliſta Baronius, levi conjectura; non enim Laurentio obtulerat catinum aureum Henricus III. ſed hujus nominis ſecundus; ideoque a Laurentio ſolus ob munus præſtitum potuit adjuvari. Deinde ſi verum foret, vitam quam edimus fuiſſe ab Adelboldo exaratam, qui homonymia potuiſſet decipi qui ipſe ante Henricum III. obiiſſet an. 1027? Denique quomodo hæc cum venritate conſentiant? An ſic pugna conſeritur inter Angelos & Dæmonas circa unamquamque animam? an materialem trutinam in qua catini reponantur qui lancem dejiciant, manu tenet ſummus Judex? Infelix porro conjectura Baronii imo & Mezgeri. Si hæc ſalvari poſſent, authoris noſtri qui ad myſticos ſenſus confugit, ſalvata fuiſſent.

Mezgerus Hiſt. Salisb. l. 3. c. 26. p. 310.

INCI-

Digitized by Google

INCIPIT VITA S. HENRICI IMPERATORIS.

SÆC. XII. ANNO 1145.

ANNO ab incarnatione Domini milleſimo primo, ab urbe autem condita milleſimo ſeptuageſimo quinquageſimo ſecundo, Ottone tertio defuncto Romæ, vacante Regni ſolio, cum de Principe ageretur ſubrogando, omnium vota nutu divino ad eum inclinantur, qui tunc in Regno potiſſimus habebatur: fuit namque eodem tempore quidam Dux Bawariorum nomine Henricus, Henrici ejusdem gentis Ducis filius; cujus temporibus ſanctus Wolfgangus Ratiſponenſium præfuit Epiſcopus, tam bonitate, quam nobilitate Regia conſpicuus, & univerſa morum honeſtate præclarus. Hic initium ſapientiæ timorem Domini pleniter eſt ſequutus, quia erat omni litterarum ſtudio principaliter imbutus. & totus * ſane fide & actione Katholicus: Hic ergo ab omnibus pari voto & communi conſenſu omnium aſciſcitur divina utique diſponente clementia, ut per temporalis Regni faſtigia ad culmen Regni cæleſtis pertingeret. Terrena enim bona omnia ſicut uſu malo à ſalute alios præpediunt, ſic alios uſu bono ad ſalutem perducunt.

Henricus creatur Imperator.

* *ſana.*

Cumque prædictus Rex Henricus nec dum Cæſaris vel Imperatoris obtineret dignitatem, apparuit ei Ratiſponæ beatus Wolfgangus Epiſcopus tali viſione. Viſum namque eſt, quod manens in Eccleſia ſancti Emmerammi Epiſcopi & Martyris accederet orandi gratia ad beati Wolfgangi ſepulchrum in eadem baſilica ſitum; cumque ibidem Dominum & ſanctum Wolfgangum intimis precibus conaretur exorare, ſubito videbatur ei ipſe ſanctus Wolfgangus aſtare, eumque hujusmodi verbis appellare. Intuere diligenter litteras in muro quæ ſunt ſecus tumulum meum ſcriptas. Erat autem ſicut videbatur ſcriptum ſolummodo POST SEX. Evigilans vero Rex diuturna tractatione ſecum revolvit pauciſſima hujus viſionis ſcripta. Inprimis ergo arbitratus, quod poſt ſex dies eſſet moriturus, multa diſpenſat pauperibus; cumque dierum ſex numerus præteriiſſet & nihil in ſe Rex moleſtiæ corporalis ſenſiſſet, putavit prædictam viſionem ad ſex menſes pertinere, & eadem cœpit timere. Tranſactis veró ſex menſibus cum nihil infirmitatis in ſe pateretur, arbitratus eſt hunc numerum ad ſex annos pertinere, ideoque quæ & ſupra cœpit timere. Cumque ſex annorum numerus integer præteriſſet & ſeptimi anni dies revolutus veniſſet, ipſo die per Apoſtolicam benedictionem ſuſcepit Cæſaris dignitatem. Tunc tandem ſentiens qualis eſſet ſua viſio, gratias egit Deo ſanctoque Wolfgango, qui ſibi talem revelare dignatus eſt ſublimitatem.

Wolfgangi apparitio.

Unctus ergo in Regem beatiſſimus Dei famulus Henricus, temporalis Regni non contentus auguſtiis pro adipiſcenda immortalitatis corona ſummo Regi, cui ſervire regnare eſt, militare diſpoſuit. Summam etenim diligentiam in amplificando cultu religionis adhibuit, Eccleſias Dei ditare poſſeſſionibus, & immenſis ornatibus augere cœpit, ſedes quoque Epiſcopales, *Hildinsheim* videlicet, ubi à puero fuit enutritus, & litteris edoctus, *Magdeburc* & *Argentinam*, *Miſſenam*, & *Merſeburg*. Quæ barbarica immanitate adjacentium Sclavorum vaſtatæ fuerant, reſtauravit, & tam ipſis quam aliis Epiſcopatibus per univerſum Regnum in poſſeſſionibus & ornatibus innumera dona diſtribuit. Hildinsheimenſi vero Eccleſiæ ſanctum Gothardum divina edoctus revelatione præfecit Epiſcopum. Quid autem Merſeburgenſi Eccleſiæ præ aliis contulerit, futurorum ex parte volumus notificare. Hæc etenim Eccleſia tempore magni Ottonis illius inquam, qui juxta Lycum fluvium ſub ſancto Udalrico Pontifice glorioſo Ungaros proſtravit, & Reges eorum Lelium & Aſſur Ratiſponæ, principibus hoc fieri adjudicantibus, in patibulis ſuſpendit, aſſiduis incurſionibus & hoſtili vaſtatione Sclavorum redacta eſt ad nihilum. Et quia violentiis vicinarum nationum

Digitized by Google

SÆC. XII. non poterat reſiſtere, in poſſeſſionibus, in religione, & in omnibus quæ ad Pontificalem dignitatem pertinebant penitus cœpit deficere.

ANNO 1145. *Merſeburgenſis Eccleſia.* Accidit autem eodem tempore ut Magdeburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus univerſæ carnis viam ingrederetur & Merſeburgenſis Præſul propter ſapientiam à Deo ſibi præſtitam, & propter virtutes plurimas, quibus adornatus erat, ob quas & Ottoni magno gratiſſimus erat, in Kathedram Magdeburgenſem à prædicto Rege conſtitueretur: factum eſt autem ut Merſeburgenſis Epiſcopatus prorſus deſtrueretur, & quæ potiora erant illius Eccleſiæ in prædiis, in miniſterialibus, in ornamentis, in ditionem Magdeburgenſis Eccleſiæ transferrentur, & de quibusdam reliquiis poſſeſſionum, quæ Merſeburgenſi Eccleſiæ remanſerant, Abbatia inibi conſtrueretur. Quod factum usque ad tempus piiſſimi confeſſoris Chriſti Henrici ſine mutatione permanſit. Qui convocatis Principibus regni ſui apud Chutelingenburg curiam celebravit, atque univerſis in idipſum conſentientibus Poloniam & Bohemiam cæterasque Sclavorum adjacentes regiones, quæ fines regni ſui vaſtaverant, debellare diſpoſuit. Congregato itaque exercitu contra prædictas nationes, aciem direxit. Et tranſiens per locum qui Walbech dicitur, gladium ſancti Adriani Martyris, qui pro reliquiis multo tempore ibidem ſervabatur, accepit, quo accinctus ex toto corde ſuo clamavit ad Dominum dicens; *Judica Domine nocentes me, expugna impugnantes me. Apprehende arma & ſcutum & exurge in adjutorium mihi.*

Pſalm. 34.

Sclavi deleti. Inde progrediens caſtra metatus eſt in campo, in quo Merſeburgenſis Eccleſia ſita eſt, & videns locum deſolatum, ingemuit & ait. Beate Laurenti Martyr Chriſti, ſi tuo interventu has barbaras nationes ad quas pergo, Imperio & religioni Chriſtianæ ſubjugavero, locum iſtum deſolatum, tuo nomini conſecratum divina favente gratia in priſtinæ dignitatis ſtatum reformabo. Ut vero Principes Poloniæ & Bohemiæ & cæterorum Sclavorum primates Romanum Imperatorem cum exercitu ſuo, ut eos debellaret, advenire cognoverunt, collecta innumerabili barbarorum multitudine, in bellum obviam proceſſerunt. Quod Regi piiſſimo per ſpeculatores ſuos citiſſime innotuit, & ſicut in omnibus auguſtiis ſuis ſolebat, ad orationis arma confugit. Et invocato ſuper ſe nomine Domini, beatis Martyribus Laurentio, Georgio, & ſancto Adriano ſemetipſum ſuumque exercitum protegendum cum ſumma devotione commiſit. Cumque omnes communionem corporis & ſanguinis Dominici percepiſſent, ad locum certaminis pervenerunt. Ubi cum Rex beatiſſimus verbis exhortatoriis, quatenus viriliter agerent, animos ſingulorum confortaſſet, videns adverſariorum innumerabilem multitudinem, clamavit ad Dominum dicens: *Domine Deus, qui conteris bella ab initio, eleva brachium tuum ſuper gentes quæ cogitant ſervis tuis mala. Diſperge illos in virtute tua & deſtrue eos, protector noſter Domine. Deus meus pone illos ut rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti.*

Judith. 9. *Pſal 58.* *Pſal. 82.*

Hæc eo orante aperti ſunt oculi ejus, & vidit glorioſos Martyres ſanctum Laurentium, beatum Georgium & ſanctum Adrianum, cum Angelo percutiente, exercitum ſuum præcedentes, & hoſtium cuneos ad fugam propellentes. Et ſicut exercitus Sennacherib ab Angelo percutiente contritus eſt & diſperiit, ſic omnis iſta barbarorum immanis multitudo per virtutem Dei contrita, projectis armis ſine effuſione ſanguinis Chriſtianorum fugæ præſidium quæſivit; Quod videns Rex ſanctiſſimus, elevatis oculis ac manibus in cœlum gratias egit Domino dicens: *Benedico te Rex cœli & terræ, qui ſuperbis reſiſtis & humilibus das gratiam, qui cuſtodiſti diligentes te, & glorificatus es in gentibus propter datam nobis de cœlo victoriam.* Victis itaque barbaris & quæ ad futuram pacem prodeſſe poterant pactione firmiſſima ſtabilitis, Rex beatiſſimus cum ſuis reverſus eſt ad propria, univerſis glorificantibus Deum & laudantibus, qui præſtat auxilium omnibus in ſe ſperantibus; Cumque Imperator Chriſtianiſſimus Poloniam, Bohemiam, & Moraviam tributarias feciſſet, ob reverentiam ſancti Laurentii Martyris, conculcationem & deſtructionem Merſeburgenſis Eccleſiæ cœpit pio miſericordiæ & pietatis intuitu reſpicere, & ad nihilum redactam in ædificiis, in miniſterialibus, in ſæcularibus poſſeſſionibus, in ornamentis Eccleſiaſticis, in priſtinum gradum Pontificalis dignitatis, ſicut Deo & ſancto Laurentio voverat, ſtuduit reſtaurare. Nec prius ab operibus miſericordiæ deſtitit, quoad usque præfatam Eccleſiam, ad antiquæ ſtatum dignitatis & honorem priſtinæ religionis ex integro reduceret; Denique Rex glorioſus Epiſcopum Babenbergenſem, ex integro in ſuo domate fundavit, terminis videlicet ab adjacentibus Epiſcopatibus concambio legitimo commutatis. Eundem vero Epiſcopatum Apoſtolorum principibus Petro & Paulo, & precioſiſſimo Martyri Georgio attitulatum, ſpeciali jure ſanctæ Romanæ Eccleſiæ contradidit, ut

Jacob. 4. *1. Pet. 5.*

&

Digitized by Google

primæ ſedi debitum divinitus honorem impenderet, ſuamque plantationem, tanto patrocinio firmius communiret. SÆC. XII.

Frater ejus erat Bruno Auguſtenſis ſedis Epiſcopus, qui felicibus ejus actibus invidens, multas ei adverſitatum injurias, in quantum potuit, inferebat, & ubi per ſe non potuit, inferentibus ſe adjunxit, aliosque ad inferendas exhortando ſtimulos ſuæ pravæ incitationis ſubjunxit. Cui Rex glorioſus non talionem reddebat, verum etiam inſtructus fraterna dilectione omnia diſſimulando & patienter ſufferendo, illum bono vincere ſatagebat. Quanta autem ejus munificentia, quanta erga Deum ejus benignitas atque largitas extiterit, tam in illa Babenbergenſi Eccleſia, quam in aliis compluribus locis, manifeſtis operum declaratur indiciis. Solum quippe Deum ſibi elegit hæredem, quatenus & ipſe in conſortium æternæ hæreditatis illum aſſumere dignaretur. Liberos enim nec ſecundum carnem habebat nec expectabat. quia eam, quam pro conjuge habere videbatur, Chunigundam nomine, dicitur nunquam cognoviſſe. Sed qualiter hoc innotuerit, ad communem ædificationem, non eſt prætereundum, ut & caſtimoniæ exemplis erudiamur & divinorum ſecretorum ammiratione moveamur, conſiderantes quemadmodum diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; Tantis namque ac talibus bonis tentatio deeſſe non potuit. Invidus enim omnium bonorum diabolus cum thorum immaculatum ſauciare non potuiſſet, zelotypiæ livore fædare cogitavit, volens ſaltem famam ejus lædere, cui non potuit corruptionis vulnus infligere, facta eſt igitur, auctore diabolo, ſuſpecta criminis, quæ non noverat maculam corruptionis. Sed quia crudelis eſt, qui infamiam negligit, expurgationis gratia ſibi judicium elegit, quod propter duritiam hominum inſtitutum eſſe cognoſcitur; Cumque Deo dilecta ad illud judicium, velut ovis ad occiſionem duceretur, ingemuit & ait: Domine Deus creator cæli & terræ, qui probas renes & corda, judica judicium meum & eripe me, te enim teſtem invoco hodie & Judicem; quia nec hunc præſentem Henricum nec alterum quemquam virum carnali commixtione unquam cognovi. Hæc dicens, ſtupentibus ac flentibus univerſis qui aderant, vomeres candentes nudo veſtigio calcavit, & ſine aduſtionis moleſtia tranſiit. Ita Deus omnipotens vinculum caſtæ dilectionis ſervavit, innocentiam comprobavit, integritati cuſtodiam humilitatis adhibuit. Inter hæc beatiſſimi principis Henrici gloria magis ac magis proficiebat, & gratia Dei erat cum ipſo. Non declinavit clypeus ejus de bello, & haſta ejus non eſt averſa. Apuliam à Græcis diu poſſeſſam Romano Imperio recuperavit, & eidem provinciæ Iſmahelem ducem præfecit. Qui poſtea in urbe Babenbergenſi mortuus, & in capitulo majoris Monaſterii ſepultus requieſcit in Domino, Beneventanum Monaſterium concidit, & omni ornatus decore locupletavit.

ANNO 1145.

Bruno Auguſtenſis Epiſcopus.

Imperatrix adulterii crimine ſe purgat.

Jerem. 11. Pſal. 118.

Cumque civitates Apuliæ pertranſiſſet, & quæ ad utilitatem, & honorem regni pertinebant, prudenter in eis diſpoſuiſſet, cœpit infirmitate calculi laborare. Cujus morbi moleſtiam vir ſanctus tanta patientia ſuſtinuit, ut paſſiones carnis ad cuſtodiam humilitatis à Deo ſibi collatas aſſereret, & flagellum correptionis certiſſimum ſignum dilectionis affirmaret, fomenta tamen curationum ſibi fecit adhiberi, ſed nulla Medicorum arte potuit liberari; Ingraveſcente autem dolore aſcendit in montem Caſſinum petens beati Benedicti & ſanctæ Scholaſticæ ſororis ejus auxilium. Et cum oraret, cœpit cogitare quæ de translatione ſancti Benedicti ejusque ſororis audierat, quia videlicet reliquiæ eorum dicebantur furtim ablatæ & in alium locum translatæ, ideoque cœpit de corporali eorum præſentia dubitare; completa vero oratione ad hoſpitium ſe contulit & laſſatus ac debilitatus in lectulo ſe collocavit. Cumque obdormiviſſet, audit ſibi ſanctum Benedictum aſſiſtere & ferrum ſectorium ad medicinales ſectiones aptatum manu tenere. Qui dixit ei: Quia ſperaſti in Deo & in ſanctis ejus; Ecce miſſus ſum à Deo, ut per medicinam meam ab infirmitate tua libereris. Ecce ego cujus oſſa furtim ablata eſſe putaveras, præſentiam meam tibi exhibeo, & in argumentum veritatis paſſiones tuas curabo. Hæc dicens partem illam corporis quæ calculum tenebat, ferro medicinali aperuit, & evulſo molliter calculo hiatum vulneris ſanatione ſubita redintegravit, & calculum quem tulerat in manu Regis dormientis repoſuit. Quo facto Chriſtianiſſimus Imperator evigilans pertractavit ſecum quæ circa ſe geſta fuerant per confeſſorem Chriſti, videnſque calculum quem manu tenebat, vocavit ſatellites ſuos, qui more Regio ſemper ſibi aſſiſtebant, & dixit ad eos. Pontifices & principes Regni noſtri ad nos vocate ut cognoſcant & videant mirabilia Dei, quæ ineffabilis miſericordia & inenarrabilis potentia ejus fecerunt in me. At illi mandata Regis curſu celeri perferentes ad principes, adduxerunt eos, & cum veniſſent ad eum, dixit eis: fratres & commilitones mei, magnificate Dominum me-

Henricus calculo ſa- natus.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1145.

cum & exaltemus nomen ejus in idipſum, quia ipſe eſt magnus Dominus & laudabilis nimis & magnitudinis ejus non eſt finis. Hunc humiliat & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto. En ego qui heri morti proximus fui, per miſericordiam Dei hodie ſanus vobis appareo, & aculeum mortis quem heri geſtavi incluſum corpori meo hodie oculis veſtris viſibiliter oſtendo; His dictis oſtendit eis calculum quem manu tenebat, & oſtendens eis vulneris cicatricem, omnia quæ per ſanctum Benedictum circa ſe geſta fuerant, cunctis audientibus ex ordine referebat. At illi videntes & audientes mirabilia Dei, plusquam poſſit credi ammirati ſunt, & benedicentes Deum, diuque in laudem ejus acclamantes, de incolumitate Regis gaviſi ſunt. Rurſumque Rex ad eos ait: Quas gratiarum actiones aut quæ munera tantis beneficiis condigna medico noſtro ſancto Benedicto poſſumus rependere? At illi omnes judicaverunt eum Regia munificentia dignum eſſe. Rex ergo conſilio Principum ſuorum ingentia munera in prædiis, in auro, in argento, in ornamentis plurimis Eccleſiæ ſancti Benedicti contulit, & valefaciens fratribus ejusdem Eccleſiæ miniſtris à Caſſino monte hilaris & ſanus receſſit. Ab eo autem tempore & deinceps quadam ſpeciali dilectione & veneratione ſancto Benedicto & omnibus Monachicæ religionis cultoribus ſtuduit deſervire, & in amplificandis & protegendis rebus Eccleſiaſticis benignus & devotus pater exiſtere.

Inde iter faciens Romam pervenit, ubi à Benedicto V. Papa benignè & honorificè ſuſceptus; quantas miſerationes & beneficia per S. Benedictum ei Dominus contulerit indicavit. Apoſtolicus verò gratias egit Deo pro omnibus beneficiis ſuis, & pro ſalute Regis & totius populi Catholici obtulit Sacrificium laudis. Eodem tempore Rex ſanctiſſimus Babenbergenſem fundum cum omnibus pertinentiis ſuis beato Petro Apoſtolorum Principi contradidit, & Apoſtolico Præſuli in perpetuum defendendum commendavit, & in memoriam hujus pactionis ſingulis annis album ambulatorem cum faleris, Romano Præſuli dari conſtituit. Hoc quoque humilitate & devotione apud Dominum Apoſtolicum obtinuit, ut Alemanniam intraret, & Babenbergenſis Eccleſiæ novam plantationem viſitaret. Quod & ita factum eſt. Nam in proximo Apoſtolicus Alemanniam advenit, & omnibus civitatibus regionis illius peragratis, tempore, quo condixerant, urbem Babenbergenſem adire diſpoſuit. Venit ergo feria quinta majoris hebdomadæ, hoc eſt, in Cæna Domini, hora ſexta, ſacris Pontificalibus veſtimentis indutus, ſicut jam ad peragenda divina myſteria, & ſolemne diei illius officium proceſſurus erat, & ſuſcipitur glorioſiſſimè ab Imperatore & univerſis qui aderant Principibus omnique Clero & populo, inæſtimabili exultationis tripudio. Ut autem in adventu tam inſoliti tamque exoptati hoſpitis, Deo noſtro jocunda decoraque exhiberetur laudatio: Imperator prudentiſſimus in occurſum ejus quatuor choros pſallentium decenter ordinavit, primum in ulteriori ripa fluminis, ſecundum in citeriori, tertium ante portam civitatis, quartum in atrio Eccleſiæ, ubi primus omnium ipſe Rex data manu Papam in domum Domini introduxit, atque divinis hinc inde hymnis canora ſuavitate reſonantibus in Epiſcopali Kathedra collocavit. Quid plura? Debitum hujus ſacratiſſimæ diei cum duodenis Epiſcopis cooperatoribus Apoſtolicus Pontifex, & aliorum ſequentium dierum ſumma cum devotione celebravit. In ſancta autem Dominica Paſchæ, cum in matutinali officio Aquileienſis Patriarcha lectionem primam, Archiepiſcopus autem Ravennas ſecundam, ipſeque Apoſtolicus tertiam recitaret: Cumque omni ornatu proceſſio ageretur, ſicut dignitatem Apoſtolicam condecuit, in ſancta ſolemnitate ſolemnitatum, quis non judicet tam religioſam celebritatem, noſtrisque in regionibus inuſitatam, meritò in memoriam omnium Babenbergenſis Eccleſiæ filiorum perpetuo haberi, & memoriale ejus in ſeculum non derelinqui?

Ut autem ad ſuperiora redeamus, unde pauliſper digreſſi ſumus, poſtquam vir ſanctus à beato Benedicto calculi moleſtia ſanatus Romam pervenit, ibique à venerabili Papa Benedicto omnia quæ petierat, impetravit, munitus Apoſtolica benedictione, alpes Apenninas tranſcendit, & dimiſſo exercitu in terram ſuam, Cluniacum cauſa orationis cum paucis familiaribus ſuis perrexit, eo quod multa de Religione & ſtatu loci illius audiret. Ubi cum multa religionis & ſanctitatis ſigna vidiſſet, ſancti Spiritus igne ſuccenſus, coronam auream, precioſiſſimis gemmis adornatam, ad Miſſam quæ de Kathedra ſancti Petri celebratur, obtulit, & Monachorum fraternitatem ſuſcipiens, cum maxima humilitate & cordis contritione orationibus eorum ſe commendavit, & in ſupplementum rerum neceſſariarum optima prædia in Alſatia eidem congregationi contradidit.

Inde iter faciens per Leodium & Treverim tranſivit, & congregationes inibi Deo famu-

Digitized by Google

famulantes plurimis largitionibus & prædiis ditavit. Et mirum, quod homo Dei, qui circa Eccleſiaſticas utilitates & ſalutem animæ ſuæ tanto ſtudio flagrabat, in nullo provectum ſui regni neglexit, quin immo ſine effuſione ſanguinis pietate & ſapientia terminos regni ſui dilatavit, & Imperialem dignitatem gloria & honore ampliavit & ornavit. Bohemiam vicit, Burgundiam ſubjugavit. Pannoniam quoque fidei Catholicæ & Romano Imperio coadunavit. SÆC. XII. ANNO 1145.

Victor vero aliarum nationum, Apoſtolus fit Ungarorum. Cum enim omnes adhuc infideles eſſent, ad fidei Catholicæ attraxit confeſſionem. Quod ut facilius fieret, ſororem ſuam Giſilam Stephano Regi in matrimonium copulavit ſecundum Apoſtolum dicentem: *Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificatur mulier infidelis per virum fidelem.* Stephano itaque Rege baptizato, univerſa Pannonia recepit verbum vitæ, & mira rerum novitate per Reges Apoſtolos baptismi gratiam percepit. Quam præclara tanti Apoſtolatus ſocietas, quam veneranda utriusque ſanctitas, per quos tot ſunt ſalvati, & ſanctificati? Præfatus autem Rex Ungarorum religioſus Deoque devotus, poſtea in executione bonorum operum permanſit, quod divina pietas poſt mortem ejus evidentibus indiciis ad ſepulturam ejus factis ſignorum miraculis demonſtravit. Burgundionum quoque non humana ſed divina fuit victoria. Nam cum armis, & omnibus belli copiis eſſent inſtructi viri ad bella doctiſſimi, armis depoſitis non hominis metu, ſed nutu Dei rogantes ea quæ pacis ſunt, dextras dederunt. *Pannonia ad fidem adducta.* 1. Cor. 7.

Sicut enim ad declaranda beati Martini merita Dominus pacificum fecit exercitum, ita & nunc ſervi ſui beati Henrici meritis conſimilem virtutem dignatus eſt oſtendere. Similem ergo fecit illum Dominus gloriæ ſanctorum: & ſicut Moyſes precibus magis quam armis triumphavit; ita glorioſiſſimus Princeps per arma juſtitiæ bella omnia conſummavit, & ſine funere & absque cruore ſemper triumphavit. Denique conſummatis hujus vitæ laboribus, poſtquam bonæ opinionis odorem longè lateque redolere fecerat, locumque ſibi dilectum & cætera monaſteria ditando & ornando & excolendo ad perfectum adduxerat; ad percipiendam inmarceſſibilem coronam à Domino vocatus eſt ab ergaſtulo carnis. Qui cernens diem mortis ſibi imminere, vocatis ad ſe parentibus & cognatis beatiſſimæ Imperatricis Chunigundæ, nec non etiam quibusdam Regni primoribus, manu eam apprehendit & commendavit eam illis hujusmodi verbis memoria digniſſimis; Hanc ecce, inquit, mihi à vobis immò à Chriſto conſignatam, ipſi Chriſto Domino noſtro & vobis reſigno virginem veſtram. *Henricus moritur.*

In ejus verò tranſitu terra plorante cœlum exultavit, ſicut etiam Dominus per ſuam miſericordiam revelavit. In ipſa etenim hora exitus illius cuidam ſervo Dei, in ſolitudine commoranti, Diabolus humana ſpecie fertur apparuiſſe. Quem vir Dei per Spiritum protinus agnovit, & ait ad eum; Quo pergis? At ille reſpondit: ad exequias Imperatoris pergo. Cui ille ait: Vade & comple negotium tuum, quantum à Domino tibi permittitur. Veruntamen conſummato officio tuo adjuratus per Deum vivum ad me revertere, ut per te rei exitum poſſim cognoſcere. Poſt modicum vero reverſus coram ſervo Dei gemebundus aſtitit, & voce querula cum ingenti ejulatu dixit: Heu heu deluſi ſumus, in vanum laboravimus, quin etiam ab Angelis Dei confuſi diſceſſimus. Aſſiſtentibus enim hinc & inde nobis & ſpiritibus Angelicis, merita animæ juſta in ſtatera ſunt appenſa, & faſciculis peccatorum deprimentibus, jam pæne pars noſtra præponderaverat. Tunc ſubito aduſtus (*a*) quidam adveniens, catino aureo partis dextræ lancem oneravit, mirumque in modum parti noſtræ adeò præponderavit, ut & ipſi catino ad terram collapſo ex ruina ſignum colliſionis impreſſerit. Itaque victores Angeli animam nobis eripientes cum gaudio in ſuum conſortium ſuſceperunt. Hæc vero licet (*b*) corporaliter geſta referantur, neceſſe tamen eſt ut virtute ſpiritali completa intelligantur; Res etenim ſpiritales per corporales exprimuntur imagines, cumque aliud foris agitur aut dicitur, intus aliud geri ſignificatur. Memoratus & ſæpè memorandus Dei famulus calicem aureum in honore Dei & ſancti Laurentii Martyris Eccleſiæ Merſeburgenſi contulerat, cujus ſpeciali Patrocinio coram Deo adjutus, & in ipſa hora exitus ſui creditur liberatus. Omni vero veneratione & ammiratione dignum eſſe perpenditur, quod idem Calix in ipſa hora certa cuſtodia clauſus ſervabatur, nec minus tamen prædictæ colliſionis materiale ſignum patiebatur.

Sed quid de eodem calice religioſorum virorum relatione audierimus, futurorum memoriæ intimare curamus. Cum enim beatiſſimus Imperator Henricus pro diſponendis

(*a*) Hoc eſt B. Laurentium, quem ſic deſcribit author, propter Martyrium in igne conſummatum. BASN.

(*b*) Jam notavimus hæc de Henrico III. ab aliis narrari. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1145.

nendis regni negotiis Merſeburg veniſſet, accidit ut quadam die ad Altare Sancti Laurentii Miſſam attentiſſimè audiret; Qua completa, ſicut ſemper facere conſueverat, ablutiones calicis ſumere volebat, ſed interveniente magno negotio regni, quod vir ſanctus propoſuit, tunc temporis fieri non potuit. Vocato ergo cuſtode Eccleſiæ, rogavit eum ut calicem cum ablutione in loco mundo reponeret; quoad usque ipſe expeditus aptum tempus & locum ad ſumendum illam inveniret: Excreſcentibus autem cauſis & placitis, tota die illa beatus Dei famulus ſe non potuit expedire. Poſtera vero die poſt matutinas cum paucis Secretariis ſuis clanculo Monaſterium introivit, & diutiſſimè flexis genibus & lachrymis profuſis Dominum exoravit, vocatoque cuſtode calicem cum ablutione præcepit ſibi afferre, cumque adlatus fuiſſet, & diſcoopertus, invenerunt ablutionem illam in formam veri ſanguinis tranſmutatam. Quod factum mirabile mox omnibus qui aderant innotuit, & nunc & ſemper in laudem Dei & gloriam Confeſſoris ſui, omnis Eccleſia ſucceſſoribus ſuis enarrabit. Diſcite ergo divites hujus ſeculi, facere vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Hujus verò glorioſiſſimi Principis præconia linguam carnis tacere non convenit, in cujus tranſitu confutatis Dæmoniis, triumphantibus Angelis, cælum exultavit. Defuncto itaque beatiſſimo Dei famulo Henrico, anno Regni ſui vigeſimo quarto, Imperii undecimo, vitæ verò ſuæ quinquageſimo ſecundo, corpus ejus Babenberg in Eccleſia beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli honorificè ſepelitur, ac poſtmodum multis miraculorum virtutibus à Domino glorificatur. Poſt hujus ſanctiſſimi Principis exceſſum, Cuonradus unus ex Regni primoribus regali ſolio ſublimatus, conſilio Brunonis Auguſtenſis Epiſcopi, Fratris ſancti Henrici Imperatoris, qui ſemper, ut ſuperius dictum eſt, ejus felicibus actibus invidebat, Epiſcopatum Babenbergenſem deſtruere meditabatur, quia idem Bruno Epiſcopus promiſit ſorori ſuæ Giſilæ Reginæ Ungarorum omnia prædia hæreditario jure ad ſe pertinentia filio ejus Henrico contradere. Locus ergo & tempus conventui ſtatuitur, ubi hæc res ad certum perducatur. Nocte verò quæ diem hujus negotii præceſſerat, Eberhardus primus Babenbergenſis Epiſcopus ad tentorium prædicti Brunonis clam acceſſit, lectoque ejus aſſidens multa ſuper hac re monendo, obſecrando, memoriam fratris animo inculcando, cum eodem ſollicitus egit. Tranſacta vero multa hora noctis, Eberhardus Epiſcopus receſſit, & cum Bruno Epiſcopus obdormiviſſet, viſus eſt ei frater ſuus Imperator lecto ſuo aſtare, faciemque ſuam barba ex una parte depilata deturpatam objectare. Cui ſuper hac re ſtupenti & ammiranti, quis tam temerarios auſus in eum præſumeret, interroganti, reſpondit dicens: Tu hæc feciſti, qui me & ſanctos Dei, quos ego rebus à Deo mihi conceſſis dotavi, deſpoliare diſpoſuiſti. Cave ergo ulterius ſuper hac temeritate, ne incepta luas cum magna infelicitate. Ad hæc ille expergefactus de viſione nimium eſt perterritus, omniumque membrorum horrore ac tremore graviter attactus. Mane autem facto, cum diu expectatus ad conventum procerum non veniret, Giſila Regina pro filio ſollicita, miſſis nuntiis rogavit illum obnixè ut adveniens promiſſa perficeret. Ille vero affirmavit ſe tanta infirmitate gravari, ut nec de lecto ſurgere, nec pedem poſſet quoquam movere. Cumque rogaretur ut ſe in lecto ad conventum portari pateretur, quo vel ſic promiſſio perficeretur, omnino abdicavit, ſeque in Deum & in Sanctos ejus peccaſſe, libera tandem voce proclamavit. Sic itaque divina pietas per merita famuli ſui, ne ſpe quam in ſe poſuit fraudaretur, omnia illius pravæ conſpirationis machinamenta repreſſit, idque quod ab eo benè cœptum eſt, confirmando ſemper exinde ad meliora provexit.

Ablutionis calicis in ſanguinem mutata.

Miracula.

Sed jam nunc ad miracula quæ poſt felicem tranſitum ejus ad declaranda ejus meritorum inſignia ad ſepulchrum illius operatus eſt Dominus, veniamus.

Mulier quædam contracta in ipſa manebat civitate adeò incurvata ut ad gradiendum nullatenus erigi poſſet, ſed potius manibus reptaret quam pedibus ambularet. Huic orationibus frequenter incumbenti divinitus inſpiratum eſt, ut ad memoriam beatiſſimi viri accederet, atque omnipotentis Dei miſericordiam obnixius imploraret. Quod dum faceret in anniverſario die ipſius, ſubitò cernentibus cunctis aſtantibus facta eſt quaſi in extaſi, ac poſteà nervi qui diriguerant ſenſim diſſolvi, & omnia corporis membra crepitantia cœperunt extendi; mulierque erecta uſum ambulandi & reliqua membrorum officia cum omni ſanitate recepit.

Quidam Ædituus in ordine Laico ad cuſtodiam deputatus Eccleſiæ, furtis cœpit aſſueſcere & quæcunque poterat in ipſa Eccleſia clanculo decruſtabat: ſed cum jam inolita vitiorum conſuetudine ipſam conſuetudinem peccandi jam quaſi legem ſibi feciſſet, miſericorditer à Domino corripitur. Quadam enim nocte dum in eadem Eccleſia ſomnum caperet, ſervus Dei aſpectu terribilis ei apparuit, & aſperè invectus in eum

Digitized by Google

eum dixit: Species decepit te, & concupiſcentia ſubvertit cor tuum. Quare hoc & hoc feciſti? ſcito quia rem iniquam operatus es. His dictis de ſtratu eum protraxit, & multis verberibus cæſum, cruentatum dereliquit. Hæc quidem ſomnians pertulit, ſed expergefactus ſigna plagarum evidentia demonſtravit, & verba verberum argumentis comprobavit. Taliter ab immani præcipitio retractus, in miniſterio ſuo usque ad provectiorem ætatem in eadem Eccleſia permanſit, & in ejus correctione multi alii correcti ſunt, glorificantes Deum qui per ſervum ſuum jam coronatum in cælis, talia adhuc operatur in terris. SÆC. XII. ANNO 1145.

Quadam vice contigit incerto caſu cuidam, ut diſſociatis naturalibus inſtrumentis ab invicem, mandibula loco ſuo dimota, & oris officium impediret, & naturalem humani decoris compoſitionem deformaret. Talibus circumventus incommodis clamavit ad Dominum & divinæ pietatis obnixius imploravit auxilium. Ut ergo manifeſtarentur opera Dei in illo, multis intervenientibus, ad tumbam beati Henrici acceſſit, & capite ſuperimpoſito tamdiu precibus inſtitit, quoadusque meritis ipſius ſanitatem accepit.

Item alio tempore contigiſſe in veritate audivimus, ut quidam à paralyſi adeò vexaretur, ut exinde uſum brachii jam perdidiſſet. Nutu autem divino ammonitus eſt, ut ad ſepulturam ſancti corporis accederet, & proſtratus in oratione, Dei omnipotentis miſericordiam & beatiſſimi viri ibidem requieſcentis merita invocaret. Toto itaque corpore proſtratus orationibus incubuit, corde magis quam ore decantans cum Propheta: *Adhæſit pavimento anima mea, vivifica me ſecundum verbum tuum.* Quid ergo? Chriſtus Filius Dei qui ſuper terram gradiens manum aridam habentem ſanavit, idem nunc ſedens ad dexteram Patris eodem innovato miraculo per merita dilecti ſui ſupplicem iſtum liberavit: ſanus equidem ab oratione ſurrexit, & Deum propitiatorem, in commemoratione ſancti ſui glorificavit. Clamor ad cœlum attolitur, & cum debita gratiarum actione hymnus gloriæ omnipotenti Deo ab univerſis aſſiſtentibus decantatur. *Pſal.* 118.

Hoc quoque ſucceſſoribus noſtris indicare curavimus, quod in diebus Rogationum, ad ſepulchrum prædicti confeſſoris contigiſſe veraciter cognovimus. Quidam enim Sacerdos cum populo ſuæ procurationi commiſſo in diebus Rogationum crucem cum hymnis & canticis ad monaſterium Sancti Petri & ſancti Gregorii deferebat, cum qua quidam cæcus alterius manu ductus veniebat. Is cum ad ſepulchrum confeſſoris Chriſti veniſſet, ex toto corde ſuo rogavit ſanctum Henricum, ut per ejus interventum reſtitueretur ei lumen oculorum. Cumque diu precibus & lachrymis pulſaret ad oſtium pii confeſſoris, cunctis videntibus & in laudem Dei acclamantibus, redditus eſt illi viſus per gratiam omnipotentis. Et mirum in modum qui alterius manu ductus crucem Domini ſecutus fuerat cæcus, modo propriis manibus crucem ferens cum laudibus ipſi populo domum redeunti, ductum præbuit illuminatus.

Aliud quoque divinæ virtutis miraculum celebri commemoratione & certa fide cognitum eſt. Erat quidam languidus ipſa in civitate omnibus cognitus, cujus inferiora omnia à lumbis & infrà omninò præmortua fuerunt, adeò ut nec pedibus ſolo niti valeret, ſed inſtrumento cuidam rotulis quatuor coaptato pendulus inhærebat, ſuique corporis molem manibus propriis pro poſſibilitate artificis volutabat. Idem loculum ſanctiſſimi corporis frequentius viſitare ſolebat, & per Dei miſericordiam ad declaranda ſervi ſui merita tantam gratiam conſecutus eſt, ut membra præmortua vivificarentur, ac deinde baculis utrique humero ſuppoſitis, pedibus terram tangeret & erectus incederet.

Modernis etiam temporibus contractus quidam, qui adhuc in carne ſupereſt, in eodem loco ſanatus eſt, & naturalem uſum recepit ambulandi.

Præter hæc multa alia ſanctitatis argumenta & experimenta frequenter in eodem loco viſa ſunt. Debiles curati, cæci illuminati, dæmones ex obſeſſis corporibus viſibiliter fugati, multi ex diverſis infirmitatibus ibidem frequentiſſimè liberati ſunt, Domino teſtificante, quanta ſanctorum gloria in cœlis ſit, quos tantis miraculorum virtutibus in terris coruſcare concedit, ne apud homines loco humili teneantur, qui apud Deum meritis excelſi eſſe comprobantur. Cum etenim miraculorum atteſtationibus ſanctitatem Confeſſoris ſui Dominus declararet, Babenbergenſis Eccleſiæ Prælati crebreſcentibus ſignis cum mandatis & litteris Conradi Regis ac Principum Romam abierunt, & quam magna mirabilia Deus per Confeſſorem ſuum operaretur, Domino Papæ Eugenio & Romanæ Curiæ nuntiaverunt. At illi gaudentes pro tantæ famæ dulcedine Deum glorificantes, de Canonizatione ſancti Regis Henrici cœperunt ſollicitè & diligenter ad invicem conferre, quatenus in catalogo conſcriberetur ſanctorum,

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1145 rum, qui virtutibus & signis probaretur esse assumptus in regnum cælorum, cui Canonizationi quidam Cardinalis Johannes nomine, cœpit vehementer obsistere, & projecto Dei timore in quibuscunque potuit, non verecundatus est prædicto Confessori Christi detrahere, sed divina ultio detrahentem cœlesti repente verbere coërcuit, & dum famam beati viri laceraret, potestas Dei lumine oculorum eum privavit. At ille adeò humilitatus & percussus cæcitatis molestia, reatus sui conscientia cœpit torquèri, & quoniam hanc plagam ex confessore Christi peccando meruisset publica voce confiteri. Et mirum in modum quem prius dentibus detractionis lacerabat, hunc modo laudibus & præconiis usque ad sydera tollebat. Conversus itaque ad pœnitentiam celerem consequutus est indulgentiam, & per interceſſionem Confessoris Christi denuo est illuminatus, ob cujus ultionem justo Dei judicio fuerat excæcatus.

Simili modo, cum in loco Babenbergensi, ubi prædictus Confessor tumulatus fuerat, de Canonizatione ejus celebris fama haberetur, Presbyter quidam nomine Luipoldus, majoris Ecclesiæ Canonicus, de signis quæ per eum fiebant, cœpit dubitare, & de permutatione exequiarum, quæ in anniversario ejus celebriter fiebant, intra semetipsum dolere. Qui mox oculorum caligine adeò est plagatus, ut postea per Confessorem Christi sanatus, quantum sanitas ejus apud Deum posset in curatione ipsius experiretur. Et mirandum est valde, quod de sanctitate tanti viri aliquis potuerit dubitare, cum conversationis sanctitatem, castitatis intregritatem, eleemosynarum largitatem, humilitatis custodiam & omnia opera justitiæ usque in finem vitæ
Luc. 4. suæ cum devotione summa servaverit, sed sicut scriptum est: *Nemo Propheta acceptus est in Patria sua.* Presbyter ergo prædictus gravatus defectu luminis, confugit ad patrocinia sanctorum, deprecans ut per suffragia eorum, sanitas sibi restitueretur oculorum. Et cum ex dolore & labore & assidua veniarum incurvatione fatigatus fuisset, lassatum corpus somno reparavit. Cui dormienti sanctus Wolffgangus eo quod eum familiarem in orationibus suis habuerit, apparuit, & ait ei: Ora confessorem Christi Henricum, & liberabit te, quia quod ejus sanctitati derogasti, idcirco hæc plaga cœcitatis venit super te. Post hanc visionem expergefactus ex conscientia delicti sui intremuit, & ad tumbam Confessoris Christi concito gradu & devota mente properavit, & procumbens terræ, à Confessore Christi lachrymis & precibus suis excessibus veniam postulavit. Qui statim exauditus & pristinæ sanitati restitutus, gratiarum actiones Deo & sancto Henrico retulit, magnalia Dei quæ circa ipsum Deus fecerat, religiosis viris, qui nobis retulerunt, ipse narravit.

Caveant igitur habitatores sæculi domesticis Dei & civibus sanctorum detrahere, quia necesse est eos hic & in æternum perire, qui sanctorum bonis operibus solent obloqui & invidere. Quamvis ergo nunc tempora miraculorum non sint, signa enim debentur non fidelibus, sed infidelibus, tamen cum aliqua nobis præter solitum cursum ordinemque naturæ eveniunt, omni veneratione amplectenda sunt, quatenus & ipse qui in sanctis suis mirabilis est honorificetur, & nostra tarditos ad meliora quæque tantis virtutibus accendatur. Præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

LIBRI

Digitized by Google

LIBRI TRES
DE VITA
BEATI OTTONIS
SUEVIÆ COMITIS, DUCIS POLONIÆ, LEGATI IMPERATORIS HENRICI, CANCELLARII, EPISCOPI BAMBERGENSIS, ET CONFESSORIS ET POMERANORUM
APOSTOLI.
AUCTORE ANONYMO συγχρόνω.

Ubi præter multa de rebus Pomeranorum, Saxonum, Danorum, Polonorum, Ruthenorum, Hungarorum, Boëmorum, Teutonum aliaque ſcitu digna.

Continentur etiam.

EPISTOLÆ
S. OTTONIS TRES,
PASCHALIS PONTIFICIS TRES,
CALIXTI PONTIF. DUÆ,
INNOCENTII PONTIFIC. UNA
BOLISLAI DUCIS POLONORUM DUÆ,
ET
IMBRACONIS HERBIPOLENSIS EPISCOPI
ORATIO IN FUNERE S. OTTONIS

Omnia primum edita è M. S. Codice Monaſterii Monſee, ab Henrico Caniſio Noviomago J. C.

Digitized by Google

Digitized by Google

JACOBI BASNAGII IN HANC OTTONIS VITAM OBSERVATIO.

SÆC. XII. ANNO 1145.

I. ERror irrepsit in tertio libro *vitæ Ottonis* circa ipsius ætatem. Amanuensis vitium est, non autoris ignorantia. Asseritur *Ottonem* obiisse an. M. XXXIX. Deest procul dubio littera C. quæ duodecimum sæculum, undecimi loco, indicet: nec conjectura id tenemus, probatur, enim ab ætate Imperatoris *Henrici*, sub quo vixit. Fuit ille *Henricus quartus*, cujus *Otto* cum fuisset Concellarius, ab ipso Bambergensem Episcopatum recepit. Idem probatur a Pontificibus ad quos litteras mandavit, *Paschalem*, *Calixtum*, *Honorium*, *Innocentium*, omnes hujus nominis *secundos*, qui sæculo duodecimo Romanam sedem tenuerunt. Denique dubitare non sinit quod refertur de *Bela* ejusque filio *Geiza II.* qui Hungaris præfuerunt ad annum 1150. duodecimo igitur sæculo, non undecimo, ut dubitabat *Canisius*, vixit Otto. I. *De Ottone.*

II. Ejus vitam, diu desideratam *Baronio*, *Canisius* ministravit cum hac conjectura quam ex præfatione, tomo secundo *Antiquarum Lectionum* præfixam hic subjicimus: II. *De autore vitæ.*

Auctorem vocavi σύγχρονον, *quia ait se scribere quæ audierit ab iis qui Gestis* S. Ottonis *interfuissent.* Molanus *in Martyrolog. ad* 30. *Septemb. inquit vitam S. Ottonis IV. libris conscriptam ab* Andrea *Abbate extra Babenbergam ad* Boguslaüm *principem Pomeranorum circa annum* 1500. *ubi tamen, si vis, ut præcocem conjecturam promam, numerus annorum mendo perversus videtur & mire blanditur hæc conjectura, ut numeros ab anno* 1500. *ad* 1050. *vel* 1150. *qua* Boguslaüs *etiam quidam, ut opinor, vixit, revocemus. Sed cum* Boguslai *plures fuerint, & hoc nomen genti Pomeranorum familiare, alium adhuc tibicinem huic conjecturæ conquiri velim. Quid si hic noster auctor sit* Andreas *ille, & quartus liber sit de miraculis. Quæ hic non?* Huc usque Canisius *de auctore vitæ Ottonis.*

Non potest probari Conjectura Canisii: primo emendari non debuit *Molanus*, cum constet *Andream* fuisse Monachum Monasterii S. Michaëlis extra Bambergam, deinde ejusdem Cœnobii Abbatem anno 1483. cumque regimen tenuerit per annos 36. potuit vitam *Ottonis* perscribere anno 1500. ut voluit *Molanus*, vel potius anno 1499. ut ferunt manuscripti codices. Non igitur retrahendus fuit *Andreas* ad an. 1050. vel 1150. Deinde à *Clemente III.* in Album Sanctorum repositus est *Otto* anno 1189. habentur enim litteræ

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1145.

hujus Pontificis quibus mandatur *Emerammo* Ratiſponenſi, cæterisque præſulibus in viciniâ, ut ſi nihil invenerint quod obſiſtat, *Ottonem* Canoniſatum, freti autoritate Apoſtolica, ſolenniter annuntient, diemque anniverſarium ſui tranſitus faciant. Cum autem hæc omittat ſcriptor totus in laudando *Ottone*, & de ſummo illo honoris faſtigio ſileat, quamquam *Imbriconis* Orationem funebrem retulerit; debuit ille in vivis eſſe inter annum 1139. quo obiit *Otto*, ad annum 1189. quo Canoniſatus eſt à Pontifice *Clemente* tertio. Sunt qui illud Opus aſſerant *Andreæ* Babebergenſi eumque ex quatuor autoribus coætaneis excerpſiſſe putent: & revera videtur author noſter deſcripſiſſe *in hoc libro quæ religioſi ac probatiſſimi viri, ab ipſo geſta ſuis oculis viderunt & nobis fideliter narraverunt.* Fefellit *Caniſium* vox illa *narraverunt*; credidit enim illâ *ex ore loquentium* excepiſſe ſcriptorem noſtrum; quamquam de coætaneorum ſcriptis facile poſſit intelligi. Supereſt tamen difficultas quam mox attigimus, vixque ſolvi poteſt; elicita ſcilicet è Canoniſatione *Ottonis*, quæ hic plane omittitur: ſi igitur hoc opuſculum *Andreæ Babebergenſi* velis vindicare, dicendum erit *Andream* priorum autorum veſtigiis ita inhæſiſſe, ut nihil de ſuo addiderit, quamquam *Ottonis* honori verteret. Quod mihi veriſimile ſit.

III. *Obſervanda de Epiſcopatu.*

III. Aliqua ſunt in ipſius opere non contemnenda. Primo obſervari debet dignitatem Epiſcopalem ab *Henrico* cum *baculo* & *annulo* recepiſſe *Ottonem*, poſtea, quod divinitus factum autumat *Baronius*, ad Pontificem veniam facti poſtulaturus confugiſſe: immemor ſcilicet Sacramenti quod Imperatori prius præſtiterat. Attamen non modo Sanctum, ſed generoſum decebat virum ab Epiſcopatu penitus abſtinere potius, quam religionem perjurio fœdare. Si pœnitentia ducebatur accepta jam dignitate, ei debuit renuntiare: ſceleris inſcius eſſe non potuit qui jam bis Epiſcopatum rejecerat. Fidem violatam privilegio maximo compenſavit Pontifex, quippe ei octies *Pallio* uti conceſſit, cum prius quater tantum ſingulis annis illud indueret. An ſic probari debent perjuria?

IV. *De Baptiſmo.*

IV. Plurima ſunt circa Baptiſmi adminiſtrationem, quæ noſtris ſæculis non conveniant: namque dolia grandia valde terræ altius immergi præcepit *Otto*, ita ut ora doliorum ad genu hominis vel minus de terra prominerent: implebantur aqua: facilis erat deſcenſus, Cortinæ velaque oppanſa cuppam circumquaque cingebant, ibique nudi viri, nudæ fœminæ per immerſionem baptizabantur.

Porro hic circa Baptismum poſſis obſervare primò: *Septem diebus* tantum Pomeranos ante Baptismum catechiſavit *Otto*: Breve quidem ſpatium Catechumenatus: Non id ferebant antiquæ leges, nec priora Conciliorum decreta; non enim niſi pluribus vel menſibus vel etiam annis exactis baptizabantur Catechumeni recens ad fidem converſi, præcipue qui Gentilismum dejerabant. *Can. VII. l. 7. c. 30.* *Curamus ut longo tempore verſentur in Eccleſia, & audiant ſcripturas & tunc eos baptizamus*: Inquiunt Concilii Conſtantinopolitani Patres. Refert quidem *Socrates*, Burgundiones ab Epiſcopo cum *ſeptem diebus* jejunaſſent, octavo fuiſſe Baptiſmo donatos: ſed de ea Burgundionum converſione cum ſileant Hiſtorici, forſan *Socratis* narrationem repudiabunt plurimi.

Secundo: quanquam *Theophylactus* aſſerat Sæculo ſuo, hoc eſt anno 1100. aut circiter, deſiiſſe morem antiquiſſimum certis diebus Baptismum adminiſtrandi, patet ex *Ottonis* concione ad Pomeranos, hunc ritum non omnino fuiſſe inveteratum; quippe *Sabbato ſancto Paſchatis* & Dominica Pentecoſtes illos baptizari jubebat. Tertio: baptiſteria quibus utebatur *Otto*, fuerunt

Digitized by Google

runt dolia è ligno confecta, ſive ut loquitur Author noſter, *cuppæ* ampliſſimæ, ubi per aliquot gradus deſcendebant Catechumeni, ut póte quæ terræ immergerentur; unde patet *immerſionem* ad hæc usque tempora fuiſſe in uſu: deinde Baptiſteria fuiſſe ab Eccleſia diverſiſſima; tunc enim nullæ erant ædes ſacræ apud Pomeranos. Denique ligno uti potuiſſe præſules ad Baptiſteria conſtituenda, cum alias forent vel lapidea vel etiam marmorea. Infantes in ligneo vaſe tingi permiſit quidem *Edmundus* Cantuarienſis Præſul; ſed confecto Baptiſmate illa vaſa voluit igne comburi & in cineres redigi. Aliter hic *Otto*, qui grandes cuppas & dolia ampliſſima terræ immerſa ad longum tempus juſſit conſtrui. Quarto obſervandum tria fuiſſe Baptiſteria; alia enim ſecundum antiquos mores fœminis, ne coram viris nudarentur: alia verò maſculis: alia denique infantibus deſtinabantur. Maſculi vulgo ad dexteram, fœminæ ad ſiniſtram ſtabant; ſic enim *Gregor. Primi* Sacramentarium: Cum venerint ad Eccleſiam, recitantur eorum nomina & ſtant Maſculi ad *dexteram*, *fœminæ vero ad ſiniſtram*. Sic & *Auguſtinus* de civitate Dei: Carthagine *Innocentia* religioſiſſima fœmina in mammilla cancrum habebat; admonetur in ſomniis appropinquante Paſcha, ut in *parte fœminarum* obſervanti ad Baptiſterium quæcunque illi Baptizata primitus occurriſſet, eundem locum ſigno Chriſti ſignaret. Denique diverſum fuiſſe neophytorum Baptiſterium patet ex Concilio ſub Menna Act. 1. Ibi enim *Stephani* duo *Petrum* Apameenſem Epiſcopum accuſant eo quod cum eſſent in *Baptiſterio neophytiſtarum* ſine tunicis & calceamentis Diaconis ipſos exorcizantibus, eos ejecerat *Petrus* & Canonicas introduxerat, cum quibus per plurimas horas verſatus fuerat, Tria hic deſcribuntur dolia ſive Baptiſteria, ut *ipſe Otto* ſolos *mares pueros* in uno baptizaret, alii autem ſacerdotes in aliis *fœminas ſeorſum & viros ſeorſum*. Quinto denique patet ex iis quæ hic leguntur, immerſionem in Baptismo duodecimo ſæculo fuiſſe adhuc uſitatam; quorſum enim illa dolia, quorum ora ad hominis genu vel minus de terra prominebant, niſi ut nudati homines & fœminæ facilius poſſent ingredi ibique per immerſionem tingi? Sic *Anſelmus* eodem fere tempore: *Vocatur conſummatio juſtitiæ ad quam Dominus volens homines invitare, ne ab inferiori dedignentur baptizari vel in conſpectu hominum denudari, ideo vult exemplo ducere, quid alios oporteat facere ut nullus poſt eum erubeſcat.* Denique dum ſæviret hiems in illis regionibus admodum aſpera, ſtubas & ignem Baptiſteriis admoveri juſſit *Otto*, ita ut in Balnea veluti converterentur; aqua enim calida uti voluit, ne frigore nimio torperent congelarenturque membra. Fuerunt olim hæretici, qui ignem aquæ adjiciendum putarent, diverſa plane ratione, ex eo ſcilicet, quod Jeſus igne & aqua baptizare debuit. Mirare forſan quod *Thure & aliis diverſis ſpeciebus cuncta reſpergentibus veneranda confecit Sacramenta* Pomeranorum Apoſtolus.

SÆC. XII. ANNO 1150.

l. 22. c. 8.

In Matth. 111.

l. 2. c. 7.

V. Euchariſtiam voluit ter vel quater ſingulis annis à *Pomeranis recipi*, *ſi amplius fieri non poterat.* Cumque vinum deeſſet in Regionibus illis, *Pomerania* enim ideo dicitur Sclavorum lingua, quod ſit in *Maris vicinia proxima*; Vitem plantari voluit Otto, ut ea tellus vinum ſaltem Sacrificio neceſſarium procrearet.

V. *De Euchariſtia.*

VI. Sacramenta ſeptem numero recenſet; quamquam tria vel quatuor tantum numeraret *Lanfrancus*, qui deſinente ſæculo undecimo vixit.

VI. *De Septem Sacramentis.*

VII. Denique multa habet author de *Pomeranorum* gente non omnino ſpernenda. Has regiones cum nullus adire vellet Epiſcopus, eas peragravit *Otto*, Populos inhabitantes imbuit fide Chriſtiana: ipſi tamen ad Idolalatriam intra paucos annos ſunt reverſi, ita ut nova ad illos ad pœnitentiam inducendum adhibenda fuerit cura.

VII. *De Pomerania.*

I N-

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1150.

INCIPIT PROLOGUS IN VITAM BEATI OTTONIS EPISCOPI BABENBERGENSIS.

Prologus authoris.

SCripturus *vitam beati* Ottonis *Episcopi*, ac Pommeranæ *gentis Apostoli, grandi quidem affectu, sed impari facultate materiam ingredior sacram, duo hæc finaliter intendens, ut virtutum & meritorum ejus Auctor Deus, in illo glorificetur, & de lucerna in domo Domini sublimiter accensa, pietatis ac devotionis lucem fideles accipiant. Christo enim bonus odor est in ipso & universa Ecclesia. Tamquam paranymphus & amicus sponsi flagrans & ipse unguentis optimis, unguento contritionis ac devotionis: & in Deum ac proximum pretiosæ pietatis. Unguentum enim contriti cordis & humiliati, tamquam pauper spiritu pedibus Domini suppliciter exhibuit, aperiens os suum in oratione, & pro delictis suis jugiter interpellans; unde & Christus purgavit peccata ipsius, & exaltavit in æternum cornu ipsius. Unguentum autem devotionis, in quo recordatio divinorum beneficiorum intelligitur, in obsequium divini cultus, tamquam in caput redemptoris, tam piè ac copiosè effudit, ut*

Matth. 58. 2. Cor. 2.

Joan. 12. *expresse de illo dictum videatur:* Et Domus impleta est ex odore unguenti. *Non solum enim sua persona, tamquam sacerdos & pontifex per exhibitionem cœlestium sacramentorum obtulit Domino sacrificium justitiæ oblationes & holocausta accedens per semet ipsum ad Deum, sed etiam in diversis locis, in vicinis & remotis Episcopis grandi sumptu & labore Christo multas fundavit & restauravit Ecclesias, in quibus miserationes Domini recolantur, & spiritualibus disciplinis, ac divinis sacrificiis mors Domini annunciatur, donec veniat. Unguentum autem pietatis, quod de latissimo sinu caritatis, ex omni specie misericordiæ, tamquam ex aromatibus, & omni pulvere pigmentario, universo corpori præparatur, quis abundantius membris Christi exhibuit? Taceo infinitas ejus expensas, & miserationes quas fecit in Ecclesiis Domini coram Deo immortales, transeo Eleemosynas illius, quas in locis definitis, in hospitalibus, & mansionibus pauperum diligentissima cura, redemptiones captivorum, quas in terras alienas ac remotas mittendo erogavit, & immensam pecuniam, quam de manu ejus in cœlestes thesauros manus pauperum quotidie deportaverunt, quis enumerare sufficiat? Profecto miserationes ejus super omnia opera ejus. Nam non solum sua, sed etiam seipsum pro lucro animarum Christo impendit, divinitus ab ipso directus in pœnitentiam* Pommeranæ *gentis, cujus per Evangelium Christi tulit abominationes, & gubernavit ad Dominum cor ipsius, perferens in ea, contumelias, persecutiones, passiones: & ferventissimo cordis affectu, pro lege Dei sui mori, coronamque martyrii adipisci desiderans. Hæc idcirco brevi epilogo præmisi, ut quantus sit iste, de quo sermo habendus est, in capite libelli, videatur, & de tanto pontifice, de novo patrono, non solum nostra specialiter, sed etiam omnis generaliter Ecclesia glorietur, qui senescente jam sæculo & ad occasum vergente, secundum incrementa & consummationes perfectionis apparuit, quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi lux plena in diebus suis lucens, & quasi sol refulgens, sic ille refulsit in templo Dei, Romani imperii ac sacerdotii firmamentum, gemma sacerdotum, spiritualis ordinis decus & præsidium, prædicator veritatis, & doctor gentium, Martha frequens, & fervens in obsequio Domini Jesu, pater, minister, ac susceptor peregrinorum, captivorum, & omnium membrorum Christi. Scripta sunt autem in libro hoc, quæ religiosi ac probatissimi viri, ab ipso gesta oculis suis viderunt, & nobis fideliter enarraverunt, ut in testimonio veritatis nihil privati amoris & gratiæ inseratur, sed opera ejus quæ in* Deo *facta sunt, summa sinceritate & veritate in honorem Dei & utilitatem Ecclesiæ proferantur.*

INCI-

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1150.

INCIPIT VITA VENERABILIS AC DEO DIGNI OTTONIS

EPISCOPI ET CONFESSORIS APOSTOLI POMMERANORUM.

SEMPER honorandæ ac divinæ memoriæ, Otto beatiſſimus ex *Suevia* duxit originem, Parentes ejus equidem Patrem & matrem, ingenuæ conditionis nobilitate clari & honorabiles, in divitiis autem & opibus mediocres, filium ſuum in primæve ætate literis erudiendum, diſciplinis ſcholaribus tradiderunt. Qui cum diligenter enutritus, in ſpe bona ad annos diſcretionis perveniſſet, ipſi defuncti ſunt, & quæ in poſſeſſionibus, & pecunia reliquerunt; alter filius eorum *Fridericus* miles futurus poſſedit. I. *Ottonis Parentes.*

Ottone igitur gratia ſtudii apud extera loca demorante, frater ejus puer, domum pro ſuo poſſe gubernabat, tenuiter adjuvans fratrem ſuum in ſtudio poſitum. *Otto* autem percurſis aliquibus Poetis & Philoſophis, & Grammaticæ, metrorumque regulis, tenaci memoriæ commendatis, cum ad altiora ſtudia non haberet ſumptus, fratri ſuo ſive aliis cognatis importunus eſſe noluit, vel odioſus; jam cum in ipſa adoleſcentia verecundiam ſecutus, & bonæ opinionis pulchritudinem. Itaque in *Poloniam* peregre vadens, ubi ſciebat literatorum eſſe penuriam, ſcholam puerorum accepit, & alios docendo, ſeque ipſum inſtruendo brevi tempore ditatus, atque honori habitus eſt, linguam quoque terræ illius apprehendit, atque ad altiora paulatim progrediens, parſimoniæ, frugalitatis, & caſtimoniæ diſciplinis literaturam adornabat. Ob ea igitur ſtudia omnibus gratus, magnorum virorum atque potentum, ſuffragante ſibi etiam corporis elegantia, contubernio ac familiaritati ſeſe applicuit, legationibus etiam & reſponſis, inter magnas perſonas differendis, adprime aptus erat. Denique occaſione legationum duci *Poloniæ* innotuit, magnamque in oculis ejus & totius curiæ gratiam invenit, ita ut Duci placeret talis clerici obſequio domum ſuam honeſtare. Ita ergo ſe multa oportunitate, ac modeſtia Duci aptavit, & toti curiæ gratum fecit. Cumque aliquot annos probe & ſapienter ibi manſiſſet, uxor Ducis defuncta eſt. Expletis igitur diebus lamentationis ac luctus, cum ſe lætius Dux habere cœpiſſet, *Otto* cum majoribus terræ, qui frequentes erant in tanta re, & inveſtigare cœpit de animo Ducis, ſi quomodo vellet ad alios thoros venire cogitaret, adjungens quod in partibus *Theutonici* regni potentia ſummis amicitiis conjungeretur. Dum hæc *Otto* crebro * movet, ſermo ad Ducem perlatus eſt. *Studia.* * *leg. monet.*

Primo autem ſe ille tractare, deinde conſilium habere cum aliis, poſtmodum ipſum *Ottonem* ad conſilium vocare, plenius ab eo rem cogniturus. Itaque *Otto* de majeſtate ac potentia *Romani* Imperii, & de antiqua & clariſſima Regis proſapia pauca præmittens, de viduitate ſororis ejus, Domino viduæ, quodque eam Imperator dignis thalamis ſociare volens, totius curiæ, ac Principum, ſuper hoc conſilium exſpectaret, plurima ſubjunxit, fœlicem fore affirmans, cui * ante pulchritudinis thorus contingeret.

Ex parte autem Ducis monebat ultra in Imperiis nihil ei quærendum, niſi amicos, genus, potentiam, utpote cui opes abunde ſuppeditarent. Quid plura? Dux ipſe omnesque conſilii participes à Deo ſermonem eſſe dicunt. Deinde magis ac magis du- * *l. tanta.*

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1150.

cem hortantur ſui, monent publicè ac privatim, hoc tàm ingens decus, tàm oportunè venientem gloriam maturè captandam. Ubi autem ad plenum Duci res animo ſedit, non prius adgredi voluit, niſi & hoc principibus *Poloniæ* placeret. Habito igitur colloquio invenit aſſenſum; id idem omnes ſequuntur, probant, cupiunt, tanta claritate, tantaque nobilitate illuſtrari *Poloniam*.

Otto igitur pro tali conſilio magnus & clarus habitus eſt. Cum ergo de nunciis ageretur, ipſe eligitur, & magni ſummique viri ei decernuntur; veſtitur, ornatur, ditatur, omnibusque neceſſariis, quæ uſus honorque poſcebat, habunde expedituri, ſicque in multa gratia dirigitur in ſummæ legationis ſecretiſſimo officio gratiam & gloriam recepturus. Eo tempore ſoror Imperatoris in contubernio ejus digno honore & apparatu manebat, de qua ille magnæ affinitatis ſperans neceſſitudines, ſecundum magnificentiam generis ac potentiæ, fœlices de illa nuptias exſpectabat. Acceptis igitur nuntiis & petitione Ducis rex hilariter reſpondit magnæ legationi, conſilio principum ſe reſponſurum pollicetur, gratias tamen agens Deo, vota ſua de honore ſororis oportune promotum iri. Conſilium igitur de tanto negotio habens cum Epiſcopis & Archiepiſcopis aliisque principibus ſeu magnis viris, magnificè tractat rem & retractat, nunciis interim ad decus imperiale bene habitis. Denique ubi ſatis omnia exquiſita viderent, vocatis eis, rem per ſe breviter exequitur Imperator; Ducem *Poloniæ*, nobilitate, opibus ac potentia dignum altis thalamis, ſororem ſuam unicam unici fratris, gratam ſibi pro cunctis rebus libenri animo tali viro copuletur, quia ſuis fidiſſimis hoc viſum ſit Conſiliariis. Addit etiam hoc commercio duos populos confœderari, *Poloniæ* res nobilitari, Duci amicos potentiam & gloriam conquiri. Figitur ergo contractu, locus & tempus, remittuntur nuncii, magnis cumulati muneribus, ingens utrinque apparatus pro perſonarum dignitate nuptialibus rebus componitur. Duce igitur optatis thalamis potito, major iterum gratia *Ottoni* acceſſit, ſuique paranymphi Domina oblita non eſt, in omni domo ſua inditum ei erat, & familiarem eum habens.

Et quotiens germano ſuo Imperatori dona vel reſponſa mittebat, *Otto* internuncius & fidus mediator fuit, factaque eſt per eum una respublica, domus Imperatoris & domus Ducis. Cumque inter eos ſæpe iret, & rediret Imperator, vix ſagax legati fidem & prudentiam animadvertit; & quamvis ſorori ac ſororis marito, commodum cum ac naturam agnoſceret, intelligebat tamen altiori dignitati hunc fore oportunum.

Quare clementi beneficentia eum alliciens, ſorori pro eo ſcripſit verba poſtulationis, ſuis dicens talem Clericum obſequiis neceſſarium. Soror autem & Dux in multis divitiis benefacientes Capellano ſuo, in multa honeſtatis gratia Imperatori eum quamvis inviti dimiſerunt.

Quomodo tranſlatus in curiam fuerit Imperatoris.

II. *Ejus vita in aulâ imperatoris.*

Imperator vero primo in levibus eum rebus exercens, familiari ejus ſervitio in multis benè uſus eſt, Pſalmos & orationes privatas ſed quando vacabat cum eo ruminare ſolebat. Nam adeò literatus erat Imperator, ut per ſe breves legeret ac faceret. Videns igitur hoc placere Imperatori, pſalmos & hymnos, capitula & orationes per totum annum, ut memoriter verſum dicens poſſet affirmare Clericos elaborabat, aliisque capellanis aliàs intentis, hic ſemper præſto erat, & *Pſalterium*, quo uti ſolebat Imperator ſub * aſella ſua igitur habens vel ad ſellam ſuam jugiter dependens, quociens opus erat requirenti obtulit Imperatori. Nihil enim *Ottonis* ſolercia negligendum putabat, quo ſibi gratiam Domini putabat conciliare valeret, unde mane, veſperi, omni tempore cum Pſalterio ſuo ad manum Imperatoris præſto ſe *Otto* exhibuit.

* *l. axella.*

Porro illis diebus inveſtituras Eccleſiarum Imperatores * ſolebant, & quotiens Epiſcopi decedebant, id moris erat, ut Eccleſia illa baculum & annulum Imperatori transmittens, de curia expoſtularet Epiſcopum.

* *fort. habebant, vel: conferre ſolebant.*

Multi ergo nobiles & magni viri, cognati ac filli principum in curia degebant ſpe promotionis, vice Capellanorum Imperatori obſequentes. Inter quos omnes tam æqualiter & compoſite *Otto* ſe gerebat, ut neque ex elatione invidiam, neque ex vilitate deſpectum incurreret. Denique quod eo qui Cancellarius fuit, ad Epiſcopatum ſublimato, *Otto* ſigillum Imperatoris & officium Cancellariæ ſuſcepit; tantaque induſtria & bonitate ſe in illa geſſit, ut ab omnibus curialibus amaretur, & à cunctis ei deferretur. Imperator vero famoſum ac laborioſum opus *Spirenſis* monaſterii habebat

Digitized by Google

bebat in manibus, omnes ſapientes ac induſtrios architectos, fabros cementarios, aliosque opifices regni ſui, vel etiam de aliis regnis in ipſo opere habens, aurum & argentum & pecuniam multam ſumptusque infinitos annis ſingulis expendebat. At magiſtri operis, partim negligentes partim etiam ſua commoda ſectati rem tarde promovebant. Commonitus ergo Princeps à fidelibus ſuis, de jactura impenſorum, diligentius tractare cœpit, ac ſecurus de *Ottonis* fide, diligentia, & ſagacitate, omne opus ei commiſit; præcipiens ut tam opifices, quam magiſtri eorum illi ſoli parerent, omnemque pecuniam, ſumptus, & impenſas ab eo expeterent, illique retaxarent. Sed Quid? Non facile dici poteſt, quanta conſervatio rerum facta ſit, & quanta ſtructuræ promotio. Ita ergo in omnibus rebus, Deo propitio, præſtabilem ſe & charum ſummis & mediocribus Otto faciebat, in aula regis, quaſi alter Joſeph, curam gerens univerſorum. SÆC. XII. ANNO 1150.

Quomodo Babenbergenſem Epiſcopatum adeptus ſit.

INTEREA *Rupertus Babenbergenſis* Epiſcopus de hac vita migravit. Itaque ex more temporis, inſignia Epiſcopatus ad curiam allata ſunt, & petitio Eccleſiæ pro paſtore. Sed Imperator conſilio ſex menſium ponit inducias; Eccleſia vero Babenbergenſis cum Clero & populo, Deo interim devotiſſime pro idoneo rectore ſupplicabat. Elapſis ergo induciarum diebus, cum jam tempus eſſet mittendi ad curiam pro Epiſcopo, Imperator benignitatis & gratiæ literis nuncios evocans, idoneum illi Eccleſiæ inventum indicat Epiſcopum. inter ſpem & metum anxii attentius rem Domino Babenbergenſes commendabant. Abeuntibus ergo nunciis, in ſummis & præcipuis de ipſa Eccleſia viris, tam Clericis quam laicis, reliqui omnes à minimo usque ad maximum, in proxima dominica ante Nativitatem Domini, elatis *Crucibus* cum proceſſione montem beati *Michaelis* aſcendunt, angelica ſuffragia quæſituri; ſcilicet Beatus Michael archangelus cœleſtis militiæ ſignifer negotio huic ſe ingereret, ut ejus ſtrenuo interventu, ſtrenuum, bonum & gnarum ſuper ſe proviſorem accipere mererentur. Quos in miſericordia & veritate ſumma divinitas, interventu archangeli, exaudivit, ut ipſe rerum probavit eventus. Nam & legati Eccleſiæ ab omni Imperatoria majeſtate honorabiliter ſuſcepti ſunt, & optime de negotio ſuo expediti. Imperator etenim annuens eis, Quantam, inquit, ſolicitudinem geramus pro Eccleſia veſtra hinc advertere poteſtis, quod non temerè aut ſubito rectorem vobis deſtinandum putaverimus; ſed magis conſilio & deliberatione, mora temporis & cura diligenter exquiſita. Nec mirum ſane; à noſtris enim proximis ac progenitoribus, ut noſtris, Eccleſia fundata, prædiis & poſſeſſionibus * ſcon datis, & miniſterialibus & omnium rerum affluentia ditata & ſublimata eſt: & quas de aliis Eccleſiis non poſſumus, hæc omnino illi adhuc integra manent, & conſueta. Quare intelligibilem Dominum, providum & ſagacem, & rerum conſervatorem, non vanum, non ſuperbum convenit intromittere rectorem. Unde aliàs non ita ſolliciti ſumus, ſed cito, & absque temporis datione fecimus quod faciendum erat. Cumque his & hujusmodi verbis conſilium ſuum legatis ſemel & iterum commendaret Imperator, quidam ex eis, tanquam proteſtaretur dilationem, ubi nam, vel quis eſſet ſciſcitantur. Imperator, nonne, inquit, preſto eſt? & manu arripiens *Ottonem* capellanum ſuum, (ibi enim erat, elegantis perſonæ, ac indutus bonis veſtibus, tonſura, forma, totoque habitu intus & exterius clericum præferens) En, inquit, Hic eſt Dominus veſter, hic eſt *Babenbergenſis* Eccleſiæ Antiſtes. Conſternati ad horam illi ſeſe inviti reſpiciunt, illumque oculis dejectis ſumunt & reſumunt; aliique nobiles circumſtantes, qui aut ſibi aut ſuis cupiebant, nutu ac muſſitatione legatos, quaſi ad contradictionem inſtigabant. Legati autem ſubtriſtes, Sperabamus, inquiunt, aliquem ex Dominis & principibus curiæ noſtræ, parentatum, ac nobis notum, dominatorem nos accepturos. Nam hunc, quis ſit aut unde ſit, ignoramus. Imperator autem reprobationem perſonæ haud ſuſtinens, Et vultis, ait, ſcire quis ſit? Volumus, inquiunt, profecto, ait, Ego pater ejus ſum; & *Babenberg* mater ejus debet eſſe. Verbum hoc mutare non poterimus. Si quis autem huic noſtræ ordinationi, quæ à Deo eſt, contraire temptaverit, offenſam indignationis procul dubio incurret. Non enim levitate aut privatis commodis ducimur, ſed quod honeſtiſſimum, & maximè illi Eccleſiæ neceſſarium eſſe perſpeximus, id ſimplici animo in hoc negotio ſectati ſumus. De expertis rebus non neceſſarium judicium eſt. Longa hunc hominem experientia & probatione didicimus; pacientiam, prudentiam, ſagacitatem, & diligentiam in exequendis parvis rebus, ſtrenuitatem ejus in magnis negotiis notam habemus. Denique abſentatio ejus magnum III. *Fit Epiſcopus.*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150. domui noſtræ impedimentum faciet, quam ipſe de omnibus rebus ſtrenuè ac fideliter expedire ſolebat. Otto igitur audita clementia Imperatoris, ad pedes ejus ſternitur, ubertim lachrymas fundens. Accurrerunt legati, proſtratum levant; ille humiliter recuſat; ſe pauperem, ſe indignum tantæ dignitatis affirmans; illuſtrius eſſe, viros ingenuos, claros, nobiles, potentes, ac divites, & concapellanos ſuos, ad tales honores conſcendere. Cernitis, ait Imperator, qua hic homo feratur ambitione? jam duos Epiſcopatus ſibi oblatos ad ſocios transferri rogavit. Quid vobis videtur? *Auguſtienſi* Epiſcopatui eum locare voluimus; ſed iſte ſciens, quod hæreditas ad quam primo feſtinatur, in fine benedictione carebit, eos qui ſe priores in laboribus & exercitiis curiæ noſtræ excitantur, prius ad quietem venire juſtum eſſe dicebat. Poſtea vero de Halberſtadenſi Epiſcopatu ſibi à nobis oblato ſimiliter fecit. Quid ergo? Spero, ait, *Babenbergenſi* Eccleſiæ hunc divinitus eſſe reſervatum. Hæc dicens, annulum Epiſcopalem digito ejus infixit, & baculum dedit illi; ſicque veſtitum legatis conſignavit. Moxque ab omni curia ei acclamatur. Legati ergo rem à Deo eſſe cognoſcentes ſuſcipiunt, amplectuntur, Dominum & patrem ſuum illum vocantes. Quos etiam alloquens Imperator, Aſſumite, ait, Dominum veſtrum, & omni reverentia, dilectione ac bonitate ipſum complectimini. Teſtor eum qui novit omnia, non me hominem noſſe mortalem, cui honeſtius ac tutius ejus loci cura credi potuiſſet. Me quoque vivo & in Imperio Romanorum poſito, qui hunc tetigerit, tanget pupillam oculi mei. His modis, hoc ordine, ad pontificatus gradus ſcandere coactus, ægre quidem, & cum multa hæſitatione conſenſit, propter de inveſtitura contentionem inter regnum & ſacerdotium, & propter electos Eccleſiarum, quas evacuare, ac ſibi vendicare, vi magis quam juſtè laborabat imperialis auctoritas. Cogitabat etiam non absque divinitatis nutu, tertia jam vice Epiſcopatum ſibi offerri, quem ſi tertio repudiaſſet, timuit ne ſententiam incurreret illam, qua dicitur: noluit benedictionem & elongabitur ab eo.

Prov. 20.

Itaque in his anguſtiis poſitus, quod ſolum ſalutare putabat, ad ſanctæ & Apoſtolicæ ſedis Catholicæ matris auxilium confugere delegit. In ipſo igitur articulo adhuc in curia poſitus, vovit Domino, votum vovit Domino, nunquam ſe in Epiſcopatu manſurum, niſi & conſecrationem pariter, & inveſtituram canonicè, conſenſu & petitione Eccleſiæ ſuæ â manu Domini Apoſtoli ſuſcipere mereretur. Diem autem Natalis Domini Moguntiæ cum Imperatore celebravit, de hinc retentis ex parte atque ex parte dimiſſis legatis, qui pro ſe venerant, in curia manſit diebus pene XL. decore magno & honeſtate, Imperatore ipſo & omni aula plurimum deferente.

Quomodo in Epiſcopatum deductus ſit.

VI. *Ejus ordinatio.*

POST hæc Princeps *Auguſtenſi* & *Wirzburgenſi* mandat Epiſcopis, aliisque de curia ſua honoratis viris, qui honeſtiſſima ſocietate, atque ingenti comitatu ad ſedem ſuam in vigilia purificationis beatæ ſemper Viginis *Mariæ Babenberg* eum deducebant, omni Clero & populo in magno deſiderio & expectatione poſitis. Itaque propinquante illo ad locum, ubi primitus conſpicere potuit monaſterium cathedrale, ab equo deſcendit, calceamenta ſolvit, humilitatem cordis, habitu corporis oſtendit, frigora, nives, & glaciem Februarii, nudis pedibus, usque in ædem beati *Georgii* calcavit, occurrentibus ei longo examine Clericis & monachis, nobilibusque laicis in multitudine copioſa cum univerſa plebe *Babenbergenſis* Eccleſiæ, in pompa & proceſſione glorioſa, in ornamentis & reliquiis ſanctorum, in hymnis & confeſſionibus, perſona ac tempore oportunis, tantaque fuit exultatio & decus ſuſceptionis, ut verbis explicari non queat. Salutatione autem completa, penetrabile gelu pedes Epiſcopi ita aduſſerat, ut vitæ ſedem cor, & vitalia frigus ex toto pene poſſederit; Epiſcopus autem rerum gnarus, aliis aquam calidam ad lavandos pedes offerentibus; ille frigidam popoſcit, & imponens pedes, frigore frigus pulſavit. Memor ergo * non ſui, poſt paucos dies ſuſceptionis ſuæ, antequam de aliis rebus ſuis ordinaret, nuncios Romam mittit & literas in hunc modum.

* *al. vob.*

Quomodo Literas Apoſtolico miſerit.

V. *Ottonis Epiſt. ad Paſchalem.*

DOMINO & patri ſuo *Paſchali* ſanctæ & Apoſtolicæ ſedis univerſali Epiſcopo, *Otto Babenbergenſis* Eccleſiæ id quod eſt, tam devotæ quam debitæ ſubjectiones, orationes & ſervitium.

Quia

Digitized by Google

Quia totius Eccleſiaſticæ dignitatis ac religionis firmamentum in Chriſto petra eſt, & in Petro ejus diſcipulo, & ejus ſucceſſoribus; idcirco ab hac linea, ab hac virga directionis, virga regnorum, pontificatuum, & omnium poteſtatum in Eccleſia, inſanum duxi aberrare. Vobis igitur, pater ſanctiſſime, & ſanctæ matri noſtræ Romanæ Eccleſiæ collum devotè ſubmittens, auxilium & conſilium de rebus meis flagito. In obſequio enim Domini mei Imperatoris per annos aliquot degens & gratiam in oculis ejus inveniens, ſuſpectam habens, in manu principis inveſtituram; ſemel & iterum, cum dare vellet, renui Epiſcopatum. Nunc vero jam tertio in *Babenbergenſi* Epiſcopatu me ordinavit, in quo tamen minimè permanebo, niſi veſtræ complaceat ſanctitati per vos me inveſtire & conſecrare. Quidquid ergo placeat diſcretioni veſtræ, de me per nuncios mihi ſignificate ſervo veſtro; ne forte in vanum curram, ſi ad vos currere incipiam. Omnipotens mihi propitiam incolumitatem veſtram cuſtodiat.

SÆC. XII. ANNO 1150. *Matth.* 16. *Pſalm* 44. *Gal.* 2.

Dominus autem Apoſtolicus viſis literis gaviſus, eo quod pauci Epiſcopi *Teutonici* regni, in ea malignitate temporum, matri ſuæ ut juſtum eſſet, deferrent, ac ei tales literas deſtinavit.

Reſponſales Domini Papæ ad Ottonem.

VI. *Reſp. Paſchalis. Prov.* 10.

PASCHALIS ſervus ſervorum Dei *Ottoni* dilecto fratri Babenbergenſis Eccleſiæ electo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Filius ſapiens lætificat matrem ſuam. Opera tua & conſilium tuum, virum præferunt ſenſatum. Nos igitur honorare, & profectus tuos juvare congruum duximus. Nihil ergo de noſtra benevolentia dubitans tuam nobis * quod totius valens præſentiam exhibeto. Certi enim ſumus quod divina ſapientia etiam malis hominibus bene uti novit.

* *leg. quantociùs.*

Quomodo ſedem Apoſtolicam poſt electionem adierit, & curam reſignaverit.

VII. *Otto petit Romam.* * *l. in Anagnia civitate.*

IGITUR acceptis literis juxta verbum Domini Apoſtolici, beatus *Otto Romam*, in aſcenſione Domini veniens, tranſivit, & * Mananiam civitatem Campaniæ Dominum Apoſtolicum invenit. Porro viri honorati, qui cum eo erant, data & accepta ſalute, dominum Apoſtolicum etiam ex parte ſalutant † calcce; ſubdentes petitionem & vota pro electo. *Otto* vero nihil cunctatus ordinem & modum aſcenſionis aperit, fatetur omnia, baculum ponit & annulum ad pedes Apoſtolici, temeritatis vel errati veniam petit; inſinuans tamen non voluntate ſua, ſed poteſtate factum aliena. Pro quo & ſeverius in ſe canonicæ diſtrictionis ſibimet imprecatur ultionem. Apoſtolicus vero, vir ſummæ prudentiæ, conſtantiam ejus admiratus, levare jubet inſignia. Negat ille; indignum ſe & peccatorem proteſtatus. Cum Apoſtolicus, ſancti ſpiritus, inquit, feſtum propinquat, tanti * arbitrii conſiliis rem hanc commodare debemus. Deinde ubi de his ſatis utrinque dictum eſt, benedictione accepta, *Otto* cum ſuis ad hoſpicium adgreditur. Ibi multa ſecum tota nocte, & ſequenti die tractabat, malitiam temporum, anxietates & pericula paſtorum, inobedientiam & inquietudines ſubditorum; poſtremo quidquid in tali re, duri vel adverſi eſſe poteſt, ante oculos ponebat, ac plena deliberatione omnibus depoſitis, privatus & quietus apud ſe vivere decrevit. Itaque * aſtitis ſociis viæ, quid deliberaſſet aperuit. Moxque vale faciens Domino Apoſtolico, & curiæ, per viam qua venerat redire cœpit. Cumque iter cucurriſſet miſſis legatis, ſub ſanctæ obedientiæ mandato Apoſtolicus redire jubet abeuntem, mittit dona donorum ſignificantia, monet cor & corpus aptare * ſpiritus ſancti. Quid faceret? Obedienta retrahitur, à comitibus repellitur, & cum tremore ac reverentia juxta mandatum Domini Apoſtolici reverſus, in ſancto die ſacro ſanctæ Pentecoſtes, petentibus nunciis * talis ſuæ ab ipſo Domino Apoſtolico inveſtitur, multoque decore ac lætitia totius curiæ, ſancti ſpiritus invocatione, inter miſſarum ſolennia in Epiſcopum conſecratus eſt. Et revertens de itinere literas exſpectanti Eccleſiæ ſuæ præmiſit.

* *l. arbitrii.* * *f. accitis.* * *l. Spiritui ſancto vel donis ſpiritus ſancti.*

Literæ Ottonis Choro & Capitaneis poſt reditum a ſede Apoſtolica deſtinatæ.

VIII. *Otton. Epiſt. ad Babenbergenſes.*

OTTO Dei gratia Babenbergenſis Epiſcopus, *Eberhardo* Præpoſito, *Adalberto* Decano, cæterisque fratribus omne bonum.

Quan-

† *l. Eccleſia, intellige nomine Eccleſiæ Babenbergenſis.* CAN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150.

Quantum ego novi & expertus ſum caritatem veſtram, ſcio vos jam diu exſpectare eventum noſtri laboris, ut de noſtro ſucceſſu ſiquidem bene, per miſericordiam Dei gaudeatis. Ne ergo diutius ſuſpenſi aut dubii ſitis de nobis, aut ſi juſtum eſt ſinceriſſime gaudeatis, literis iſtis vobis ſignificare decrevimus, quàm miſericorditer Deus more ſuo poſt immenſos labores, & ſudores plurimos, nobiſcum operatus ſit. In die Pentecoſtes ſancto, qui ex adventu Sancti ſpiritus factus, & cunctis fidelibus univerſe ſolennis eſt, illo inquam die, Deo ſic ordinante in *Anania* civitate *Campaniæ*, quæ *Romanam* dividit & *Apuliam*, Epiſcopalis benedictionis munus, quamvis indignus, Domino largiente ſuſcepi; venerabili Papa Domino *Paſchali* manum imponente; cæteris vero Epiſcopis plurimis cooperantibus; Clero quoque Romanæ Eccleſiæ, cujus magna pars ea die in eandem civitatem convenerat, aſtante & conſentiente & quod nulli à Romano Pontifice conſecrato noſtris temporibus contigit, ſine obligatione alicujus juramenti conſecratus ſum. Hujus loci, hujus diei, hujus gratuitæ miſericordiæ Dei ſemper memores eſſe debemus, ut vos memores eſſe velitis cum gratiarum actione, obnixè precamur; præcipue cum aliæ quam plures venerandæ perſonæ de magnis rebus ad Apoſtolicam ſedem agentes infecto negotio redierunt. Valete.

Commendatio Domini Papæ pro Ottone.

IX. *Paſchalis Epiſtola.*

APOSTOLICUS vero has commendaticias literas Eccleſiæ ſcripſit, pro dilectione Ottonis Epiſcopi.

Paſchalis Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei Clero & populo Babenbergenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Quantæ affectionis debitæ Babenbergenſis Eccleſia ab ipſo ſuo conſtitutionis primordio, ſedi Apoſtolicæ conſtringatur, etſi nos lateret, literarum veſtrarum ſignificatio manifeſtat. Quod affectionis debitum, venerabilis frater *Otto*, veſtræ Eccleſiæ electus, non inſtanter tenuiſſe ac tenere cognoſcitur; cum per tot & tanta pericula ad Apoſtolicæ ſedis viſitationem percurrat. Nos igitur eum debitæ benignitatis affectione ſuſcepimus, & juxta veſtræ dilectionis deſiderium, noſtris tamquam Beati *Petri* manibus, ſalvo Metropolitani jure vobis per Dei gratiam Præſulem ordinavimus. Hunc igitur ſub præſentium literarum proſecutione ad Eccleſiæ veſtræ regimen remittentes, plena hortamur affectione diligi, plena humilitate venerari. Confidimus enim eum diſciplinæ Eccleſiaſticæ futurum eſſe cuſtodem, & ſalutis veſtræ ſollicitum proviſorem. Huic ergo ſedulis officiis obedite, & gratiam vobis in eo conciliate cœleſtem. Integritatem Catholicæ fidei firmam ſemper in omnibus conſervate, ſedi Apoſtolicæ ſemper devotius adhærete, ut per ejus conſortium à contagiis omnibus liberi, ad æternæ ſalutis portum fœliciter pervenire, Domino largiente, mereamur.

Cunctis ergo diebus, quocunque ſtatu Eccleſiæ, Apoſtolicæ ſedi conſtanter ac fideliter adhæſit *Otto* Epiſcopus, adeo ut in illa dolenda excommunicatione Imperatoris Hainrici junioris, toto tempore ſchiſmatis, cum ſacerdocio perſtiterit canonicis, non ſine ingenuo quidem imperio pro conſervatione rerum * temporalibus faventibus. Tali igitur ordine & honore in Epiſcopum conſecratus multis virtutibus enituit; ſed una in eo tanta claritate reſplenduit, ut in morem ſolis, cætera ſidera prænitentis, ſua luce alias quodammodo minus redderet fulgentes. Dico autem beneficentiam, vel liberalitatem quæ in eo ſpeciali quadam prærogativa ſic enituit, ut ſine ambitione gloriæ inanis, gratiam conſequeretur apud Deum & homines. Tanta enim in dando uſus eſt diſcretione ut nunquam prodigus, ſemper autem liberalis inveniretur. Immanes autem jacturas & ſumptus infinitos parvipendebat, ſi aut * ſuæ, aut etiam augendæ ratio poſtularet. Equidem homo gravis, omnia facta ſua certo judicio ponderabat. Unde ſi aliquando res major & utilior magna largitione acquirebatur, nequaquam manum contraxit. Cauſa igitur largitionis ſemper ei fuit aut utilitas, aut neceſſitas, honeſtas, aut divinæ remunerationis intuitus. Hinc autem ſuper omnia intentus, omnium indigentium, vel qualibet calamitate oppreſſorum commune fuit conſilium. His tamen beneficentiæ modis plus afficiebatur, quorum memoriam poſteris relinquere.

** leg. temporalium.*

** ſ. Ura aut etiam Vraugia ratio. Hæc enim duo monaſteria adificavit.*

De uſu Pallii Duplicato.

X. *Pallii uſus duplicatus*

POST Dei autem honorem, quem in cunctis factis ſuis glorificare jocundum habebat, etiam Eccleſiæ cui præerat, gratiam & decorem cumulare ſatagebat. Unde factum

Digitized by Google

factum est, quod in ipso introitu suo, cum eatenus quandam specialis honorificentiæ prærogativam Babenbergensis Ecclesia, usum scilicet *Crucis* & *Pallii*, quater in anno haberet; ille quando ex more, pro accipienda Episcopali benedictione Romanæ matri venerandum caput offerebat, non quidem ex ambitione, quod illa vehementer execrari solet, sed ex gratuita ipsius matris benignitate, quæ dignos filios honorare gaudet, eodem honore duplicato usum *Pallii* & *Crucis* quatuor aliis vicibus, eo quod idoneus & honore dignissimus videretur, ad omnes successores suos transmittendum, à Beatæ memoriæ Papa *Paschali* percepit, in sacro die Pentecostes, ab ipso in Episcopum, sancti spiritus cooperante virtute consecratus. Ex eo igitur tempore operante in se gratia ejusdem spiritus sancti tam in sæcularibus quam in spiritualibus causis & negociis, consilio viguit & prudentia, ita ut dignitatem sibi augeret & gratiam apud omnes quidem, sed apud illos specialius, quibus non magis præesse quam prodesse incipiebat. Itaque multa cura ei fuit, viam & instituta nosse majorum; & quidquid honoris vel emolumenti alicui ordini vel professioni vel etiam dignitati, debite vel gratuito exhibere potuit, nunquam sponte prætermisit. Ac omnium synodalium, & legum provincialium, vel synodalium processus vel excessus summe cognitos habebat, atque ad depromendum quæ sentiebat, gravi & grata & ornata dicendi facultate comptus est. Unde licet non Philosophicè, nec tam profundæ in literatura esset eruditionis, tamen in populari sermone, ad erudiendos in divinis & Ecclesiasticis rebus homines, nihil ejus eloquentia præstabilius, quam admiratione audientium, & ædificatione compunctorum, & peccata sua deplangentium sæpe constat probatum. Huic enim ab omnibus sui temporis Pontificibus in docendo populum naturali sermone principatus minimè negabatur; quia disertus & naturali pollens eloquio, usu & frequentia in dicendo facilis erat, quid loco, quid tempori, quid personis competeret observans. Sed quia pluris est benefacere quàm benedicere, licet utrobique valuerit, & utrumque rectoribus Ecclesiarum conveniat, tamen plerumque contingit in altero aliquem esse propensiorem. Unde ad benefaciendum maluit esse proclivior, & in eam partem bonitatis, quæ de fonte rei familiaris emanat in proximos, quia copia sinebat, studium inflexit, multaque in præsentes erogans, etiam posterorum, & absentium, vel nondum natorum oblitus non est. Hinc est quod illis rebus, quæ posteris etiam manere possent, majores sumptus impendit, ut sunt, muri, pontes, aquarum ductus, & quidquid ad multorum in longum posset durare commoditatem. Amen.

SÆC. XII. ANNO 1150.

De Monasteriis ab ipso fundatis.

XI. *Monasteria ab Ottone fundata. Ap. Sur. Vrangia.*

ET primitiæ quidem operum ejus duorum fuit structura cœnobiorum in Episcopio *Herbipolensi*, quorum primum *Vrangia* dicitur, sub patrocinio beati *Laurentii*. Alterum *Ura* in honore beati *Petri* Apostoli, his autem honesta & eleganti fabrica compositis, sicut omnibus cœnobiis faciebat suis, prædia emere, silvas, & agros & prata comparare, vel aliis justis modis acquirere satagebat. Ipsa vero nominare, & enumerare universa, ne longus aut fastidiosus fiam, omitto.

Deinde * Nilbabergensi Episcopio tertia & quarta ædificatio duorum cœnobiorum fuit, quorum unum * *Michelvelt* dictum, in honore sancti *Joannis* Evangelistæ. Alterum *Lanchein*, in honore beatissimæ virginis Mariæ de ordine *Cistertiensi*. Nam ista tria fecit de ordine *Cluniacensi*. Et *Michelvelt* & *Vrangia* in patrimoniali fundo Ecclesiæ; *Lanchein* vero & *Vrah* in adventitio locata sunt. Porro in Episcopatu *Ratisponensi* sex monasteria construxit; quinque de ordine *Cluniacensi*, quorum unum *Enstorff* dictum, in honore sancti Jacobi Apostoli.

* *leg. in Babergensi.* * *Ap Sur. Michelenvalt. Langheim.*

Secundum est Priffling/ sub patrocinio beati *Georgii* martyris: Utraque autem in adventitio fundo locata sunt. Sed *Enstarff* ab *Ottone* Palatino Comite acceptum, magnificæ liberalitatis munificentia ditatum, ædificiis, ac prædiorum largitionibus decoravit ac provexit. Priffling vero quomodo divinæ revelationis, & Angelicæ visionis occasione à fundo cœperit, ad notitiam posterorum scripto transmittere non inutile credimus.

Al. Prunningen.

Heinricus proinde quintus, *Heinrici* quarti Imperatoris filius, æstivo quodam tempore curiam Episcoporum ac Principum totius *Theutonici* regni frequentia celebrem *Ratisponæ* celebrabat, cui venerandum *Ottonem*, utpote magnum consilio, & omnium primatum aspectibus gratiosum, quippe qui gratia & affabilitate, & vitæ etiam merito omnium sibi conciliabat favorem, regia non patiebatur deesse vocatio. Sed pius *Otto*, qui cum Psalmista dicere noverat: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? & volabo

Psalm 54.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150. volabo & requieſcam, ſi quando locus dabatur & oportunitats, ne tumultu ac ſtrepitu curialium, meditationis ejus impediretur propoſitum, à curia ſe abſentabat; ut ſolus ſoli DEO, quo liberius eo licentius vacaret.

Erat itaque in occidentali civitatis parte in vicinia villæ Pruffing dictæ à qua & monaſterium pro * condignitate nomen contraxit; ager paſcuus, arborum umbra, & graminis viriditate admodum delectabilis, in quo venerandus præſul pro loci amœnitate, cum tentorium ſubrigi ſibi feciſſet, meridiano tempore feſſa quieti membra de-
Gen. 28. derat. Cum ecce in morem ſcalæ illius, in qua *Jacob* patriarcha angelos vidit deſcendentes, & aſcendentes, à capite dormientis ad cælum usque porrigi beato Pontifici viſa eſt; & angeli in ea alternis vicibus deſcendentes & aſcendentes.

Ille ergo excitatus, Capellanos reliquosque commilitones, ſuſcitatos advocat, & ſeriem viſionis avide auſcultantibus exponit.

Omnes itaque viſionem à Deo eſſe conſiderantes, non ſomnum vanum; divinæ revelationis glorificant dignationem: & Epiſcopum, ut inibi obſequium DEO provideat
Philip. 3. per viſionem hujusmodi admonitum dicunt. O fœlicem præſulem, omni laude & honore digniſſimum, cujus quia in cœlis eſſet converſatio, divina revelatio, & cœleſtium civium viſio declaravit.

Ipſe proinde agri poſſeſſore requiſito, agrum comparavit, & altare in eo ubi ſponda ſteterat, & deſuper Eccleſiam exſtruxit, donec agrum conterminabilibus comparavit ſpacioſum locum monaſterio, & cellæ conſtituendæ conquiſivit. Talis itaque ei fuit occaſio cœnobii *Bryvingenſis* à fundo exſtruendi.

Tertium eſt cœnobium *Munſter*, quod cum adjacente Parochia, ejusdem nomi-
Ap. Sur. Diepoldo. nis, auri & argenti precio ab *Heinrico* duce *Bavariæ* & à *Dypoldo* Marchione comparavit; & regali privilegio * *Lotharii* in proprietatem † *Wabergenſis* Eccleſiæ collatum
**Clotarii in proprietatem.* ſuſcepit. Quartum * *Wiburch*· Quintum *Malenſtorf*. Sed *Wiburch* ſub patrocinio
† Babenbergenſis. eſt beatæ Dei genitricis; Illud autem in honore ſancti *Joannis* Evangeliſtæ; utrumque
** Ap. Sur. Biburg.* autem fundi adventitii. Sextum eſt *Windeberg* de ordine *Norpertinorum*, in honore
Windelberg. beatæ ſemper virginis Mariæ; & ipſum de fundo adventitio. In Epiſcopatu † *Haberſta-*
† Sur. Halberſtat. *denſi*, undecimum ei eſt, congregatio *Reginſtorf* de ordine *Cluniacenſi*, ſub patrocinio
** Sur. Vicenbach.* Joannis Baptiſtæ Abbaciam, * *Wirtzenburch*, quæ nunc mutato loco & nomine *Reginſtorf* appellatur, cum omnibus pertinentiis ab *Heinrico* Imperatore acceptis privilegiis *Wabergenſi* adjecit Eccleſiæ. Bona quoque ejusdem cœnobii duplicavit. Nam cum prius non niſi ſexaginta habuerit manſos, eundem numerum totidem additis ipſe ampliare curavit.

In Epiſcopatu *Aiſtetenſi* duodecimum illi eſt, congregatio de ordine *Ciſtercienſi Hailsbrunn* dicta, ſub patrocinio beatæ Dei genitricis. Ipſe autem finibus à venerabili *Ottone* multa pecunia comparatis magnis ſumptibus in Abbaciam promotus eſt.

Ap. Sur. Albrispach. In Epiſcopatu *Patavienſi* decimum tertium congregatio *Alderbach* dicta. Et decimum quartum *Cluniacenſe* ſub patrocinio beati Andreæ Apoſtoli juxta fluvium *Aniſen.* Hanc à *Lyopoldo* Marchione datam ſuſcepit, & cujus promotione viginti manſos & quinquaginta marcas expendit.

Et in Patriarchatu *Aquileigenſi* quintum decimum cœnobium, in caſtro *Arnoldenſtein*, deſtructa munitione conſtruxit. Quadraginta vero & quinque annis hoc caſtrum cum nonaginta quinque manſis ad ſe pertinentibus Eccleſiæ *Babergenſi* abalienatum fuit. Sed ipſe multo labore & impenſa recuperavit, & additis ei ſexaginta manſis abbaciam eſſe fecit. Has quindecim congregationes opera illius & benignitas fœcunda ſemper propagavit. Quinque enim cellulas quaſi totidem grana ſeminis ſeminare curavit, ſciens, quod neque qui rigat, nec qui plantat eſt aliquid, ſed qui incrementum
2. Cor. 3. dat Deus. Ex eisdem autem granis quidam jam ſurculi pullulant; poteruntque, Deo præſtante incrementum, in arbores conſurgere. Sunt autem hæ: una quæ dicitur Aſpach in honore ſancti Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ, ipſum autem fundum & prædium ejus Babergenſis Eccleſia multo tempore perdiderat; ſed ipſe illud ſolerti cura requiſitum, cellam fecit monachorum, eaque in Abbaciam convaluit; prædiorum donatione copioſa ab ipſo primum, deinde ab aliis fidelibus ditata. Secunda eſt in loco *Babergenſi* in domate ſancti Michaelis ſita, ſub patrocinio ſanctæ *Fidis*, virginis & Martyris. Primo hanc ſanctimonialium eſſe voluit; ſed altiori conſilio ſeptem monachis eam inſtituit, & cum omnibus pertinentiis ſuis ſancto *Michael* conſignavit. Tertia eſt *Rotha*, ſub patrocinio ſancti *Georgii* Martyris in Epiſcopio *Herbipolenſi*. Quar-
Ap. Sur. Weſſera. ta eſt *Verzera* in eodem Epiſcopio, in honore ſanctæ Dei genitricis *Mariæ* de ordine *Norpertinorum*. Sed alterius fœcunditas, alteri fecit ſterilitatem: Rotha enim in ſua permanens ſterilitate, proficienti Verzerae tamquam meliori ad ſerviendum ſubdita eſt.

Digitized by Google

est. Hoc tamen sciendum quod Episcopus Hotham ab *Agnete* Palatina & ejus sorore Adelheyde / cum sexaginta mansis Ecclesiæ Babergensi donatum suscepit, circumjacentia vero Ecclesiæ cellæ emit bona ducentis septuaginta quinque marcis, cum ministerialibus, scilicet agris, silvis, & pratis, pascuis, ac molendinis, & cum utilitate ac jure, quo *Chuno* dux idem prædium noscitur habuisse. *Vezzeram* autem *Goteboldus* Comes ædificare inchoaverat, quam Episcopus ab eo sibi datam suscipiens suis eam promovit impensis. Quinta ei cella fuit in Episcopio Herbipolensi, Richardelshausen / in pago Tullenelt. Atque si quod verum est, fateri liceat, sextam illi Tukhelnhausen in eodem Episcopio annumerare debemus. hujus enim structores, dum ejus promotioni minus sufficerent, scientes Episcopum talium rerum studiosissimum, ut ejus opitulatione locus promoveretur, ipsius hunc titulo ascripserunt, atque ut eum Babergensi Ecclesiæ omni jure firmarent coram idoneis testibus promiserunt. Hac igitur conditione multa eidem loco impendit. Hæc de cellis & monasteriis ejus dicta sufficiant.

SÆC. XII. ANNO 1150.

Tuckelhausen postea Cartusiense monasterium.

Quid responderit Quærentibus ab eo causas, tot ab eo monasteriorum constructorum.

INQUISITUS autem familiariter à suis, quare tot & tanta in sumptus Ecclesiarum Christi tam diligenter expenderet, Parabolam illam Evangelicam de Samaritano & homine à latronibus cæso, & stabulo & stabulario ad reddendam rationem caussæ suæ humiliter inferebat, Mundus, inquiens, iste totus exilium est, & quamdiu vivimus in hoc mundo, peregrinamur à Domino; unde stabulis egemus atque diversoriis. Stabula vero & diversoria, cellas dicebat & monasteria; & ea non indigenis, sed peregrinis seculi esse oportuna. Quid multa, inquit, vel nimia esse, vel fieri queruntur diversoria, non semper in peregrinatione positos se putant, sed in patria. Quod si à latrunculis occupati fuerint, si spoliati, cæsi, atque plagati fuerint, & ita semivivi relicti, certe vel inviti experientur, quam melius est, juxta esse stabulum quàm procul. Cum enim repentinus supervenit interitus, & dolor sicut in utero habentis; ita ut evadere non possint, quomodo illuc levari poterunt, si procul est? Et si tales multi in locis multis, nonne melius est stabula multa esse quam pauca? Si enim pauca fuerint, quo modo multis peregrinis, multis sufficient ægrotis? Præterea inquit, novissima hora est, & mundus in maligno positus est; sed propter eos, qui ab illo fugere ac salvari cupiunt, quia homines multiplicati sunt super terram, & cœnobia multiplicari absurdum non est. Ab initio sæculi cum pauci essent homines, necessaria erat propagatio hominum, & ideo non continebant; tempus est; continere debent homines, quicunque possunt, atque vacare Deo. Continentia vero & alia sanctitatis opera in cœnobiis melius quàm extra observari potest. Hæc mihi caussa, inquit, fuit, hæc intentio multiplicandi cœnobia. Et ut aliquid secundum hominem loquar, dum proficiunt ac succrescunt cœnobia studiis & oblationibus fidelium, sicut in plerisque locis videmus, quia tribuente Deo, promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud, oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis, boves eorum crassæ; ipsorumque providente solertia, non est ruina maceriæ, neque transitus inutilis in satis eorum & pratis; possunt nonnunquam honori atque utilitati esse suis Episcopis. si vero tenues sunt & pauperes, habent successores mei, apud quos oportunè collocent eleemosynas suas, & occasionem inveniunt benefaciendi honestam, si meos surculos irrigando suas arbores faciunt, sicut & ego aliorum meas feci aliquas. Et facilius quidem inchoata promovere, quam ea, quæ nulla sunt, inchoare. Initia enim rerum difficilia sunt. Unde si qui ad inchoandum talia tardi fuerint & timidi, vel meis iniciis, meisque fundamentis in nomine Domini superædificare accingantur. Tales suorum operum ille rationes reddere dedignatus non est; hoc fine concludens omnia, ut in omnibus honorificetur Deus, & proximus adjuvetur. Nec eum utique spes fefellit, multa enim bona ex ejus studiis in Ecclesia provenêre, atque proveniunt quotidie. Quid enim putamus in tot cellis & cœnobiis Deo servitii & honoris, quid proximo solatii exhibetur & utilitatis? Signa illic & portenta per eum & per ejus opera fiunt quotidie; & si non corporaliter, profecto quod melius est, fiunt spiritualiter. Ibi enim cæci vident, surdi audiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. His enim malis & incommodis circumventi homines peccatores de sæculo ad meliorem vitam secundum animam in cœnobiis convalescunt. Ibi lectiones sacræ, Psalmodia & orationes, missæ, atque divinarum rerum contemplationes & cordis eleemosynarum largitiones & hospitalitates. Quis negat ex magna parte meritis ejus hæc omnia posse ascribi? cujus labore & impensa ipsa cœnobia con-

XII.

Cur Otto tot monasteria fundaverit.

Luc. 10.

2 Cor. 5.

2 Joan. 5.

Psalm. 143.

Matth. 15.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1150. tigit fundari. Considerans autem quod ipsorum cœnobiorum suorum structura robustius consisteret, si eam Apostolicæ auctoritatis petra solidaret, nec facile convelli posse, si vallata esset munimine Petri, sub ejus defensione omnia constituens, à sede Apostolica hujusmodi scripta suscepit.

Privilegium Calixti.

XIII. *Calixti II. Epistola.* KALIXTUS Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri *Ottoni Babergensi* Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem.

Bonis fratrum nostrorum studiis, non solum favere, sed ad ea ipsorum etiam debemus animos incitare. Tuis ergo, chariſſime & venerabilis frater *Otto* Babergensis Episcope, supplicationibus inclinati, monasteria, quæ ipsi propriis sumptibus extruxisti, & Babergensi Ecclesiæ conferens Apostolicæ sedis roborari munimine quæsivisti, in beati Petri ejusque Romanæ Ecclesiæ protectione suscipimus, contra pravorum hominum nequiciam, defensanda. Statuimus ergo, ut possessiones, prædia & bona omnia, quæ & fraternitas tua eisdem monasteriis divini amoris intuitu contulit, quæque aliorum fidelium justa oblatione concessa sunt, aut in futurum justè, legalitervè acquiri vel offerri contigerit, firma eis & illibata Domino auctore permaneant. Ordinationes sane Abbatum vel monachorum suorum à Catholicis Episcopis diœcesanis accipiant. Rerum vero ipsorum monasteriorum curam & administrationem in tuo tuorumque successorum arbitrio & potestate manere censemus. Nulli itaque hominum facultas sit eadem monasteria peturbare, aut eorum possessiones aufferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis fatigationibus vexare; sed omnia integra conserventur eorum, per quorum sustentationem & gubernationem concessa sunt usibus commodis profutura. Si qua igitur Ecclesiastica, sæculariſvè persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris Jesu Christi aliena fiat; atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

Cunctis autem eisdem monasteriis justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum judicem, præmia æternæ pacis inveniant.

Scripta per manum *Gervasii Scriniarii* regionarii & notarii sacri palatii.

Sed sicut in rebus temporalibus perpetuam securitatem, & immunitatem, suis cœnobiis, per Apostolicam auctoritatem providere studuit, ita in religione & disciplina spirituali stabilitatem atque immutabilitatem monastici Ordinis ejusdem sacræ sedis auctoritate corroboravit, sicut in privilegio quod à Domino *Innocentio* Papa accepit, perspicuè considerari potest.

Item Privilegium Innocentii Papæ.

XIV. *Innocentii II. Epistola.* INNOCENTIUS Episcopus servus servorum DEI, Venerabili fratri *Ottoni Babergensi* Episcopo, ejusque successoribus canonice substituendis salutem & Apostolicam benedictionem.

Quotiens à nobis petitur illud, quod religioni & honestati convenire cognoscitur, animo nos decet libenti concedere, & congruum impartiri suffragium, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Proinde venerabilis frater *Otto* Episcope, petitionis desideriis tuæ ex consueta sedis Apostolicæ manſuetudine clementer annuimus; in primis siquidem statuentes, ut tenor religionis, qui in Ecclesiis tibi commissus est, per tuam diligentiam, cooperante Domino, institutus, firmiter in eis perpetuis temporibus conservetur. Constituimus etiam, ut in eisdem Ecclesiis nullus per simoniacam hæresim statuatur, sed honestæ personæ, quibus utique morum & status dignitas suffragatur, inibi ordinentur. Sanè in cœnobiis, quæ vel antiquitus in tua parochia constructa sunt, vel tu ipse devotionis intuitu constituisti, seu aliis justis modis Ecclesiæ tuæ inire poteris, vel ab aliquo deinceps fidelium infra tuam diœcesim divina inspirante gratia, construentur, sacræ religionis ordinem manere decernimus. Nec alicui liceat ejusdem institutionis formam ullatenus permutare; nisi fortè ad melioris status prærogativam, præstante Domino, promovere voluerit; nec id alicujus singulari judicio committatur, sed omnium monasteriorum ad Babergensem Ecclesiam pertinen-

Digitized by Google

tinentium, aut ſanioris partis conſilio ac conſenſu fieri debere ſancimus. Si quis autem huic noſtræ conſtitutioni temere contraire temptaverit, ſecundo, tertiove commonitus, ſi non factum ſuum digna ſatisfactione correxerit, à ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei ac Domini redemptoris Jeſu Chriſti alienus fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ſubjaceat ultioni. Conſervantes eisdem locis, quæ juſta ſunt; omnipotentis Dei & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ac noſtram gratiam conſequantur. SÆC. XII. ANNO 1150.

His ita ſe habentibus manifeſte vides beatum *Ottonem* ſatis, quantum in ſe fuit providiſſe, ut in omnibus cœnobiis ſuis ordo ac tenor religionis ſacræ, qui per ejus diligentiam, cooperante Domino inſtitutus eſt, firmiter perpetuis temporibus conſervetur. Aperte enim ſancitum eſt ab auctoritate Romana, ut in eisdem cœnobiis ſanctæ inſtitutionis forma nullatenus alicui mortalium liceat permutare; niſi fortè ad melioris ſtatus prærogativam præſtante Domino, voluerit promovere.

Quomodo Monaſterium Cathedralis Eccleſiæ ad uſum reſtauraverit & ornaverit.

XV. *Monaſterium Eccleſiæ Cathedralis renovat.*

IN diebus ipſius ſemper honorandæ memoriæ *Ottonis*, Cathedralis Eccleſiæ monaſterium, quod ſub anteceſſore ſuo, Domino permittente, usque ad ſolos muros ſuperſtites conflagratum erat incendio, multis ſumptibus ab eo ad priſtini decoris nobilitatem reparatum eſt. Ipſe pavimentum ſtravit, columnas Eccleſiæ, quas ignis afflaverat, opere gipſeo & firmavit & ornavit, Chorum ſancti *Georgii* exaltavit, picturas quoque non ignobiliores prioribus effecit; & ne ultra ſimiles formidare debeat eventus, totum monaſterium & turres cupreis tabulis contexit, ſphæras quoque & *Cruces* turrium deauravit, omnia denique ædificia clauſtri per officinas ſingulas renovare, & in meliorem ſtatum promovere curavit. Quantum vero eidem Eccleſiæ bonorum & prædiorum, præter ea quæ à fundatoris liberalitate ipſe pridem habuerat, benignitate ipſe ſuper addiderit, in redditibus & oblationibus quotidianis canonicæ præbendæ conſiderari poteſt. Eccleſiam quoque ſancti *Michaelis* cum terræ motu ſoluta, ruinam ſui minari videretur, à fundamento deſtruxit, & ingenti ſumptu ac pecunia majoris & elegantis fabrefactæ monaſterium in laudem & gloriam DEI & militiæ cœleſtis erexit. Stipendia quoque fratrum talentis plusquam nonaginta redituum per ſingulos annos cumulavit. Multa quoque ornamenta eidem loco contulit, ipſumque usque ad noviſſimam tubam & vocem filii Dei locum habitationis ſuo venerando corpori elegit. Multa hic ſtudio brevitatis prætereo, quæ huic & aliis cœnobiis & Eccleſiis ſuis ab ipſo collata ſunt, in palliis, ſtolis & caſulis, in calicibus aureis & argenteis, in thuribulis & acerris, in candelabris & variis Eccleſiarum utenſilibus, in cortinis, aulæis, & tapetibus, in libris utriusque teſtamenti, & variis codicibus, quorum omnium tam ingens copia eſt, ut numerus æſtimationem videatur excedere; mirumque ab uno Epiſcopo tot locis tanta potuiſſe conferri. Sed hæc omnia de fonte rei familiaris hauriens, Deo ſubminiſtrante abundantiam, ipſum non exhauſit; quia, ſicut fateri conſuevit, quanto magis in opera Dei erogabat, tanto magis quod erogabat habebat. Nam licet totus in Deo fuerit, & omnia ſua in cœleſtes theſauros præmittere feſtinaret, ipſe tamen utpote prudens & potens Deo, quæ Dei erant reddidit, & mundo quod ſuum erat non negavit. Regibus quippe ſæculi regni, pontifices honorificando, fideliter domi forisque ſervivit: principum quoque ſibi familiaritates & amicitias intimas conciliavit: miniſterialibus & ſcodatis Eccleſiæ propria jura & honorem intemeratum conſervavit, familiam denique, & omnia ſibi adhærentia firmiſſimo pietatis præſidio, & maternæ affectionis ala confovendo protexit; ſtipendia Epiſcopalis menſæ nullius unquam neceſſitatis occaſione minoravit; ſed quod de parſimoniali fundo Eccleſiæ matricis propter adjacentiam & oportunitatem cœnobiis contulit, empticiis & adventitiis prædiis recompenſare cum augmento ei curavit; quia de injuſto non poſſe fieri dicebat eleemoſynam. Injuſtum autem, imo injuriam maximam eſſe affirmabat, aliqua largitione aut feudatione, ſine recompenſatione, tabulam minuere ſucceſſorum. Ad hanc ergo excludendam ſuſpicionem, & ne cuiquam ſuccedentium ſibi Epiſcoporum fas ſit diſpoſitioni ejus quidquam ſuperordinare, vel ab ipſo bene ordinata reſcindere, ſedes Apoſtolica, ejus poſtulatione, ſuper his omnibus hujusmodi ei confirmationis privilegium poſtulavit.

Privilegium Calixti Papæ.

XVI. *Calixti II. Epiſtola.*

CALIXTUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Ottoni Babergenſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sanctorum Patrum præceptis &

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1150 & Canonicis ſanctionibus demonſtratur, quod prædia & poſſeſſiones Eccleſiarum, quæ vota fidelium, precia peccatorum & pauperum patrimonia non immerito nuncupantur, vendi vel alienari non debeant. Quæ enim divinæ majeſtatis obſequio, & cœleſtium ſecretorum uſui ſunt dicata, non decet in alienum jus redigi, vel in alterius ſervitii formam transmutari. Nempe ut beati *Symmachi* Papæ verbis loquamur: Poſſeſſiones quas unusquisque Eccleſiæ propriè dedit, aut reliquit, arbitrio alienari quibus libet titulis aut diſtractionibus, vel ſub quocunque argumento non patimur. Ea propter nos tuis juſtis poſtulationibus annuentes, manſos qui Epiſcopalis menſæ tuæ ſervitio dediti ſunt, in eodem ſtatu, in quo benè à te diſpoſiti cognoſcuntur, futuris temporibus permanere præſentis ſcripti noſtri confirmatione ſancimus; ſtatuentes, ut nulli ſucceſſorum tuorum, vel alicui hominum liceat eos vendere, ſive in laicorum beneficium tradere, vel in uſus alios commutare. Sed ſicut à te diſpoſitum eſt, de unoquoque prædictorum manſorum denarius unus annis ſingulis *Babergenſi* pro anima Imperatoris *Henrici* fundatoris ejus, ad concinnanda luminaria conferatur. Abbacias vero & *Regulares Canonicas*, per induſtriam tuam in religionis ordine ſtabilitas, & alia à te recta conſtituta, nulli hominum facultas ſit poſterum immutare. Si quis autem contra hanc confirmationem venire temerario auſu præſumpſerit, excommunicationis vinculo ſubjacebit. Data Laterani. Idibus Aprilis, Indictione ſecunda.

Quantum Epiſcopio contulerit in ædificiis &c.

XVII. *Epiſcopium ornat.* Rem quoque familiarem Epiſcopii, ſicut prædiis & poſſeſſionibus, ita, etiam ædificiis & caſtrorum munitionibus adjuvit atque ſublimavit. Nam per diverſa loca & curtes Epiſcopii, quatuordecim baſilicas & quatuor cœnacula elegantis fabricæ conſtruxit. Præterea ſex Caſtella, quæ pridem non habuit, Dominio Epiſcopatus adjecit, * commi videlicet Albuineſtein. Secundum Lupoldenſtein. Tertium Conlenreut. Quartum Hemphenveld. Quintum Eberſperlach. Sextum Eſchenveld. Caſtrum vero Albuinenſtein / quod etiam dicitur Bottenſtein / fere in meditullio ſitum Epiſcopatus, octingentis argenti libris, nec non XVII. auri talentis comparavit. Providens in hoc ſibi & poſteris non modicum pacis ſubſidium; quia bonis Eccleſiæ in circuitu poſitis defenſio eſt, & terror inimicis. Multa quidem commemorare poſſem, quæ illius ſtudio ac labore in rebus temporalibus Epiſcopatui acceſſere; ſed parcius hæc laudanda puto; quia pænè omne genus hominum acquirendi ſtudioſum eſt, & ſua cumulandi, neque ut id faciant, egent exemplo; ſed ne male id faciant. Hic ergo non in eo quidem magno opere landandus, quod rem familiarem quærere aut augere ſolicitus fuit; ſed hoc in eo non temere laudatur, quod his rebus à quibus abeſſet turpitudo & avaricię ſuſpicio.... diligentia videlicet & frugalis parſimonia.

** lege: caſtrum.*

Hic videtur aliquid deeſſe.

De frugalitate Ottonis Epiſcopi.

XVIII. *Ottonis frugalitas.* Non in veſte, non in cibis, rebus Epiſcopii unquam indulgentius uti voluit; nec voluptati, fed neceſſitati ſuæ tantum providebat. Quin etiam, ajunt, illum humilitatis cauſa ocreas vel * ſuptlares diſſolutos, plerumque ad ſartorem miſiſſe. Murmurantibus autem de hoc aliquibus, Sinite, inquit, fratres ſinite. res Epiſcopii, eleemoſynæ ſunt fidelium; vanis uſibus eas profligare non debemus. Nec in veſtitu ei frugalitas defuit. Ac in victu quomodo ſe reſtrinxerit, vix ulli credibile videbitur. Nam dixiſſe hunc pro certo accepimus, nunquam ſe ad ſacietatem panem in Epiſcopatu comediſſe. Semper enim ſobrius ac pæne jejunus de cæna vel prandio ſurrexit; appoſita omnia infirmis, pauperibus ac mendicis imperciens. Quodam jejunii tempore multa penuria piſcium fuit, ſed quidam procurator ejus * lucem parvæ quantitatis emptum duobus ſolidis, prandenti attulit bene paratum, modeſte obſecrans, ut ſe uberius reficeret vel cibo, qui tam magno precio conſtabat. Cui Epiſcopus, Quanto? inquit. Procurator, duobus, ait, ſolidis. Et Epiſcopus, abſit ut miſer *Otto* ſolus hodie tot denarios abſumat, levansque * Aſtum, Defer, ait, hunc precioſum cibum Chriſto meo, qui mihi me ipſo precioſior eſſe debet; Defer, inquam, ei, ſicubi ægrotus in lecto jaceat, vel paralyticus. Nam ego robuſtus hoc me pane reficiam. Sic ille in opulentia ſua delitiis affluebat. Præterea in conſuetudine habuit, à manibus ſacerdotum, in conclavi, corporales accipere diſciplinas, ſane adeò acres, ut cruor aliquando latera ejus ungeret. Ipſe quoque pater cœleſtis, qui ait: Ego quos amo arguo & caſtigo, ſuo interdum verbere, ad eruditionem eum tangebat.

** f. ſubtalares.*

** λύκον lupum ſeu callionymum Athenæo intelligit* Hecht. ** ap. Sur. diſcum.*

Apoc. 3.

De

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150.

De Ægrotatione Episcopi.

XIX. Ægrotat. ap. Sur. Buchelbach.

REferam unum de flagellis ejus, causamque sive ordinem monstrabo, quidvè inde boni provenerit. Dum forte in vico, qui dicitur Buchelbach, divinarum rerum studiosus *Chartulam Patrociniorum* legisset, & in ara Ecclesiolæ multas & permaximas sanctorum reliquias reconditas cognosceret, ad nobiliora loca eas transferre cogitabat, ubi ampliori honore divinæ servitutis ac religionis colerentur. Itaque assumptis clericorum, jejunio & oratione præmissa, pia, ut dictum est, intentione, sigillum altaris solvi præcepit, sed hæsitantibus cunctis ac trepidantibus, ipse ferramentum corripiens, Absit, inquit, ut tantum decus sub tam vili * stemmate remaneat. Cumque bis aut ter sigillum malleo percuteret, sanguis de scistula plumbi cucurrit, ac si de corpore animalis flueret. Sed quid? Turbatur Episcopus, ferramentum projicit, stupent omnes, opus cœptum omittitur, ad orationem tàm ipse, quàm omnes qui aderant se prosternunt, commissi veniam postulantes. Sed pater omnipotens, sapiens & benignus, qui ad disciplinam filium erudire parabat, gravi statim languore tetigit *Ottonem* suum, adeo, ut vitæ terminum putaret. Igitur invalescente morbo cum evadere non speraret, eum quem maximè fidum ac familiarem habuit Abbatem sancti Michaëlis *Wolframum* vocavit, ut sive ad vitam sive ad mortem res vergeret, fide & obsequio fidelis amici uteretur, qui dum ejus lectulo assisteret, ejusque dolores quibus poterat consolationibus relevare curaret, *Otto* beatus, monasticæ religionis præcipuus semper amator, habitum monachicum ardentissimè flagitabat; à multis annis se dicens in proposito habuisse depositis pontificalibus in paupertate spiritus & contritione cordis Deo servire sub magistri obedientia. Verum Abbas vir gnarus ac prudens, & magni consilii, obedientiam quidem promittens, suscepit desiderium laudans, ac petitionem: porro de habitu distulit ingeniose. Hinc post aliquot dies, melioratur ægrotus, voti memor, habitum quærit religionis; disponit de rebus suis; ad monasterium se portari jubet. Abbas igitur lætus de fervore votivi sui, adhibitis sui nominis compluribus honestis viris, de hoc verbo cum eis communicat. At hi quidem perspectis omnibus, inutile factum dicunt personam talem Ecclesiæ & pauperibus Christi tam necessariam, ad silentium monasterii transire. Itaque cum reverentia Episcopum interrogat; si promissam sibi obedientiam implere vellet. Ille vero, in ejus inquit, nomine qui pro nobis DEO patri usque ad mortem obedivit, tibi obedire paratus sum. Cui ille, Et ego, inquit, in nomine ipsius tibi jubeo, pater sanctissime, sub honore accepti regiminis usque ad diem vocationis tuæ permanere, ad honorem & utilitatem Ecclesiæ, ad consolationem egenorum & pauperum, in sublevationem viduarum & orphanorum facere, sicut facis, ad consummanda cœpta tua in operibus tuis bonis; &, ut brevius dicam, facere quod facis, operari quod operaris pro æterna vita & centuplo. Quis enim monachorum tantæ perfectionis est, ut ejus merita vel paupertatem tuis divitiis adæquemus? Igitur post hæc tempora Episcopatus Babergensis totus in eleemosynas, totus in hospitalitates pauperum & peregrinorum versus est. Quidquid frumentorum aut victualium, quidquid auri vel argenti usquam vel unquam inveniri potuit, per egentium manus in thesauros cœli transmissum est.

* *tegmine.*

Monachus vult fieri.

Quid egerit famis tempore.

XX. *Quid egerit famis tempore.*

EO tempore orientalis *Francia* sterilitate annorum magna panis inopia laborabat. Ipsi namque opulentiores fame & necessitate squalebant; Inopes autem & mendici passim per plateas & agros mortui jacebant, ita ut præ multitudine in cœmeteriis humari non possent. Sed vir DEI misericordia plenus, memor *Tobiæ*, modo per se, modo per alios sepeliendo officium complevit: Ubi autem cadaverum multitudo sepulturam ordinatam fieri non sinebat, ingentes fossas præparavit, & centenos & millenos simul quandoque terræ mandabat, precio conducens homines, qui talibus officiis, jugiter inservirent. Ipse autem per se omnia lustrabat, vicos, plateas, ad domus pupillorum, vespere, mane & meridie, nec non etiam nocturno tempore visitando ægrotos, reficiendo famelicos, omnique ingenio benè operandi vias inquirebat.

Accidit ergo die quadam æstu meridiano, quando in umbraculis & refrigidariis suis soporantur homines, Episcopus accito cubiculario, more suo, ad hospitale pauperum pergebat. Dum autem iret, fœtor inhumati corporis non procul à via desub urticis nares ejus tetigit. Substitit ergo & cubiculario suo digito locum demonstrans, Sentio, ait, tanquam illic corpus humanum jaceat. Pergente puero sequitur Episcopus,

Digitized by Google

Sæc. XII. diligenter quærunt, ac tandem inter herbas & ſilvam ſtantis urticæ projectum ad ſepem cadaver inveniunt mulieris, lacero vultu, & ab avibus comeſto.

Anno 1150. Epiſcopus autem, conſpecta miſeria, ferit pectus, ſortem deflet humanam, flagellum divini confitetur judicii. Poſtremo ſeipſum culpabilem, ſe reum addicit, qui ea die qua hæc fame periiſſet, multis panibus abundaret.

De hinc dicta breviter oratione pro anima jacentis, manum mittit ad corpus, cubicularium hortatur levare ſecum. At ille, Noli, ait, Domine, noli ſacras manus tuas inquinare. Curram & vocabo alios, ac ſepeliemus eam. Cui Epiſcopus, Abſit, inquit, ut ſororem meam filiam Adæ, immo filiam Eccleſiæ tangere deſpiciam. Portabo mortuam, quam vivam paviſſe debueram. Sed tu rogo juva me; certus quod à Deo & à me quoque mercedem accipies. Ille autem, etſi horrore, & fœtore pariter propelli potuiſſet, tamen dum luctantem & laborantem, ipſique horrori humerum jam aptantem videt, vicit ſemetipſum, & clauſis naribus, averſoque vultu dorſum invitè ſubjecit ſarcinæ, & cum Epiſcopo communicato labore ad cœmeterium cadaver fœtidum deportant, cantante ac flente ſacerdote, Heu me Domine. Videns ergo, quia tempus eum monet, omnes apothecas ſuas aperuit, panes præparat, alit egentes, & ecce quaſi ad univerſales ordines nundinarum de tota provincia famelicorum turbæ concurrunt, de monaſteriis virorum ac fœminarum præpoſiti ac diſpenſatores, omnesque quos annonæ egeſtas premebat, ad promptuaria Epiſcopi currebant, ſperata ſubſidia ſine mora invenientes. Cumque meſſis appropinquaret, & maturæ ſegetes ubique locorum falcem poſtularent, multa millia falcium pauperibus, quos toto anno aluerat, præparata diſtribui fecit, atque refectis omnibus, in feſtivitate ſancti *Jacobi*; Ecce, inquit pater optimus, filioli mei; terra coram vobis eſt, finita eſt dierum malitia. Et accipiens ſingulas falces ſingulos addidit denarios, unicuique denarium & falcem, inſtrumentum operis & viaticum, ſicque valefecit eis, & bonitate & gaudio eos dimiſit. Iis modis id officium ei fuit omnibus annis inopiæ ac ſterilitatis. His aliisque operibus miſericordiæ, maximam ſibi fiduciam apud Deum altiſſimum conquirebat, & temporalibus expenſis in cœlis ſibi theſauriſans, diſperſit dedit pauperibus, ut juſtitia ejus maneat in ſæculum ſæculi.

Pſal. 111.

Liber II.

LIBER II.

2. Tim. 4.

PRÆFATIO LIBRI SEQUENTIS.

JAm tempus eſt, ut in memoriam æternam beati Ottonis Pontificis peregrinationem, & laborem ejus ſtilo fideli proſequamur, qualiter Apoſtolica auctoritate beati Honorii *Papæ* Pommeranicæ *genti Apoſtolus deſtinatus, prædicaverit, baptizaverit, & miniſterium ſuum fideliter adimplendo opus Evangeliſtæ fecerit, in quo revera ſimile illud fecit Dominus gloriæ ſanctorum, quam magnificè adeptus eſt in converſatione gentis illius, in cujus pœnitentiam divinitus eſt directus. Magna quidem ſunt merita ipſius, quæ ſecundum dilectionem proximi in operibus bonis, & eleemoſynis, membris Chriſti exhibuit, magnæ & indeficientes miſerationes ejus, quas fecit in domo Dei ſui, & in cæremoniis ejus; ſed oleum divinæ charitatis in ipſo abunde effuſum virtutibus ejus ſupereminet univerſis. Venit enim non ſolum reducere oves perditas, & convertere ad paſtorem & Epiſcopum animarum ſuarum, ſed etiam animam ſuam ponere pro Teſtamento Dei, ardentiſſimo deſiderio amplectens contumelias, plagas, & perſecutiones expectans, etiam vincula & carceres, & ipſam mortem pro nomine Domini Jeſu fœlici conſtantia relictis omnibus ſuſtinere. Credimus repoſitam ergo illi coronam juſtitiæ in illum diem regenerationis, cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, quando veniens in exultatione cum Apoſtolis, doctoribus & Evangeliſtis, tamquam fidelis operator dominicæ meſſis, plures adducet manipulos à principe paſtorum percepturus duplicem ſtolam jocunditatis & immarceſſibilem gloriæ coronam. Nunc ergo quibus de cauſſis, quibus auctoribus, quo ordine & tempore converſionem Pommeranicæ gentis ſit aggreſſus exequamur, de ſitu & qualitate ipſius terræ, de reditu gentis pauca præmittentes.*

Deſcriptio

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150.

Descriptio Pommeraniæ, & quare sic dicta sit.

POMMERANIA provincia ex ipsa nominis etymologia, qualitatem sui nominis & situs indicare videtur. Nam *Pommo* lingua *Sclavorum*, *juxta*, sonat, vel *circa*; *Morizania* autem, *mare*. Inde quasi *Pommorizania*, id est, juxta vel circa mare posita. Est autem terra hæc, si totam ejus positionem tam in stagnis & refusionibus marinis, quam in locis campestribus considerare velimus, quasi signatur triangula, quia tribus lateribus, quasi tribus lineis per capita sibi cohærentibus tres angulos habere deprehenditur, ita tamen, ut unus angulus duobus reliquis sit extensior, qui etiam quasi ad *Leutitiam* & prope *Saxoniam*, versus Aquilonem ad fluctus Oceani paulatim recurvatus demittit. Itaque *Pommerania* post se in Oceano *Daciam* habet, & Rugiam insulam parvam, sed populosam, super se autem idem ad dexteram septemtrionis * *Flaviam* habet & *Pruſciam*, & *Ruſciam*. Ante se vero, id est versus aridam parva extremitate se attingentes fines respicit *Ungariæ* ac *Moraviæ*. Deinde *Poloniam* spacioſa contiguitate usque ad confinia *Leutitiæ* & *Saxoniæ* se habet, attingendo extendentem. Gens ista terra marique bellare perita, spoliis & raptu vivere consueta, naturali quadam feritate semper erat indomita, & à cultu & fide Christiana penitus aliena. Terra vero ipsa, piscium & ferarum copiosam incolis præbet abundantiam, omnigenumque frumentorum & leguminum sive seminum fertilissima est: nulla mellis feracior, nulla pascuis & gramine fœcundior, Vinum autem nec habent nec quærunt, sed melleis poculis & cervisia curatissime confectà vina superant falernica. Sed de his aliàs. Nunc autem expediendum, quod multis admirationi est, quare videlicet, hi homines tam procul ab orientali *Francia*, & à *Babergenſi* Ecclesia, immo à toto pene orbe divisi non alium quemquam de vicinioribus regnis, vel Ecclesiis baptistam & prædicatorem, quam Babergensem Episcopum habere potuerint. Sed hic fructus ad incrementum beatitudinis ejus illi à Deo donatus est.

Pommeraniæ descriptio.

*Livoniam.

INCIPIT LIBER II.

Quæ causa sit Pommeraniorum convertendorum.

I. *Occasio conversionis Pomeraniæ.*

TEMPORE quo Dominus Episcopus Babergensem regebat Ecclesiam, *Polizlaus* vir strenuus & prudens & ingenuæ atque avitæ nobilitatis decore illustris Ducatum *Poloniæ* administrabat. Qui dum se gnaviter ac provide gereret, omnes terræ suæ terminos sub prædecessoribus suis hostium violentia invasos & perturbatos, & castra, urbesque à sua potestate vi alienatas manu robusta recuperare prævaluit. Cumque bellicos actus suos fœlici exitu sæpe prosperari videderet, erga Deum quidem, à quo sibi sciebat præstari victoriam, humilior atque devotior, erga hostes vero erectior atque animosior factus, mutua vice terminos eorum ferro & igne attemptare, prædasque & manubias frequenter abstrahere, & personas captivare solebat, quousque assiduis cladibus ac terrore confracti multis obsequiis & donorum impensis, animum ejus delinirent, datisque & acceptis dextris fidem pacis firmissimè pangerent & pacta reciperent. Erant autem diversi cum quibus diversis temporibus certamen habebatur ex parte una *Poloniæ*, *Bohemi*, *Ungari*, *Moravii*, ex alia * *Ritheri*, gens crudelis & aspera, qui *Flavorum*, *Pruſorum* & *Pomeranorum* freti auxiliis acrius diutiusque illi restiterunt; sed frustra; qui tandem superati ab eo & contriti post multas clades pacem ab eo postulare cum rege suo decreverunt. At ille, ut erat bellis ac laboribus semper infractus non continuo de pace acquiescere voluit, nisi prius aliqua memorabili honorificentia satisfactionem accepisset.

* *Infra Rutheni vocantur.*

De eodem.

II. *Dux Rutenorum captivus ducitur,*

REx vero & omnes principes, *Rithenorum* sine amicitia & pace Ducis, non se quietos fore perpendentes, viam inveniendæ mutuæ pacis & gratiæ illius prudentiæ

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150.

dentiæ ac fidei committendam præſumpſerunt. Ille vero hanc honeſtiſſimam ratus viam ſtatuendæ ac firmandæ pacis, filiam ipſius regis petivit & accepit uxorem, videlicet, ut hoc affinitatis commercio, tàm principes ipſi, quàm ſubditi ejus terræ utriusque populi pacem ad invicem haberent perpetuam, atque in neceſſitatibus & oportunitatibus ſuis mutuo contra hoſtes ſibi præſidio forent atque auxilia portarent. Colebant ergo ſe mutuis beneficiis ſocer & gener; magnificatusque eſt *Polizlaus* & confortatus ac proſperatus undique eſt. Nec ulla ei erat contradictio univerſis poteſtatis ſuæ terminis hoſte nullo turbatis. Verum ea perfunctoria & brevis tranquillitas. Nam poſt paucos annos *Ruteniſſa* uxor *Polizlai* moritur, unum tantum ei filium relinquens. Unde quaſi rupto vinculo, quo tota inter generum & ſocerum conſtabat amicitia, dudum conſopita bella paulatim recrudeſcunt. *Politzlaus* igitur feritate gentis permotus, cum ſuis conſilium habuit, quonam modo rediviva mala hæc propulſare potuiſſet. Habebat autem *Petrum* quendam militiæ ductorem, virum acris ingenii, & fortem robore, de quo dubium, utrum in armis an in conſiliis major fuerit, qui erat Præfectus à Duce ſuper viros bellatores. Hic aſcitus conſiliis, ſi ſuis tantum, inquit, *Ruteni* viribus dimicarent, illos nobis conteri non eſſet laborioſum; ſed habent *Flavos*, habent *Pruſcos*, habent etiam *Pommeranos* gentem idolatram inviſam ac minus indomitam, quos omnes ſimul in arma provocare, quam durum ſit, inexperti non ſumus; quamvis ante de his triumphos habuerimus. Quo circa meo animo conſilium incidit *Rutenos* arte melius ſuperari. Et ne quis impoſſibile hoc exiſtimet, ecce vadam ad illos, & incruentam nobis de tyranno victoriam reportabo, Deo mihi præſtante ingenium. Sed quid multis? Placuit Duci & Principibus experiri, ſi effectum habere verba Petri queant. Aſſumptisque viris, quaſi triginta robuſtiſſimis, ficta neceſſitate Petrus ad Regem transfugit *Ruthenorum*, eumque arte ſermonis circumventum, quod malè de Duce ſentiret, æſtimare fecit. Et rex eo quod fidem haberet homini, quem etiam prudentem ſenſit, ad multa negocia ſua, ejus familiaritate uſus eſt, ſperans quod tandem per eum de *Polonia* tota triumpharet. At Petro aliud mentis erat. Nam cum die quadam fictus tranfuga, ipſiusque ſocii cum rege in ſaltu nemoris venandi gratia vagarentur, rex nihil mali ſuſpicatus occaſione ferarum longius à mœnibus abſceſſerat, elongatisque aliis, Petrus cum ſuis circa illum remanſit. Qua fretus oportunitate capto rege incruentam ut pollicitus erat de *Ruthenis* victoriam Domino ſuo duci reportavit, mirumque dictu, effera gens illa hoc facto ita edomita eſt, ut nunquam poſtea vivente duce nec quidem de bello cogitarent. Nam pro ereptione ſui tyrannus quidquid majorum ſuorum ſtudio ac ſolertia in theſauris collectum habere poterat, dare coactus eſt, aurum & argentum, & quæque precioſa in vaſis & veſtibus, & variis opum ſpeciebus, quadrigis & camelis in *Poloniam* adportantibus, ita ut *Ruthenia* tota in * prælita paupertate contabeſceret.

Deinde ubi fœdera manſuræ pacis jurejurando tam rex, quàm optimates *Ruthenorum* ſolidaverant, etiam hoc polliceri fide firmiſſima rogati ſunt; ne *Pommeranis* extra forent auxilio. Contra illos enim totis viribus dux manum levare cogitavit.

Item de cauſa eadem.

III. *Stetinum expugnatum.*

Is ergo omnibus ipſius * adeò cum compoſitis *Pommeraniam* inſultibus crebris concutere, vaſtare ac populari cœpit. Et quia paganismo tenebantur, dux eos aut penitus elidere aut ferro ad fidem Chriſtianismi conatus eſt impellere. At ille ſuis fiſi viribus, eò quod civitates & caſtra, natura & arte firma in introitu haberent quam plurima, ſe inexpugnabiles fore arbitrati ſunt, omnemque ſubſtantiam ſuam in urbibus collocantes, armorum præſidia præparare moliuntur. Sed quia DEO placuit, aliquas ex eis conterere, ut cæteros ad fidem converteret, ingenium & vires contra eos *Polizlao* miniſtravit, ita ut multis & magnis cladibus eos frequenter afficeret. Nam & civitatem *Stetinenſem*, quæ ſtagno & aquis undique cincta, omni hoſti inacceſſibilis putabatur, quæ etiam totius *Pommeraniæ* Metropolis fuit, hyemali tempore ſtrictam per glaciem, non ſine periculo exercitum ducens, inopinata clade percuſſit. *Bardam* quoque civitatem munitam & fortem, valde fregit & ſuccendit; Et omnem in circuitu ejus regionem igni & ferro vaſtavit; adeò, ut ruinas, & aduſtiones, & acervos cadaverum interfectorum, per diverſa loca, monſtrarent poſt annos tres, ac ſi de ſtrage recenti. Tam graviſſime autem in illarum civitatum expugnatione ſubacti ſunt, ut quos neci & captivitati dux ſupereſſe paſſus eſt, cum ſuo principe, Chriſtianos ſe atque tributarios fore, quod jurare licuit, pro ingenti lucro ducerent. Ferunt autem, quod 18000. virorum pugnatorum neci traditis,

Digitized by Google

tis, 8000. cum uxoribus & parvulis, ad terram ſuam captivos abduxerit, & in periculoſis marchiarum locis, in urbibus & caſtris eos collocans, quo terræ ſuæ præſidio forent, & cum hoſtibus ſuis, gentibus ſcilicet extraneis bella gererent, indixit. Hoc addito, ut abdicatis Idolis, Chriſtianæ ſe religioni per omnia conformarent. Sed cum reliquos de gente perfida, quos in terra propria tributarios dimiſerat, dux fidei Chriſtianæ apponere curaret, omnes Epiſcopos terræ ſuæ conveniens, nulli perſuadere potuit, ut illô ire atque in tenebris & umbra mortis ſedentibus, lumen vitæ vellent oſtendere; ſingulis ſuas excuſationes prætendentibus. Sicque per triennium dilata eſt prædicatio. SÆC. XII. ANNO 1150.

Quomodo literas Epiſcopo Ottoni miſerit Polizlaus dux.

TANDEM inſtructu admonitus divino, ad hoc opus *Ottonem* Babergenſem Epiſcopum, cujus tunc fama latè in regnis effloruit, eò quod & hunc in adoleſcentia ejus pater, ſui capellani more obſequentem, notum & charum habuerit, invitare decrevit: oportunum fore autumans, cum tali viro & antiquas renovare amicitas, & tam ſancti operis gratiam, illius injungere ſanctitati. Mittens ergo legatos & munera, ſcripſit ei literas, ſecundum verba hæc. IV. *Polislai Epiſtola.*

Domino ſuo & patri amantiſſimo *Ottoni*, venerabili Epiſcopo, *Polizlaus* dux Polonorum filialis obſequii humilem devotionem. *Epiſtola Polizlai.*

Quia in diebus juventutis tuæ, apud patrem meum decentiſſima te honeſtate converſatum memini, & nunc quoque Dominus tecum eſt, firmans te & benedicens tibi in omnibus viis tuis, ſi tuæ non diſplicet dignitati, veteres tecum renovare amicitias, tuoque conſilio ſimul & auxilio uti ad DEI gloriam promovendam, ipſius gratia coadjuvante. Noſti enim, ut arbitror, quomodo *Pommeranorum* cruda barbaries, non mea quidem ſed DEI virtute humiliata, ſocietati Eccleſiæ, per Baptismi lavacrum ſe admitti petunt. Sed ecce per triennium laboro, quod nullum Epiſcoporum vel ſacerdotum idoneorum mihivè affinium ad hoc opus inducere queo. Unde quia tua ſanctitas ad omne opus bonum prompta & indefeſſa prædicatur, rogamus, pater amantiſſime, non te pigeat, noſtro comitante ſervitio, pro Dei gloria, tuæque beatitudinis incremento, id laboris aſſumere. Sed & ego tuæ paternitatis devotus famulus, impenſas omnes & ſocios itinerum, & linguæ interpretes, & coadjutores Presbyteros, & quæcunque neceſſaria fuerint, præbebo, tu tantum ſanctiſſime pater venire dignare.

Quomodo conſilio Chori ſui, literas Apoſtolico miſerit, pro licentia petenda evangelizandi.

HIS auditis Epiſcopus, quaſi de cælo vocem Dei loquentis accepiſſet, toto pectore abundantia lætitiæ repletus, gratias egit omnipotenti DEO, quod ad tale negotium ſuo uti dignaretur miniſterio. Habito igitur Chori & Cleri ſui conſilio; miſſis ad Apoſtolicam ſedem legatis, pro petenda licentia, benedictione, atque obedientia, venerandæ memoriæ Domini *Honorii* Papæ huic graviſſimæ ſarcinæ humerum devotè applicuit. Sed quia terram *Pommeranorum*, fama ferente, opulentam audiverat, & egenos ſive mendicos penitus non habere, ſed vehementer aſpernari, & jamdudum quosdam ſervos Dei prædicatores egenos ac cenſu tenues, propter inopiam contempſiſſe, quaſi non pro ſalute hominum, ſed pro ſua neceſſitate relevanda, officio inſiſterent prædicandi; ſtudioſè procuravit, ut non ſolum illis non indigens, verum etiam opulentus appareret, nec opes eorum ſibi, ſed ipſos potius velle Deo lucrari. Aſſumptis ergò Clericis idoneis, & eisdem ad iter abundè procuratis, Miſſales, aliosque libros & calices cum indumentis ſacerdotalibus, & alia quæque altaris utenſilia, quæ in gente pagana ſubito non poſſe inveniri ſciebat, provida liberalitate ſecum fecit portari, ne ſine inſtrumento agricola fidus in agrum Domini ſui exire videretur. Veſtes quoque & pannos precioſos aliaque donaria, nobilibus ac divitibus apta, Evangeliſta ſimplex & prudens in viam portavit, Evangelium ne fortè indigentiæ cauſa, prudens videretur evangelizare: ſed novellæ plantationi ſua potius conferre, quam illius appetere. V. *Ottonis Epiſtola.*

Quomodo profectus ſit ad Pommeranos.

PARATIS ergo omnibus quæ profectioni erant neceſſaria, proxima die poſt feſtum ſancti *Georgii* martyris, ſalutato clero & populo ſuo, tamquam hoc opere viam ſanctificaret, duas Eccleſias unam in *Lucherberge*, & alteram in *Vohendrere* conſecravit. VI. *Pomeraniam petit.*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150. cravit. Hinc tranſito nemore *Bohemico* venit ad *Cladrim* Cœnobium, *Cluniacenſis* ordinis; ubi honorificè ſuſceptus, dedicavit Eccleſiam in honore ſancti *Nicolai*. Ibi etiam quasdam ſorores velavit, quarum unam nomine *Richam* amariſſimè flentem, blandè conſolatus eſt, dicens, Noli flere filia, quia ſecura eſto, quia in die judicii ego animam tuam ſponſo tuo Domino noſtro Jeſu Chriſto conſignabo. In hujus promiſſionis argumentum, poſt multa annorum curricula, in anniverſario depoſitionis Beati *Ottonis* die, defuncta eſt. A *Cladarim* digrediens, pervenit *Bragam*, inde per *Saciſcham* in *Albe* fluminis ripa ſitam Eccleſiam, ad caſtrum ducis Boemici, quod *Mileciam* dicunt, ubi à duce ipſo ſuſceptus & donis honoratus eſt. Inde per aliud ejus caſtrum *Burda* nomine, usque ad *Venetiam* urbis ducis Poloniæ: Atque inde per tres Epiſcopatus Poloniæ, *Brezlabenſem* videlicet, & *Caliſſenſem* atque *Poznenanenſem*, usque ad Archiepiſcopatum *Gneznenſem*, cum gaudio & pace conducti ſunt. Omnibus illic Eccleſiis, una ſalutationis forma, Epiſcopum ſuſcipientibus; feſtivè ſcilicet proceſſionis honore gaudentes, quod per loca ſingula, uno eodemque exultationis cantu, ejus propoſito alludentes, *Cives Apoſtolorum & Domeſtici Dei advenerunt hodie*. Et cætera quæ in illo Reſponſorio ſunt, devote cecinerunt.

Præterea dux ipſe & omnes optimates Poloniæ, quaſi ducentis paſſibus, ab urbe *Gnezna*, nudis pedibus procedentes, cum magna ſuſceptum reverentia principalem usque ad Eccleſiam conduxerunt. Dux ergo tali hoſpite lætiſſimus & glorioſus per dies ſeptem ejus fruens præſentia, multa ejus humanitate & benignitate, omnia etiam viæ neceſſaria ſolerti cura inſtitit præparare: deditque Domino Epiſcopo de gente illa, tàm *Polonicæ* quàm *Teutonicæ* linguæ gnaros ſatellites, ad diverſa ejus miniſteria, ne quam incommoditatem per linguæ ignorantiam, in gente externa pateretur. Quid dicam? currus & quadrigas, ordine longo, victualia & omnes ſacrinas Epiſcopi portantes, monetam quoque illius terræ liberalitate contulit ingenua: nulla eos ſuſtinens laborare inopia; ſed neque propria expendere, ac ſi omne illius viæ meritum, ſuis impenſis emere cogitaret. Tres etiam ſacerdotes capellanos de latere ſuo princeps Epiſcopo ſociavit coadjutores verbi, & centurionem quendam *Paulicium* nomine, virum ſtrenuum & catholicum, qui etiam naturali facundia idoneus eſſet concionari ad populum.

Taliter à duce Poloniæ dimiſſi, ſcilicet Epiſcopus & qui cum eo erant, per caſtrum in extremis Poloniæ finibus tranſeuntes, nemus horrendum & vaſtum, quod Pomeraniam Poloniamque dividit, intraverunt, ſed viam in invio quam difficilè ſit tenere, etiam illic experiri potuerunt. Nemus quippe hoc, nulli ante mortalium pervium erat, niſi quod ſuperioribus annis dux latrocinandi cauſa, priusquam ſubegiſſet totam *Pommeraniam*, ſectis ſignatisque arboribus, viam ſibi exercituique ſuo exciderat.

Quæ ſigna tenentes magna quidem difficultate propter ſerpentum, ferarumque diverſarum monſtra, nec non & gruum, in ramis arborum nidos habentium, eosque garritu & plauſu nimis infeſtantium, importunitatem, ſimulque propter loca paluſtria, quadrigas & currus præpedientia vix diebus ſex emenſo nemore ad ripam fluminis quæ limes *Pommeraniæ* eſt, conſederunt. Dux verò *Pommeranorum* adventus eorum præſcius, cum quingentis viris occurrens, ex alia parte aquæ caſtra metatus eſt, moxque amne transmiſſo, cum paucis Epiſcopum ſalutat, atque ſalutatur ab illo, & quia Chriſtianus erat, occultè autem, propter metum *Paganorum*, corde magis quam ore locutus, in amplexu Pontificis diu pendens, alta devocatione ſuper viæ cauſa Dei clementiam collaudat, Epiſcopo & duce cum interprete *Paulitio* ſeorſum in colloquio demorantibus, cæteri qui venerant cum duce Barbari, quia Clericos aliquantum trepidare videbant, ficto eos terrore amplius vexabant, ita, ut articulum paſſionis imminere metuentes, confeſſione & orationibus atque pſalmodia Domino ſuum commendarent agonem. Nam primo illic paganos viderunt, & qua mente dux advenerit, nondum omnes ſciebant: Sed & horror ſolitudinis, & loca inſolita, & nuper evaſi nemoris nigra denſitas, & crepuſculum noctis propinquæ, & hominum Barbarorum crudelis aſpectus, materia eis non parvi timoris erant. Nam & cultros acutiſſimos educentes, vivos eos excoriare aut transfigere, ac humi eos defodere usque ad verticem, coronasque eorum eisdem cultris punctare ac ſecare minati ſunt. Et alia multa genera tormentorum, rictu fremituque eos terrentes eis imminere dixerunt. Sed cito reſpiraverunt, duce ipſo eos placidæ benignæque conſolationis eulogio relevante, quodque inani pavore pulſati fuerint, utrinque pro loco eſſe cœpit. Nam ubi eis ducem ipſum aliosque milites, qui eos terruerant, Chriſtianos eſſe compertum eſt, paulatim quidem animosè, deinde fiducialius agere, ipſosque etiam adhortari ac docere præſumſerunt, quos antea vel intueri, metu percuſſi, non potuerunt.

Digitized by Google

runt. Ipſis ergò jam manſuescentibus, & religioni Chriſtianæ magis magisque deferentibus, repletum eſt gaudio os illorum, & lingua eorum exultatione; dicebantque inter gentes, quorum Deus tetigerat corda, magnificavit Dominus facere nobiscum, facti ſumus lætantes; quia Epiſcopo veniente ad eos diſſolviſſet Dominus captivitatem eorum, ſicut ſolvitur glacies à ſole meridiano. Epiſcopus igitur benè agendi ſemper avidus, benè ſe veniſſe ominatus, donariis ducem honorans, baculum quoque dedit, quo ille ſtatim uſus, ipſoque incumbens, gratulabundus huc illucque ambulabat, converſusque ad milites, Qualem, ait, patrem nobis Deus dedit, & qualia patris dona, & hæc nunc quidem magis quàm alio tempore gratiora? Hinc ad caſtra diſceſſum eſt; factoque mane, dux demum qui ſecum venerant ductores & miniſtros reliquit Epiſcopo, mandans in tota *Pommerania*, per cuncta loca ſuæ poſſeſſionis, liberalia ei præberi hoſpitia. Chriſtiani verò & Epiſcopus, tranſito fluvio, terram *Pommeranorum*, in nomine Domini, intraverunt, & conductoribus eorum viam demonſtrantibus, iter ad caſtrum *Piriſſam* direxerunt. Dux verò ab eis ad ſua negotia divellitur.

SÆC. XII. ANNO 1150.

In ipſo autem itinere viculos paucos bellica vaſtatione & raros incolas, qui nuper ſe, poſt diſperſionem recollegerant, invenimus, qui de fide Chriſtiana conventi, an credere vellent interrogati, humiliter pedibus advolvuntur Epiſcopi, catechizari ſe atque baptizari poſtulantes. Hos ergò quaſi primitias meſſis Dominicæ, in aream Domini ſui meſſor devotus, cum gratiarum actione componens, baptizavit illic homines triginta, fidemque ſanctæ Trinitatis & Decalogum legis in numero tacitè conſiderans, opus evangelicum, myſticè à ſe inchoatum gaviſus.

Deinde ad caſtrum ducis *Pyriſſam*, undecima hora diei propinquantes, ecce, illic hominum ad quatuor millia, ex omni provincia confluxiſſe, ut erant eminus aſpexerunt: erat enim dies feſtus Paganorum, quem luſu, luxu, cantuque gens veſana celebrans vociferatione alta, eos reddidit attonitos. Non igitur utile vel cautum eis viſum eſt illa nocte, in turbam, potu læticiaque ferventem, eos tam inſolitos hoſpites advenire; ſed manentes, ubi fuerunt, noctem illam inſomnem duxerunt; nec ignem in caſtris habere auſi, nec verbis ad invicem loqui præſumpſerunt.

Mane verò Epiſcopus *Paulacium*, & nuncios *Bradiglezii* ducis ad caſtrum mittit. At illi ſalutatis majoribus ex nomine ducum, ab eis miſſum nunciant Epiſcopum, qui fidem & religionem Chriſtianam terræ illius debeat prædicare: atque ſub eorundem authoritate mandant & ſuadent, ut digne ac reverenter ſuſceptum audiant: addentes, virum eſſe honorabilem, domi divitem, & quoque in aliena terra ſuis opibus ſufficientem; nihil illum petere, nullius egere; pro illorum ſalute adveniſſe, non quæſtus gratia. Memores ſint fidei ac ſponſionis, memores divinæ ultionis & recentis exterminii, ne denuò iram Dei exaſperent: orbem univerſum Chriſtianis legibus (vivere) ſe ſolos univerſitati reſiſtere non poſſe. At illi diu cunctabundi & diverſas excuſationes molientes, indulgentiam temporis conſilio petunt, non oportere dicentes, rem tam grandem ſubitò aut inconſulte aggredi.

Paulacius vero & legati aſtute ea dici animadvertentes, non inquiunt tempus eſt productionis conſilii; quod facturi eſtis, facite citius, ecce juxta eſt; ſero intraturus erat ad vos Dominus antiſtes, ſed quia ludo & jocis occupatos audivit, diſtulit intrare, in campo figens tentoria: ſed veſtræ hoc convenit prudentiæ, ut non illum deſpectiva dilatione contriſtetis, ne fortè & Domini Duces ſe doleant ſuper hoc injuriatos. Et eſt, inquiunt, tam prope? Quibus, ita eſſe, reſpondentibus:

Et omnia, inquiunt, conſilia noſtra ruptum eunt. Quomodo ergo rerum convenientia poſtulat, faciamus ſponte & alacres, quod facturi ſumus. Nam & altiſſimus Deus ſua nos virtute circumventos undique trahere videtur. Declinare non poſſumus, ſequamur ergò trahentem ad vitam, ne reluctantes bonitati ejus præcipitemur in mortem. Dii noſtri, ſicut apparet, Dii non ſunt, contra eum nos juvare non poſſunt.

Melius ergo eſt, ut relictis deſertoribus ad verum DEUM, qui non deſeruit ſperantes in ſe, ex toto corde tranſeamus. Verum ubi eam ſententiam tàm bonam tamque ſalubrem diligenti retractatione probaverant; primo quidem apud ſe in conclavi, deinde vero cum legatis & *Paulicio* ad plenum vigorem laxiori conſilio firmaverant, cum eisdem ad populum egreſſi; qui ſicut ad feſtum confluxerat contra morem indiſperſus, DEI nutu in loco manebat, nec in rus diſceſſerat, luculenti ſermonis dulcedine, multo benevolentiæ captu, eos de hoc verbo allocuti ſunt. Sed quid multa? mirum dictu, quàm ſubitò quàm facili conſenſu, omnis illa multitudo populi auditis * ſomatum verbis in eandem ſeſe inclinaverunt.

* Summatim.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150.

Et quia dici audiunt, Epiſcopum in proximo eſſe, facto ingenti clamore, ut advocetur, univerſi rogant, quo illum videre queant, & audire, antequam ſoluto cœtu ſinguli in loca ſua diſcedant. Redeuntibus itaque *Paulicio* & legatis, abierunt quidam de caſtellanis cum eis ad Epiſcopum, qui obnixa veneratione ad ſe illum invitarent, ſalutatum ex parte Nobilium, plebisque univerſæ, quique fidem facerent ſine omni periculo vel injuriæ metu eum oſtendere poſſe; quin etiam in omnibus obaudituros ſe ex animo. Epiſcopus vero tam quieto ſucceſſu rebus ſe promoventibus, gratias agens Deo, ad caſtrum ſe levabat, ſed ecce cum quadrigas, archicula, & ſaginarios eorum victualia portantes, jumenta quoque & qui cum eis veniebant eminus videre cœperunt, quaſi apparatum belli ſuſpicantes, modicum turbati ſunt, re autem ſicut erat recte agnita, pavore abjecto, in modum torrentis omnis populus in occurſum eorum effunditur, ambiens & circumdans, ammirans & contemplans, & eos & omnia eorum usque ad hoſpitii locum eos conducendo. Fuit autem ante introitum caſtri area ſpacioſa, quam occupantes fixerunt tentoria, in eodem loco ipſis barbaris manſuete ac familiariter eos adjuvantibus & in omnibus ſe eis oportunos exhibentibus.

De prædicatione ejus in Pyriſſa Civitate.

VII. *Ottonis Prædicatio.*

INTEREA vero Epiſcopus Pontificalibus indutus, monente *Paulicio* & primatibus, de loco (*a*) editiori populum cupientem ore alloquitur interpretis; ita dicens: Benedictio Domini ſuper vos, benedicti vos à Domino: benedicimus & vobis gratias referimus in nomine Domini; quia grata & jucunda & benigna ſuſceptione nos refoviſtis. Et cauſa quidem adventus noſtri ad vos, quæ ſit, forte jam audiſtis & iterum ſi dignamini audire debetis & diligentius attendere. De via longa venimus. Salus veſtra, beatitudo veſtra: gaudium veſtrum, tantæ nobis viæ cauſa fuit. Nam læti, ſalvi atque beati eritis æternaliter, ſi creatorem veſtrum agnoſcere & illi ſervire vultis. Hæc & his ſimilia, quæ inſerere ſtudio brevitatis omitto, populo rudi ſimpliciter evangelizante Pontifice, omnis illa multitudo, quaſi unus homo, fidei ſanctæ concordantes, illius doctrinæ ſe commiſerunt. At ille cum clericis & ſacerdotibus ſeptem (*b*) diebus eos catechizans, & de omnibus quæ Chriſtianæ religioni conveniebant, diligentiſſime inſtruens, indicto trium dierum jejunio, juſſit, ut corpora ſua balneis mundarent, & lotis albisque induti veſtibus, mundo corpore, mundoque habitu, ad ſanctum baptiſma concurrerent. Interim vero tribus (*c*) exſtructis baptiſteriis, ita ordinavit, ut ipſe ſolos mares pueros in uno baptizaret; alii autem ſacerdotes in aliis fœminas ſeorſum, & viros ſeorſum. Tanta quoque diligentia tanta munditia & honeſtate, Pater optimus ſacramenti operationem fieri edocuit, ut nihil (*d*) indecorum, nihil pudendum, nihil unquam quod alicui viro gentilium minus placere poſſet, ibi ageretur. Namque (*e*) dolia grandia valde, terræ altius immergi præcepit, ita ut ora doliorum usque ad genu hominis vel minus de terra prominerent, quibus aqua impletur, facilis erat in eam deſcenſus, cortinas circa dolia, fixis columnellis funibusque inductis, oppandi fecit, ut in modum coronæ velo undique cuppa cingeretur, ante ſacerdotem vero & comminiſtros, qui ex una parte aſtantes ſacramenti opus explere habebant, * luteum ſine trajecto pependit; quatenus verecundiæ undique proviſum foret, nequid ineptiæ aut turpitudinis notaretur in ſacramento, neve honeſtiores perſonæ pudoris occaſione ſe à Baptismo ſubtraherent. Cùm ergo ad ſtadium Baptismi turbæ venirent, ſermone qui talibus competeret, Epiſcopus eos omnes communiter alloquens, ſexumque à ſexu dextrorſum & ſiniſtrorſum ſtatuens, catechizatos oleo perunxit; deinde ad baptiſteria degredi mandat. Igitur ad introitum cortinæ venientes ſinguli tantum cum paternis ſuis intrabant, ſtatimque veſtem qua fuit amictus is qui baptizandus erat, & cereum, illo, inquam, deſcendente, paterni ſuſcipiebant; & ante faciem ſuam illam tenentes, exſpectabant, donec eam redderent de aqua exeunti. Sacerdos vero qui ad cupam ſtabat, cum audiſſet potius, quam vidiſſet, quod aliquis eſſet in aqua, velo paululum remoto trina immerſione capitis illius, myſterium ſacramenti perfecit, unctum-

Baptizandi forma.

** Pluteum ſune trajecto.*

(*a*) Nondum enim conſtructa fuerat Eccleſia. Sic de B. Martino Sulpicius Severus *in medio ut erat campo cunctas impoſita univerſis manu Catechumenos fecit.* Sulp. Sev. Dial. 2. c. 5. p. 581. BASN.

(*b*) Olim menſes & anni aſſignabantur Catechumenis fide Chriſtiana imbuendis: varii tamen ritus fuere, ſecundum tempora, loca & Perſonas. BASN.

(*c*) Sic apud veteres fœminarum Baptiſteria diverſa fuere. BASN.

(*d*) Immerſio Baptismatis adhuc fuit uſitata Sæc. XII. BASN.

(*e*) Nudabantur enim homines & fœminæ nullo, ut ajunt, velamine adhibito. Sic jubet Dionys. Arcopagita, ſic & Chryſoſtomus *hic nuditas & illic nuditas.* Illic quidem cum peccaſſet, nudatus fuit, quoniam peccaverat: Hic autem nudatur ut liberetur. Exuit tunc ille gloriam quam aliquando habuit, nunc veterem exuit hominem, & priusquam adſcendat tam facile exuit quam veſtimenta. Chr. in Coloſſ. 2. Hom. 6. BASN.

Digitized by Google

unctumque liquore chrismatis in vertice, & alba proposita, reductoque velo, de aqua jussit exire baptizatum; paternis, veste quam tenebant, illum cooperientibus atque deducentibus. Hic modus, hæc species, hic ordo eis fuit baptizandi viros, & mulieres, pueros & adultos, qui a sacerdotibus in aquam levari non poterant, tam in *Pyrissa* quam in urbibus aliis & castellis, ubicunque populi copia eos moram facere coëgisset: in hyeme quoque in stubis calefactis & in aqua calida eodem nitore atque verecundiæ observatione, infossis doliis & cortinis adhibitis, thure quoque & aliis è diversis speciebus, cuncta respergentibus, veneranda Baptismi confecit sacramenta. Namque in omni occasione sua (quod & paganis dignum laude videbatur) quandam à spiritu sancto cujusdam singularis munditiæ atque elegantis & urbanæ disciplinæ prærogativam habebat; ita ut nihil unquam indecens aut ineptum inhonestum neque in cibo, aut potu, sermone, gestu, vel habitu *mitteret, sed in omni officio exterioris hominis, quænam esset compositio interioris, ostendebat, bonitate, disciplina, cautela prudentiæ conspicuus.

Sæc. XII. Anno 1150.

* *emicaret.*

De institutione Baptisatorum.

VIII. *Institutio Baptizatorum.*

Mansérunt autem in eodem loco quasi diebus viginti, Evangelizantes populo & baptizantes eos in nomine Domini; docentes eos servare unitatem fidei in vinculo pacis, instruentes de festivitatibus & observationibus Christianæ religionis, de jejuniis quatuor temporum, de quadragesimali jejunio, de incarnatione, de Nativitate, Circumcisione, Apparitione, Præsentatione, Baptismate, Transfiguratione, Passione, Resurrectione atque Ascensione Domini nostri Jesu Christi, de adventu spiritus sancti, de vigiliis & natalitiis Apostolorum & aliorum Martyrum & sanctorum, de die Dominica, de sexta feria, de distributione Mensium & Institutione totius anni, secundum Christianos, exstructoque & sanctuario, totum enim corpus basilicæ tam subito fieri non potuit, altare sanctificavit, & interim missas illic celebrari præcepit, dans eis sacerdotem, libros, & calicem, paraturam, & omnia utensilia, quæ ad officium altaris pertinebant. Quæ omnia illi cum multo gaudio, alacritate, ac devotione suscipientes, & gratias agentes, omnes veteres, & profanas superstitiones suas & gentiles observantias penitus abjiciebant, & exuti veterem hominem, cum actibus suis in vitæ novitate ambulare cœperunt, & proficere. Erat autem numerus conversorum ibi ad fidem quasi septem millia. *Rom. 6.*

Videns autem Episcopus quia messis multa & quod & aliis civitatibus oportet eum Evangelizare regnum Dei, cum inde processurus esset, vocata concione hoc sermone allocutus est Ecclesiam: Fratres æmulor vos Dei æmulatione; vos enim omnes qui in præsentiarum ad me audiendum convenistis & me docente, Christo credidistis & Christiani facti estis, una in Domino Ecclesia, estis desponsati per fidem Domino meo Jesu Christo; una, inquam, vos omnes Ecclesia estis, una & unica sponsa Domini mei Jesu Christi, quia unicæ universali Ecclesiæ per fidem incorporati estis. Sed quia ego per ejus gratiam hujus veræ desponsionis auctor esse videor, (Nam ego ei uni viro despondi vos virginem castam exhibere) hinc est quod æmulor vos non tamen qualibet, sed Dei æmulatione. Nam & mala æmulatio esse potest juxta illud Apostoli: Sunt quidam qui æmulantur vos non benè, æmulari autem est, velle indignari, & paratus vobis sum indignari quod pridem dixi; æmulor vos: quia sine tristitia & indignatione ferre non possum, nec potero, si quod absit, ad injuriam Domini mei Jesu Christi, cui per fidem vos despondi, cum Diis alienis vos denuò contaminari volueritis. hoc enim est fornicationis genus, quod maximè separat à Deo. Fratres attendite, ecce omnes in Christo baptizati estis, & omnes Christum induistis, originalium & actualium peccatorum indulgentiam accepistis ab ipso, mundi estis & sancti, non per nos, sed per eum sanctificati & mundati: quia ipse in sanguine suo lavit peccata mundi: nolite ergo iterum inquinare vos cultura idolorum, nam hæc est immundicia, qua omnino Deus offenditur, & penitus separat à gratia Dei, nolite vos prostituere corruptionibus, & immundis spiritibus, soli creatori vero, nulli autem creaturæ divinum honorem exhibeatis, ne indignatio ejus & furor veniat super vos: sed magis in fide, & spe & charitate perficite, ut benedictio ejus veniat super vos & super filios vestros, & ut ei credentes & fidem operibus exornantes, vitam habeatis in nomine ipsius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. certi enim esse, & nullatenus dubitare debetis, quia si hanc, in qua hodie positi estis, innocentiam servaveritis, & istam sanctificationem, ipsius adjutorio servare usque ad finem vitæ vestræ studueritis, non solum mortem evadetis æternam, sed etiam gaudium regni *Gal. 4.* *1. Pet. 2.*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150.

cœleſtis poſſidebitis in æternum. Sed quia vita præſens ſine peccatis duci non poteſt: luctamen enim & temptatio eſt vita hominis ſuper terram; diſceſſurus â vobis, trado vobis, quæ tradita ſunt nobis â Domino. Arram fidei---- inter vos & Domini fidelis ſeptem Sacramenta Eccleſiæ, quaſi ſeptem ſignificativa dona Spiritus ſancti, quibus intendendo in laboribus & certamine hujus vitæ non deficere, ut ſciatis diligenter enumerare quæ tradimus vobis, diſcedentes â vobis.

Sacramentorum numerus.

Primum ergo Sacramentum eſt quo jam imbuti eſtis, ſacroſanctus Baptismus. hoc Sacramentum, fratres mei, abhinc & ſemper tenerè venerari debetis, & parvulis veſtris oportuno tempore, ſcilicet in Sabbatho ſancto Paſchæ ac Pentecoſtes per manus Sacerdotum tradere debetis; certiſſime ſcientes, quod quicunque ſine illo de hac vita emigraverit, regno Dei (*a*) carebit, & inſuper maledicti originalis pœnas luet æternas.

Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, id eſt, unctio Chrismatis in fronte. hoc Sacramentum victuris eſt neceſſarium: videlicet, ut Spiritus ſancti corroboratione muniantur & armentur contra omnes tentationes & nequitias vitæ præſentis pugnaturi. Non autem usque in ſenectam differendum eſt, ut quidam putant, ſed in ipſius adoleſcentiæ fervore percipiendum: quia illa ætas magis obnoxia eſt temptationibus.

Tertium Sacramentum eſt unctio infirmorum, quod ideò morituris eſt neceſſarium, quia in illa unctione per virtutem Spiritus ſancti remiſſio datur peccatorum, & ipſe qui moriturus eſt, contra ſpirituales nequitias, id eſt, contra malignos ſpiritus in exitu vitæ animabus inſidiantes eadem ſpiritus ſancti virtute pugnaturus armatur, hoc omni Chriſtiano in agone mortis ardentiſſimè deſiderandum, & devotiſſimè percipiendum eſt, utpote remedium animæ certiſſimum.

Quartum Sacramentum eſt Euchariſtia, id eſt, corpus & ſanguis *Domini*. hoc Sacramentum victuris, & morituris eſt neceſſarium. Sive enim vivimus, ſive enim morimur, hoc viaticum ſemper utendum eſt. Eſt enim cibus animæ verus, vitam in ſe habens æternam. Unde frequenter Miſſæ celebrandæ ſunt, & vos ad easdem devotè convenire debetis, ut ſæpius huic viatico communicetis. Quod ſi non poteſtis, quia carnales eſtis, huic tàm ſanctiſſimæ rei per vos ad omnes miſſas participari, ſaltem per mediatorem veſtrum, ſcilicet Sacerdotem, qui pro vobis communicat, fideliter, reverenter, ac devotè miſſas audiendo communicate. Oportet tamen & vos ipſos ter vel quater (*b*) in anno, ſi amplius fieri non poteſt, & confeſſionem facere atque ipſi Sacramento communicare.

Quintum Sacramentum eſt per pœnitentiam reconciliatio lapſorum, id eſt, eorum, qui poſt Baptismum propter graviores culpas ab Eccleſia projecti, per ſatisfactionem pœnitentiæ iterum ei conformantur. Et hoc Sacramentum quaſi malagma & recuperatio eſt cadentium in pugna & vulneratorum.

Sextum Sacramentum eſt conjugium, id eſt, copula matrimonialis. Quinque autem ſuperiora Sacramenta, quaſi generalia ſunt, & omni Chriſtiano neceſſaria: iſtud autem quaſi particulare eſt; quia non omnibus neceſſarium, ſed eis tantum qui ſe continere non poſſunt, & ſicut ad ſuperiora Sacramenta omnes homines trahendi ſunt & invitandi, ita nullus ad hoc trahendus eſt, & invitandus: niſi qui, ut dictum eſt, ſe non continent, ſed vago & illicito concubitu ſeſe polluunt & commaculant: his enim ſuadendum eſt, ut infirmitati ſuæ honeſtiori ſubveniant remedio.

Vos autem qui usque ad hæc tempora non Chriſtiani ſed pagani fuiſtis, Sacramentum conjugii non habuiſtis: quia fidem uni thoro non ſervaſtis. Sed qui voluiſtis, plures habuiſtis uxores; quod deinceps vobis non licebit. Sed unus vir unam tantum habere debet uxorem, & una unum. Quod amplius, à malo eſt. Si quis ergo in vobis eſt, qui plures habuerant uxores ante Baptismum, nunc unam de illis, quæ ſibi magis placet, eligat, dimiſſisque aliis hanc ſolam habeat, ritu Chriſtiano. Et partus, inquit, fœmineos, audio, quia vos ô mulieres, necare conſueviſtis: Quod quantum

(*a*) Mirare ſeveram ſententiam! damnantur ſcilicet pœnis æternis quicunque baptismo privantur; attament voluit ille Pomeranorum Apoſtolus, ut expectarentur dies Paſchatis & Pentecoſtes ut infantibus adminiſtraretur Sacramentum. Aliter olim veteres; nam præterquam diem Domini Natalem adjiciebant Paſchati & Pentecoſtæ, illi Baptismum tribus in anno diebus celebrandum ita neceſſarium non autumabant, ut diris devoveretur quicunque in terra non lotus diem ſuum obiret. Barbara procul dubio & dura ſententia, qua Cœlo ablegantur quicunque non ſunt baptiſmo tincti; ſi bini tantum dies huic Sacramento celebrando conſecrati fuerint. Obſerva tamen hunc ritum quo Catechumeni vel infantes baptizabantur Sabbato Sancto & Pentecoſte, ad Sæculum duodecimum usque invaluiſſe; cum alibi mos plane diverſus vigeret, ut teſtatur Theophyl. in Luc. c. 10 BASN.

(*b*) Ea videtur obtinuiſſe lex ſæculo duodecimo & ſequenti, ut trina fieret Confeſſio ſingulis annis. Legantur hanc in rem Canones Concilii Toloſani an. 1228. Vigornienſis an. 1240. Edidit *Dacherius* Spicilegii tomo V. Concilium Senonenſe, in quo ſexies ſingulis annis plebem peccata ſua confiteri voluit: attamen *Innocentius* primus ſemel tantum id fieri poſtulavit in Concilio Lateranenſi, quod conſule. BASN.

Digitized by Google

tum abominationis habeat, exprimi ſermone non poteſt. Videte ſi hoc vel bruta animalia faciant fœtibus ſuis. Parricidium hoc non fiat amodo in vobis: quia ſine graviſſima pœnitentia dimitti non poteſt. Sive igitur ſit maſculus, ſive fœmina, diligenter enutrite partus veſtros: Dei enim eſt & marem procreare & fœminam. SÆC. XII. ANNO 1150.

Septimum itaque Sacramentum eſt, ordinatio ſive conſecratio clericorum, quod & ipſum particulare eſt & non generale, quia non omni homini neceſſarium eſt; quamvis enim omnes homines indigeant clericis, non tamen eſt neceſſarium omnes homines fieri clericos. Ad ipſum tamen Sacramentum, qui moribus ac ſcientia magis idonei ſunt, invitandi potius, quam trahendi. Unde adhortor vos & invito, quia cogere non debeo: ut de liberis veſtris ad clericatum tradatis, liberalibus ſtudiis prius diligenter inſtructos, ut ipſi per vos, ſicut aliæ gentes, de lingua veſtra, latinitatis conſcios poſſitis habere Clericos & ſacerdotes. Iſta ergò ſeptem Sacramenta, quæ iterum veſtri cauſa enumerare libet, & baptismum, confirmationem, infirmorum unctionem, Euchariſtiam, lapſorum reconciliationem, conjugium, & Ordines, per nos humiles ſuos paranymphos ſponſus cœleſtis in arram veræ dilectionis vobis, Eccleſiæ ac ſponſæ ſuæ tranſmittere dignatus eſt. Quapropter omni honore ac reverentia eadem Sacramenta ſervate diligenter, & veneramini; docete ea filios veſtros, ut memoriter teneant, & diligenter obſervent in omnes generationes. Ecce habetis Eccleſiam, habetis ſacerdotem de his omnibus, & quæcumque ſunt neceſſaria vobis, abundantius vos inſtruere ſcientem. Ipſum ergò ſicut me audietis, honorantes & amantes eum, & quæcunque vobis dixerit facientes. Et nunc ego vado, iterum citò reverſurus ad vos. Valete in Domino dilectiſſimi.

Quomodo per matronam multiplicatus ſit numerus credentium.

IX. *Multitudo credentium.*

POSTQUAM confirmata & inſtructa eſt Eccleſia in *Pyriſſa*, *Uberrime*, *Cacermati*, populoque primitivo eorum, caro affectu, vale facientes, legatis eos deducentibus, ad civitatem ducis *Caminam* devenimus. Erat autem illic duciſſa uxor videlicet ducis legitima, & licet inter paganos, Chriſtianæ tamen religionis memor, de eorum adventu lætiſſima efficitur, & cum omni domo ſua tanto eos devotiſſimè ſuſcepit, quanto & hoc marito placere ſuæque illius ſaluti profuturum non dubitavit. Eis enim *Pyriſſæ* demorantibus, omnia quæ illic gerebantur, immiſſis clam exploratoribus diligenter edidicit, magnoque tripudio cordis de illuminatione illius plebis exultans, ipſam quoque ſuæ fidei ſcintillam, quaſi ſub mortuis cineribus eatenus conſopitam, inter ſuos familiares modeſtè primò; deinde fiducialius apud omnes quos potuit ventilare cœpit. Et quia ſcriptum eſt: De ſcintilla conſurgit ignis, totam illam civitatem, etiam ante eorum introitum, tantus ardor fidei, operante Domino per matronam, invaſerat, ut nonſolum nil contradictionis, verum etiam totius populi conſenſum, de ſuſcipiendo Baptismo, invenerint, in multa gaudii plenitudine. *Eccli.* 11.

Quantum Baptizando laboraverint.

X. *Laborat Baptizando.*

QUADRAGINTA ergò fermè diebus in eodem loco manentes, tam ipſe pontifex, quam alii ejus cooperatores, ſacerdotes, & Clerici, id pene ſolum operis habuerunt; ſuſcipere venientes ad fidem, ducere, catechizare, prædicare & baptiſare: videbanturque in tam copioſa meſſe pauci meſſores. Nam & ipſius loci atque circumjacentis provinciæ populus catervatim accedebat cottidie ac recedebat; quibus omnibus dum ſatis fieri oporteret, immenſo labore, maximè qui fuit in baptizando, Epiſcopum (licet ſolos mares pueros tingeret) ſæpenumero ſudantem aſpexerunt; adeo profecto, ut alba ejus ab humeris usque ad umbilicum antè & retro ſudore manaret. Sæpe etiam ipſius miniſterii nimietate laſſatus, brevi ſeſſione, vires recuperans, modicumque ſedendo reſpirans, quaſi annoſus operator & ſtrenuus, denuo ſe ſublevabat in idem opus ſibi dulciſſimum; gratias agens omnipotenti Deo, quod ipſius præſtante clementia, tot manipulos in ejus horrea cum ſudore ac laſſitudine ſua congereret.

Quomodo dux Fratiz. ſupervenit, & quid eis humanitatis impenderit.

XI. *Adventus ducis Fratizurocislai.*

DUM ea *Caminæ* gerebantur, atque de ſucceſſu rerum & Epiſcopus cum ſuis & populus civitatis cum ipſa matrona nobiliſſima, & Chriſtianiſſima, ſpirituali gaudio fruerentur, ecce cum ſuo comitatu dux terræ *Urociſlaus*, non modicum lætitiæ ſalutaris augmentum, ſupervenit; nihilque moratus, quaſi filiali fiducia, in amplexus ruens

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150.

ruens Epiſcopi, Salve, inquit, Pater ſanctiſſime. Deinde, Non, quæſo, ait iraſcaris, quod poſt primam illam ſalutationem tam diu fui te non videns, ſed cauſa fuere inexcuſabiles reipublicæ adminiſtrationes. Nunc autem ecce aſſum parere ac ſervire tuæ paternitati prout vis. Etenim nos ipſi & omnia noſtra tui ſumus, utere ſicut vis. Et hæc dicens, converſus ad clericos & ad alios quosque meliores de comitibus Epiſcopi, Et hos, inquit, pater tuos collaboratores tua licentia ſalutabo, apprehendensque manus ſingulorum tenebat, & benedicebat illis atque deoſculabatur, eos filios & fratres appellans chariſſimos: benedixitque Deum omnium bonorum largitorem, quod hoſpites tam gratiſſimos ſua domo ſuſcipere meruiſſet. Quia vero deinceps navigio de civitate ad civitatem eundum fuit, omnes equos & jumenta eorum, villicos ſuos ad oportuna loca terræ, paſtus gratia, deducere juſſit; neque ante eis vehebantur, quam etiam conſummatis omnibus de terra fuerant jam exituri. Quos certe ita receperunt alteratos, ut præ craſſitudine vix cuique ſuus cognoſceretur. Milites ergo qui cum duce venerant catechizati, ſtatim & baptiſati ſunt; multique ex eis qui* ipſius Chriſtiani fuerant, ſed ex conſortio incredulorum metas Chriſtianitatis exceſſerant, ex quorum numero ducem etiam ipſum fuiſſe conſtat, per confeſſionem & pœnitentiam Eccleſiæ confirmati ſunt; promittentes deinceps omnia quæ Chriſtiano inimica ſunt nomini, reſpuere, & ea quæ ſunt apta ſectari.

*ſorte: ante adventum ipſius.

Quomodo ipſe dux ſeu reliqui ega miam abdicaverunt.*

*Polygamiam.

XII. *Polygamia abdicata.*

DUx etiam, Scio, inquit, Chriſtianæ ſanctitati eſſe contrarium plures uxores vel concubinas habere, ſimulque tactis ſanctorum reliquiis, ſicut Chriſtianis jurare mos eſt, coram populo, aſpiciente Epiſcopo, viginti quatuor concubinas, quas ritu gentili ſuæ legitimæ uxori ſuperduxerat, publice abjuravit.

Quod videntes alii complures, ejusdem enormitatis præſumptores, abjurata & ipſi conjugii pluralitate, uni thoro, exemplo ducis, fidem ſervaturos ſe polliciti ſunt. Crevit ergo Eccleſia in loco illo, & confortata eſt in timore Domini ambulans, & ſpiritu ſancto replebatur, Epiſcopo & clericis inſtantibus & Evangelizantibus regnum Dei.

Exſtructa quoque illic baſilica & ſanctificato altari & ſanctuario, collatisque illuc per ducem prædiis ac dote, in ſuſtentationem Sacerdotis, pater liberaliſſimus ſicut omnibus in terra illa Eccleſiis faciebat, libros contulit, & indumenta Sacerdotalia, calicem quoque argenteum cum cæteris utenſilibus, deque ſuis Sacerdotibus unum, qui populum poſſet inſtruere, eidem præfecit Eccleſiæ.

De Matrona metente & mortua die Dominica.

XIII. *Famina metens die Dominica moritur.*

CUM hæc omnia ritè peracta fuiſſent, & non ſolum de civitate, verum etiam de rure populus ad Eccleſiam omni die convenirent, & diem Dominicam aliasque ſolennitates devotè obſervarent; vidua quædam in rure non longè à civitate *Caminenſi*, dives ac nobilis valde, Chriſtiana religione contempta, patrios Deos ſe colere nullaque occaſione vanitatis novæ, à patrum ſuorum veteri traditione declinare ſe velle dicebat. Erat autem multam habens familiam, & non parvæ auctoritatis matrona, ſtrenuè regens domum ſuam: &, quod in illa terra magnum videbatur, maritus ejus, dum viveret, in uſum ſatellitii ſui triginta equos cum aſcenſionibus ſuis habere conſueverat.

Fortitudo enim & potentia nobilium & capitaneorum, ſecundum copiam vel numerum æſtimari ſolet caballorum. Fortis, inquiunt, & potens, ac dives eſt ille, qui tot vel tot poteſt habere caballos, ſicut audito numero caballorum numerus militum intelligitur. Nullus enim militum præter unum caballum illic habere conſuevit.

Sunt autem magni & fortes equi terræ illius, & unusquiſque militum ſine ſcutifero militat, manticam per ſe geſtans, & clypeum agiliter ſatis & ſtrenuè ſic militiæ ſuæ officium exequentes. Soli autem Principes & capitanei unum tantum vel ſi multum eſt duobus clientibus contenti ſunt. Factum eſt ergo in una Dominica die tempore meſſis, populo undique ad Eccleſiam properante, præfata matrona nec ipſa veniebat, nec ſuos permittebat; ſed magis turbulenta: Ite, inquit, metite mihi agros meos, hoc enim utilius eſt quam vacare illi neſcio cui novo Deo, quem de terra ſua vobis affert ille *Otto* Babergenſis Epiſcopus, quid nobis cum illo? videtis ne quanta bona, & quantas divitias nobis dederint Dii noſtri. Ipſorum utique largitate, opibus, & gloria omnibus-

Digitized by Google

omnibusque rebus abundantes ſumus, quare ab eorum cultura diſcedere non levis injuria eſt. Igitur ite ad metendas ſegetes noſtras; &, ut minus timeatis, paratum mihi vehiculum; ecce ipſa ego vobiſcum in campos meſſura deſcendam. Cumque in agrum veniſſet, quod me, inquit, facere videtis, omnes ſimiliter faciatis, moxque rebrachiatis manicis ſuccinctaque veſte, falcem dextra corripuit, ſtantes vero calamos ſiniſtra tenens metere viſa eſt. Sed mirum dictu, in actu ipſo ſubitò, ut erat inclinis, miſera diriguit, & quaſi marmoris effigies, nec ſemetipſam erigere, nec falcem è manu dimittere potuit, nec ſegetem; ſed muta, & nil loquens, ſimilis ſimulachro, ſtabat, tantum intuens intuentes ſe. SÆC. XII. ANNO 1150.

Videntes autem famuli, timuerunt valde, & circumſtabant eam aſpicientes, & operientes ſinam melius eſſet habitura. Rogant etiam, ut à temeritate ſua reſipiſcat, dicentes, fortem eſſe Deum Chriſtianorum. Sed illa nihil reſpondebat. Injectis ergo manibus violenter illam trahentes, erigere conati ſunt, & falcem ſegetemque de manibus extorquere; ſed minimè potuerunt.

Stabat autem quaſi moles immobilis terræ affixa, At ubi ſatis miraculi ac ſtuporis hoc habitu infelix illa intuentibus oſtenderat, ipſique famuli dolore ac tædio affecti, jam abire illamque dimittere vellent, ſoluta illa repente corruit ſontemque animam in ignem tartareum efflavit. Quam levantes in vehiculum, En, inquiunt, qualem manipulum de agro die Dominico reportamus.

Quod factum ubi perferente fama paſſim vulgatum eſt: nam famuli ſtatim ad Eccleſiam currentes Baptismum poſtulant, ſtupidi, quod acciderat referentes. Et credentibus quidem fides aucta eſt ex miraculo; non credentes autem & ſi qui adhuc blaſphemi exſtiterant, ad credendum ex pœna mulctave mulieris eruditi ſunt.

Dies autem Dominicus & aliæ ſolennitates reverentius obſervare cœperunt: & tam ipſum cum ſuis omnibus Epiſcopum, quam omnem eorum doctrinam amplius reveriti ſunt.

De tranſitu Epiſcopi ad Vilinam civitatem.

EXPLETIS autem illic fermè quinquaginta diebus, acceptis à Duce legatis, & conductoribus, de ipſo loco, civibus, *Domezlao* videlicet, & filio ejus, viris honoratis, per lacus & refuſiones marinas *Villinam* vecti ſunt navigio. XIV. *Vilinam petit.*

Eſt autem civitas hæc magna & fortis: homines ipſius loci crudeles erant & barbari. Cum autem appropinquaſſent civitati, conductores eorum hærere, pavere atque inter ſe muſſitare cœperunt. Quod intelligens Epiſcopus, Quid eſt, ait, quod ad invicem confertis? At illi, timemus, inquiunt, pater, tibi ac tuis. Populus iſte durus ſemper & indomitus fuit. Si ergo placet tibi, applicemus, & moram in littore usque ad crepuſculum noctis faciamus, ne forte civitatem manifeſtè ingrediendo, tumultum populi ſuper nos ſuſcitemus.

In ſingulis autem civitatibus Dux pallacium habebat & curtem cum ædibus, ad quam ſi quis confugiſſet, lex talis erat, ut quolibet hoſce perſequente, ſecurus ibi conſiſteret & illæſus. Dixerunt ergo, ſi per noctem ad Ducis tecta intramus, freti ſecuritate, paulatim cives conveniendo, negotiumque noſtrum illis pedetentim inſinuando, melius fortaſſe proficiemus. Placuit conſilium, ut cum dies abſceſſiſſet: tecti umbra noctis, curtem & mœnia Ducis invaſerunt illis ignorantibus. In craſtinum vero ubi eos viderunt, & quinam eſſent, & unde & quare venimus, maligni homines ſcrutati ſunt.

Primo quidem moveri ac ſenſim turbari, currere ac diſcurrere, videre illos, iterumque videre & aliis alii nuntiare.

Poſtremo vero inſano furore correpti, magno tumultu, ſecuribus & gladiis aliisque telis armati ſine ulla reverentia in ipſam Ducis curtem irrumpentes, mortem eis ſine ulla retractatione, niſi quanto citius de curia & de ipſa civitate fugerent comminabantur.

Erat in ipſa curte ædificium quoddam fortiſſimum, trabibus & tabulis ingentibus compactum, quod *Stuba* vel pyrale vocant, in quod ſcrinia & clitellas, & Cappellani Epiſcopi & pecunias & quæque præcioſa de navi portaverunt: quin & propter impetum furentis populi cum Epiſcopo clerici omnes illuc confugerant.

Sed illi vociferabantur & clamabant, exire eos compellentes. Sed moram eis facientibus, quaſi à furore illi eſſent ceſſaturi, magis eorum exarſit inſania, factoque impetu ſtubam aggrediuntur, & diſſipant, lecto primum, dein parietibus disjectis, & exciſis. Tunc vero Epiſcopus ad coronam paſſionis ſe invitari ſperans, aliis trepidan-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150.

pidantibus, quibusdam etiam præ pavore lachrymantibus, ille ſpiritu jocundo & hilari vultu ſtabat intrepidus optans & gliſcens, ut vel unum ictum aut vulnus in nomine Jeſu accipere dignus habeatur. *Paulicius* vero & legati videntes quia verè inſaniunt omnes, & quia illic moram facere deterius eſt atque deterius; in medium populi exilientes, validiſſimo clamore, ac ſi & ipſi furerent, extentis manibus, ſilentium fieri poſtulant. Quibus ad modicum ſedatis, illi continuo proſecuti. Quid eſt hoc? inquiunt. Et cauſam totam in ſemetipſos tranſumentes, Nos, ajunt, hic in curia Domini noſtri ducis pacifice hinc exire permittite. Quid furitis in nos? Quem læſimus ex vobis? At illi, Impoſtorem, inquiunt, illum Epiſcopum & cæteros cum eo Chriſtianos, Deos noſtros blaſphemantes interficere venimus. Sed ſi eos ſalvare vultis, ecce damus locum, cito eos extra civitatem deducite. Plateæ autem civitatis paluſtres erant & lutoſæ, & pontes extracti, & tabulæ undique poſitæ propter lutum. Arripiens ergo *Paulicius*, per manum trahere cœpit Epiſcopum, & deducere, adhortans modeſtè, ut ſi poſſet properantius iret. Ut autem per medium turbæ omnes non inperturbatis paſſibus extra curtim usque ad pontes devenimus: ecce quidam de turba vir barbarus & fortis, librata, quam geſtabat ingenti phalanga, vaſto ictu caput ferire viſus eſt Epiſcopi: Sed ille avertens caput, humero ictum ſuſcepit, eodemque geminante cominus & alio eminus in eum jaciente contum, inter manus *Paulitii* ac *Hiltani* ſacerdotis ducentium illum à ponte in lutum proſternitur Otto Epiſcopus. *Paulicius* vero animo & corpore ibi ſe virum exhibens, jacentem Epiſcopum, nec propter imminentia tela deſeruit, ſed proprii corporis objectu crebras percuſſiones excipiens, inque cœnum à ponte inguine tenus deſcendens ſublevabat de luto proſtratum. Similiter & alii Sacerdotes, & clerici dum protegunt illum & jacenti manus porrigunt, fuſtibus & contis juxta ſuum Pontificem in nomine Jeſu vapulaverunt. Tandem multo diſcrimine ponte arrepto, rurſum ire & abire cœperunt extra civitatem ibique à prudentioribus ſedati ceſſaverunt, à nobis abeuntes. Ergo trans lacum de ſicco ponte à tergo ne iterum impetum ſuper eos facerent, in campo inter areas, & loca horreorum decumbendo reſpiraverunt videntes, & denumerantes ſocios; & quia nullus defuit, Deum benedicentes. ex hoc autem magis gaudentes, quod digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati. Poſtquam autem reſpiraverunt, & illi deſervierunt, Otto beatiſſimus, Proh dolor, inquit, bona ſpe caſſati ſumus. Palma in manibus erat; vos eam (Deus vobis ignoſcat filii & fratres) extorſiſtis de manibus noſtris. vix omnes illi ictus unius paſſioni ſufficerent. ſed dum omnes ad coronam proſiluiſtis, nec unum pervenire dimiſiſtis. Cui *Paulicius*, Satis, inquit Domine, nobis viſus es accepiſſe. Parum, inquit ille, quia voto minus. Tua quoque audacia meam ex magna parte præripuit benedictionem. hoc autem dixit de ictibus quos ille intercepit. Conſtat tamen Epiſcopum tribus plagis vapulaſſe. manſerunt ergo per dies quinque trans ſtagnum quod cingebat civitatem, exſpectantes, ſi forte meliori animo fierent. Interea vero Chriſtiani ad illos ſæpe ibant & redibant; ſimiliter & illorum primates veniebant ad iſtos, excuſare ſe, ſtultis hominibus & vilioribus de plebe culpam illius tumultus imponentes. Habuit ergo Epiſcopus cum eis verbum de fide Chriſtianismi, quaſi per ambages hortans eos & ſuadens. Præferebat etiam nomen & potentiam ducis *Poloniæ*, & quomodo ad illius injuriam ſpectat illata ſibi ſuisque contumelia, quidvè mali contra eos inde oriri queat, niſi forte illorum intercedat converſio, inſinuavit. At illi conſilium ſe accepturos dicebant; regreſſique ad ſuos omnia hæc tractabant diligenter atque retractabant: tandemque in unius ſententiæ formam conceſſerunt, videlicet ſuper hoc verbo ſe facturos quidcumque facerent *Stetenenſes*. hanc enim civitatem antiquiſſimam & nobiliſſimam dicebant intra *Pommeraniam*, matremque civitatum, & injuſtum fore, ſe aliquam novæ religionis obſervantiam admittere, quæ illius auctoritate prius roborata non fuiſſet.

De Tranſitu ejus ad Stetinam.

XV. *Stetinam adit.*

QUIBUS auditis Epiſcopus *Stetinam* nihil cunctatus adire feſtinat, & quendam de *Vilinenſibus* civibus *Nedamerum* nomine, ut viam ſibi monſtraret, aſſumpſit. Hic autem familiaritate Epiſcopi bene utens, cum filio ſuo quaſi alter Nicodemus, occulte eos frequentabat, & quæ dicebantur, libenter audiebat. Alii quoque nonnulli de ipſa civitate occulte Chriſtum colebant tam viri quam mulieres. Iſti etiam frequentabant eos, dum ibi moras facerent. deque ſuis rebus eis humanitatem honeſte impendentes, ſpirituali conſolatione ab Epiſcopo recreati ſunt; optantes, ut *Stetina* recipiente verbum Dei, *Vilina* quoque recipere ex ratione pacti convincatur. Qui-

Digitized by Google

Quidam de ipsis quid de Christo sentiant, Christianis patefacientes, in locum suum occulte reversi sunt. Ipsi vero per crepusculum noctis, applicantes civitati, egressi naves, curiam Ducis intraverunt. Mane facto *Paulucius* & legati primates adeunt; ex parte ducum se cum Episcopo missos referunt; causam viæ proponunt eis Evangelium, dant consilium, promittunt & terrent. At illi inquiunt, Quid nobis & vobis? Patrias leges non dimittemus, contenti sumus religione quam habemus. Apud Christianos, ajunt, fures sunt, latrones sunt, truncantur pedibus, privantur oculis; & omnia genera scelerum & pœnarum: Christianus execratur Christianum. Absit à nobis religio talis. Hæc & his similia protestantes, obduraverunt aures suas ne audirent verbum. Omnibus igitur obstinatis, per duos menses, & plus ibi morantes, nihil pæne profecerunt. Dum ergo tam longa & utilis mora eis turbationi esset, consilium incidit legatos mittere ad Ducem *Poloniæ* scisciatari, quid de Christianis juberet, utrum manere illic, an redire; & de contradictione civitatum, quid ei videretur. Quod consilium ubi civibus compertum fuit, timebant quidem, tamen rogabant, ut mitterentur legati; suos cum illis hac ratione profecturos; dicentes, ut si apud Ducem perpetuæ pacis stabilitatem obtinere, tributumque alleviare queant; ni sibi coram suis & nostris legatis scripto firmatis Christianis se legibus sponte inclinarent. Abeuntibus ergo cum *Paulicio* Christianorum & paganorum legatis, isti interim bis in hebdomada in diebus* stilicis mercatus, per medium fori populo ex omni provincia conveniente, sacerdotalibus vestibus induti, *Crucem* portaverunt, & de fide atque agnitione Dei populum incredulum oportune & importune alloquendo, jugulum neci quodammodo cottidie aptaverunt: sed Deo protegente læsi non sunt. Plebs autem quæ de rure fuit, simplicitate sua & rerum novitate rapta, negociis suis postpositis, prædicationem libentissimè accepit, quamvis credere non auderet. Et quia certis diebus *Crux* portabatur, & sermones fiebant, magis propter verbum quàm propter forum ruricolæ confluebant.

SÆC. XII. ANNO 1150.

* *forte: scilicet.*

De Conversione duorum adolescentum.

XVI. *Bini adolescentes convertuntur.*

QUOTIDIE autem fidei retia laxantibus, & nihil eis capientibus, & multum super hoc tædentibus, tandem benignus Dominus sedulitatem boni servi sui *Ottonis*, laborem quoque ac mœstitiam miserando respexit. Nam duo pulcherrimi adolescentes, filii cujusdam nobilis de civitate, domum Christianorum frequentare, & familiares se præbere, paulatimque de Deo nostro, & de fide quærere cœperunt.

Episcopus autem sentiens quia in bono veniunt, futurorum bonorum præsagium captando ex his, blandis mulcet colloquiis, atque de mundicia & honestate Christianissimi, de immortalitate animarum, de resurrectione corporum, de spe & gloria vitæ æternæ, adolescentibus per singulos dies Evangelizavit. Quæ omnia flante Spiritu sancto pueri altius suis inbibere pectoribus, neque diu cunctati credere se velle atque Baptismum percipere dixerunt. Episcopus ergò lætissimus pueros statim catechizat, ac de omnibus quæ Christianæ religioni competebant, diligenter instructos, jussit, ut loti & lotis induti, cum cereis suis, & albis sese præberent baptizandos. Illi ut moniti erant, silenter exequentes omnia, die statuto, parentibus insciis, loti & purificati novisque ac mundis vestibus induti, cum albis & cereis percepturi sanctum baptisma, se manibus Episcopi obtulerunt. Videres humano in corpore vultus angelicos. Videres expulsa Dæmoniaci squaloris inertia in vultibus juvenum Christum, novum hominem gratiosa jam coruscare aspectu. Pontifex ipse omnesque alii sacerdotes & clerici gavisi sunt, & admirati super gratia quam vidêre in pueris. Sed quid multa? baptizati sunt, propter octavam purificationis, octo dies apud Episcopum commorantes, in domos parentum non sunt reversi.

De Adventu matris eorundem.

XVII. *Matris eorum adventus.*

MATER vero illorum (nam pater domo aberat) ubi quæ gesta sunt audivit, pueris nondum exalbatis, ultra quam dici queat, gaudio perfusa, cuidam de pueris suis, vade inquit, nuncia Domino meo Episcopo, quia ipsum, & filios meos videre venio. Erat enim magnæ honestatis & potentiæ in civitate illa, Episcopus ergo audiens illam advenire de subtecto exiens in graminis cespite sub divo consedit, suosque

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150. regeneratos adhuc in albis positos, circumsedentibus clericis, ad pedes suos collocavit. Sed ubi matrem eminus advenientem conspiciunt, modeste consurgentes, & Episcopo inclinantes, quod advertere pulchrum fuit, quasi petita licentia obviam ei vadunt. Quos illa intuens albatos, magnitudine gaudii quasi amens & stupida, soluta in lachrymas subito in terram corruit. Accurrit Episcopus, accurrunt clerici, levant, tenent, consolantur: putabant enim quod nimietate doloris defeciisset, at illa recuperato flatu, benedico, inquit, te Domine Jesu Christe, totius spei & consolationis auctor, quod filios meos tuis Sacramentis imbutos, tuæque fidei veritate aspicio illustratos. Scis enim Domine Jesu Christe quod hos (tenensque osculata pueros & amplexata) in secreto pectoris mei tuæ miserationi jam per multos annos commendare non cessavi, petens ut hoc eis faceres quod feciisti.

Deinde ad Episcopum, Benedictus, inquit, introitus tuus in hanc civitatem, Domine & pater reverendissime: multum enim populum tua perseverantia Domino hic habet acquirere. Non te fatiget dilatio. En ego ipsa quæ coram te asto, Dei omnipotentis adjutorio, & tui, pater, animata præsentia, sed & pignorum meorum freta subsidio, Christianam me confiteor: quod hactenus non audebam.

Sicut enim protestata est, in diebus adolescentiæ suæ de terra Christianorum ablata fuit: & cum esset ingenua & speciosa, gentili hominum marito suo diviti ac prepotenti hero copulata est, & eosdem filios ex eo suscepit. Episcopus ergo super his omnibus Deum benedicens, confitenti matronæ verbo confortationis fidem auxit & fiduciam, suæque liberalitatis non immemor, griseæ pelliculæ chlamidem preciosam ei dedit, & eadem petente atque cum fiducia jam Evangelizante, omnes ejus domesticos aqua tinxit regenerationis; deinde etiam omnes convicinos ejus ac familiares viros ac fœminas cum parvulis suis eadem societas involvit. Pueros quoque ipsos post expletos octo dies, in die depositionis albarum, duabus camisiis de subtili panno vestivit, & easdem camisias aurifrigio in * ora capiti & futura humerali atque brachiali ornari eis fecit, duosque cingulos aureos tradens & calciamenta picturata, verboque doctrinæ & Sacramento Eucharistiæ & Communionis cum gaudio in matris domum remisit. Ita miris modis aurum suum & donaria *Otto* beatissimus expendit. Ut enim salvi essent homines precio conduxit, verbo instruxit, rudesque alumnos, & spiritualibus documentis informabat, & corporalibus beneficiis conciliabat. Sed quanto fœnore donaria sua in thesauros Domini sui aliquotiens congesserit, hoc proximo poterit adverti eloquio.

* *l. capitis vel capitii.*

Quomodo pueri reversi coævis & concivibus de pietate & liberalitate Episcopi prædicaverunt.

XVIII. *Ottonis liberalitas prædicatur.* PRæfati etenim pueri cum ad suos coadolescentes pervenissent, & quomodo ab Episcopo habiti & instructi essent, quanta esset apud illum disciplina & honestas, quanta pietas & mansuetudo nunciare cœperunt, mox etiam quantæ munificentiæ ac liberalitatis circa omnes existeret, prædicare obliti non sunt: atque in argumentum rei, cernite, inquiunt, his indumentis post omnia beneficia sua nos induit, his aureis cingulis honoravit. Pecunia sua captivos redimit, suis impensis eosdem vestit, cibis reficit, & liberos abire permittit, quid unquam simile visum auditumve est in terra *Pommeranorum?* quid simile nostri pontifices & sacerdotes faciunt? Nunc certe aliquem visibilem DEUM inter homines adveniisse ipsa gratuita redemptio captivorum, in cippis & compedibus putrefactorum, multos cives nostros fecerat autumare: sed ille hoc negans, non DEUM se, sed DEI altissimum servum pro nostra salute ad nos directum, dici & credi optat; & animæ immortalitatem, & corporum resurrectionem, & æternæ vitæ gloriam doctrinam dicit esse Christianorum. Quare non credatur ei? Hæc & his similia pagana juventus à juvenibus audiens, aspirante gratia Dei, tracta est, & attracta per eosdem in eundem fidei fervorem; reversique ad Episcopum, gregem non modicum adduxêre, Evangelii rudimenta suscipere cupientium. Quid multa? Catechizantur, baptizantur; & à pueris & juvenibus cana patrum prudentia se passa est erudiri, flammaque fidei paulatim progrediente concaluit civitas universa: neque jam occulte vel pauci, sed publice ac multi simul cotidie veniebant ad fidem. Interea præfatæ conjunx matronæ & pater primitivorum in via domi absens ubi audivit, quod uxor & filii totaque domus ejus projecto paganismo, ritu viverent Christiano, mori voluit præ dolore. sed uxor provida cognatos ejus & amicos, qui malagma ei consolationis apponerent, obviam direxit ægroto; ipsa vero domi pro illius

Digitized by Google

illius converſione preces Domino & vota non irrita offerre non ceſſavit. Itaque reverſus ille cum non ſolum domeſticos ſuos, verum & alios vicinos, & concives ſuos, veterem hominem exutos, in novitate vitæ conſpiceret ambulantes, ad conformandum ſe illis, Deo viſitante cor illius, facile inclinatus eſt. SÆC. XII. ANNO 1150.

Quomodo Polislaus, Dux Polonorum, literis ſuis Pommeranos ad fidem accenderit.

XIX. *Polislai Epiſtola ad Pomeranos.*

DUM ea geruntur in civitate, *Paulicius* & legati tam paganorum quam Chriſtianorum, à duce *Poloniæ* veniunt, peractis mandatis & ſcripta tyranni ſecundum hæc verba reportantes.

Polislaus omnipotentis Dei favente clementia Dux *Poloniorum*, hoſtis omnium paganorum, genti *Pommeranicæ*, & populo *Stetinenſi* promiſſæ fidei ſacramenta ſervanti, Pacem firmam & longas amicitias; non ſervanti vero cædem & incendia & æternas inimicitias.

Si occaſiones quærerem adverſum vos, juſta eſſe poterat indignatio mea, quod quaſi fidei veſtræ transgreſſores vos retrorſum abire conſpicio, & quod dominum & patrem meum *Ottonem* Epiſcopum, omni honore ac reverentia digniſſimum, vita & fama in omni populo & gente præclarum, veſtræ ſaluti, à Deo vero, & noſtro miniſterio, deſtinatum, ſicut oportuit non ſuſcepiſtis, neque hactenus ſecundum Dei timorem illius doctrinæ obediſtis. Omnia hæc veſtræ valebant accuſationi: ſed interpellavere pro vobis reſponſales & mei & veſtri, honorati viri ac prudentes, præcipue autem ipſe pontifex, apud vos manens, Evangeliſta veſter & Apoſtolus. horum ergo conſilio ac petitioni acquieſcere dignum judicans, ſervitutis ac tributi pondus, ut jugum Chriſti eo alacriores ſuſcipiatis, hoc modo relevare decrevi. Tota terra *Pommeranorum* ducis *Poloniæ*, quicumque ſint illi, trecentas tantum argenti marcas publici ponderis annis ſingulis perſolvant. ſi bellum ingruerit ei, hoc modo eum juvabunt: Novem patres familias, decimum in expeditionem armis & impenſis abundè procurabunt, & ejusdem familiæ interim domi fideliter providebunt. Iſta ſervantes & fidei Chriſtianæ conſentientes noſtram pacem porrectione pacis & manus, & æternæ vitæ gaudium conſequemini, & in omnibus oportunitatibus veſtris præſidia ſemper & auxilia *Polonenſium*, tanquam ſocii & amici experiemini. Igitur habita concione, ubi coram populo & principibus verba hæc recitata ſunt, multo quàm dum apud *Nadam* armis ſubacti ſunt, lætiores, pacti Sacramenta devotè ſuſcipientes, remota omni controverſia, Evangelicis traditionibus ſe ſubmiſerunt. Epiſcopus ergo arrepto tempore pulpitum conſcendens, Nunc, ait, ad noſtri ſermonis officium ventum eſt. Et incipiens: *Philip.* 4 Gaudete in Domino ſemper, iterum dico, gaudete: modeſtia veſtra, fides & converſio veſtra nota ſit omnibus, nota ſit omni mundo. Nam totus mundus pro veſtra doluit infidelitate. Totus enim mundus, fratres chariſſimi, usque ad hunc terræ veſtræ angulum, lumen veritatis agnoſcit, & vos in tenebris remanere voluiſtis. Pudeat & pœniteat vos, creatorem veſtrum hactenus vos non agnoviſſe. Nunc ergo tanto devotius, quanto ſerius ad ipſum convertimini, currite, feſtinate ut eos qui vos in fide præceſſerunt, conſequamini; hoc agere ſoliciti, ut qui de veſtra cæcitate piè doluerunt, de veſtra illuminatione poſſint in Chriſto gloriari. Et primo ipſis deceptionibus, diis veſtris, ſurdis & mutis, ſculptilibus, & immundis ſpiritibus qui in eis ſunt, ſigno *Crucis* armati, quanto citius renunciate, fana diruite, ſimulachra convertite, ut hoſtibus ejus ejectis à vobis Dominus Deus veſter Deus vivus & verus in medio veſtri habitare dignetur. Niſi omnes enim alios DEOS abjiciatis, ipſum habere propitium non poteſtis. fugit enim & indignum ſibi reputat aliorum Deorum conſortium; & nulla communicatio templo ejus cum idolis. Sed ſcio quia nondum ſatis confiditis, ſcio quod timetis dæmones, inhabitatores fanorum & ſculptilium veſtrorum; & idcirco non audetis ea comminuere. Sed pace veſtra ſit, ut ego ipſe confratribus meis ſacerdotibus & clericis ſimulachra & concinas aggrediar: & ſi nos *Crucis* ſanctæ ſignaculo præmunitos illæſos permanere videtis, eodem *Crucis* muniti trophæo vos omnes nobiſcum ſecuri & aſcia exciſis januis & parietibus dejicite illas & incendite.

Quomodo idola illorum confregerit.

XX. *Idola confracta.*

QUOD cum audiſſent & annuiſſent, Epiſcopus & ſacerdotes celebrata Miſſa & accepta communione, armati ſecuribus & ſarpis concinas aggrediuntur, & fana comminuentes & excidentes omnia ſcandentes tecta & convellentes. Stabant

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150. autem cives, aſpicientes, quid dii facerent miſerrimi, utrum nam tecta ſua defenderent, nec ne. At ubi deſtructoribus nihil mali evenire vident, Si inquiunt, aliquid divinæ virtutis habent iſti, quorum ſacra & templa convelluntur, utique defenderent ſe. Si autem defendere ſe aut ſibi prodeſſe poterunt? Et hæc dicentes, facto impetu diruunt & comminuunt omnia, ipſamque lignorum materiam inter ſe diripientes, ad domos ſuas in uſum foci coquendis panibus & cibis comportabant. & quia plus habere fas erat, omnes illæ * concurræ numero quatuor mira celeritate confractæ ſunt ac direptæ. Ne fortè vero minus pateat legentibus, quid ſignificent, vel unde dicantur concinæ, ſciendum, quod ſclavica lingua in plerisque dictionibus latinitatem attingit & ideò à concinere concinas antiquitus dictum eſſe putamus.

** alibi vocat concinas.*

De Idolo tricipiti deſtructo.

XXI. *Idolum triceps deſtructum.* ERANT autem in civitate *Stetinenſi* concinæ quatuor, ſed una, quæ ex his principalis erat, mirabili cultu & artificio conſtructa fuit in interius & exterius ſculpturas habens, de parietibus prominentes imagines hominum & volucrum & beſtiarum tàm propriè ſuis habitudinibus expreſſas, ut ſpirare putarentur ac vivere; quodque rarum dixerim, colores imaginum extrinſecus nulla tempeſtate nivium vel imbrium fuſcari vel dilui poterant, id agente induſtria pictorum. In hanc ædem, ex priſca patrum conſuetudine captas opes & arma hoſtium, & quidquid ex præda navali vel terreſtri pugna quæſitum erat, ſub lege decimationis congerebant, crateres etiam aureos vel argenteos, in quibus augurari, epulari & potare nobiles ſolebant ac potentes, in diebus ſolennitatum, quaſi de ſanctuario proferendos, ibi collocaverunt, cornua etiam grandia taurorum agreſtium deaurata & gemmis intexta, potibus apta, & cornua cantibus apta, mucrones, & cultros, multamque ſupellectilem precioſam, raram & viſu pulchram, in ornatum & honorem Deorum ſuorum ibi conſervabant, quæ omnia Epiſcopo & Sacerdotibus, ubi fanum dirutum fuerat, danda cenſebant. Sed ille, Abſit à me inquit, ut à vobis ditemur, nam talia & his meliora domi nobis abundant: vos ea potius quorum ſunt, in veſtros uſus cum Dei benedictione diſtribuite. Et aqua benedicta omnia conſpergens, & ſanctæ *Crucis* ſuper ea benedictione facta, juſſit, ut inter ſe illa dividerent. Erat autem ibi ſimulachrum triceps quod in uno corpore tria capita habens, *Triglaus* vocabatur: quod ſolum accipiens ipſa capitella ſibi cohærentia, corpore comminuto, ſecum inde quaſi pro trophæo aſportavit, & poſteà Romam pro argumento converſionis illorum transmiſit, ſcilicet ad videndum Domino Apoſtolico & univerſali Eccleſiæ, quid ipſe illius obedientiarius vellendo & plantando, ædificando & deſtruendo, apud gentem illam profeciſſet. Tres vero aliæ concinæ minus venerationis habebant, minusque ornatæ fuerant: Sedilia tantum intus in circuitu extructa erant, & menſæ: quia ibi conciliabula & conventus ſuos habere ſoliti erant. Nam ſive potare, ſive ludere, ſive feria ſua tractare vellent, in easdem ædes certis diebus veniebant & horis. Erat præterea ibi quercus ingens & frondoſa & fons ſubter ea amœniſſimus, quam plebs ſimplex numinis alicujus inhabitatione ſacram æſtimans, magna veneratione colebat. Hanc etiam Epiſcopus cum poſt deſtructas concinas incidere vellet rogatus eſt à populo ne faceret. Promittebant enim ſe nunquam ulterius ſub nomine religionis nec arborem illam colituros nec locum; ſed ſolius umbræ atque amœnitatis gratia, quia hoc peccatum non ſit, ſalvare illam potius quàm ſalvari ab illa ſe velle. Qua ſuſcepta promiſſione, Acquieſco, inquit Epiſcopus de arbore: ſed illum unum, numen unum ſortium veſtrarum de medio tolli oportet: quia nec augurium, nec ſortilegium exercere Chriſtianis licet.

Jerem. 1.

De Sortilegiis & Auguriis penitus abraſis.

XXII. *Sortilegia ceſſant.* HABEBANT enim caballum miræ magnitudinis & pinguem, nigri coloris, & acrem valde. Iſte toto anni tempore vacabat, tantæque fuit ſanctitatis, ut nullum dignaretur ſefſorem; habuitque unum de quatuor Sacerdotibus, templorum cuſtodem diligentiſſimum. Quando ergo itinere terreſtri contra hoſtes aut prædatum ire cogitabant, eventum rei hoc modo ſolebant prædiſcere. Haſtæ novem diſponebantur humo, ſpacio unius cubiti ab invicem ſeparatæ. Strato ergo caballo atque frenato, Sacerdos ad quem pertinebat cuſtodia illius, tentum freno per jacentes haſtas transverſum ducebat ter, atque reducebat. Quod ſi pedibus inoffenſis, haſtisque indiſturbatis, equus tranſibat, ſignum habuere proſperitatis, & ſecuri pergebant; ſin

Digitized by Google

ſin autem, quieſcebant. Hoc ergo genus ſortium aliasque ligneas calculationes, in quibus navalis pugnæ vel prædæ conſiderabant auguria, quamvis multum renuentibus aliquibus, Dei tandem auxilio, penitus abraſit, ipſumque profani Vaticinii caballum, ne ſimplicibus eſſet laqueus offenſionis, in aliam terram vendi præcepit, aſſerens hunc magis quadrigis quàm prophetiis idoneum, cumque omnes ſuperſtitiones & enormitates ſuas, Epiſcopo docente abjeciſſent, monuit etiam, ut omnes Chriſtianos fratres ſuos reputantes, nec venderent, nec interficerent, nec prædas ex eis tollerent, ſed fraterne ac ſocialiter ſe cum omnibus gererent, eademque ab illis mutuo ſperarent. Et quod immanitate crudelius erat, fœmineos partus necare, ne ultra fierent mulieres *collaudaræ monebat. Nam usque ad hæc tempora, ſi plures filias aliquæ genuiſſent, ut certis facilius providerent, aliquas ex eis jugulabant, pro nihilo ducentes parricidium. Sæc. XII. Anno 1150. * collaudatas.

De Sacerdote Idolorum mortuo.

EMUNDATA igitur civitate ab immanitate ſcelerum & ſpurcitiarum, abdicata etiam conjugum pluralitate, adjuvantibus & coëvangelizantibus illis qui ante univerſalem populi conſenſum fidem privatim acceperant, fiunt catechismi per vicos & capita platearum, tuba inſonat Evangelii, *Cruces* eriguntur, crucifixus adoratur, omnis lingua Chriſtum nominat, ruminat, verbaque fidei aut diſcunt omnes aut docent. In tàm ingenti autem civitate, quæ nongentos patres familias absque parvulis & mulieribus, & reliqua multitudine numeratos habebat, non eſt inventa perſona quæ poſt generalem conſenſum Evangelii, veritati ſe ſubtrahere niteretur, niſi tantum ille Sacerdos qui præfati caballi curam ſuſceperat. Hic autem cum multis importunitatibus fatigaret Epiſcopum, & bono ſemini zizania ſuperjaceret, die quadam cum multa prece ab omnibus rogatus, & ab Epiſcopo multis rationibus ſuperatus, ex obſtinatione nullo modo vellet acquieſcere veritati, nocte ipſa divina ultione percuſſus tumore ventris ac dolore crepuit & mortuus eſt. Quod factum univerſæ civitati magnum incuſſit terrorem, omnesque Chriſtum laudantes, fortem Deum ſuæque legis æmulatorem vocitabant. XXIII. *Sacerdos idolorum moritur.*

Quomodo Catechizatos baptizavit.

DESTRUCTIS ergo fanis aliisque ſimulachris, mutato divinitus Sacerdote, victoria *Crucis* erigitur, conſtruuntur Baptiſteria, dolia humo infodiuntur, cortiniş velantur, omnibusque religioſe ac ſancte aptatis, populus per aliquot dies ante catechizatus & inſtructus, ad aquam regenerationis cum multa gravitate ac diſciplina ſe offerebat, toto corpore balneis prius abluti, & lotis ac mundis veſtibus induti, cereos ardentes & albas ſuas geſtantes, & Spiritus ſancti accenſi deſiderio, ſinguli apud ſe in cordibus ſuis cantantes: Tamquam cervus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum. quando veniam & apparebo ante faciem Domini? Pater etiam eorum ſpiritualis fervorem & ſtudia filiorum tacita mente conſiderans abundantia lætitiæ ſpiritum excitante, obortisque præ gaudio lachrymis inter agendum in vocem exultationis erupit, dicens exhortando, Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos; accedite ad eum & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. Neque ab re fuit talis in omnes ſacerdotis exhortatio: videbat enim quod & alii comites ſui cum magnæ admirationis tripudio contuebantur, quodque ipſi cives nos contemplari monuerunt, in vultibus ſcilicet omnium baptizatorum quendam jucundum & ſpiritualis gratiæ rutilare fulgorem, ita ut baptizati à non baptizatis, veluti lux à tenebris, facile diſcerni poſſent; quidvè tenebroſus dæmon ſuis cultoribus, & quid Deus lucis auctor & amator ſuis dilectoribus conferre habeat, omnibus intueri promptum fuit. Currebant ergo de ipſa civitate & de omni circum provincia felices animæ, ad regales nuptias ingredi cupientes, & Epiſcopo ſeorſim tinguente ſolos mares pueros, aliis autem, atque aliis ſacerdotibus ſeorſum viros, & ſeorſum mulieres, apud omnes opera Dei ſervabant, & de Ægyptia ſervitute populo acquiſitionis tranſito mari liberato, velut olim ad montem Sinai lex panditur Evangelii; & quid Chriſtianis fugiendum, ſequendumve ſicut fide plena docentur, ſic & plena intentione diſcunt, & facere ardent. Manſerunt autem in eodem loco negotioſi operatores fere aliis tribus menſibus deſtruentes & ædificantes & evellentes, plantantes & plantata irrigantes, ipſo agro dominico ſuis cultoribus grata & gratuita fœcunditate victum præbente neceſſarium. In omnibus enim victui eorum XXIV. *Baptiſterii forma.* *Pſalm.* 41. *Pſalm.* 33 *Jeremi.* 1.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150. eorum competentibus liberales eis exiſterunt & humani, optantes, ut ſi fieri poſſet, ut nunquam â ſe divellerentur. Ordinatis illic autem omnibus quæ rudi Eccleſiæ profutura credebantur, exſtructaque baſilica diligenti cura in medio foro *Stetinenſi*, collatisque omnibus quæ ſacerdotalis officii ratio poſcebat, qui populo præeſſet, ſicut ubique faciebat, ſacerdotem inveſtiri curavit.

Quomodo ad Vilinam tranſierit.

XXV. *Vilinam petit.* JULMENSES autem, Epiſcopo ignorante, quosdam homines cautos & gnaros *Stetinam* miſerant, exploraturi tacitè, quid nam illic ageretur, ſi Epiſcopus ab eis reciperetur, an non; & qui omnes vias & ſtudia Epiſcopi diſcerent atque referrent. At illi ubi habita exploratione diligentiſſime nil impoſturæ aut doli circa Evangelizantes invenerunt, & *Stetinenſes*, licet tarde, fidem tamen unanimiter ſuſcepiſſe viderunt; reverſi ad ſuos, in ore Apoſtolorum vel Evangeliſtarum, pagani, paganis iſtis abſentibus, quanta bona vidiſſent & audiſſent, & quam bona, & quam munda eſſet fides & doctrina Chriſtiana, prædicare non ceſſabant; eorumque verbis paulatim ſcintillantibus, quaſi arundine, tota civitas incanduit, & jam tædere atque horrere ſuper ſuis abominationibus, ſuaque idola & errores quibus involuti tenebantur execrari cœperunt. Epiſcopus autem tenorem pacti quo ab eis receſſerat, mente habens, cogitabat quidem ſtatim poſt converſionem *Stetinæ* ad eos properare: ſed rogatus eſt duo prius inviſere caſtella, *Graticiam* videlicet & *Lubinum*, quæ in confinio poſita ad pagum pertinebant *Stetinenſem*. At ubi homines illi, velut arida imbrem ſitiens verba Evangelii ſuſcipientes, fidei ſacramentis imbuti ſunt, exſtructo altari & ſanctificato per caſtellum utrumque, atque ordinatis illic ſacerdotibus, per *Odoram* flumen in mare lapſi vento meliori ad *Vilinæ* litora navigaverunt. Quanto autem exultationis tripudio illic recepti fuerint, & quanta humilitate illorum & ſatisfactione priores injurias obliviſci Epiſcopum rogaverunt, non poteſt explicari ſermone. Quidquid autem ſuſcipiendi Chriſtianismi ratio exigebat, diſcere & facere, aſſumere vel rejicere, non morabantur; ita ut illic impleretur quod ſcriptum eſt: Dominus dixit & facta ſunt. Populus quem non cognovi ſerviunt mihi, in auditu auris obediunt mihi. Nam quos prius contis & fuſtibus à ſuis terminis ſatis inclementer exturbaverant, poſtmodum quaſi angelos de cœlo venientes ſummo ſtudio venerati ſunt, ſanctum arbitrantes atque divinum, quidquid ab eis dictum vel factum eſt. Sed quid plura? tota civitas & provincia cum populo ſuo appoſita eſt ad Deum, tantaque fuit multitudo virorum & mulierum, & utriusque ſexus puerorum, ut in ſpatio duorum menſium, quamvis ſine ceſſatione ageretur opus, vix omnes tingi potuiſſent. Quantum & illic ſudoris & laboris ſanctæ ſemper memoriæ *Otto* loquendo & clamando in turba, baptizando, & faciendo multa, pertulerit, qui videt omnia, conſiderat Deus. Sed quia civitas hæc in meditullio ſita eſt *Pommoraniæ*, civesque *Vilinenſes* fortes & duræ cervicis ſunt, tam Dux Vrocizlaus quam princeps terræ ſedem Epiſcopatus fore cenſuerunt, ſcilicet ut gens aſpera ex jugi doctoris præſentia manſueſceret, nec ad priſtinos rediret errores; & de medio ad omnes terræ terminos Chriſma & alia quæ ab Epiſcopo accipienda ſunt, facilius deportari poſſent. Itaque duas illic baſilicas fieri præcipiens, altaria tantum, & ſanctuaria ſanctificavit; quia reliqua pars interim conſurgebat & perfectionem exſpectare longum erat ad alia feſtinanti.

Quomodo a Julina Clonodam venit.

XXVI. *Clonodam adit.* MOVENTES autem à *Julina Clonodam* venerunt, nihilque difficultatis aut contradictionis illic invenientes ſanctæ *Crucis* trophæum ibi erexerunt, & quia locus nemoroſus erat, & amœnus & ligna ad ædificandum ſuppetebant, in honore ſanctæ *Crucis* ingentem Eccleſiam de nobili ædificio fundaverunt, & cum lætitia & gaudio populum catechizantes & baptizantes, quia meſſis multa erat, ad ulteriora progredi feſtinaverunt. Tranſito autem flumine qui *Clodonam* præterlabitur, civitatem quandam invenerunt, magnam quidem ambitu & ſpacioſam, ſed raros incolas. Nam ferro & incendio ſe vaſtatam aduſtionum ſignis & cadaverum acervis, ſpectantibus indicabat. Ipſi autem tenues incolæ illorum ſe fuiſſe clientulos qui à duce *Poloniæ* illic interfecti erant, & captivati, aſſerebant & à facie gladii ſalvatos ſe fugæ præſidio, refecerant autem ex ramis & virgultis circa ruinas parietum tuguria & umbracula, quibus tegebantur, quousque tecta meliora inſtaurarent. Hos pater optimus verbis

Digitized by Google

verbis consolans & stipe relevans benignissime instruxit & baptizavit. Multi etiam de viculis circumpositis ruriculæ illic confluentes fidei percepere Sacramenta. SÆC. XII. ANNO 1150.

Quomodo a Clodina Colobregam intraverit.

INDE *Colobregam* pervenerunt, quæ super litus maris sita est. Sed quia cives illius pœne omnes more institorum ad exteras insulas causa negotiandi navigaverant, illi, qui domi reperti sunt, absentibus suis concivibus, nihil se novi aggressuros dicebant. Hacque sub occasione aliquandiù restiterunt evangelio. Tandem exhortationibus crebris ab Episcopo superati sunt. Confirmatis ergo eisdem in fide sanctæ Trinitatis & Baptismo renatis & fundato altari & sanctuario, cæterisque quæ nascenti Ecclesiæ utilia credebantur ordine peractis, diei unius itinere distantem à *Colobrega Belgradiam* petens, simili operum effectu illic lætificatus est, omnibus se domino sponte applicantibus. Quod ubi factum erat, visum est ei bonum esse omissis quatuor quæ supererant civitatibus cum pagis viculis & insulis suos, *Unxnoimia* videlicet, *Hologosta*, *Gozangia*, *Eimina*, quia tempus eum revocabat, hyems quippe erat, id quod plantaverat interim irrigare, ne fortè dilatando tantum agrum suum, & non etiam excolendo, in vacuum curreret, aut cucurrisset; quin etiam si ulterius procederet, ante diem palmarum sicut dispositerat, redire ad suam sedem consecraturus crisma minimè potuisset. XXVII. *Colobregam intrat.*

Quomodo detinere illum ac Episcopum habere voluerint.

DISCRETUS ergo pontifex apud *Belgradiam* terminum ponens Evangelii, omnia loca & civitates superius nominatas, in quibus semina fidei sparserat fidelis agricola, denuò perlustravit, cogniturus, quomodo se habent sata, & ecce omnes quas imperfectas dimiserat basilicas & Ecclesias, perfectas invenit. Ad opus ergo dedicationis devotus & lætus accingitur, atque intra dedicandum Chrismatis unctione populum confirmans, etiam quàm plurimos invenit baptizandos, qui generali baptismo prius interesse non poterant, eo quod in exteris partibus peregrinati negotia sua exercerent, quorum profecto *Clodonæ*, *Julinæ*, *Stetinæ*, maxima erat copia. Mira quippe aviditate, audito quod Episcopus ab eis discedere vellet ad eum confluxerunt, infelices se reputantes, quibus sine illius benedictione remanere contingeret. Quæ res in singulis locis aliquandiù eis remorandi causa fuit. Nullam autem civitatem aut locum plantationis suæ relinquere voluit, quam non semel aut sæpius ante exitum de terra, confortationis aut consolationis causa, revisseret. Talibus ergo visitationibus regione peragrata, consolando, confirmando, atque salutando amicos, paternos, & filiolos suos, in pacis osculo dimisit eos & dimissus est lachrymis & gemitibus divulsionis dolorem utrinque temperantes. Et ut veritas proferatur, multotiens toto conamine eos jugiter apud se retinere moliti, Dominum Episcopum, ut Episcopatum ibi gubernaret, ardentissimè rogabant; se ipsos & omnia sua illius ditioni servire pollicentes. Et ut verum fateamur, tanto amore suæ plantationis flagrabat Episcopus, quod voluntatem plenariam apud eos remanendi haberet, sed à clericis suis dissuasus est. XXVIII. *Belgradam ingreditur.*

De Natura Pomoraniæ & quomodo ad ducem Poloniæ â Pomerania rediens venerit, & ab eo tam ipse quam sui donati sunt.

POSSENT etiam in his locis non importunè esse cœnobia, & maximè hujus temporis sanctorum, qui terram uberem quam scopulos aridos vel squalentem eremum incolere malunt, suæ memores imbecillitatis. Nam piscium illic tam ex mari quam ex aquis & lacubus & stagnis abundantia est incredibilis, carratamque pro denario * recenter accipiens halecis, ferinæ, cervorum, bubalorum, & equulorum agrestium, ursorum, & aprorum, porcorum omniumque ferarum copia redundat omnis provincia butyrum de armento, & lac de ovibus cum adipe agnorum & arietum, cum abundantia mellis & tritici, cum canopo & papavere & cuncti generis legumine: atque si vitem & oleam & ficum haberet, terram putares esse repromissionis, propter abundantiam fructiferorum. Sed Episcopus vitem attulit & implantari fecit, ut tellus ea vel sacrificio vinum procrearet. Tanta ergò fides & societas est inter eos, ut furtorum & fraudum penitus inexperti, cistas aut scrinia non habeant serata. Nam seram vel clavem ibi non viderunt, sed ipsi admodum mirati sunt quod clitellas Episcopi & scrinia Episcopi serata viderunt. Vestes suas, pecuniam & omnia preciosa XXIX. *Ad ducem Poloniæ revertitur.* * *m. f. residentis.*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150.

ſua in cuppis & doliis ſuis ſimpliciter coopertis recondunt, fraudem non metuentes utpote inexperti. Et quod mirum dictu, menſa eorum nunquam diſarmatur, nunquam deferculatur, ſed quilibet pater familias domum habet ſeorſum mundam & honeſtam, tantum refectioni vacantem; illic menſa cum omnibus quæ bibi ac mandi poſſunt, nunquam vacuatur, ſed aliis abſumptis alia ſubrogantur; non ſorex, non ſorilegus admittitur, ſed de mappa mundiſſima fercula teguntur commeſturos exſpectantia. Quacunque igitur hora reficere placuerit, hoſpites ſint, domeſtici ſint, omnia parata inveniunt intromiſſi ad menſam. Et de his ſatis dictum eſt.

Revertentes autem de terra illa tranſitum fecerunt per patrem eorum ducem *Poloniæ*. Retribuat illi Dominus Jeſus in die agnitionis ſuæ. omnia bona oſtendit omnibus. Nam tantæ affectionis tantæque benignitatis circa eos exſtitit, ut etiam in *Pommerania* poſitis hyemis tempore vir ille optimus veſtes eis mitteret hyemales, Epiſcopo, & unicuique ſecundum ſuam perſonam idoneam tàm clericis quam militibus ſive ſcutiferis omnibus. Tunc ergo conſummatis his ad quæ eos vocaverat ipſe ad ſe reverſos omnes ipſos ut filios chariſſimos excipiens, Epiſcopum cœterosque congruis honoribus habitos nullum dimiſit indonatum. Denique feſtinantes vidit cum multa gratiarum actione dimiſſos usque in *Boemiam* eos fecit conduci. Epiſcopus vero propter feſtinationem de Epiſcopatu *Pommeraniæ* pro voto ſuo tunc ordinare non potuit, ſed de prudentia ducis confiſus ei ex otio commiſit ordinandum. At ille unum de capellanis ſuis *Adalbertum* nomine, quem de latere ſuo cum aliis duobus ſacerdotibus in adjutorium conceſſerat Epiſcopo, Præſulatus honore in gente illa ſublimavit. Itaque juxta propoſitum ſuum ante diem palmarum ad ſedem ſuam ſanctus *Otto* reverſus eſt.

INCIPIT LIBER III.

Quomodo poſt Quadriennium plantationem ſuam reviſerit.

I. *Eccleſiæ reviſendæ deſiderium.*

POST hinc triennio domi detentus, poſt quadriennium, quamvis multis domi teneretur negotiis, ipſe tamen amore novellæ coloniæ ſuæ flagrans, omnibus poſtpoſitis illam reviſere adgreditur. Sed ne forte gravaret, per quos dudum tranſierat, Ducem *Bohemiæ* vel Ducem *Poloniæ*, aliosvè illius viæ hoſpites & amicos ſuos, per *Saxoniam* iter diſpoſuit, & apud Hallam naves victualibus onerans per *Albam* flumen in *Habalam* perlapſus *Leuticiæ* littora usque adductus eſt. Et ne inanis & vacuus adveniens ſponſæ ſuæ vileſceret, neve ii qui adhuc convertendi erant, ſi modo cum ſumptu poneret qui prius ſine ſumptu poſuerat Evangelium, contra ſe murmurarent; in auri, & argenti copia, in purpura, & byſſo, & pannis precioſis & muneribus magnis & variis pro varietate perſonarum, dives ſtuduit advenire, cunctaque *Hallæ* coempta & navigio usque in *Leuticiam* portata curribus & quadrigis quinquaginta cum annona imponens ibi per terram. *Leuticiæ* usque *Timinam* civitatem *Pommeraniæ* tranſportavit. Quo ubi cum labore ac fatigatione ventum eſſet, multos horrores & pavores illa nocte ibi ſuſtinuerunt. Nam civitas illa, Dei adhuc ignara, cruda quodammodo & barbara fuit Chriſtianis, & ii ignoti ad ignotos venerunt. Solum tamen urbis præfectum in priori peregrinatione cognitum habentes, ipſum de hoſpicio convenerunt: ſed ille amicè eos ſuſcipiens & alios quoque ſe hoſpites habiturum dicens, arcem juxta civitatem in veteri caſtello eorum manſioni deſignavit, in qua fixis tentoriis ſe requieturos ſperantes vanis terroribus tota illa nocte agitabantur.

Quomodo Timinam venerit.

II. *Timinam adit.*

NAM Dux *Pommoraniæ* populaturus *Leuticiam* cum exercitu eadem nocte illò venturus erat: Timinenſes aut Leuticios audierant ad pugnam ibi ei occurſuros. Unde non modica trepidatio fuit in civitate, ingruente igitur noctis ſilentio, exercitus ducis per turmas ſuas illuc confluxit, factumque eſt, ut una cohors peditum, & altera cohors equitum ex diverſo juxta civitatem convenientes, quia nox erat, utrique ſe hoſtes ſuſpicati, diutiſſimè gladiis cæderent. Noſtri vero ſtrepitu ac tinnitu armorum

Digitized by Google

rum excitati & exterriti, ignem in caſtris aqua perfuderunt, fugam meditantes. Interea ſocios ſe agnoſcentes, illi à pugna deſierunt. Præfectus vero miſſo ſatellite cauſam illius tumultus eis inſinuans, ne timerent rogavit; ſicque animati conſtiterunt in loco ſuo, facto mane Dux cum exercitu omni ad prædam feſtinans, Epiſcopum videre non potuit; ſed miſſis nunciis ibidem illum die illa rogavit ſe exſpectare. Circa meridiem vero *Leuticiam* quaqua verſum fumigare aſpexerunt; ſignum omnia vaſtantis exercitus. Ad veſperum autem ecce Dux voti compos multa onuſtus præda cum ſuis omnibus & incolumis revertitur. Aſpiciebat namque Epiſcopus quia dividebant ſpolia, veſtes, pecuniam, pecora & aliam diverſi generis ſubſtantiam, homines quoque quos captivaverant, inter ſe diſtribuebant. Ibi vero fletus & gemitus & dolores innumeri, cum ad diverſos duos, pro ratione diviſionis, vir ab uxore, & uxor à viro, & parentes à filiis diſcedebant. Et quamvis pagani omnes eſſent, omnes quos hujusmodi miſeria involverat, Epiſcopus tamen pius ſemper & miſericors, conditionem miſeratus humanam, lachrymas tenere non potuit. Dux vero ſucceſſu rerum & de adventu Epiſcopi lætiſſimus, videns quia hoc ejus voto placuit, teneriores, & infirmiores quosdam abſolvi præcepit, & quibus ſeparatio dolori, manere ſimul, ejus interventu, ordinabat, auditoque eo multa faciebat, & libenter ei obaudiebat. Epiſcopus etiam multos precio abſolvit, quos tamen fide imbutos baptismoque novavit renatos & liberos abire permiſit. Deinde cum mutuis colloquiis ſe recreaſſent & invicem muneribus honoraſſent, Duce ad ſua negotia digreſſo Epiſcopus omnem ſubſtantiam ſuam & populi qui ſecum erat, *Timinæ* navibus imponens per proni fluminis unda tribus diebus *Unznoimiam* vecti ſunt, Epiſcopo in itinere terreſtri cum paucis gradente, in ora hac Evangelico vomere agrum Domini ſui proſcindens, ſemen ſpargit fidei, neque ibi difficultas erat in opere: quia civitas illa præcompluta fuerat imbre doctrinæ ſalutaris. Sacerdotes etenim quos pater beatus operis ſui vicarios in gente illa reliquerat, *Unznoimiam* ex magna parte converterant: reliqua pars per Epiſcopum appoſita eſt ad Dominum.

SÆC. XII. ANNO 1150.

Quomodo à Timina Unznoimiam *veniens per Frozizlaum Ducem Apoſtaſiæ eos arguerit.*

III. *Unznoimiam petit.*

IGITUR in hac civitate, quia prope fuit feſtum Adventus ſpiritus ſancti, Dux terræ *Frocislaus*, toto corde Chriſtianus, inſtinctu Ottonis baronibus ac capitaneis totius provinciæ ac præfectis civitatum in feſto Pentecoſtes conventum indixit; cauſam ſimul Chriſti mandans Evangelium & Evangeliſtam iterum advenille Ottonem Epiſcopum. Itaque die ſtatuto congregatis omnibus, adducto in medium Epiſcopo Dux ait, En ad quod veniſtis? En coram eſt nuncius altiſſimi. Pacem fert, non arma, neque veſtra ſibi, ſed voſmetipſos Deo lucrari quærit. Attendite, oro. Ante hoc quadriennium in ſuperioribus huis terræ partibus docens, me teſte, noſtis quoque & ipſi, omnia replevit Evangelio. Et tunc quidem has partes viſitare volebat, ſed Deo proſperante negotia ſua, toto anno illo ſanctis operibus illic tenebatur occupatus, emenſoque anno ad ſua reverti ſuæ ſedis rationibus cogebatur, nec ad vos venire prævaluit. Sed quæſo una mecum & hujus & illius viæ cauſas diligenter advertite, quodque in omni cauſa fieri ſolet, quis, vel quare, quid, vel quomodo agat, altius contemplemur. Et primo de perſona id vobis conſtat, quia homo religioſus ſenio & canicie venerabilis eſt. Hoc enim & ipſi videtis, de cujus nobilitate opera teſtantur, & virtutes, & alta, ut fida relatione didicimus, avorum & proavorum ejus linea nativitatis. Porro ſi dignitatem quærimus, præſulari fulget officio & univerſis *Teutonici* regni principibus ſpeculum eſt & lucerna. Imperatori quoque Romano & Apoſtolicæ ſedis pontifici gratus valde eſt & unicè familiaris: in auro quoque & argento, in miniſterialibus, & feudatis, in agris, & poſſeſſionibus, & quæcunque hic mundus precioſa vocat, Dominum divitem novimus & glorioſum. Nunc etiam opulentus venit veſtræ ſaluti miniſtraturus, nec aliunde quàm de ſuis ſumptibus apud vos vivere propoſitum habens. Sed rogo quid intendit, ut quid tantæ viæ laborem aggreſſus, nec proprio corpori nec ſumptibus parcit? ſed ut breviter dicam, ſicut & pridem, nihil aliud quærit, niſi vos omnes ſeparare a Diabolo, & per fidem Catholicam jungere Domino Jeſu Chriſto. Sed quonam modo? non fraudulenter, non violenter, non lucri alicujus terreni, ſed veſtræ tantum ſalutis gratia, & Dei honoris benignitate. Et nunc quidem nihil juſtæ excuſationis à vobis inveniri poterit ſuper hoc tali verbo, quo minus eum audire debeatis. Neque enim is eſt cui necem aut patibulum, ob circumventionis vel impoſturæ culpam intentare conveniat,

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150.

vel alterius generis injurias, quemadmodum & pauperibus Chriſti prædicatoribus paulò ante feciſtis, ſuſpicati, dolo, & fraude, quæſtusve gratia nudos homines & inopes rerum, loqui verbum Dei. Sed illi quidem plagis & verberibus pro veritate ſubacti à veſtris finibus abſceſſerunt, vos autem hûc usque in infidelitate perſtitiſtis. Pudeat jam & pœniteat vos longi erroris & ignorantiæ, & qui noluiſtis audire mendicos Evangeliſtas, audite opulentos. Dixiſtis namque & *ſubamodo blaſphematis, quia Deus Chriſtianorum vilior eſſet omnibus diis atque inferior, qui ſuæ doctrinæ miniſtros habere non poſſet, niſi tantum homines imperitos & ruſticos, mendicitati, egeſtatique addictos. Et vos quidem in inſania veſtra hæc dixiſtis: ille vero pius, & miſericors, & præſtabilis ſuper malitia, quaſi morem gerens inſipientiæ veſtræ, de imperitia, vel ruſticitate, de imperio etiam mendicitatis legati, omnem vobis abſtulit excuſationem. Supereſt modò, ut nos qui primi & majores dicimur ac ſumus, veſtræ dignitati conſulamus, tàm digniſſimæ ac ſanctiſſimæ rei conſentientes, ut populus qui nobis ſubjectus eſt, noſtro poſſit erudiri exemplo. Quicquid autem religionis, vel honeſtatis ſecundum DEUM vel homines aggrediendum eſt, juſtius atque decentius autumo, ut à capite hoc in membra, quàm ut à membris derivetur in caput: Et in primitiva quidem Eccleſia, ſicut audivimus, religio fidei Chriſtianæ à plebe & plebejis perſonis incipiens ad mediocres progreſſa, etiam hujus maximos principes mundi involvit: reddamus vicem Eccleſiæ primitivæ, ut à nobis principibus incipiens, & usque ad mediocres progreſſa, facili proventu totum populum & gentem ſanctificatio divinæ religionis illuſtret. Sed quid plura? Affuit Spiritus ſancti gratia, & ſermonem Ducis omnium cordibus altius quàm dici queat, inplantavit, omnesque pari voto, pari conſenſu faciendum, reſpondent, quidquid Epiſcopus ſuaderet. Igitur occaſione ipſius temporis de adventu Spiritus ſancti, de remiſſione peccatorum, de variis charismatum donis, de bonitate & clementia divina, ſermone mirabili præſul eos alloquens, evangelizavit illis Jeſum. Et quosdam quidem jam dudum Chriſtianos, ſed errore paganismi denuò inquinatos, præſenti ſermone ad conpunctionem & validam cordis contritionem emollitos, cum magno fructu aſpicientium, per manus impoſitionem Eccleſiæ reconciliavit, alios autem certatim ſe offerentes catechizatos ac pro tempore inſtructos baptizavit, & totam illam hebdomodam doctrinæ ſacrisque operibus inſtabat, gaudio ingenti, adeò ut verè Spiritus ſancti præſentiam illic adeſſe certiſſimè conſtaret. Itaque concilium hoc non antea ſolutum eſt, quam principes ipſi & omnes qui cum eis advenerant, baptiſmi Sacramenta percepiſſent.

* *Sæpenumero.*

De Sacerdote Idolorum, vice numinis ruſticum alloquente.

IV. *Fraus Sacerdotis Deum ſe fingentis.*

PORRO fama facti repente in univerſam provinciam divulgatur, villas & vicos in ſtudia diverſa conſcindens, aliis dicentibus, qui bene eſt: aliis autem dicentibus, Non, ſed magis ſeductio magnates apprehendit. Ipſi vero Sacerdotes idolorum non minima cauſa hujus conciſionis erant, appoſiti eis, quibus diſplicebat, quod factum fuerat, ſua nimirum lucra ceſſatum iri non ignorantes, ſi culturæ Dæmonum illic abolerentur: unde modis omnibus rem præpedire moliti, varia calliditatis ſuæ argumenta viſionibus, ſomniis, prodigiis, & variis terroribus confinxerunt. Quin etiam in *Hogoſta* civitate, quo tunc proximè adventurus nunciabatur Epiſcopus, ſacerdos qui illic idola miniſtrabat, nocturno tempore vicinam ſilvam ingreſſus, & in loco editiori ſecus viam inter condenſa fruticum ſacerdotalibus indutus aſtabat, & mane ſummo quendam ruſticum de rure ad forum gradientem his alloquitur verbis; Tu inquit, bone homo At ille reſpiciens in eam partem, unde vocem audierat, inter virgulta perſonam candidis indutam, quamvis luce videre cœpit & timere. Et ille, Sta, inquit, & accipe quæ dico. Ego ſum Deus tuus, ego ſum qui veſtio & graminibus campos & frondibus nemora & fructus agrorum & lignorum fœtus pecorum, & omnia quæcunque uſibus hominum ſerviunt, mea poteſtate hæc dare ſoleo cultoribus meis, & his qui me contemnunt auferre. Dic ergo eis qui ſunt in civitate *Hologaſtenſi*, ne ſuſcipiant Deum alienum, qui eis prodeſſe non poſſit; mone etiam ut alterius religionis viros, quos ad eos venturos prædico, vivere non patiantur. Hæc ubi ruricolæ Dæmon viſibilis edixerat, ad denſiora nemora ſe contulit in poſterum: ruſticus verò quaſi de oraculo ſtupidus, corruens pronus adoravit in terram. Deinde abiens in civitatem cœpit annunciare viſionem. Quid plura? Credidit populus, iterumque atque iterum circumdantes hominem, eadem ſæpius narrare cogebant, moti videlicet monſtri novitate.

Poſtremò ac ſi neſcius omnium advenit Sacerdos indignationem ſimulans primo quaſi

Digitized by Google

quaſi de mendacio, deinde attentus audire & obteſtari cœpit hominem, ut vera tantum narrans, nullo figmento populum ſolicitaret. At ille, ut erat ruſticanæ ſimplicitatis & forti proteſtatione, rem ita ſe habere aſſeręns etiam locum ipſius apparitionis ſe oſtenſurum pollicetur. Tunc ſacerdos converſus ad populum, vane ſuſpirans, En, hoc eſt, inquit, quod toto anno dicebam. Quid nobis cum alieno Deo? quid nobis cum religione Chriſtianorum? Juſte movetur & iraſcitur Deus noſter, ſi poſt omnia beneficia ejus ſtulti & ingrati ad alium convertimur. Sed ne iratus occidat nos, illis iraſcamur & occidamus eos, qui nos ſeducere veniunt. quod dictum cum placuiſſet omnibus, firmaverunt decretum, ut ſi Epiſcopus *Otto* vel quiſpiam de ſocietate ejus civitatem intraret, ſine mora occideretur. Item firmaverunt ſibi fermonem nequam, ſcilicet ut ſi nocte vel clam intrantes quiſpiam tecto reciperet, ſimili ſententiæ ſubjaceret. Et hæc agentes multis opprobriis & verborum injuriis religionem Chriſtianorum deridebant blaſphemantes.

SÆC. XII. ANNO 1150.

Quomodo Nuncios præmiſerit ad Hologoſtam *civitatem.*

V. *Otto nuncios mittit ad Hologoſtam.*

INTEREA vero apud *Unznoimiam*, rebus feliciter conſummatis, ſolutoque cœtu primatum, Dux cum Epiſcopo remanens, de his quæ poſt agenda videbantur, & de progreſſione, vel quonam diverterent, conſilium habuit, multaque devotione ſtudiis Epiſcopi gratias agens, Ecce, inquit, terra omnis coram te eſt, ſecurus eſto, Domine pater, non eſt qui tibi contradicat, majoribus natu ac principibus omnibus jam fide fide imbutis. Qua ſecuritate fretus antiſtes, quaſi exemplo Domini Jeſu Chriſti binos & binos de diſcipulis ſuis præmittebat ante faciem ſuam in omnem civitatem & locum, quo erat ipſe venturus. Contigit ergo *Udalricum* & *Albinum* duos presbyteros ſimul pergentes, *Hologoſtam* intrare, ubi à matrona quadam, uxore videlicet præfecti, ſunt hoſpicio ſuſcepti, atque ſatis humanè tractati. Nam hæc quamvis pagana, multum hoſpitalitati dedita fuit, ac timori divino, & religioſa valde, adeo ut eſſet eis *animirationi. Poſt refectionem vero *Albinus*, linguæ gnarus matronæ adhuc ignoranti rem omnem ſecreto aperit, ſcilicet quinam eſſent & quare adveniſſent. At illa vehementer attonita, Me miſeram, inquit, O Domini mei, quare ad me intraſtis, de vobis enim jam apud magiſtratus data ſententia eſt, & de me quoque, ſi vos non prodidero. Sed divina Clementia ſervos ſuos ubique tueri novit. Nam matrona illa, divinitus, ut puto, commonita in ſuperiori quodam cænaculo eos abſcondit, quaſi Raab Iherichontina, ne perderentur, effecit equituras & rem illorum & ſarcinas, & quæcunque habere poterant, illa per pueros ſuos ſubito extra civitatem deduci & in præſidio ſuo collocari fecit. Quibus deductis, ecce gladiatores, & turba populi cum tumultu & clamore magno, illos ignotos homines ſibi exhiberi jubentes. At illa, Fateor, inquit, homines ignoti ac peregrini, ut ſæpe ſolent, ad me declinaverant. Sed accepto prandio mox in viam ſuam abierunt. At illi ſcrutantes omnia cum nec jumenta nec veſtes nec ulla ſigna itinerantium inveniſſent, furere deſierunt. Porro illis per triduum ibi latitantibus, Epiſcopus cum Duce ab *Unznoimia* profectus multa manu militum & ſociorum *Hologoſtam* intravit, ſpem ſalutis & præſidium portans Apoſtolis in conclavi latitantibus.

* *Admirationi.*

Quomodo Hologoſtam intraverit & prædicaverit.

VI. *Hologoſta prædicat.*

ITAQUE urbem ingreſſus, Duce fideliter ac ſtrenue ad omnia cooperante, ſemen ſparſit Evangelii, & dura incredulorum corda placidæ prædicationis ingenio paulatim detumeſcere faciebat. Interea quidam de Chriſtianorum ſociis *Udalricum* & *Albinum* de latibulis ſuis emergentes & junctos conſociis timorem ſuum referentes, deriſerunt, & quaſi eis inſultantes, ſecurius ſeſe habere cœperunt, & longius à ſuis digreſſi, fana etiam idolorum, Epiſcopo ſermonem exhortationis proferente, ſpeculatum vagabantur. Verum quia maligni homines, apud quos radix paganismi adhuc valentius vigebat, En, inquiunt, iſti explorant quomodo templa noſtra incendant. Et congregantes ſe in platea etiam arma portare ac fuſtes cœperunt, & qua tranſituri videbantur, eis obviam ſtare. *Udalricus* autem intuens eos eminus, & ſubſiſtens, Non advertitis, inquit, hos non ſine cauſa convenire, nam & turbulenter ſe habent & arma portant, & prioris periculi recordans, Nolo, inquit, toties temptare Deum meum. Et converſus, illo ubi Epiſcopum dimiſerat, redire cœpit, aliis omnibus eum ſequentibus, præter clericum quendam *Encodricum* nomine, qui longius ante illos

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150

progreſſus, jam fores delubri tenebat. videntes autem pagani, qui convenerant, illos à cœpta via reverſos proſequi eos quidem non audebant, ſed ad illum clericum interficiendum omnes acquieverunt. Quo viſo ille aliud, quo declinaret, non habens, fanum audacter quamvis exterritus intravit. Erat autem illic clypeus pendens in pariete miræ magnitudinis, operoſo artificio, auri laminis obtectus, quem contingere nulli mortalium liceret, eo quod eſſet illis neſcio quid in hoc ſacroſanctum ac paganæ religionis auſpicium, in tantum, ut nunquam niſi belli tempore à loco ſuo moveri deberet. Nam, ut poſtea comperi, modo Deo ſuo *Serovito*, qui lingua latina *Mars* dicitur, erat conſecratus, & in omni prælio victores ſeſe hoc prævio confidebant. Clericus autem, vir acris ingenii, dum metu mortis in templo huc illucque diffugeret, telum aliquod vel latibulum quæritans, clypeum corripuit, & amento collo injecto, levaque loris inſerta in medium turbæ furentis ei in via proſiliit. Ruſtici vero prodigialem armaturam videntes, partim in fugam converſi, partim etiam quaſi exanimes facti in terram cadunt: ille autem projecto clypeo ſecus hoſpicium ad ſocios currere cœpit, & pedibus timor addidit alas. Cumque anhelans & pallidus ad ſuos deveniſſet, de ipſa hujus trepidatione & eorum qui præmiſſi fuerant triduana occultatione apud omnes, præcipue vero apud Epiſcopum & Ducem tota nocte illa jucunda erat narratio. Monuit tamen pius pater filios ſuos & diſcipulos propter inſidias latentis inimici, ut ſe circumſpectè agerent. Tam diu ergo manſit in loco illo diſputans & ſuadens de regno Dei, quousque omnis populus fidei ſacramenta percipiens, fana ſua deſtrueret & Eccleſiæ ſanctuarium cum altari præpararet. Quod Epiſcopus conſecrans, *Johannem* presbyterum eis ordinavit, & ut reliquam baſilicæ formam poſt ſuum diſceſſum promoveret ammonuit.

De templo Dæmoniorum apud Gozgangiam deſtructo.

VII. *Templum Idolorum dirutum.*

DEINDE omni populo valefaciens, & in multa caritate omnipotenti Deo illos committens, ad *Gozgangiam* iter divertit. in hac ſiquidem civitate miræ magnitudinis ac pulchritudinis templum fuit, ſed Epiſcopus cum de fide Chriſtianæ religionis eos per interpretem alloqueretur (Nam Dux ad ſua negotia jam ab eo diſceſſerat) illi ad omnia paratos ſe aſſerebant, ſi modo fanum eorum intactum remanere potuiſſet: magnis enim ſumptibus nuper extructum fuerat, multumque in eo gloriabantur, eo quod videretur magnum totius civitatis eſſe ornamentum. Tentabant etiam occulte immittentes quosdam pontificis animum lenire muneribus pro ædis conſervatione. Tandem rogantes, ut vel in baſilicam ordinaretur. Sed Epiſcopus conſtanter agens, indignum eſſe dicebat, ædem ſub titulo Dæmonis ædificatam immundoque ritu profano tàm divinis uſibus mancipari. Nam quæ conventio Chriſti ab Belial, aut quæ communicatio templo Dei cum idolis? Dicebat autem illis & ſimilitudinem: Nunquid ſeminatis frumenta veſtra ſuper dumos & ſpinas? Non puto. Sicut ergo de agris veſtris ſpinas primo eradicatis ac tribulos, ut jactis bonis ſeminibus, optatas ſegetes ferre queant, ita & hanc radicem idolatriæ, ſpinam prædicationis, de medio veſtrûm funditus exſtirpate, ut de bono Evangelii ſemine corda veſtra fructificent in vitam æternam. Hæc & alia hujusmodi ſermonibus oportune, & importune, obſecrando, increpando, arguendo per ſingulos dies inſiſtens duros gentilium animos tandem ita emollivit, ut ipſi ædem execrabilem, de qua tota quæſtio fuit, ſuis manibus confringerent & ſimulachra protererent.

2. Corinth. 6.

De adventu legatorum ejus, & præparatione dedicationis templi.

VIII. *Legati Saxoniæ ad Ottonem.*

DUM ea gerebantur, legati marchionis *Adelberti* de *Saxonia* ſupervenêre, opera & ſtatum Epiſcopi ſtudioſe inquirentes, marchio etenim cum eſſet amicus valde ac familiaris Epiſcopo, in gente barbara hunc periclitari metuebat: unde ſi opus haberet, præſidium & opem ei ferre cupiebat. Affuêre etiam ipſius Epiſcopi œconomorum nuncii, aurum, & argentum, veſtes quoque, & alia neceſſaria ei deferentes: ut enim ſupra dictum eſt, licet Evangelium annuncians de Evangelio vivere deberet, ipſe nihil horum uti volens, ſuis ſe tantum ſumptibus tranſigebat. Igitur legatos omnes apud ſe ibi tam diù retinuit, quousque videndo & audiendo diſcerent quid de operibus aut ſtatu ejus referre deberent. Porrò baptizatis omnibus tàm viris quàm mulieribus totius civitatis, ad dedicationem altaris & ſanctuarii jam ſurgentis Baſilicæ, multa exultatione populi, devotus accingitur, omni ſtudio ac diligentia ipſo feſto decorem & reverentiam procurans, quatinus de amiſſione prioris fani vel celebritatis

Digitized by Google

britatis minimè dolerent, melioris ſolennitatis tripudio & melioris fabricæ ornamento conſolati. SÆC. XII. ANNO 1150.

De Allocutione ipſius ad Mizlaus principem.

IX. *Alloquitur Mislaum Principem.*

INTER agendum verò quod ipſa dedicatio vel quod ſingula opera dedicationis ſignificare habent, rudi populo antiſtes expoſuit; præcipue verò *Mizlaus* ipſius civitatis principem, quem pridem in pentecoſte cum aliis primatibus *Unznoimiæ* baptizaverat, ut in eo cæteros erudiret, de his omnibus alloquitur, Sacramentum dedicationis ad animam cujusque fidelis pertinere ſufficienti ſermone demonſtrans, quæ Spiritus ſancti templum efficitur, vel in cujus corde Chriſtus per fidem inhabitat. Dein ſermonem ad ipſum principem ex toto convertens, Tu es, inquit, fili chariſſime, vera domus Dei. Tu ipſe hodie dicandus & dedicandus es, & omnipotenti creatori tuo Deo, ut eminus ab omni alieno poſſeſſore, ipſius tantum manſio fias & poſſeſſio. non ergo impedias dedicationem tuam fili chariſſime. * Nihil enim prodeſt iſtam, quam cernis domum foris dedicari, niſi & dedicatio iſta in me compleatur. Epiſcopus autem intelligens adeſſe Spiritum ſanctum, Ex parte, inquit, fili, domus Dei eſſe cœpiſti; fac ut ex toto ſis. Jam enim idolatriam fide commutaſti, baptismi gratiam conſecutus.

* *Videtur hic aliquid deeſſe.*

Nunc ſequitur ut fidem pietatis operibus exornes, impietates, violentias, & crudelitates, oppreſſiones, rapinas, homicidia, fraudes penitus, poſtremo quidquid tibi fieri non vis, alii ne feceris. Captivitates quas habes abſolve omnes. Quod ſi non omnes, vel eos certe qui Chriſtiani ſunt, tuæ fidei conſortes. Tum ille parum hæſitans, Durum, inquit, mihi eſt, pater, dimittere omnes: quia magnis rationibus ac debitis quidam ex eis modò detinentur. Tunc Epiſcopus, Debita, inquit, pro debitis dimitti & ſermo Evangelicus & Dominica ſuadet oratio, Sic enim omnium debitorum tuorum apud Dominum certam remiſſionem conſequeris; ſi omnes debitores tuos in ejus nomine dimittis. At ille altius ingemiſcens, En, inquit, in nomine Domini Jeſu omnes abſolvo; ut, ſecundum verbum tuum, dimiſſis peccatis meis dedicatio iſta hodie in me compleatur. Et vocans miniſtrum qui ſuper captivos erat, omnes dimittì præcepit. Erat autem inter eos adoleſcens nobilis, filius cujusdam potentis de *Dacia*. Iſte abſolutis aliis in cavea quadam ſubterranea junctus cippo & catenis tenebatur, eo quod pater ejus quingentarum librarum debitor, hunc vadem poſuiſſet. Cumque de abſolutione captivitatum, de obedientia, & religione *Mizlai* principis multa eſſet tàm populo quàm Epiſcopo & omnibus qui aderant in Domino exultatio, & ad conſummationem dedicationis miniſtri ac ſacerdotes alacriter feſtinarent, neceſſaria præpararent, habitis omnibus, vas cum cineribus, quod ad aram poſitum erat, inveniri non potuit. Cumque miniſtri commixtionem ſalis & vini & cinerum facturi, & non inventis cineribus turbarentur, *Udalricus* Sacerdos correpta * contra vicinas domos unam vel duas ſcrutatus in eis cinerem non invenit.

* *f. conìa; pro vaſe: kanten vocamus.*

Deinde ad tertìam currens, cryptam quandam ſubterraneam, in quam prædictus adoleſcens in abditiori parte claudebatur, intravit. Sed captivus per feneſtram manu porrecta, & ſonitu facto currentem Sacerdotem ad ſe vocat, rogans ut pro ſui liberatione Epiſcopo ſignificet. Sacerdos vero correptis cineribus properanter ad Eccleſiam rediit & operienti Epiſcopo aliisque fratribus de illo inſinuat. Epiſcopus vero quamvis miſericordia moveretur, Tanta, inquit, præſtitit nobis, ut amplius eum rogando gravare non audeam. Tamen ne gaudium hujus feſti aliqua ex parte claudicet, ſuper hujus quoque miſeriam Dei miſericordiam invocemus. Et converſus ad orientem cum miniſtris quaſi hora una preces fudit ad Dominum. Deinde ſacerdotibus ait, ſeorſum accipite *Mizlaus*, & quam modeſtius poteſtis ſuper hoc verbo exhortamini. Quod cum facerent, *Mizlaus* ait, In hoc uno homine parcat mihi velim prudentia veſtra, nam pater ejus majoribus mihi debitis aſtrictus eſt, quam ut gratis abſolvi poſſit. Sufficiat vobis quod tantos abſolvi gratis. Tunc illi, Revera, inquiunt, multum eſt quod feciſti. Miratur hoc Dominus Epiſcopus, miramur & nos, nec in longo tempore Chriſtianis tale quid terra Chriſtianorum comperimus, unde & Dominus Epiſcopus & omnes fratres gratias tibi referunt & honori te habent & ſemper habebunt, Deoque omnipotenti cujus te ſervum exhibuiſti, quò de omnibus vicem tibi rependat, devotè ſupplicabunt.

Nam & dominus Epiſcopus tam magni pendit, quod feciſti, ut ultra quidquam rogare te verecundia. Sed noveris in veritate, quomodo ſi quo pacto te ipſum vincens, hoc

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150.

hoc bonum cæteris tuis meritis ſuperaddere poſſes, magna tibi gratia magnaque recompenſatio apud Deum cumularetur: magnus etenim dominus Deus noſter, & magna virtus ejus, morisque illi cum ſit pro parvis magna reſtituere, quanto magis pro magnis maxima. Quod ſi hoc magnum & difficile tibi pro ipſo feceris, non ſine mercede maxima ab eo indonatus remanebis. Sed quid multis? Ingemuit homo tactusque ab intus ſpiritu pietatis, totus ſolvitur in lachrymas. Deinde cum ipſis clericis ad Epiſcopum tendens, En, ait, pater ſanctiſſime, in iſta quoque petitione Deum meum & te ſervum ejus dominoſque meos ſacerdotes miniſtros tuos honorabo: quinimo pro nomine Domini mei Jeſu corpus meum & omnia mea, ſi ratio poſtulaverit, devotus impendam. Et jubens adduci vinctum ferro & catenis oneratum, flentibus omnibus qui aderant, in hoſtiam & oblationem Deo aræ impoſuit, petens ſibi remiſſionem peccatorum à Domino pro ipſo reconpenſari. Ita ergo in plenitudine gaudii ſpiritualis tota illa Eccleſia fervente, & laudes Deo ſuper univerſis bonis ac donis ejus concinente, dedicatio conſummatur, omnesque alii exemplo *Mizlay* principis vias correxerunt, unusquiſque ab injuſtitiis & violentiis ſeu oppreſſionibus ſuis temperando & vi ablata proximis ſuis reſtituendo. Eccleſia ergo proficiebat, & creſcebat, & licet invidente diabolo, ambulans in timore Domini & ſpiritu ſancto replebatur. Sed hoſtis antiquus damna ſua non ferens opera Dei turbare molitus, validis erroribus univerſam provinciam concuſſit. Nam *Polizlaus* Dux *Polonorum* invictiſſimus in multa fortitudine & copioſo militum apparatu de terra ſua jam veniens in ipſis terminis *Pommoraniæ* caſtra metatus ferebatur in furore gravi terram ipſam ingreſſurus. Audierat enim, quod poſt priorem beati *Ottonis* prædicationem nec pacti ſecum fœderis nec ſuſceptæ religionis jura ſervare curarent. Inſuper compertum habebat quod civitates quæ pridem converſæ fuerant, remiſſi tributi veniam aſpernati, ſuique mediatoris obliti viribus ſuis ſe deinceps tutos fore confiderent, munitionibus & caſtris quæ bellica vi conplanata fuerant, ex magna parte hoc intervallo reparatis. Unde quaſi juſtam commotionem habens Dux eos iterum conterere veniebat, ſuæque ditioni ſubjugare. Quod illi audientes, miſſiſque ſæpius atque remiſſis exploratoribus, exercitum jam in proximo cognoſcentes, multum ubique trepidare cœperunt, partimque fugere ac res ſuas ad loca munita deferre, partim etiam arma contra movere, fineſque ſuos defendere meditabantur. In ipſo tamen articulo, ut puto à Deo inſpirati omnes quaſi oves ad paſtorem, ſcilicet ad Epiſcopum confugiunt, & quid facto opus eſſet conſilium quærebant; at ille pietatis viſceribus affluens Eccleſiam rudem & neophytam bellico tumultu vexari pernicioſum ſciens, de divina miſericordia ſimul etiam de *Poleslai* ducis amicitia non vane præſumens, bellum ſimul & cauſam belli, ſi modo conſiliis ejus parere velint, diſſolvere pollicetur. Quo audito illi prudentiæ & ſanctitati doctoris ſui attendentes, nec ſiniſtrè caſurum arbitrati negotium, quod ille in timore domini ſuſcepiſſet, communi decreto ſemetipſos & omnia ſua conſilia ejus ſapientiæ commiſerunt. Aſſumptis igitur clericis pater venerabilis ſarcinas quidem & omnem ſupellectilem ſuam ibi relinquens, obviam ſe parat exercitui, junctis ſibi viris honorabilibus de terra, qui à Duce objectis reſpondere & omnibus controverſiis decidendis hinc inde exortis poſſent ſufficere. Ubi igitur ad caſtra venit, à Duce honorabiliter ſuſceptus, mirumque dictu, quam facile divinis eloquiis animi ejus feritate lenita, ad omne quod volebat, principem inclinaverit. Ille namque multum proteſtabatur, non alia ex cauſa hoc tempore bellum ſuſcepiſſe, quam ob injuriæ Dei omnipotentis ultionem & mutui fœderis ruptionem, quia & Chriſtianiſmi jura in plerisque locis rem divinam paganitate violaſſent & initæ ſocietatis & compoſitionis ligam minimè ſervaſſent. Epiſcopus ergo hæc omnia emendatione digniſſima faſſus, legatoſque aliquantum pro his objurgans, ad priſtinæ compoſitionis pactum partem revocat utramque, ſeſe tunc temporis, quemadmodum & nunc pacis mediatorem extitiſſe commemorans. Placabat autem maxime ducem *Poloniæ Brocizlai* Ducis fides & devotio ab Epiſcopo laudata: quia & in priori & in prædicta prædicatione æquè fidelis inventus, multa bona prædicatoribus oſtendiſſet. *Stetinenſibus* vero quod aliqui ex eis ad errores priſtinos revoluti eſſent, divinæ indignationis ac ſuæ illis mandat non defore vendictam, niſi quantocius apoſtaſiæ immundicias congrua diluant ſatisfactione, indulgentia petita doctoris. Dux itaque talibus modis à beato viro mitigatus, licet nimis murmurantem exercitum utpote prædæ avidum, verſis aquilis, ad ſua redire præcepit. Porro Epiſcopus voti compos cum legatis rediens attonitis gregibus ſuis, optatæ pacis & ſecuritatis nuncium reportavit. Et quantum illi pridem de metu belli mæſtificati fuerant & concuſſi, tantum alacres facti ſunt & in fide Chriſtianiſmi fundati; ſane doctori ſuo aſcribentes patriæ liberationem, ſervusque Dei magnificatus eſt vehementer

Digitized by Google

hementer in terra *Pommeranorum*. Ille vero nihil meritis ſuis tribuens, tanto ſe humiliorem apud Deum & homines exhibuit, quanto ſine illius auxilio ſe nihil poſſe ſciebat, dimittensque nuncios, de quibus ſupra dictum eſt, marchioni & *Saxonibus* gratias egit pro bona voluntate, de Dei operibus & de ſuo ſtatu mandans quæ audiſſent & vidiſſent, ad Dei gloriam narrare. SÆC. XII. ANNO 1150.

Quomodo Veraniam inſulam convertere voluerit, ſed prohibitus, presbyterum Udalricum illo navigio deſtinavit, idemque tertio vento prohibitus.

X. *Veraniam inſulam vult convertere.*

ERAT autem *Unznoimiæ* illis diebus Dux pariter & Epiſcopus. Eſt autem inſula quædam, non longe à civitate illa, habens mare interjectum, quaſi itinere unius diei, *Verania* nomine. Sed loci hujus incolæ duri erant & barbari, ſingulari feritate crudeles. hii prædicatione beati viri dudum comperta, omnia quæ de illo dicebantur, aſpernati, mortem ei, ſi ad eos veniret, minabantur. Sed quo amplius duras eorum minas audierat, eò amplius in animo ſuo fixum habebat illo, *ſperans ibi martyrii coronam ſe adepturum. De hoc vero cum Duce & aliis familiaribus ſuis dum conſilium tractaret, propter immanitatem periculi ab omnibus diſſuaſus eſt. Quod ægerrime ferens, ingenioſus agere cœpit quomodo ſe neſcientibus eis illo proriperet. Hoc ſentientes illi, cautius eum obſervabant, nullam ſecuti opportunitatem quod id aggredi poſſet ei concedebant: ſalutem illius vitamque multis utilem ac neceſſariam memorantes. Verum deſiderii magnitudine nihil hujusmodi rationum audire potuit, illos potius modicæ fidei arguens, ac puſillanimitatem eorum increpans, fidem Chriſtianam factis magis firmandam ajebat, quam verbis. At is, Quæ merces æternæ vitæ prædicatoribus, qui pro illa vitam præſentem expendere formidarent? Et quid, inquam, fieret, ſi in his barbaris nationibus Evangelizantes pro Chriſti nomine omnes occumberemus? Nimirum glorioſior eſſet prædicatio, quæ noſtrûm ſanguine firmaretur. Sed ô dolor de tanto fratrum numero nec unus, puto, dignus habebitur, morte ſua vitæ, quam ſperamus, perhibere teſtimonium? Atque verbis talibus verecundianata eſt trepidantibus.

Udalricus autem venerabilis ſacerdos conſtantior factus ſciens etiam hoc ſeni placere, huc lætus----- Accepta igitur benedictione paraturam ſacerdotalem, calicem quoque ac librum & cætera quæ faciendæ miſſæ ratio poſtulat navem conſcendit. Sed illi videntes fratrem ſuum unicè carum ſolum ad martyrii palmam properantem cum dehortari eum non poſſent, viam ejus lachrymis uberioribus proſecuti ſunt. Qui horis quaſi tribus proſperis flatibus navigans fere jam ab oculis eorum ablatus fuerat, & ecce tempeſtas oritur, ventisque contrariis ratem huc illucque pellentibus, viam tenere non potuit, ſed ad littus unde exierat, poſt multam fatigationem appulſus eſt. Ille vero tametſi tempeſtatis injuriam & imbribus deſuper irruentibus & procellis navem deorſum implentibus totus eſſet madidus, vixque ſpirare videretur, à cœpto deſiſtere noluit, neque ad terram exire noluit, ſed ſedens in navicula tranquillitatem maris exſpectabat; interim aquam de navi vaſculo projiciens. Ventis itaque paululum ſedatis, iterum navigare cœperunt, iterumque ſimili modo impeditus eſt. Tertia quoque vice ire temptans, ſed nihilominus nocte ac tempeſtate ingruente ponti ſævitiam vix & quaſi per miraculum evaſit; tempeſtas verò infra dies ſeptem non ceſſavit. Intellexit ergo vir Dei *Veranos* Evangelicæ gratiæ indignos, currensque cum clericis diſcipulum quaſi de palæſtra coronatum de littore ducit ad tectum, ſuper ipſius conſtantia fideique magnitudine Dominum benedicens. At ubi cœnatum fuit, fratres de navigatione *Udalrici* jocari cœperunt. Et quis, inquiunt, ſi periſſet homo, reus homicidii teneretur? *Adelbertus* autem interpres, cui maximè factum diſplicebat, Quis juſtius, inquit, homicidium lueret quàm is quis eum ad tale periculum direxit? Verum Epiſcopus quamvis ab eodem fratre de hoc verbo ante pulſatus fuerit, nil motus, ad Evangelium ſe convertit, & exemplo Domini diſcipulos quaſi oves inter lupos mittentis factum ſuum defendit. Quis enim, ait, homicidii reus tenebatur, diſcipulis qui à Domino mittebantur interfectis, qui oves ad lupos miſit: profecto à lupis oves devorandas ſcivit. Devoratæ ſunt oves à lupis, interfecti ſunt Apoſtoli à tyrannis. Deinde parabolam facto ſuo coaptans plena rationis doctrina diſcipulos animavit, digniſque exhortationibus in gaudio ſpirituali magnam partem noctis expendit. Et mane facto, quidnam agerent vel quo ducerentur, inter ſe tractabant. Verum haud diù cunctabundi, quod ſuperfuit de opere in agro Domini Coloni fideles inter ſe diſtribuunt; aliis retro ad *Thyminam*, aliis autem ad loca alia Evangelizandi gratia divertentibus.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150.

Quamodo sociis ne ad Stetinam *iret, dehortantibus, solus tunc adgressus sit; & retractus, comites viæ eos acceperit.*

XI. *Tendit ad Stetinam.*

EPISCOPUS vero ad *Stetinam* iter proposuit cum ministris, de apostasia in spiritu vehementi increpare superbos. Sed clerici qui cum ipso ituri erant, *Stetinenses*, barbaros & crudeles agnoscentes, suæ pariter & illius saluti metuebant. Unde ne illuc veniat dehortantur studiosius. Cumque illi molesti essent, Video, ait, tantum ad delicias venimus: quidquid asperum & difficilè occurrit, totum declinandum judicamus. Sest esto, nam ad gloriam martyrii, sicut nullum cogere volo, ita si posset fieri, omnes vos hortari vellem. Rogo autem si juvare non vultis, saltem ne me impediatis. Suæ vitæ potestatem habeat unusquisque: liberi estis vos; liber & ego. Dimittite me viri obsecro. Et ejectis omnibus sese in cubili suo in orationem dedit usque ad vesperam. Deinde vocat puerum familiarem, præcipiens ut clausis undique ostiis, à se omnes dimoveat nullumque sine sui conscientia admittat. Quo facto secreti sui compos, fugam meditatur, itineralia induitur, succingitur, indumenta sua sacerdotalia cum libro, calice, aliisque utensilibus in mantica ponens, omnia in humeros levat, tectusque umbra noctis, clam cunctis nescientibus, incomitatus urbem egreditur, viam carpens, quæ *Stetinam* vergit. Cumque circumspexisset huc atque illuc & nullum comitari se videret, lætus & alacer de prosperitate furti, Deum benedicens matutinale inchoat officium, glisens, & properans totum iter nocte illa complet. Cumque nocturnus viator viam ardenter carperet, hora noctis decima jam instabat; Clerici autem è diversis stratis surgentes cum ad dicendas matutinas se colligerent, quidam suspenso gradu ad cubiculum pergunt Episcopi, utrum dormiat an vigilet, vel quid agat, explorare cupientes. Verum ubi propius propiusque admoti Episcopum non inveniunt, consternati sunt animo. Et diligenter omnia scrutantes, cubicularium Episcopi & alios qui juxta erant crebro scisitantes, quod factum fuerat, tandem ediscunt. Quid multis? turbantur omnes, aliique pedibus, alii vero ascensis equis, huc illucque pontificem quæsituri discurrunt, factoque mane hi qui in equis fuerant, directo calle ac concito gradu versus mare viam insequuntur abeuntis & abeuntem consequuntur. At ille ubi eminus venientes navem jam intraturus, agnovit, turbatus est valde & altius ingemiscens, Heu, inquit, Domine Jesu unice Dei, unice virginis, dulce nomen spei meæ, nunquid fraudabis me à desiderio meo? Fac, oro, ut hi, qui veniunt, aut mecum eant, aut me à proposito meo non impediant. His dictis illi accurrebant, moxque ab equis desilientes pedibus illius prosternuntur. Sed quid? prosternitur & ipse: levant illi; levat & ipse: flebant illi, flebat & ipse, vocemque mœror ac tristicia utrinque diutissime intercusit.

Tandem post multas lachrymas senior mœstus in hanc vocem prorupit. Ad quid venistis? Redite quæso ad hospicium & ego via quam cœpi pergam. At illi, Absit, inquiunt. Sufficit nobis hæc tam grandis confusio, amodo te nequaquam deseremus. Si redire vis? tecum redibimus; sin autem progredi, majus tecum progredimur. Sed placeat sanctitati tuæ consilium nostrum. Redeamus pariter ad fratres & ad pueros nostros hodie, cras, ecce, coram te loquimur, sive in mortem sive in vitam omnes tecum veniemus.

Quomodo sequenti die Stetinam intraverit & prædicaverit.

XII. *Stetina prædicat.*

TALI ergo pacto Episcopus cum eis reversus crastina die omnibus se comitantibus viam eandem ingrediuntur, ascensaque navi prosperis flatibus, Stetinam sunt advecti. Homines autem de civitate inter se diviserunt, aliis adhuc in fide manentibus, aliis vero ex majori parte ad paganismum reversis. Fuit autem basilica ante introitum civitatis in area spaciosa, quam ipse in priori profectione dedicaverat. Quam ingressi hospitari cœperunt. fideles itaque de adventu Episcopi gaudebant, infideles turbabantur. Præ omnibus vero nefandi sacerdotes furere & furorem------- excitare, adeo ut collecta manu armatorum, Ecclesiam undique cingerent, & insanis tumultibus debacchantes ædem ipsam convellendam & omnes qui erant ibi unà cum magistro interficiendos clamitarent. Episcopus itaque martyrii avidus, pontificalibus se induens, arma sua, *Crucem* tollit & reliquias, psalmosque ac hymnos cum clericis personans, agonem suum Domino commendab. Barbari vero audito cantu mirati sunt valde, quod quasi in articulo mortis positi cantare potuissent. Et auscultantes mutuo-

Digitized by Google

mutuoque se respicientes, virtute utpote verborum incantati, clementius se habere cœperunt, & jam non viribus, sed magis ratione opus esse dicebant, ad talia recipienda, vel etiam propulsanda. Deinde sapientiores quique super his rebus ipsos sacerdotes secretius conveniunt, ipsorum esse dicentes congruis rationibus religionem suam defendere. Talia inter se mussitantes paulatim ad sua digrediuntur. Erat autem sexta feria, & Episcopus cum suis illa die sabbatoque jejuniis & orationibus sacrisque meditationibus usque in diem dominicam intentius operam dabat. SÆC. XII. ANNO 1150.

De Vitslaco quomodo à vinculis sit ereptus.

XIII. *Vitslacus à vinculis ereptus.*

INTEREA civis quidam nobilis ejusdem civitatis *Vitslacus* nomine, in conventu populi, in plateis, & domibus, ubicunque & quandocunque facultas data est, regnum Dei & fidem prædicare non desiit, Christianas traditiones & omnia documenta Episcopi sana & sancta & veritatis plena contestans. hic etenim non longe ante adventum piissimi *Ottonis* cum aliis concivibus suis piraticam contra paganos exercendo dum incautius ageret, in hostes inciderat, multisque ibi trucidatis cum aliis vitæ relictis in captivitatem ductus fuerat. Cumque ferro & catenis & tenebrosi carceris custodia clauderetur, orando ad dominum per merita Episcopi liberatus fuit. Nempe cum diuturna oratione fatigatus in somnum resolutus esset, Episcopum *Ottonem* qui eum baptizaverat & de sacro fonte levaverat, sibi assistentem videbat. Quem dum ille cognosceret, rogat iterum & genua flectit pro ereptione. At ille, Ad hoc, inquit, veni. sed tu liberatus ea quæ Stetinensibus mando, ferre non dubites. Et mox datis mandati verbis, & signo crucis ad eum facto, captivum exire jubet. Expergefactus homo de visu lætatur, movet gressum, effectum probat visionis. Et ecce catenæ omnes & vincula solvebantur, progreditur ad ostium, & carcer apertus erat. Sentit ergo virtutem adesse divinam altumque suspirans gratias agit omnipotenti Deo, ac timido gressu invisam domum exivit, suspectisque locis leniter transitis, cursum ad mare tetendit, diuque huc & illuc discurrens navem quærebat, sed nullam inveniens admodum anxiari cœpit. Nam se denuo capi, denuo incarcerari metuebat. Sed quid faceret? Ad ultimum, formidine mali, cum jam sine remige corpus in undas pararet mittere, *Ottonem* suum nominans ingemuit ad dominum. & ecce de insperato cymba littori adlabitur; quam sibi à Deo paratam videns, cum gratias egisset, ascendit & utrisque manibus fluctus verberans, ratem convertit in altum, mirumque dictu, quam citissimè prosperante de * pat ad pusus est horis, quod miraculum assiduo relatu notum faciant & *Stetinam* veniens responsa Episcopi civibus in unum congregatis ut jussus erat, præmissa ex ordine liberatione sua, ita exposuit: O cives, doctor & magister noster beatus *Otto* sic & sic fecit mihi: & hæc mandat vobis. Gravis & dura nimis ab omnipotenti Deo vindicta super vos & super civitatem istam ordinata est, pro eo quod ejus fidem & culturam polluistis, partim cum eo, partim pro eo idolis servientes.

De Sacerdote idolorum altare Domini confringente sed punito.

XIV. *Sacerdos altare confringens plectitur.* * *S. Aldberti.*

NEFANDI quippe sacerdotes dum peste ac mortibus homines & jumenta quodam anno ex inæqualitate aëris ibi laborarent, à diis hoc malum immissum esse dicebant & ex voluntate populi Ecclesiam sancti * *Adlbati* martyris tintinnabulo & campanis dejectis, destruere cœperunt, unusque illorum dum malleo cementarii altare percuteret, subito languore ac stupore à Domino percussus est. Cumque malleus de manu ejus caderet, cecidit & ipse: deinde post longum spiritu parum resumpto, populum astantem, quasi ex plaga emendatus sic adorsus est: Frustra ô cives nitimur: Deus Christianorum fortis est, & nostra vi à nobis expelli non potest. Mihi autem consilium videtur, ut illum habeamus, & tamen antiquos Deos nostros non dimittamus, & juxta illius aram nostris quoque diis aram constituamus, ut eos omnes pariter habeamus propicios. Quid faceret populus? Territus prodigio consilium probavit, exstructoque nefando altari juxta dominicum altare Dei, servierunt & dæmonibus, juxta historiam antiquitatis, qua dicitur, quod populus Samariæ Deos gentium colens, nihilominus Domino serviebat.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150.

De adventu Episcopi.

XV. *Adventus Ottonis.*

BITSTACUS ergo fidei zelo calens non semel aut bis legationem, quam acceperat, egit ad populum, sed ex quo à captivitate rediit, numquam cessavit evangelizare regnum Dei, misericordiam Dei & merita liberatoris sui civibus inculcans; & nisi ab errore quiescant, divinam eis ultionem intentans. Tota vero civitas, exceptis sacerdotibus, factum hoc cum veneratione mirabantur, & tamen prævalente consuetudine, à paganismi ritibus cessare non poterant. Sed jam de præsentia Domini Episcopi responsalis ejus audentior factus, linguam laxat eloquio, victorque idolorum & vatum, vana de his vaticinantium, ad servum Dei veniens cum amicis & cognatis suis, pronus adorat, gratias agit, referens omnem ex ordine rem, ipsumque ardenter ad opus prædicationis instigat, auxilium ei & consilium ex sua suorumque parte ad omnia pollicitus. Itaque die dominico completis missarum solenniis, sicut erat sacra indutus, armatura vexillo *Crucis* ex more prælato, in medium forum civitatis duci se rogavit. Cumque ad portam ventum esset, ecce, per quam sine remigio trans mare *Witstacus* vectus erat navicula poste pendebat; & admotus lateri pontificis, Vides, ait, pater? & feriens eam hasta, Hæc, inquit, cimba testimonium sanctitatis tuæ, firmamentum fidei meæ, argumentum legationis meæ ad populum istum.

Erat autem alvus brevissimus, qui à duobus facile portaretur. Subsistit Episcopus, & diligenter rem considerabat, perpenditque quod in pacatissimo amne vix, remo gubernata, unam personam portare sufficeret, nedum in fluctibus marinis sine omni gubernaculo, nisi hoc divinæ virtutis esset gubernaculum, gratias agit Deo beatus antistes quod incredulæ genti virtutem suam tali facto demonstrasset. Liberatus autem subintulit: Hanc idcirco suspendi feci ad portam, ut ingredientes sive egredientes facto hoc disceretis, quid in suis necessitatibus de Dei misericordia ac de tuis meritis, sanctissime pater, sperare deberent. his dictis in confertissimas paganorum turbas, ministris comitantibus, in medium forum sese contulit Episcopus. Erant autem ibi gradus lignei, de quibus præcones & magistratus ad populum concionari solebant. In quibus stans minister Evangelii sermonem cœpit, fremitum verò dissidentis populi *Witsacus*, vice præconis, manu & voce sedabat.

Quomodo hastis eum approjecerint, sed in manibus eorum diriguerint.

XVI. *Hastis Ottonem impetunt.*

CUMQUE omnes conticuissent, & verbum exhortationis pars maxima libenter--- ecce unus Sacerdotum vir Belial, plenus furore, pinguis, procerus, in medium turbæ sese fortiter intruden̄s cambuccam suam manu gestabat, spiransque & anhelans, usque ad ipsos gradus accessit, levataque manu semel & bis columnam graduum validissime percussit. Deinde clamore magno & verbis nescio quibus contumelioſe prolatis, silentium mandat loquenti, suæque vocis grossitudine magnum tonans sermonem, Episcopi & interpretis pariter oppressit, populoque ait: Sic ô insensati & stulti, & inertes quare decepti & incantati estis? Ecce hostis vester & hostis Deorum vestrorum. Exspectatis? feret ne impunè contemptum & injuriam? Omnes autem incedebant hastati. Fatur ergo sacerdos: Hæc dies omnibus erroribus ejus finem imponet; omnesque adhortans sigillatim quoque de quorum certus erat malignitate propriis nominibus compellabat. Et quicunque spiritu vesano agitabantur, quibusque familiare fuit, audacter magna, quàm consulte agere, ad dicentis vocem inflammati hastas levant, quas dum ad jaciendum vibrant, actu rigent in ipso, mirumque dictu, nec hastas jacere, nec dimittere dexteras, vel de loco moveri poterant. Stabant igitur ut simulachra immobiles, infideles & maligni qui à fide Christianismi defecerant & in infidelitate sua pertinaci dementia stantes impias manus contra servum Dei levaverunt, hac pœna tam diù sunt multati, quousque in sua fide boni firmarentur, & illi à pravitate cordis per pœnam corporis corrigerentur. Nam & Episcopus arrepta miraculi occasione, Cernitis, inquit, fratres, quanta sit potentia Domini. Certè, ut video divinitus ligati estis. Quare non jacitis hastas? Quare non dimittitis dexteras? Quamdiù in hoc visu apparebitis? Illi autem nescio an præ confusione, an præ stupore nihil respondebant. Tunc ille, En, inquit, Dii vestri pro quorum religione certatis, si quid possunt, auxilientur vobis. Sed & ille vester tumultuosus sacerdos invocet nunc Deos suos super vos; det consilium, det auxilium. Si quid novit, si quid potest; jam tempus est. Ille vero jam stabat, jam dudum eventu rerum attonitus jam ulterius

Digitized by Google

ulterius nec mutire præſumens. Cumque omnes ingenti pavore ſilerent, Epiſcopus miſeratione tactus, Gratias inquit, tibi Domine Jeſu Chriſte, qui potentiam fortitudinis tuæ, cum tempus eſt, ad terrendos adverſarios & ad protegendos ſervos tuos exercere ſoles. Sed quia pius & miſericors es, ignoſce, ignoſce, rogamus ignorantiæ ſeu temeritati populi hujus & uſum corporum ſuorum quo te ligante privati ſunt, ſolita illis miſeratione reſtitue. Quo dicto, *Crucisque* ſigno ad eos facto, effectus orationem mox inſecutus eſt. Et ſubjungens, En, inquit Epiſcopus, ſi audire hactenus noluiſtis, tangite ſaltem, & ſenſu ipſo probate quanta ſit miſericordia Dei noſtri, quanta ſit veritas fidei quam prædicamus vobis, & longius de judicio & miſericordia Dei de vitæ præſentis incerto & perſeverantia æternorum profunde diſputans, contritos in Syon peccatores erudivit, tandemque medicamine ſalutaris eloquii aliquantum manſuefactos benedixit, & cœtum dimiſit. Deſcendens vero de gradibus Eccleſiam ſancti *Adelberti* cum fidelibus zelo zelatis pro domo Domini intravit à præmiſſa inibi orationis ſolennitate, altare abominationis fregit, comminuit, & ejecit, factaque reconciliationis emundatione, fracturas Baſilicæ ſuis fecit emendari impenſis. SÆC. XII. ANNO 1150.

Quomodo pueros Chriſtianos à paganis ſeparavit.

CUMQUE ſæpius eandem frequentaret Eccleſiam, quodam tempore pueros in platea ludentes invenit, quos dum lingua barbara ſalutaſſet, vultu conjocando illis etiam *Crucis* ſigno eos benedixit, & paululum procedens, intellexit, quod univerſi relictis ludis ſuis, viſendi ſtudio collecti, à tergo ſequuntur Epiſcopum, hominum ignotorum, ut eſt mos illi ætati, aſpectum habitumque admirati. Subſtitit homo Dei, & circumfuſos blande alloquens, ſciſcitatur ſi aliqui ex eis baptiſma percepiſſent. Illi ſe mutuo reſpicientes, cœperunt invicem prodere, qui fuerint ex eis baptizati. Quos Epiſcopus ſeorſum vocans, quærit ab eis, voluntatis eorum ſit, tenere velle; conſtanter affirmantibus, Epiſcopus, ſi, inquit, Chriſtiani eſſe velitis, & fidem ſervare baptiſmi, iſtos non baptizatos & infideles pueros ad ludum veſtrum admittere non debetis. Qui ſtatim juxta verbum Epiſcopi ſimiles cum ſimilibus congregati pueri baptizati non baptizatos abjicere & abominari cœperunt, nulla eis ludi ſocietate communicantes. Itaque videre pulchrum erat, quomodo hi de profeſſione Chriſtiani nominis gloriantes, familiarius agere & avidè intueri & audire doctorem, etiam inter ludos ſuos; illi autem quaſi de infidelitate confuſi & exterriti, à longius ſtare. Sed pater optimus & credentes miti ſermone ad fidem plenius pro ipſorum capacitate inſtruxit; non credentes vero ad credendum tam diù exhortabatur, quouſque baptizari ſe & Chriſtianos fieri omnes flagitarent. XVII. *Pueri Chriſtiani a paganis ſeparati.*

Quomodo Wittſtacus ad Epiſcopum veniens verba ei populi renunciavit.

INTERIM vero majores natu & ſapientiores quique de rebus iſtis altius inter ſe tractaturi conſederant, & à mane usque ad medium noctis huic deliberationi vacantes, de ſalute propria & totius populi, de ſtatu civitatis & converſatione pariter ſecundum prudentiam ſæculi diligenter diſputabant. Præcipue autem univerſa quæ *Ottonis* erant dicta vel facta examuſſim trutinabant, & mediante ſpiritu ſancto in hanc ſententiam omnes conveniebant, & Eccleſiæ, ut funditus exſtirpata idolatria ex integro ſe religioni Chriſtianæ ſubmittant; atque in hoc verbo concilium ſolvunt. *Wittſtacus* verò qui omnibus his intererat, nocte ipſa cum paucis ad Epiſcopum veniens, optatum affert nuncium, omne conſilium ei breviter intimans. Deinde etiam collectis ad Epiſcopum clericis & aliis familiaribus omnia quæ audierat quæque in concilio de ipſo dicta fuerant, ſecundum ordinem liberationis ejus qui loquebatur; & de miraculo, quod haſtas vibrantes contra Epiſcopum pridie obriguerant, & quod adhuc Epiſcopum latebat, qui ad Eccleſiam cum miniſtris per plateam præparatus incedebat, tantus ſplendor veſtium apparuit, ut maligni homines, qui ad eum necandum ex inſidiis veniebant, nimiæ claritatis aſpectu in fugam territi ac turbati verſi fuerint. denique virum illum, virum Belial, ſacerdotem qui ei concionanti ad populum impedimento fuerat, ab ipſis civibus ejectum nunciat. Porro apud eos ejus liberalitates & eleemoſynarum inæſtimatæ largitiones, captivorum redemptiones quoque ſine magna recompenſatione, quod nullius eorum opes vel ſubſtantiam oblatam contigerit, ſuis XVIII. *Populi converſio.*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150. impensis seſe atque suos transigens, etiam basilicas exstrueret, destructaque reædificaret omnia: hæc quantæ venerationis, quantævè admirationis habita sint, cum gaudio referebat. Igitur de mane consurgens Episcopus, & cum gratiarum actione Missas celebrans, concurrentes cives iterum alloquitur; paratos atque obedientes ad omnia invenit. Quicunque enim Apostasiæ vicio se inquinaverant, spiritus sancti virtute faciente, compuncti, per manus impositionem in fonte lachrymarum suarum loti, Ecclesiæ sanctæ reformantur. Pueri vero & quicunque sacramentum baptismi nondum erant consecuti, baptizantur; fana destruuntur, Ecclesiarum fracturæ solidantur; si quæ destructæ fuerant, reparantur. omnis ergo populus jam quasi vir unus idipsum sapiebant in Domino. Gaudet Episcopus, lætantur sacerdotes, magnifica fiunt in consilio justorum opera Domini.

De Rombone a Piscatoribus capto.

XIX. *Rombo captus.* PRÆTER hanc autem spiritualis lætitiæ occasionem, divinitas omnipotentis illi civitati ex inopinato corporale commodum exhibuit. nam immensæ molis *Rombonem* circa portus ac naves se ostentantem piscatorum manus ad litus ejecit in mense Augusto; cum tamen illis in locis talis captura non * vero vernali tempore occurrat, ex cujus carnibus ac pinguedine omnes cives partes capiunt, & Episcopo, cujus meritis hoc munus adscribebant, plusquam absumere cum suis omnibus posset, apportant.

* *f. nisi.*

Quomodo Domino protegente ictum securis evaserit.

XX. *Otto securis ictum evadit.* VERUM tam lætis eventibus temptatio non defuit. Nam cum delendis & exstirpandis fanis Idolorum & sacris diligentius instaret Episcopus, nucis arborem mirandæ pulchritudinis Idolo dicatam, ne scandalo esset rudibus, volebat incidere. Vicini autem, qui umbra ejus & amœnitate sæpe delectati fuerant, ne incideret eam, rogabant. Porro agri possessor vehementius irasci atque indignari cœpit, aliisque modeste agentibus, hic minis & clamoribus longius assistens furorem cordis evomuit. Itaque quasi paululum furore sopito, silentio à tergo accedit, nulloque sperante securim bellicam utrisque manibus levans caput Episcopi ferire visus est. Sed illo præsentiente atque in aliam partem ruente, bipennis cassо vulnere in trabem pontis, juxta quem stabant, perlata est, tam fortiter, ut à feriente reduci non posset. Accurrunt omnes, comprehendunt, trahunt, scindunt infelicem illum, & nisi per interventum Episcopi, eâdem securi trucidassent.

De Sacerdote Idolorum Episcopum persequente, paralysi percusso & mortuo.

XXI. *Sacerdos Idolorum moritur.* OTTONE sic à periculo liberato, percussore suo de manibus percutientum salvato, *Adlbertus* Presbyter ad *Teutonicas* se partes vertens profundius inclinat, Deo, Sancto Michaeli in *Wabenberg* fratrum orationibus, gratias agit pro salute. Et conversus ad Episcopum, En, inquit, scutum orationis fratrum, protectio sancti Michaelis Archangeli. De arbore vero ne incideretur, tandem cives multis precibus obtinuerunt, jurejurando affirmantes nihil unquam divinitatis vel sanctitatis arbori se adseveraturos, neque numinis vel idoli alicujus vice se illam habituros; sed magis pro utilitate fructuum & utilitate umbrarum. Omnibus ergo quæ ad cultum fidei spectant rite ordinatis, dum ad alia loca pararet iter, ab universis majoribus natu prudentioribus civitatis, rogatus est, ut quia Deus cum illo erat, & multa eis bona ostenderat, ducem *Urocizlaum*, cujus offensam gravibus culpis incurrerant, eis placare studeret, atque hoc facto cuncta circa se studia sua deauraret. Annuit: elegit viros honorabiles ad responsa accipienda sive reddenda idoneos; ducem adiit, preces fundit, accusat populum & excusat. Deinde potenti suadela mitigat indignationem, jubet, obsecrat, facit compositionem, pacaisque ad perfectum omnibus, missis cum collegatis pacem affert civitati. Hinc toti Ecclesiæ valefaciens miris affectionibus *Julinam* ire dimittitur. Maligni vero sacerdotes pleni dæmonibus, cum jam aperte non possent, vel per insidias servo Dei nocere moliti sunt. Conducta enim magna sicariorum manu, viam abeuntis in arctioribus navigii locis obsederunt; suis amicis istarum rerum nescius, mortem Episcopi, quasi per divinationem prænunciantes. At ubi ad insidias ventum est,

Digitized by Google

est, hostes arma corripiunt, funambulos tenent, navigantes invadunt, Episcopi sanguinem super omnia sitientes, *Stetinenses* vero & comites Episcopi arma rapiunt, ex rate prosiliunt partim terra partim aqua consistunt, vim viribus audacter arcentes. Cumque aliquamdiu pugnatum esset, hi qui de insidiis erant, à *Stetinensibus* cœperunt agnosci, confusi de facto fuerunt. At sacerdos qui hæc machinatus erat, eadem hora domi cum amicis residens paralysi vehementissime cœpit vexari, languore suis eum Diis non immerito laniantibus. Cumque ore, oculis, ac tota facie distorta, frontem ad scapulas verteret, miserabili corporis agitatione in mortem solveretur, ait, Hæc patior propter insidias & mala quæ contra *Ottonem* feci. In hac voce vitam finivit. Tantus autem fœtor subsecutus est, ut Pluto ipse infernalis, vel quisquis illic est maximus, ab hujus faucibus spirare putaretur. Item alius quidam de sacerdotibus *Ottoni* contrariis cum ad negotia sua cum institoribus fortè navigaret, in insulam quandam nautæ, ut adsolet, ad suas commoditates applicuissent, iste alienata mente, nec vultu nec voce sanum quid agens, à comitibus notatus est. Cumque seorsum aliis insula veluti per amentiam vagaretur, juvenes quidam quasi per lasciviam secuti, delirum fune persequuntur, ad arborem ligant, ac cædunt. Ille vero incautis motibus vinculorum impatiens solvere se luctabatur. Sed divino judicio confectus per funem qui collo injectus erat, intercluso anhelitu mortuus est. SÆC. XII. ANNO 1150.

Quomodo Julinenses exemplo Stetinensium de apostasia resipuerint.

XXII. *Julinensium pœnitentia.*

EPISCOPUS autem Dei protectus auxilio cum *Julinam* venisset, nihil ibi invenit adversitatis. Omnes enim redargutiones de apostasia seu de aliis excessibus patienter ferebant, indigna & mala opera sua dignis emendationibus ad ejus doctrinam expurgare & corrigere parati. Ille autem per manus impositionem, sacri verbi exhortationem sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ omnes reformavit, baptizatis pueris quoscumque Sacramenti hujus expertes invenit. sicut cum exemplo *Stetinensium* pridem à fide recesserant, ita denuò conversis illis facilè convertebantur. Illos enim per omnia imitari quasi pro sententia eis fuit.

De muliere cæca quomodo visum receperit.

XXIII. *Cæca visum recipit.*

CUM autem sacris operibus illic instaret Episcopus, mulier quodam in rure posita, nescio quo eventu subita cæcitate percussa est. Audiens autem antistitem adhuc esse in civitate, duci se illo jubet. Et veniens corruit ante pedes ejus, auxilium petens super clade sua. * Si quid autem æris pendebat ante fores Ecclesiæ, quod simplices, cum intrarent oraturi quasi ad excitandum sanctos pulsare consueverant. Episcopus ergo dum ad succurrendum à muliere crebro invocaretur, Vade, ait, mater, vade ad Ecclesiam, quassa campanam, excita sanctum *Adalbertum*, ut te adjuvet. Abiit illa, Deum & sanctum *Adalbertum* invocans, arreptoque fune non prius à pulsatione signi cessavit, quam oculorum lumen reciperet.

Videntes autem cives gratias agunt Domino super gratiam hujusmodi & magis in fide Catholica roborati sunt. Sed dum hoc factum Episcopi meritis adscribere vellent, prohibuit eos dicens, Non me miraculorum factorem, sed peccatorem sciatis. Potius hoc beati martyris *Adalberti* meritis adscribendum certissimè noveritis. Num obliti estis, quomodo priori anno cum tota civitas ista incendio vastaretur, hanc ædiculam suam beatus martyr in mediis flammis positam liberavit? Sed moneo ut illius calamitatis memores, nec *Julium* ipsum, nec *Julii Hastam*, nec statuas idolorum vel simulachra ullo modo colatis, denuò pristina mala iterantes, ne mortem, pestilentiam, incendia, bella, divina incurratis ultione. hæc his similia Dei servus ad eruditionem populi blanda oratione loquebatur.

De Puero sanato.

XXIV. *Puer sanatur.*

DIE vero quadam miles habens filium lunaticum, benedicendum eum obtulit Episcopo, adductis cum eo quatuor bubus pascualibus, donorum gratiam pro benedictione. Sed doctor bonus manus suas excutere suetus ab omni munere, benedictionem quidem puero tribuit, ipsum autem puerum cum patre ac donariis ad papilionem suum, ubi capsæ ac reliquiæ Sanctorum erant, deduci jubet, ut ibi, si vellent, facta oratione & oblatione Dei misericordiam invocarent. Vadunt: sanatur puer: gratias agunt.

De

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150

De Frenetico ſanato.

XXV. *Freneticus ſanatur.*

MILES quidam freneſi ac dementia interdum capitis languore vexatus, in loco, ubi ad orandum ſteterant pedes ejus, ſeſe projiciens, ſanitatem orans obtinuit.

De Segete divinitus exuſta.

XXVI. *Seges divinitus exuſta.*

IN die ſancti *Laurentii Rocetis* Presbyter beati viri ad villam pergebat: homines autem terræ illius nondum conſueverant ſervare dies feriatos. In ipſo ergo die transeunte Presbytero, ruſtici ſegetem metebant. Ille autem de obſervantia feſti eos alloquens, merita martyris prædicabat, atque ut ab opere ceſſarent ſub conteſtatione & reverentia beati *Laurentii* admonebat. Sed cum ſcriptum ſit: ſtultus non corrigitur verbis, homo qui magiſter erat operis, ſpreta ſacerdotis admonitione, operarios ſuos magis ac magis urgebat. Contriſtatus ut digna ultione contemptum martyris ſui vindicaret. Nec mora, ex improviſo ignis venit & ſtantem ſegetem & eam quæ meſſa fuerat undique afflavit, tantaque vis ardentis fuit ſtipulæ, ut ipſi ruſtici de campo fugerent. Factumque eſt ut qui ſalvis frugibus ab opere ſponte ceſſare noluerant, perditis omnibus quæ habebant, ceſſarent inviti.

Item de duobus diem Dominicum non obſervantibus & multatis.

XXVII. *Puniuntur diei Dominicæ violatores.*

SIMILE quoddam eodem presbytero per omnia pergente in *Aſſumptione* Beatæ ſemper virginis *Mariæ* factum comperimus, duobus videlicet ruſtico & ejus uxore in agro metentibus: Zelo enim religionis presbyter eos prohibebat, dicens, Huic diei propter aſſumptionem Dei genitricis honorem deberi. Erat autem ſecunda feria. Dicebat ergo ruſticus, Heri propter dominicam non licuit operari, iterum hodie vacare debemus. quæ eſt hæc doctrina, quæ homines à rebus neceſſariis bonis jubet ceſſare? quando ergo collectas videbimus fruges noſtras? Puto vos invidere utilitatibus noſtris. Cumque jam ad blaſphemandum os aperire vellet, falcem crebris tractibus meſſor vehemens in calamos vibraret, mirum dictu, ſubito extinctus in ſulcos cecidit, falcemque in dextra, ſegetem autem in ſiniſtra, ut abſecta erat, tam fortiter mortuus tenebat, ut à nullo aufferri poſſet. mulier autem infelix, ſocia operis, morte quidem mulctata non eſt; puto quia ſub viri poſita fuit obedientia, ſed tamen ſine pœna & confuſione non evaſit. Nam corpus exanime viri ad Eccleſiam ſecuta, falcem, ſegetem, de manibus ſuis & ipſa excutere non potuit, quousque coram populo & clero argumentum hoc illicitæ operationis probaretur. Sepulto igitur viro, abeunte cum timore populo, mulier quoque ſoluta eſt. Ex hoc autem facto populus majorem Dei genitrici reverentiam majoremque aliis feſtis celebritatem doctus eſt exhibere.

Quomodo ad Ruthenos ire voluit prædicandi gratia.

XXVIII. *Ruthenos vult convertere.*

INTEREA *Rutheni* comperta fide & converſione *Stetinenſium*, quia in Chriſtianitate penitus roborati ſunt, à ſocietate illorum ſe averterunt, commercia omnia mutuaque negotia inſtitorum ex indignatione abrumpentes, quaſi alterius jam fidei populo communicare in talibus non deberent. Iſti autem ſæpenumero à multis prædicatoribus ad fidem vocati, de integro nulli ſubmittere ſe voluerunt, ſed aliis credentibus, alii non credebant, atque ex majori parte paganicis ritibus degentes, ſemina fidei veluti ſpinæ ſuffocantes, illic convaleſcere non ſinebant. *Ruthenia* vero *Danos* adjunctos habet. Porro Archiepiſcopo *Danorum* etiam Ruthenia ſubjecta eſſe debuit. Sed populo fidem catholicam propulſante, ſuperfluum eſt, ſacerdotes de parochiæ terminis litigare. *Rutheni* ergo paulatim creſcente odio, *Stetinenſibus* publice adverſari cæperunt. Et primo quod naves illorum a litoribus ſuis arcere, poſt naves illorum ſubmergere, poſt ex communi decreto hoſtes eos ſtatuunt; *Ottoni* Epiſcopo mandantes (audierant enim quod ille ad prædicandum venire vellet) ne unquam fines eorum contingeret. Dicebant enim nihil eum apud ſe inventurum niſi acerbas pœnas & mortem certiſſimam. Ille autem accepta tali legatione, tacite apud ſe exultat, animum parat ad martyrium, cogitat diſponere omnia, tractat anxie apud ſe, an melius ſit ſolum ſe ad tale convivium ire, an cum multis. *Stetinenſes* autem quidam boni viri & prudentes in comitatu Epiſcopi erant *Julinæ* gnari locorum, provincia-

Digitized by Google

vinciarum, & morum cujusque gentis. Hos ergo paulatim Episcopus interrogat, ra- SÆC.
tionibus prætemptabat, scire volens, si quomodo Christus per eos se illuc perducere XII.
dignaretur. At illi de origine *Ruthenæ* gentis, de feritate animorum, de instabilita- ANNO
te fidei, & bestiali eorum conversatione multa ei narrantes, hoc qui Archiepiscopo 1150.
Danorum subjecti esse debuerint, non tacebant. Sperans ergo Episcopus gratum fore illi, si converti possent, simulque attendens congruum esse quod per ejus licentiam ac permissionem ad prædicandum in ejus parrochiam veniret, Inuanum venerabilem presbyterum de latere suo & alios nuncios navigio cum literis, muneribus, illo pro licentia direxit. Archiepiscopus vero in maximo gaudio & honore legatos accepit, habitisque apud se multa humanitate, plurima de statu, de doctrina, & de operibus beati *Ottonis* præconabatur. Erat autem vir bonus & simplex, bonarum rerum cupidus auditor, non mediocris scientiæ ac religionis, in exterioribus tamen *Sclavicæ* rusticitatis, Nam & homines terræ illius tales sunt, ut maxima ubertate atque divitiis, generali quadam duritia, omnes inculti videantur & agrestes. Urbes ibi & castra sine muro & turribus, ligno tamen ac forstatis muniantur. Ecclesiæ ac domus nobilium humiles ex * temate. Studia hominum aut venatio aut piscatio est, vel pecorum pastura. In his etenim omnes diviciæ illorum consistunt. Siquidem agrorum cultus rarus ibi est. Porro in victu vel in habitu vestium parum lauti habent aut pulchritudinis nostri. Unde ergò mediocres in comparatione illorum glorioli erant. *Ponanus* vero presbyter archiepiscopo ipso major esse videbatur. Cumque esset boni oris, ad omnia composite respondens, illum valde oblectabat, nihilque satis ei esse potuit, quidquid de *Ottone* audiebat. Fama enim ante annos plures hunc notum habuit, & nunc quidem gloriari atque lætari abundantius cœpit, qui ejus dignos & præclaros nuncios præsentes haberet, cujus tanta & præclara facta vulgari fama passim prædicari prius audisset. De legatione autem ejus ad præsens nihil se respondere posse dicebat, nisi ante principes *Danorum* atque magnates per aliquas inducias consuluisset. Inuanus autem & legati hoc longum sibi judicantes, dimitti se rogant, ne super eo- *Hunc ante Ponanum vocat.*
rum mora contristaretur Episcopus. Annuit ille cum benignitate, ac litteras, donaria, navemque grandiusculam butyro plenam, signum dilectionis & amicitiæ mittens Episcopo dicebat; ex consilio principum per suos legatos de verbo prædicationis se responsurum. Quod utrum industria, an simpliciter dixerit, nobis compertum non est. Nam cum per aliquot dies ejus nuncios exspectaret Episcopus, de partibus *Alamanniæ* de domo *Babergensi* plures nuncii venerunt, magnis & necessariis causis Episcopum revocantes.

Quanto gaudio post reconciliatos Deo Pommeranos ad Episcopatum rediens acceptus sit.

RUTHENI autem crebris insultibus *Pommeranos* lacessunt & *Stetinensium* fines ar- XXIX.
matis navibus perturbant. Cumque semel & bis repercussi à bello cessare noluis- *Otto domum reversitur.*
sent, *Stetinenses* ex consilio communi, arma tractare cœperunt, atque iterum venientibus coadunatis viribus occurrere. Sed quid plura? Tanta strage *Rutheni* fusi sunt & tanti ex eis in captivitatem redacti, ut qui evadere potuerunt, nullum ultra victoribus bellum intulerunt. *Stetinenses* igitur hac victoria potiti, Domino Jesu Christo & servo ejus *Ottoni* honorem adscribebant. *Rutheni* eos ultra jam non timentes, sed ex captivitatibus ad humiles satisque indignas compositiones eos astringentes. Beatissimus proinde *Otto* omnibus propter quæ venerat bene completis, visitans omnes quos potuit decorum vale in maxima lætitia illis faciebat per ducem *Poloniæ* ac per alios amicos suos tunc ad sedem suam relegans. Itaque aliquot diebus gratiosa sui præsentia & caris aspectibus Ducem, *Polonienses* dilectos dilectores suos in plenitudine sanctitatis mansuetudinis & gratiæ lætificans ita se promovit, ut in Vigilia sancti *Thomæ* Babenbergorum in Ecclesia Cathedrali in multo desiderio & exspectatione suorum quasi de victoria cum exultatione rediens susciperetur, cantantibus clero & monachis tota mente totisque verbis: *Domine suscipe me ut cum fratribus meis sim.*

De nobili Operimento à Polizlao misso; quomodo eo usus sit.

DUX *Poloniæ Polizlaus* omnesque meliores terræ illi summa amicitia conjuncti XXX.
erant; frequentes ei salutationes & literas mittebant, donariis suis eum magni- *Polislaus ipsi operimentum mittit.*
ficè honorantes, quia meritis ipsius ac precibus se apud Dominum juvari plurimum

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1150. posse confidebant. Alii quoque principes ac divites de omnibus terris audientis famam operum ejus, audientes eleemosynas, ei sæpenumero ingentia dona mittebant, socios se fieri & conparticipes studiorum ejus devote postulantes. quadam vice tegimentum nocturnale mirabilis pretii de serico auro megalina pelle confectum inter alia ei dona allatum est, ipseque auctor domi specialis amicitiæ signum hoc esse nuncians, obnixè rogabat, ut in recordatione sui ejus usum dignaretur; nevè de profligatione rei causaret; devote promittit, hoc detecto vel parumper absumpto, aliud se transmissurum. At præsul accepta veste plicat eam ac replicat, & diligenter undique perspectam vestiario suo commendat. Deinde portitoribus & legatis sub persona mittentis reverenter inclinat, gratiasque agit dicens, Siquidem magnæ dilectionis munus hoc testimonium est; & ego in memoriam datoris in perpetuum illud servare curabo ita sartum ut nec mures vel ulli fures furentur, vel tinea demoliatur aut ærugo. Habebat autem cognitos & ex nominibus propriis notatos omnes paralyticos, languidos, cancerosos sive leprosos de civitate sua, modum, tempus, & quantitatem languoris eorum per se investigans, congruaque subsidia omnibus providebat & per curatores. Vocato igitur vestiario suo, Tolle, ait, præclarum istud & carum mihi tegimentum, ac pone super illum paralyticum, nomine illum designans, quem sciebat longis doloribus adtractatum, ulceribus scatentem & vermibus, cujus fœtorem vicinia tota perhorrebat. Abiit ille & juxta mandatum Episcopi delicatissima veste miserrimum illum cooperuit, mirantibus ac stupentibus omnibus qui hoc viderant. Erant autem complures majores ac nobiliores, talia dona de manibus illius accipere consueti, qui spe hujus delusi vix ab injuria linguas retinerent, dicentes, non opus esse megalinis pellibus leprosos ac paralyticos tegi, quibus utique ovium vel leporum vestimenta sufficere potuissent. Sed sunt aliqui Episcoporum qui si hanc vestem corpori subtraherent, proprio sanguini injuriam inferri fortasse non negarent, qui terrenæ sapientiæ dediti tales sumptus festivitatem vocant, qui cor trahentes in terra lingua cœlum pulsant, qui terrenum habent fundamentum, rem suam humanis præsidiis tutandam putant, moles turrium & interim massam murorum multis sumptibus coacervantes, spiritualia munimenta vilipendunt. Verum *Ottoni* beatissimo non ea mens erat, omnem fiduciam in divinitatis ope collocabat. Castra quidem & urbes ad terrenos usus quandoque parabat: sed longe major Ecclesiarum vel monasteriorum ei cura fuit.

Quid de Sagittis pro munere à Fabro oblatis fecerit.

LX. *Ex sagittis clavos jubet confici.* Faber quidam peritissimus de arte suo Episcopo innotescere cupiens, telorum ac diversi generis sagittarum ad opus bellicum mirabiliter præparatarum sportam plenam adportavit, ut in urbibus & propugnaculis Episcopi futuris necessitatibus servari debuissent. Episcopus vero gratias quidem egit homini, pro munere dignam illico mercedem rependens, sed manu propria unam levans quæ triplici acie ac longo acumine visu etiam erat terribilis, Quare, inquit, istam tàm longam tàm subtilem, tàm acutam fecisti? Ille, tales, inquit, facimus ad penetrandas loricas & clypeos. Impulsu enim baliste tales sagittæ nec scuto nec thoraci tueri sinunt hominem. Cui Episcopus, Ego, inquit, agam, ut mortales se de his non mortificent. Jubetque omnes simul levari, sicut erant in cophino, portitoribus dicens: Ferte has *Alberto Hermanno* rogantes diligenter ut mei causa in obsequio Domini expendat, ne mortibus hominum aptentur. habebat autem Abbas in manibus opus, tectum videlicet Ecclesiæ sancti *Michael* Archangeli. Acceptis ergo sagittis patula retro haurimenta omnibus convolvi jussit ac de nobilissimis sagittis clavos tegularum fabricans tecto illos Ecclesiæ coaptavit.

De Oeconomo ejus Rudolffo & equitaturis ejus, qualiter sit eis usus.

XLI. *Usus equitaturæ.* Quidam œconomorum ejus *Rudolfus*, vir bonus ac prudens, ad eum propter domesticas causas veniebat, cumque pro explicandis rebus apud eum aliquandiù demoraretur, Episcopus more suo egressus visitare Xenodochium, stabulum transivit œconomi, vidensque duos equos fortes & eleganti corpore, à comitantibus, cujusnam hi sint inquirit: sed illi procuratoris sui esse eos dicunt. Bene, inquit, magni sunt & fortes: certe portare habent precia & redemptiones captivorum

Digitized by Google

rum in terram *Pomeranorum*. Audierat enim quosdam de baptizatis ſuis in civitate barbararum gentium fuiſſe captivatos. Sublatis ergo equis œconomus re agnita ad Epiſcopum venit, de via ſua & negotiis ſuis inſinuat, equitaturas repetit, quas ſi habere non poſſit, ad omnia ſe impeditum dicit. Cui Epiſcopus, Non iraſcaris, obſecro, lucrum quoddam & negotiationem cogitavi: eſto ſocius meus. Agamus pariter ut de fructu & lucro actionis pariter gaudeamus. Decem equos pannis oneratos in *Pomeraniam* miſſurus opera tua indigeo. SÆC. XII. ANNO 1150.

Omnem igitur pannum qui ad uſus noſtros in partibus *Saxoniæ* repoſitus ſervatur inargentabis, inſuper omnes pecunias de redditibus earundem partium ad nos pertinentium, quas colligere poteris, cuncta ſimul ad nundinas *Hallæ* portabis. Noſti etenim nobiles, puros, & precioſos pannos, in terra *Pomeranorum* caros, frugi mercatu *Hallæ* inveniri. Igitur quidquid ex præfata pecunia fuſtani, & purpuræ, purniati, fricatii quoque ſeu alterius cujulibet optimi generis vel coloris pannorum coëmere poteris, in ſarcinas concludes, aliasque ſpecies glorioſas & res pulchras emens, omnia his jumentis in *Pommeraniam* diriges, partim dona majoribus, reliqua vero cauta venditione habita precium captivis quos in barbaras nationes abductos conſtiterit. Hæc autem ſi, ut dictum eſt, ita exequi potuerimus, nec tu nec ego fructu inanes, nec ſine mercede in futura vita remanebimus. Hac etenim cauſa equitaturas tuas aſtbuli. Abiit homo & quia fidelis erat, omnia ſicut Epiſcopus ordinaverat, haud ſegniter implevit. Munerantur honeſtiores, inſtitor *Ottonis* laudatur, forum ejus ac diſtractio populo rudi admirationi fuit & exemplo, certatimque cuncti rapientes res duplo emebant, tum præ dilectione pontificis, tum etiam quia precium redemptionis eſſe ſciebant.

Quomodo Amicitias cum Bela rege Ungariæ compoſuerint.

XLII. *Ejus amicitia cum Bela.*

HIs omnibus ad votum Epiſcopi explicitis, eundem œconomum mittit ad Regem *Hunorum* illum beatæ memoriæ *Belam*, qui à patruo ſuo *Colomanno* rege cum patre ſuo almo Duce in diebus adoleſcentiæ luminibus privatus, poſtea in regnum ſublimatus eſt, oculiſque fidei ac ſapientia mentis præditus rempublicam *Ungarorum* per annos plures gnaviter adminiſtravit, plenus orationibus, plenus & operibus bonis, & eleemoſynis. Certus itaque de ſtrenuitate *Rudulfi* Epiſcopus, cujus memoria ſemper in benedictione ſit, qui ad omnia ſtudia miſericordiæ ſedulus ei miniſter erat, ad prædictum regem *Belam* magnum eleemoſynatorem cum literis ac donariis eum direxit, parare amicitias ac ſocietatem, noticiam quoque ac parilitatem ſtudiorum in operibus miſericordiæ, accendere hominem ſanctum ad deſiderium futuræ exſpectationis, ad gaudium æternæ vitæ atque beatitudinis. *Bela* igitur accepto nuncio auditisque literis Epiſcopi, ſpirituali gratia & divina conſolatione plenis lætatus eſt valde, atque in feſto paſchali, quod apud *Ungaros* etiam propter ipſius terræ maximam ubertatem multa epularum largitate ſplendide ac delicatè celebrari ſolet, magnifice habuit nuncios *Ottonis*, vitam, ejus converſationem ſtatim crebro & opera interrogans, miraturque omnia quæ de illo audivit, magnæ felicitati adſcribens, quod talis viri dona & literas per nuncios accipere meruiſſet. Conſummatis ergo diebus cum tempus eſſet dimittendi legatos, multa devotione ſacris beati viri orationibus rex ſeſe commendans dona multiplicat, vaſa aurea & argentea & veſtes precioſas mittit, inſuper viginti libras excocti auri, ſpecialiter obſecrans, ut has in aliquos divinos uſus in recordationem ſui expendere dignaretur. Epiſcopus ergo acceptis donis & auro, nil moratus beato *Michaeli* hoc obtulit, *Crucis* decus in nomine *Salvatoris* de hoc fieri mandans, additque de ſuo auri quantitatem & gemmas, & cuſorem conducens inſigne trecentas argenti marcas valiturum ad honorem Dei & utilitatem Eccleſiæ fabricatus eſt.

Relatio de Sophia ejusdem Belæ.

XLIII. *Sophia Belæ filia.*

SED quia *Belæ Ungarici* regis mentio incidit, pauca de filia ejus Sophia, quæ in propoſito virginitatis ſub ſacro velamine inter ſacras virgines Admotenſis cœnobii laudabiliter degit, licet à propoſito diſcordent, inferenda ſunt, ſi quos forte legentium ſive audientium poſthac lucri facere ejus exemplo Dominus hac lectione

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1150. dignetur. Hæc etenim ante annos nubiles petita eſt *Heinrico* puero, *Conradi* regis *Teutonicorum* filio primogenito. *Bela* ergo cum ſæpe rogatus adquieviſſet hanc illi dare, & nuncii propterea veniſſent Archiepiſcopi & Epiſcopi aliique primates de regno *Alemanniæ*, ut juxta imperialem magnificentiam clara ad nuptas duceretur, hoc ordine, hac ratione ad ſponſalia eam direxit, *Domine*, inquiens, cœli ac terræ, tu omnia vides: ego vero nihil video. Tua ordinatione, ſicut voluiſti, Domine, cæcus factus ſum. Sed tu omnia videns, intueris abdita cordium, vides præterita præſentia & futura indifferenter. Et manus ponens ſuper caput filiæ, Hic inquit, Domine, mihi unica eſt filia: hac me ſola prole fœminea in tua miſeratione beaſti, hanc hodie te teſte, te ad auxilium noſtrum invocato, ad nuptias mitto, hanc te comitante præſentibus nunciis committo, tali tali fixa inter me & te, Domine Deus, conditione, ut nunquam eam deſeras. & ſi forte is qui eam petit filio ſuo Dominus Imperator *Chonradus*, unquam mali quidquam adverſus eam cogitaverit, tua in protetione tibi hanc commiſſam habeas. Ad legatos autem, En, inquit, coram vobis, & tollite filiam meam, ducite eam Imperatori veſtro, & quia mea vita ipſa mihi carior eſt, omne quod charum vel precioſum habeo cum ea transmitto. Juſſitque apportari omnia regalia ſua, capelam ſuam totam cum patrociniis ſanctorum, cum immenſis paraturis & utenſilibus aureis & argenteis, cum tentoriis ac papilionibus, cum jumentis optimis ad ſubvectionem rerum, inſuper aurum & argentum absque ulla æſtimatione, dona genero ſuo ac filiæ. Et apprehendens ſcrinium, in quo erat patrocinium beati *Blaſii*, ſtatuit ſuper hoc filiam ſuam: de hinc ad legatos, En, inquit, filiam meam cum patrono ſuo. In hæc verba, ut locutus ſum, in nomine Domini vobis committo. Igitur abeuntibus nunciis, exita jam Ungaria cum ad *Taurum* montem *Carinthiæ* propinquaſſent, Imperator *Conradus* obviam eis mittens ad virgines *Admuntenſis* cœnobii dominam cum puellis ſuis interim locari fecit, donec oportuno tempore ſolemni habita curia, convenienti honeſtate ad nuptialia vocaretur ſacramenta. Dona vero ac omnes divitias quæ allatæ cum ea erant ſibi adportari fecit. Itaque diverſis negotiis ingruentibus, quæ regum animos â propoſitis retardant, rem explicare præpeditus eſt. Puer infirmitate præventus, Domina in monaſterio permanente, ex hac luce ſubtractus eſt. *Bela* quoque requievit in Domino & filius ejus *Giſo* ei ſucceſſit in regno. Qui videns nuptias ſororis eſſe fruſtratas, nuntios miſit, ut reduceretur: ſed illa noluit. Secundo miſit & tertio: ſed illa redire abnuit. Ad extremum reputans apud ſe, vi fortaſſe teneri eam à rectoribus monaſterii, indignari cœpit adverſus locum, & niſi quantocius redderetur, excidium vaſtationemque minari. Sed virgo caſtiſſima mente & corpore ad omne bonum diſpoſita, Deo magis quam ſeculo placere deſiderans, ſororibus ibidem degentibus adhærere, apertisque oſtiis clauſtri, cum abbas in ejus poſuiſſet deliberatione, intus manere vel ad nuncios fratris exire, manere intus diligit & nunquam à propoſito virginitatis recedere. Rex autem nimio germanitatis affectu circa ſororem affectus cum ſecundum ſeculi hujus magnitudinem ſublimare eam vellet, modo vi, modo aſtu & ingenio teneri eam querebatur, habitoque cum neceſſariis conſilio, ire parat liberare eam in manu forti. Sed viri magni & prudentes, quos conſilio ſuo adſciverat, regem monebant non abire, nec cito *Theutonicorum* regno bellum importari oportere ſine cauſa belli, optimum eſſe factu, ut miſſa perſona publica & honeſto comitatu cum decore ac diſciplina dominam repeterent, quæ ſi inordinate deriventur, juſtas demum commotionis cauſas fore: Sed quid multis? Licet ægre facto animo rex audivit conſilium: mittit ducem unum virum fortem, cognatum ſuum, amatorem gloriæ ſuæ & cum eo militiam magnam. Et ecce ventum eſt *Admunti*. Abbas vero & fratres conſpecta multitudine & potentia legati, rem agi ſerio vident, turbantur, præſidia orationi quærunt. Deinde egreſſi ad legatos reſponſa tyranni triſtes accipiunt, ſcilicet ut puellam reddant, aut graves regis Ungarorum experiantur inimicitias. Abbas vero, vir dignæ auctoritatis, gnarus ad omnia maturoque pollens conſilio, meritis, ac religione, decus & firmamentum monaſtici ordinis, ad verba legatorum his paucis reſpondit, In hac cauſa nihil à nobis perperam actum eſt ſive agetur. Sed hodie curam corporum veſtrorum, quia itinere fatigati eſtis, veluti agatis. Negotium vero veſtrum craſtina dies expediet. Itaque lauto apparatu epularum multaque diligentia eis miniſtratur. Sequenti vero die Abbas ad legatos, Et quid, inquit, facietis, ſi domina veſtra ſponte vobiſcum venire noluerit? Nunquid invitam abſtrahetis? Nunquid nolenti & renitenti manus violentas injicietis? ſi quidem hoc regibus ac reginis extremum eſt dedecus, vi trahi ad quod nolit, & mitti quando non velit, atque alienæ voluntati ſeu violentiæ mancipari, non id puto convenire

Digitized by Google

re libertati ingenuæ. At illi, Sic, inquiunt, & nos eam libertati ſuæ reſtituemus, & non vim, ſed obſequium præbebimus eunti. Denique ſi ab indigna coactione ſoluta, libertati fuerit reſtituta, certe quidquid propria deliberatione elegerit, neque vos neque nos prohibere debebimus: & Rex *Ungarorum* invictiſſimus indecenter vel contra decus regum ſanguinis habitam germanam ſuam conterrinam cauſari non poterit. Placuit ſermo Abbati & fratribus venientesque in atrium Baſilicæ ante fores clauſtri, quo virgo ſancta cum convirginibus clauſa degebat, duos faciebant globos, ſeorſum legati & milites populusque multus qui ad ſpectaculum venerat, & ſeorſum Abbas cum fratribus. Reſerantur poſtes, januæ clauſtrales panduntur, regina ad nuncios exire rogatur. Negat illa, Nihil ſibi & eis eſſe dicens; lege ſe loci limen januæ, niſi morte obita, non eſſe tranſituram. Docetur ergo quid inter Abbatem, & legatos ſententiæ ac rationis de ipſa conſtiterit. Illam deſub clauſtris in apertum egredi oportere, liberam fieri, coactione ſolvi, cæterum in ejus arbitrio locandum, quam ſibi viam elegerit. At illa fœmineo corpore viriles animos gerens, ubi vidit, quia ſic neceſſe eſt, neque litem aliter poſſe decidi, pede limini impoſito, En, ait, ſancta *Maria*, domina mea, patrona mea, mater Domini mei Jeſu Chriſti ſponſi mei, ſalva gratia tua & pace, te duce, te comite, limina tua tranſeo; te adjuvante, te protegente, cito reverſura, tibi commendo cauſam meam, virgo virginum. Et tu beate *Blaſi*, martyr Chriſti, patrone *Admontenſium*, Domine ac dominator loci hujus, qui me à parente meo tibi commendatam divina ordinatione in hæc tua tecta ſuſcepiſti peregrinam, obſecro ne me derelinquas. His dictis flebant virgines, fratres flebant, univerſi egrediuntur, illa modeſto gradu ac lento in medium tendens. Stabant legati immobiles, veſtes tantum ac purpuram gemmasque precioſas in cultum ſeculi ei allatas offerentes ac protendentes, ad reginæ animos pelliciendos. Omnes igitur qui ſaderant immoti ſtabant, avidè ſpectantes & operientes quid eſſet factura, nullo ei propinquante. Sacræ autem virgines ſtabant, ardentiſſimè flentes, & orantes, veritæ admodum ne tantum decus ſocietatis amitterent. Itaque virgo libertatem & abſolutionem ſuam in medio propoſita ſatis omnibus oſtenderat. ad nuncios converſa Regina virgo modeſtè inclinans valefecit eis. Deinde via qua venerat, ad ſorores rediens, clara voce, multam compunctionem omnibus excitans, cantare cœpit: *Regnum mundi & omnem ornatum ſæculi contempſi.*

SÆC. XII. ANNO 1150.

Succinentibus cæteris virginibus, quæ illam in limine ſtantem operiebantur, ſuccinentibus pariter & monachis & proſequentibus eam in gaudio & lachrymis usque ad introitum januæ. Omnis quoque populus voces & laudes dedit in excelſum gratias agens Deo, quod virgo nobilis & tenera tam virili mente ſæculi abjeciſſet delicias. Nuncii quoque non minus aliis Dominum magnificant, omniaque ornamenta ſeu veſtes quas in uſum ſæculi ei portaverant, monaſterio conferunt; & reginæ valefacientes ejusque ſe orationibus commendantes in pace & gaudio ad Dominum ſuum revertuntur, quæ geſta ſerant ei referentes. Mitigatus eſt itaque rex, ultra à propoſito ſuo illam revocare deſiſtens. Hac igitur brevi digreſſione utilitati poſterorum conſuluerimus. Cæterum ad propoſitum revertamur.

Quomodo ad Conſecrationem monaſterii de ægritudine divino auxilio convaluerit.

XLIV. *Otto convaleſcit.*

QUODAM tempore dum monaſterii cujusdam conſummatio dedicationem ſpectaret, & omnia quæ hujus officii ratio poſcebat in corporalibus & ſpiritualibus laute ac diligenter præparata fuiſſent, omnibus in expectatione poſitis præſul grandævus moleſtia corporis laboravit adeoque infirmatus eſt, ut ad opus conſecrationis vires minimè habens, miſſo nuncio, in vigilia beati *Egidii* ad aliud tempus dedicationem transferendam ſtatueret. Sed quia parata erant omnia & cupientibus animis omnis dilatio inviſa eſt, duplici mœrore Eccleſia turbari cœpit, pro languore videlicet Epiſcopi, & pro fruſtrato deſiderio exſpectatæ conſecrationis. Quocirca orationes non caſſas mittunt ad Dominum, vires ac ſanitatem præſuli obnixè poſtulantes. Igitur meridiano tempore in lecto recubans & ſopore paululum preſſus puerum coram ſe per ſomnum ludentem & ſaltantem videt Epiſcopus, ac de Pſalmo verſum crebro cantantem: In domum Domini lætantes ibimus. Expergefactus vero, ægros prius artus, fortes invenit & vegetatos, corpus levat, ſentit gratiam ſanitatis rediſſe: cubicularios citat, interdictum conſecrationis mutat, proximoque in die ſancti *Ægidii*, ſicut antea voluerat, in magna totius Eccleſiæ lætitia dedicationem peragit, Domino ſibi vires adminiſtrante. *Pſalm* 121.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150.

Quomodo ſenio & laboribus exhauſtus diem obierit.

XLV. *Ejus obitus.* POSTERO vero tempore tam morbo quam ſenio exhauſtis viribus corporis indies diſſolvi cœpit, & labore infirmitatis continue ad laborum finem tendere. Itaque cum ſe acrius premente languore in proximo ad dominum ſperaret migraturum, illud amicum ſibi ſemper ac ſolitum opus eleemoſynæ tanto ardentius exercuit, quanto illi conſtabat, quod diu hoc exercere non daretur. Omnia igitur loca, omnes domus, & curtes circa poſitæ, imo tota civitas, eo volente atque jubente, pauperibus & peregrinis repleta fuit. aderant viduarum & orphanorum longa examina, clericorum, & monachorum intrantium & exeuntium multitudines negotio beato pii mercatoris jam adire parantis ad extremas nundinas. ſacras dixerim; in quibus terrenis cœleſtia, temporalibus æterna bona comparabat. Fervebant ſane circa illius lectum cœli terræque ſancta negotia & Martha ſemper ſolicita, & turbata circa multa, & innumerabilis humanitatis officio nec languida jam mortique vicina ceſſavit ab operibus ſuis plurimis, propter unum, quod ſciebat eſſe neceſſarium. Cum Abbatibus enim & poſitis ſuis de omnibus ordinavit, Eccleſias & cœnobia ſua & diverſoria intima retractatione digeſſit, ſingulisque prout oportunum videbatur, ſumptus & neceſſaria ſupplevit. Cerneres jam oleam uberem & frugiferam, ſolita ubertate uberiorem, & copioſiſſimis fructibus onuſtam, totam ſe carpentium manibus inclinare. Et revera mirum valde eſt, quod hic inexhauſta benignitatis archa quæ tot ante diebus ad erogandum jugiter patuit, adhuc tantillo tempore tantum quod erogaret habere potuerit. O Martha Martha devota Domini, quando vel quomodo ſentires egeſtatem? Quis enim donantium donanti omnia egens unquam factus eſt? Interea vero languor magis magisque ſpiritum luctantem urgebat, riteque diſpoſitis omnibus, quæcunque poſt ſe victuris præſtare potuit, ſupplici & pura confeſſione præmiſſa, olea illa & placida & ſacra unctione ſacri olei delibuta, propiciabile viaticum corpus Domini percepit, & circumſtante illo ſuo ſemper familiari collegio virorum, religio ſanctorum tam monachorum quam clericorum, pſalmis & orationibus agonem ejus devote Deo commendantium, plenam operibus bonis & eleemoſynis, plenam honoris & gratiæ animam exaltavit in cœlum. Quid multa? Flebat civitas univerſa, juvenes, & virgines, ſenes cum junioribus: flebat omnis ordo, flebat omnis religio, divites, & pauperes, nobiles, & mediocres cum plebe ruſticana omnes patrem ademptum lugebant amarius quanto ab omnibus illis carius ipſe amabatur. Monaſteria & Eccleſiæ longe vel prope poſitæ; Magnates & capitanei provinciæ, fama mortis ejus exciti ex omni parte confluebant: ſe ingratos atque inertes arbitrati, ſi ejus quem tantopere dilexerant, funeri non adeſſent, vel ſi debitos honores tantis exequiis non præſtarent.

De adventu Epiſcopi.

XLVI. *Imbriconis adventus.* * *Herbipolenſis.* SUPERVENIT quoque ſacræ ſemper memoriæ *Imbrico* * Orbipolenſis Epiſcopus, vir clarus & prudens, tam eloquii venuſtate vel ingenio, quam etiam ſapientia præpollens. Supervenit, inquam, amicus & amici exequias inviſens & dolenti & ardentiſſime flenti Eccleſiæ lugendo ipſe ac dolendo luctum auxit & dolorem. Jam enim per totum triduum dormitationis ejus corporis gleba per omnes Eccleſias circumferebatur, Sacrificio indefeſſisque orationibus beata ejus anima Deo commendata fuerat ab omnibus. Quarto die ubi ad locum tumuli ventum eſt, Epiſcopus commendationem celebravit, atque inter Miſſarum ſolemnia quæ pro dilecti patris & amici multa intentione devotus agebat, ad mœrentem & lugentem converſus multitudinem, brevem quidem, ſed gratiæ dulcedinis plenum intulit ſermonem, ita dicens:

Sermo ipſius.

XLVII. *Imbriconis Sermo.* EN quid fiet? quid erit conſilii? mortua eſt Martha. Ecce ubi jacet. Quis ergo venientem Dominum Jeſum in hoc caſtello amodo ſuſcipiet? Equidem defuncta eſt, defuncta eſt Martha, quæ illum ſuſcipere conſueverat. Defuncta eſt hoſpita Domini

Digitized by Google

Domini Jesu Christi, quæ venienti hospitium præbebat, sed & ponebat mensam; Pariter benigne ac liberaliter ministratum ab eo est; nisi quod non solum ministravit Christo, sed minister & hospes ac susceptor fuit Christianorum. Et quis stabit in loco ejus, quis vicem ministerii hujus implebit? Quis, rogo, aget quæ iste agere consuevit? Omnibus gradibus, omnibus ordinibus, omnibus personis Ecclesiæ valde utilis fuit. Ecce defunctus est, ut vere dicam servus servorum Dei, quid facietis monachi? Quid facietis clerici? Quid facietis pauperes & mendici? Quis vobis restituet matrem vestram? Ubi amodo illa materna * verbera, ubi maternos affectus quæretis? Sed quærere ubique potestis; vobis denuncio, nusquam invenietis, sui temporis enim fæcula (confidenter dico) hunc solum, hunc unum tantæ misericordiæ virum habuerunt. ut enim de aliis virtutibus taceam, quæ plurimæ fuerunt, sed misericordia & misericordiæ operibus tantus erat, ut nullum penitus ex omnibus mihi notis possim adæquare. Sed quid dicam? doleo, dico iterum, doleo vicem illorum, qui in sinum hunc misericordiæ fugere consueverunt. Doleo, ut verum fatear, vicem meimetipsius, ac ut ita dicam, me miseret mei meritoque conturbor. Multum enim præsidii multum solaminis in hoc amico perdidi. hic enim commodus, societate oportunus, magnum mihi fuit præsidium. cum hoc fiducialiter ac tute omnes curas meas, omnia negotia seu consilia pensiora communicare solebam. hic mihi, ut breviter dicam, in omnibus oportunitatibus meis magnus fuit sublevator. De me certe dico. Nam mei nominis ordo universus, videlicet ordo pontificalis hoc adempto compare, merito lugebit. Conventus quippe nostros in conciliis sive curiis, virtutum suarum radiis collustrabat. In hoc ut ita dicam, quasi in veteri libro quomodo nobis vivendum, vel quid agendum esset conspiciebamus. Sancta enim exempla, sanctæ actiones magis erudiunt, quam verba. Sed doctrina hæc, ô dolor, rara est in hominibus: quotquot sumus, eloquio magis, quam exemplo proximos ædificare studemus. Sed iste & eloquio & exemplo, dixit & fecit. Talem Martham de medio nostri ablatam æqua mente quis ferat? Sed vado ad altiores. **Hujus certe interitum**, o Romane pontifex, caput sacrosanctæ Ecclesiæ **fenties; & tu regnator orbis**..... Imperator Rom. Auguste casum Pontificis hujus experieris. **Ambo permaxima** magnaque clade multati estis. Magnus enim ad hoc ille **ambidexter vobis occubuit**. Occubuit ille qui utraque manu pro dextera utebatur Israhelitícæ **gentis doctor egregius**. Occubuit, inquam, qui potis erat & industrius & prona voluntate reddere quæ sunt Cæsaris Cæsari, & Deo quæ sunt Dei. Non tibi, o Imperialis majestas, non cito consurget alia columna, cui tàm fiducialiter inniti queas, hic te quidem non solum divitiis & prudentia sæculari, sed, quod utraque majus est, sanctitate suffulsit. Sanctitate, & virtutum meritis Imperatorem pa----- sublevavit, Justicia enim & de san----- dextera ejus non parva-----non acta. non parva hæc mutatio dextræ Dei. Non ergo leviter ferenda talis viri mors. Ubi amodo tale ingenium, talem prudentiam, talem bonitatem inveniemus? Sed redeamus ad monachos, redeamus ad populum spiritualem, detrimenta illorum lamenta nobis faciunt. Quid fiet de illis? Quid fiet de monachis & pauperibus, qui ad has manus spectare consueverant? lugetis video & fletis *Ottonem* nostrum; & certe non immerito. vobis enim ille occubuit, vobis ablatus est. Vos nempè o monachi, spiritualis populus ejus & oves manus ejus. hic profecto erat qui de abundantia divitum hujus mundi vestram supplere sollicitus fuit inopiam. hic magnæ auctoritatis exemplo gloriari solebat, dicens, Spolians Ægyptios, ditavi Hebræos. nam revera sanctè ac religiosè multa sæcularibus extorsit, quibus penuriam sublevaret spiritualium. Sancta & religiosa fraude, ut ita dicam, divites circumveniebat, ut eleemosynas facerent quandoque non cogitatas. Argumentosus enim erat in lucris divinis. Nam & manus Domini cum eo erat. O quam multos divites cum suis omnibus divitiis ad spiritualem vitam trajecit! quidquid personarum, quidquid rerum vel operum sæculo aufferre potuit, Deo aptavit, pietatis ac misericordiæ obtentu. Quid multa? misericordia ejus, super omnia opera ejus. misericordia Dei ante oculos ejus semper fuit. Orate ergo fratres dilectissimi, Orate attentius, ut & ipse hodie misericordiam consequatur. Orate ut illa beatissima anima quam credidit, quam speravit, quam dilexit, re ipsa Dei misericordiam hodie percipiat. Equidem non surdis auribus illud Evangelicum accepit: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Et: Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est: nullus autem misericors esse potest qui non & humilis fuit. Omnis ergo misericors, & humilis est. Unde inferre possumus bene, quod veram & coram Deo probatam habuit humilitatem Spiritus ejus, qui tantæ misericordiæ extitit. Interventu ergo beatæ Dei Genitricis *Mariæ*, cui semper devotus fuit; interventu beati *Michaelis* Archangeli, cujus Ecclesiæ reparator

SÆC. XII. ANNO 1150.

* *Ubera.*

Matt. 22.

Matth. *Luca* 6.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150.

tor & ſublimator, hodie conſpicitur, quem patronum & ſervatorem & corpori & animæ ſuæ delegit, interventuque omnium beatorum ſpirituum, ſpiritus ejus divinam miſericordiam conſequatur; Ipſorum meritis, ſi uſpiam, ſicut eſt humanæ fragilitatis, tanta ejus opera, tantæ ipſius miſerationes & benefacta, humana laude vel laudis intentione titillata vel maculata: nihil enim ſatis purum coram ſummo judice; rogate quæſo attentius: oremus omnes pariter ut hoc abolere, hoc tollere dignetur ipſe, qui tollit peccata mundi Agnus Dei Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui cum patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum.

Quanta vero vociferatione, quanto mugitu, quantis affectibus & lachrymis omnes *Amen* reſponderint, dici non poteſt. Sic ergo finita Miſſa, in loco, ubi canitur, in Eccleſia beati *Micaelis*, Comitibus, Marchionibus ſeu aliis quibuslibet nobilibus feretrum ejus certatim geſtantibus ſarcofagum, levantibus, ſeu alia quæ ibi erant neceſſaria operariorum more ſuis manibus devotiſſime agentibus, ejus corpus tumulatum eſt. Anno Dominicæ incarnationis M. XXX. IX. tertio Nonas Julii, feliciter. *Amen.*

Explicit liber tertius de Vita & virtutibus beati Ottonis *Babergenſis Epiſcopi Confeſſoris & Pomeranicæ gentis Apoſtoli, &c.*

VITA

Digitized by Google

VITA ET PASSIO
S. TYEMONIS
SIVE
THEODAMARI
ARCHIEPISCOPI SALTZBURGENSIS,

Martyris in terra Sancta.

AUCTORE ÆQUÆVO

S. TYEMONIS.

A Caniſio primùm ex M. S. Codice Saltzburgenſis Monaſterii S. Petri in lucem producta,

Beneficio Clariſſimi viri JOANNIS STAINHAUSERI Senatoris Saltzburgenſis.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1150.

CANISIUS

Ad Lectorem.

Teſtimonia de Martyrio S. Thiemonis Saltzburgenſis.

Otto Friſing. lib. 7, Chron. Cap. 7.

EOdem anno Guilhelmus Comes Pictavienſis & Dux Aquitaniæ Themo Juvavienſis Archiepiſcopus, Guelfo Noricorum Dux, qui in Gwerra cum Imperatore Friſingenſem & Auguſtenſem deſtruxit urbes, Itha Marchioniſſa Leopoldi Marchionis Orientalis mater, Guilhelmus, Stephanus Italici Barones, cum multis ex Aquitania, Germania, Italia, Jeroſolymam per Ungariam & Græciam pergunt: quos Alexius Imperator in arctis locis fraudulenter expoſitos pæne omnes crudeliter extinxit; elegantioribus ex eis captis, & Memphæorum Regi ſeu Admiraldo præſentatis. Quam hiſtoriam miſerabiliter ac luculenter in modum tragœdiæ quidam ex his, qui ſe eidem expeditioni interfuiſſe teſtatur, executus eſt. Comprehenſus inter alios venerabilis Præſul Thiemo, ad idololatriam, ut tradunt, à Rege angariatur, ille inducias petens, phanum ingreſſus, animi & corporis viribus robuſtiſſimus, idola quæ adorare debuit, non Deos, ſed opera manuum oſtendens, in frusta comminuit. Ob ea productus, ac exquiſitis ſuppliciis, & tormentorum generibus affectus, glorioſo martyrio coronatus eſt. Quod ob fidem Chriſti paſſus ſit, fideliſſima traditio habet. Quod autem idola comminuit, ex hoc credere difficile eſt; quia conſtat univerſitatem Saracenorum unius Dei cultricem eſſe, librosque legis, nec non & circumciſionem recipere. Chriſtum etiam & Apoſtolicos viros non improbare. In hoc tantum à ſalute eſſe, quod Jeſum Chriſtum humano generi ſalutem afferentem, Deum, vel Dei filium eſſe negat, Mahometque ſeductorem, de quo ſupra dictum eſt, tanquam Prophetam magnum ſummi Dei veneratur & colit. Cujus ſeductionis, ut ipſe mentitur, prædicationis tale apud eos traditur eſſe exordium: Initium Evangelii Mahomet filii Dei, Prophetæ altiſſimi: lavamini, mundi eſtote. Hæc Otho Friſing.

Weingartenſis ille ſcriptor (quem tom. 1. Antiquæ lectionis edidimus) lib. de Gwelfis Principibus fol. 186.

SOcii autem peregrinationis & laborum ejus vel interfecti, vel vivi Saracenis, machinante perfidiſſimo Alexio Imperatore Græco, traditi ſunt. Inter quos Themo Saltzburgenſis Epiſcopus comprehenſus, & Regi Mempheorum præſentatus, ad idololatriam angariatur. Ille fanum ingreſſus animi

Digitized by Google

mi & corporis viribus robuſtiſſimus, idola, quam adorare debuit, non Deos, ſed opera manuum oſtendens, in fruſta comminuit. Ob hoc productus exquiſitisque ſuppliciis affectus, martyrio coronatus eſt. ITAM Comitiſſam, matrem Leopaldi Marchions Orientalis, quæ ſimiliter in eodem comitatu fuit, unus de principibus Saracenotum rapuit, & impuriſſimo ſibi matrimonio copulavit, ex eaque ſanguinem illum ſceleratiſſimum Utamut progenuit. Hæc Weingartenſis. SÆC. XII. ANNO 1150.

Trithemius de viris illuſtrib. Ord. S. Benedicti lib. 4. c. 123.

DIemo Abbas Saltzburgenſis, cum propter excommunicationem Henrici quarti, ſuam Abbatiam cogeretur deſerere, venit ad Monaſterium Hirſaugienſe, in diœceſi Spirenſi, ubi aliquantulum cum Wilhelmo Abbate viro religioſiſſimo latuit, donec tandem fluctibus turbationum aliquantulum ſedatis, in Eccleſiæ Saltzburgenſis Archiepiſcopum conſecratus eſt. Claruit Anno Domini. 1080. Decrepitus tandem Hieroſolymam profectus, & à Saracenis captus, cum aliis plerisque occiditur. Hæc Trithem.

Trithemius in Chron. Hirſaugienſi anno 1077.

HIs quoque temporibus claruit Diemo, noſtri Ordinis Abbas in civitate Saltzburgenſi, qui propter excommunicationem Regis Henrici quarti, de monaſterio ſuo fuit expulſus: quoniam cum ſancta Romana Eccleſia ſentiens excommunicatis communicare noluit. Venit ergò fama S. Wilhelmi Abbatis provocatus, ad monaſterium noſtrum huc in Hirſaugiam, & inter fratres converſatus humiliter, cum vitæ eorum laudabilem inſtitutionem vidiſſet, decrevit perpetuò cum eis in Domino permanere. Itaque Monachus denuo factus ſub Wilhelmo religioſè converſabatur, gratias agens Deo, quod tam ſanctæ congregationi meruerit inſcribi. Deinde poſt annos aliquot in Archiepiſcopum Saltzburgenſis Eccleſiæ ſublimatus eſt, & de monaſterio noſtro per obedientiam compulſus, receſſit invitus. Præfuit autem Eccleſiæ præfatæ ſtrenuo verbo & exemplo, multis præbens incitamenta virtutum. Tandem amore divino ſuccenſus cum aliis multis in terram ſanctam ire, Dominicumque inviſere ſtatuit ſepulchrum, & in itinere captus à paganis, cum cæteris ſuæ peregrinationis pleriſque ſociis martyrio coronatus eſt. Cujus geſta habentur. Hæc Trith.

Hundius in Metropoli Saltzburgenſi in 28. Epiſcopo Saltzburg.

THiemo ſive Diethmarus ex nobili Bojorum ſanguine prognatus, prima ætate in inferiori Altach operam literis dedit, poſtea educatus in Hirſaugienſi monaſterio factus eſt Abbas S. Petri Juvaviæ. Hunc Thiemonem cognatum ſuum Conradus Comes Medlingenſis in Bavaria, jam antea contra Berchtoldum conatus eſt Epiſcopum Saltzburgenſem facere. Verum juxta Saldorf in Norico, agroque Salisburgenſi, Berchtoldus Thiemonis copias fudit, & Conradum Comitem illum Medlingenſem, Advocatum Juvavenſium unà cum fratre, pluribusque aliis occidit. Diethmarus vel Thiemo captus à Starckhando & Verigando fratribus, atque à Poppone, Charionum præfectis, in vincula conjicitur (Aventinus fol. 588.) qui demum poſt mortem Gebhardi ad Archiepiſcopatum poſtulatus & confirmatus eſt ab Urbano ſecundo Pont. Romano, à quo pallium accepit. Iſte Thiemo ſacellum rotundum in porta templi

Digitized by Google

templi Nunbergenſis conſecravit. Deinde profectus cum multis aliis comitibus & viris nobilibus, ad recuperandam terram ſanctam, quorum numerus ferè ſexcentorum millium fuit, captus à Turcis, ac poſt omnium membrorum truncationem, viſo corde proprio apud Corozaim martyrio coronatus eſt, anno 1101. Hæc Hundius.

SÆC. XII. ANNO 1150.

Teſtimonia hæc ideò adduxi, ut appareat, quàm certum & teſtificatum ſit Martyrium S. Thiemonis, ut non immerito dicat Otho Friſingenſis: *Quod ob fidem Chriſti paſſus ſit, fideliſſima traditio habet.* Verum difficilis nodus eſt de idolis, quem & Friſingenſis obſervavit. Quomodo enim illa de idolis, præſertim de idolo, quæ Machmit nuncupatum ait, vera ſunt, ſi Saraceni idola non habent? Quid ſi auctor in narratione de idolis poëtam egerit? deceptus in eo, quaſi omnes infideles eſſent idololatræ; & hinc manarit de idolis poëtica narratio? Friſingenſis quoque hanc hiſtoriam ait ſcriptam *in modum Tragœdiæ.* Nil tamen hîc aſſero, neque temerè auctoris fidei etiam in narratione de idolis derogo, præſertim cum auctor non obſcurè ſignificet, ſe ab eo hiſtoriam audiviſſe, qui interfuerit. Otho Friſingenſis ait ſcriptorem vitæ S. Thyemonis interfuiſſe illi expeditioni Hieroſolymitanæ. *Quam hiſtoriam*, inquit, *miſerabiliter ac luculenter in modum tragœdiæ quidam ex his, qui ſe eidem expeditioni interfuiſſe teſtatur, executus eſt.* Noſter auctor nunquam teſtatur ſe interfuiſſe, ſed ab eo qui interfuit, accepiſſe. *Quidam namque* ait, *Chriſtianorum, qui omnem poſtea paſſionis hiſtoriam noſtris partibus retexuit, teſtabatur ſe ſub ipſa hora tranſitus Martyris de corpore vidiſſe Angelicum chorum cum hymnis cœleſtibus venientem.* Et fortè verba Friſingenſis ita interpretanda ſunt, dum ait: *Ex his*, id eſt, ex ore eorum, *qui ſe eidem expeditioni interfuiſſe teſtantur, executus eſt.* Nam Friſingenſis omnino de his noſtris actis loqui videtur. Porrò auctor teſtatur ſe vixiſſe temporibus Chunradi, qui ſucceſſor fuit S. Tiemonis, his verbis. *Hujus Chunradi temporibus, noſtra jam memoria, quaſi novum, &c.* Hæc, inquam, faciunt, ut auctori æquævo non temere fides quomodocunque ſit abroganda. Potuit enim fieri ut ille Mempheorum Dominus, quem Friſingenſis Admiraldum vocat, idololatra fuerit. Vel ut in illa colluvie variarum gentium, quæ contra terræ ſanctæ aſſertores Chriſtianos tunc magna vi ſe commoverunt, fuerint, non tantum Saraceni, ſed alii etiam idololatræ, qui & idola habuerint & coluerint. Præterea licet Saraceni & Mahometani dicant ſe colere tantùm unum Deum, ex præſcripto Judæorum, adeoque idola abominentur; tamen conſtat Mahometanos ſibi in rebus religionis minimè conſtare. *Secta* nimirum eſt ex variis conflata. A Judæis circumciſionem, & unius Dei cultum ſumpſit. ab aliis gentilibus cultum aſtri, quod Cubar vocant, nempe Luciferi, ſeu Veneris, ſeu Lunæ; ne Gentilitiæ ſuperſtitionis ſecta exſors exiſteret, ait Baronius tom. 8. anno 630. num. 6. Hanc autem de cultu Luciferi fuiſſe Saracenorum antiquam ſuperſtitionem, teſtatur S. Hieronymus in Hilarione. Vides igitur Mahometanos & Saracenos, aliquid commune cum idololatris habuiſſe, cultum videlicet Veneris, cujus vel alterius potuit fortè idolum apud illos haberi.

Apographum hoc m. ſ. accepimus à Cl. V. Joanne Stainhauſero, Antiquitatum amante & intelligente.

JA-

Digitized by Google

JACOBI BASNAGII DE THYEMONE ET SCRIPTORE EJUS VITÆ OBSERVATIO.

Sæc. XII. Anno 1150.

I. De authore passionis.

I. NOn debuit omitti in Historia Litteraria hic scriptor, quem frustra ibi quæras inter Anonymos. Meminerat illius *Chronicon Reicherspergense*, ante annos 400. conscriptum; nam quod in Actis *Thiemonis* legitur, *Gebhardum ipso die depositionis mutum surdumque curavisse*, eadem habet illud Chronicum, indicans author, se ab illa *Passione* Thiemonis desumpsisse. Vixit scriptor *Passionis* sub *Conrado* Saltzburgensi Episcopo, ut ipse innuit; *Conradus* autem *Thiemoni* successit in Episcopatu Salsburgensi non anno 1105. ut habet *Vossius*, sed sequenti: obiit vero an. 1147. migraverat à Sæculo *Conradus* cum passio *Thiemonis* scripto mandata fuit. *Nam*, inquit author, *hujus Conradi temporibus nostra jam memoria*. Non præsens igitur tunc *Conradus*, sed *Eberhardus* jam ipsius vices obierat; ideo huic operi an. 1150. assignavimus.

Poëtarum Tragicorum grandem Cothurnum induxisse *Canisius* innuit; autumat enim illum scriptorem indicari ab *Othone Frisingensi* his verbis: *Quam Historiam miserabiliter ac luculenter in modum Tragœdiæ quidam ex his qui se eidem expeditioni interfuisse testatur, executus &c.* Cum autem certum sit & indubitatum scriptorem de quo nunc agimus, non adfuisse testem oculatum Passioni *Thiemonis*; conjicit *Canisius* hæc verba, *ex iis*, nos interpretari debere *ex ore eorum*. Si hæc vera forent, dici posset Anonymus

In Cothurnis horridus Sophocleis.

Quippe qui stilo Barbaro utitur. Sed violenta nimis Canisii conjectura. Aliud procul dubio scriptum viderat *Otho Frisingensis*, cujus author se præsentem adfuisse dum animam exhalaret *Thiemo*, ferebat; illiusque mortis carmen Tragicorum more cecinerat, ita ut lectorum moveret animos; id enim innuit Otho, dum ipsum *miserabiliter* scripsisse asserit.

Anonymus a *Canisio* editus numquam Palæstinam viderat, sed ab alio narrata chartis commisit; ideoque plura ibi legas quæ cum veritate consonare vix possunt, vel saltem quæ viris cordatis non arrideant: inducit diabolum ita miseriis dejectum ob imaginem *fratris & collegæ* confractam a *Thiemone*, ut

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150.

vix edere voces ſufficiat, idem diabolus poſtea ſummum Numen repræſentat *Thiemonis* fidelitatem & obſequium magna mercede remunerantem: quæ non conveniunt idololatris Paganis, multo minus Sarracenis Mahometanam fidem profitentibus. Deinde qui authores varios in hanc rem conciliare poſſis, dum ſcriptor *Paſſionis* ad expeditionem Hieroſolymitanam perrexiſſe cum Thyemone & *Duce Welfone tam proceres quam populares nonnullos* aſſerit. Alii verò narrant eundem Tyemonem profectum cum numero ſexcentorum millium militum: quod fidem ſuperat. Quantum diſcrimen inter Hiſtoricos! Tertiò, alter vult in agro Memphetica apud Ægyptum mortis pœnam ſubiiſſe; alii vero apud Corazim prope Jordanem: quæ toto cœlo differunt. Major adhuc difficultas circa illud idolum quod confregiſſe debuit *Thiemo*: Idola Mahometani non colunt, nec habent: quomodo igitur ad idolorum cultum impelli potuit Thiemo, ideoque ſupplicio capitali damnari? Addunt aliqui fuiſſe idolum Machmit. Author quem edimus, vult Machmit fuiſſe idolum aliud, quod conſuluere pagani Thiemoni infenſiſſimi. Abſurda omnia! Conjicias facile hic nomen Machmit reponi ob Mahometanos, in quorum manus debuit incidere Thyemo. Adjicit *Caniſius* Saracenos temporibus Hieronymi couliſſe aſtrum Cubar. Quidquid ſit de illo cultu, deſierat ille apud Sarracenos ætate *Thyemonis*, nec ullus unquam vel a Macmiro vel a diabolo reſponſa poſtulaſſe dixit; unde ſummopere laborat hujus narrationis fides.

PAS-

Digitized by Google

PASSIO S. TYEMONIS JUVAVENSIS.

SÆC. XII. ANNO 1150.

Glorioſam Martyris DEI *Tyemonis ſeu Theodamari paſſionem venerabiliter Eccleſia ſuſcipiat, amplectatur, & celebret, quam nos ultimi ſervorum ejus ardenter colentes, equidem meritò, utpote ſignis in morte, & poſt mortem illuſtratam, noſtro etiam ſcripto, poſteros eam ex parte agnoſcere laboravimus, ne tantum ſidus, ignorantia obnubilante, minus in terris, quàm ſurſum coruſcaret in cœlis.*

MAgnitudine, diuturnitate, paſſio hujus B. Martyris inter agones Martyrum, adeo mira, adeo eximia, ut nihil ſuprà. Periculis ex genere, periculis in falſis fratribus, periculis ex gentibus, cum Paulo Apoſtolo omne quod profuit, tempus exegit. Imitabile hinc miſeris mortalibus in ſe procurayit exemplum, hoc præſertim tempore, quando homines ſunt ſeipſos amantes, temporalis lucri ſectatores, quando in foribus Regum corruit judicium, & juſtitia ingredi nequit, cum ipſi Domini Pontifices alius per ambitionis, alius per invaſionis aſſultus, alius per conſpirationis & factionis cuniculos dignitatem arripiunt, trahunt, dilacerant, ſedem ambiunt, ante cujus onus ſuccumbere, ad cujus rationem contremere, & ſubtus fugere indementes magis debuerant. Sed profecto, ut ait quidam, imbecillum eſt genus humanum ad contemnendam potentiam. verum etiam væ illis, per quos ſcandalum venit, & contagium quaſi peſtilentia ab alio in alium per univerſum mundum vadens graſſatur. 2. *Cor.* 11. *Mat.* 18.

Sed jam beatiſſima paſſio Martyris, & vitæ ejus ſub oculis pingatur religio. Hic ergò * ingenuis parentibus Bajoariorum genere oriundus, in primæva ætate † *Altenſi* monaſterio tàm regularibus, quàm ſcholaribus diſciplinis traditus eſt imbuendus. Huic ab adoleſcentia ſanctitas, innocentia, humilitas, prudentia, omnisque ſcientiæ genus oblectationi fuit, ibique juventutem ſuam exercuit. Quapropter & bonæ indolis viro divina unctione indultum eſt, ut non modò eas artes, quas liberales appellant, ſed & mechanicas univerſas ſimul, pictoriam, fuſoriam, ſculptoriam, carpentariam, omniaque hujuſcemodi genera & ſpecies, in modis & in formis, inſtar mollis ceræ, quantum ducere artifex manus, & fingere multiformiter queat, docili ingenio aſſequeretur & facilius. *Thiemonis genus.* † *In inferiori Alsach.*

Inter hæc cum ſtrenuis virtute, cum modeſtis pudore, cum innocentibus abſtinentia certabat, & eſſe bonus, quam videri malebat.

Quantæ autem diſtrictionis zelo vitia ſua reprimens & triumphans, ea in ſemetipſis divinis perinde obtutibus, & tum privatus, & primo in pontificii culmine, ac deinceps in ſanguinis effuſione placuit, ſuperna revelatio & ipſi, & nobis, quousque hodie & reliquum legimus, vel lecturi ſumus, indicio infra ſcripto innoteſcere voluit. Cum adhuc in *Altenſi* monaſterio regulariter demoraretur, res incidit quodam tempore, & humanum paſſus eſt, ut iracundia fortè commotus, & oneri imparem interim animum gerens, ſtatim de clauſtro impetuoſè recederet. Jamque juxta ſilvam contiguam culpatum iter tenebat, cum illicò DEI miſeratione ſtimulus Angeli Sathanæ ab eo recedens, ſalvum virum reliquit. Tum ad ſeipſum rediens, mirari factum, & diſplicere ſibi ipſe cœpit, erigensque ſe contra ſe benè indignando torvos oculos ſu- *Pietas.*

per

* *Imo nobiliſſimis. nam Conradus Comes Medlingenſis cognatus erat.* CAN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150

per vias ſuas poſuit, & melius iter verſus, quà venerat ocius relegere cœpit. Et poſt puſillum ſacerdotem obviam habuit, equo ſedentem, à quo ſine mora, quòd obſcura perſona non fuit, agnitus & ſalutatus eſt. Moveri autem is apud ſe cœpit equidem haud indignè, in his eum adorſus eſt verbis: Unde verſum aut quorſum Dominus meus, tam inſolitè, tam præceps rapitur? quid rerum eſt? Tunc humiliter velut vitæ languidus, & rancido vultu infælicitatis ſuæ hiſtoriam retexit, & tamen afflicto ſpirat reverentia vultu. Qua motus etiam ſacerdos equo proprio deſilire, & ad cellam usque commodare velle cœpit, talibus verbis inſiſtens: Noli Domine mi, hanc injuriam tibi facere, non eas, quia temetipſum degeneras, perſona tua vileſcit. Indulge honori ante homines propter homines, in jumento meo redire conſenti, & ero comes itineris tui. Non frangitur, non mulcetur blandientibus verbis beati viri conſtantia, & immoto pectore virtus dura reſpondet: Sine me. Non æquitas ſolatium patitur, contra jus bonumque ſuggeritur, melius mentem ſubiit conſilium. Reducat pedibus ſubmiſſa humilitas, unde ſuperbia furioſa exploſerat. Dixit hæc, & ad Monaſterium ſuum tam pernici greſſu quodam, prono affectu ſe rapuit. Lætiſſimis animis excipitur, ſalutatur, palpantium ſtudiis etiam invitè gravatur. Impunitate oblata intrare ſimpliciter & inſeri inter ipſos oratur. Abnuit vir Spiritu DEI tactus monitaneum hoc, & præter inane nomen veterum inutile, honoris ſpecimen elegit, quod in æternum conduceret, quod Angelis in cœlo gaudium faceret, & ut par erat, juxta rigorem
Luc. 15. non monachicæ tantùm, verùm etiam canonicæ, imò Eccleſiaſticæ generaliter diſciplinæ, ad ſatisfactionem nudus proceſſit, æmulans factis authoritatem Chriſti di-
Mat. 18. centis: Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non introibitis in regnum cœlorum. Proxima hinc nocte, cum more ſuo ſemper conſuero, hora matutina
** adiens.* omnes præveniret, * patiens capitolium, quendam ignotum, venerabili omnimodis forma & habitu contra ſe aſſiſtentem, corporeis oculis vidit, qui ipſum & Epiſcopatus apice ſublimandum, & deinceps Martyrio conſummandum ſignis apud Monachos uſitatis evidenter edocuit. Quo facto ab oculis ejus evanuit.

Eligitur Abbas. Ea tempeſtate apud *Juvavum* Monaſterii ſancti *Petri* Abbatem diutinæ ægritudinis ita confecit moleſtia, ut nomine officii fungentem adminiſtrationis officium penitus feriantem relinqueret. Quocircà Evangelicam pertimeſcens ſententiam:
Luc. 12. Cui plus committitur, plus ab eo exigitur, nec infirmitati ſatis confidens, ad excuſandas excuſationes in judicio, prudenti humilitate, & humili prudentia, onus recuſare, cujus opus excuſare in tantum foret, ſatius duxit. Audiens igitur Reverendiſſimum, & verè Apoſtolicum virum *Gebhardum*, in diebus illis ſanctæ Salisburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum, & Apoſtolicæ ſedis Legatum, id quod in re erat aperuit, & abſolvi ab officio impoſſibili inſtitit. Nec inani apud pium, apud miſericordem inſtantia laboratum eſt, ubi ratio neceſſitatem, fas innuit veritatem. Quod non mortua vita fuit. Abſolutionem ergò obtinuit, & in locum illius divina ordinatione, & libera fratrum electione, de *Altenſi* monaſterio aſcitus eſt venerabilis *Tyemo*, genere, induſtria, converſatione, atque ſcientia elimatiſſimus. Tum inveſtitus ab eximio Epiſcopo ſuo *Gebhardo*, injuncto operi, omni invigilavit inſtantia, omnia bona & ſancta factis amplius, quàm verbis ſecundum regulæ ſcita ingerens, inculcans, indulcans.

Lites inter Gregor. VII. & Henricum. IV. Per idem tempus naviculam beati *Petri*, quaſi dormiente interim *Jeſu*, tempeſtatum procella propemodum mergens vexabat, omnesque veritatem & fidem beato *Petro* ſervantes, ejusque Vicario tunc Apoſtolicæ ſedis Præſuli *Gregorio* ſeptimo, aut in undas mortis, dirum fremens ac fervens ſalum trahebat, aut in longum exilium patria, honoribus, rebus, extorres jactabat. Inter quos *Gebhardus* Archiepiſcopus ſingularis proreta, & principalis columna, cui inniteretur nutans & languens, paulùm etiam adhuc ſpirans mater Eccleſia, ab impiis fautoribus *Heinrici* quarti Imperatoris expellitur, aliusque Epiſcopus ipſo indignior, quo indignis habitus dignior, regia authoritate & inveſtitura intruditur verius, quàm intitulatur, executione pro benedictione potitur. Cujus conventu venerandus & circumſpectus Abbas *Tyemo* impiari formidans, ne communicaret peccatis alienis, conceſſit in *Sueviam*, ardore ſancta
Fugit Thiemo. monaſteria viſendi *Hirſauvenſe*, atque *Schafhuſenſe*, quorum utrumque tunc temporis tantæ diſtrictionis fulgore enituit, ut paſſim quaquaverſum relucens, catervas fidelium lumine ſuo attraheret, & dulcis theoriæ diſciplinis in ſchola ſpirituali adprimè imbueret. In alterum horum, id eſt, *Hyrſauvenſe*, cujus etiam * Auguſtinus nomen manſit ac manet, totis animis vir DEI ſe recepit, privatimque in ſcientia, converſatione, & communem ſe fratribus gerens, infauſti temporis exitum operiebatur,

Digitized by Google

riebatur, degens in illis quasi unus ex illis. Post exactum inibi hoc modo triennium, errantis patriæ labyrinthum, suique regiminis locum repetere cœpit. Prædictus invasor Episcopi sperans arundinem vento agitatam, ad suam perversitatem inclinare velle, aut inclinari posse delusum animum, erigitur, exhilaratur, dilatatur, blandiens simulatione, satagens beneficiis, indulgens honoribus. Sed inacta re vir Dei contagionem lepræ ejus pertimescens, in junctam heremum sese collegit, ubi *Admontense* cœnobium fertur subisse, à præfato *Gebhardo* Episcopo nuper fundatum, non sine divino oraculo. Quod qualiter factum sit, & situm loci, quomodo res obtulit, breviter pandere ignorantibus libuit. Locus ille inter montana *Bavariæ*, juxta *Ansim* fluvium situs est, aditum difficilem viantibus præbet, adeo ipsa natura munitus per gyrum, ut altissimorum ambitu cœlum proximè dicas circummuratum. Prospectus in montes, aut sursum versus non est. Hoc monasticæ conclusioni, præstruente natura, idoneum, hoc unum de cæteris. quare locus à strenuis longè lateque amatur, expetitur, ab aliis horretur, fugitur. Necesse est fortia diversas virtutes aut provocare, aut revocare. In hoc ergò loco Monasterium beatus Præsul fundare desiderans, dum esset ibi constitutus, quia fiscus Episcopalis erat, triduum continuum perstitit, non manducans neque bibens, adeo æstuans discerpebatur cogitationibus suis, dum quod definiret, eligere non poterat. Mulcebat partim facies loci, quod invius convictui hominum tunc nullius idoneæ rei materiam in venis montium negaret; angebat è contra non carpento, neque * trabea, verum solis sagmentariis necessaria posse inferri. His distrahentibus animum, postridie etiam dum cunctanti, subitò surdus & mutus quidam in medio exurgens, divino nutu coram omnibus hæc verba eleganter in Teutonico concinnavit Episcopo, inquiens: Tu debes inchoare, Deus debet consummare. Qui homo nec postea, nec ante ullas edidit voces, donec post multos annos in depositione ipsius Episcopi, ad sepulchrum ejus pleniter aurium & linguæ restitutus est officio. Mirantur utique universi, studium & gaudium replent Episcopum. Mox quasi divinitus accepto oraculo intrepida mente, proniissimo studio monasterium cœpit construere, sacris vestibus, & marmore copioso ornare, reditibus ditare. Porrò successores ejus, videlicet ipse *Tyemo*, cui hic stilus famulatur, deinde *Chunradus*, vir magnæ authoritatis, ac potens in opere & sermone, familiari convictu locum colentes, quantum supererogaverint, breviter dici non potest, habet Deus majora retribuere illis. Hujus *Chunradi* temporibus, nostra jam (*a*) majora (*b*) quasi novum & melius intuitum accipiens locus, tum variis modis, tum principaliter famæ gloria, observantiarum rigore, nobilissima monachorum atque sororum multitudine, nescio an super omnia Teutonicæ terræ Monasteria non invaluerit. In hoc itaque cœnobium Juvaviensis Abbas sese interim recipere oportunum respexit. Non multo post invictus Christi athleta *Gebhardus* exacto fælicis agonis cursu, ad palmam supernam vocatus (*c*) XVI. K. * & ultro naturæ concessit, sepultusque apud *Admontense* Cœnobium, ipso die depositionis surdus & mutus quem prædiximus, ad sepulchrum proprium curavit, quo primo aliisque deinceps miraculis vivere se in regnis cœlestibus testatur.

Sæc. XII. Anno 1150.

f. trahit.

Verum proh dolor iisdem diebus, ut ait olim quidam, perdita damnato nocuerunt tempora mundo. Etenim mala abundabant in terra. De quibus omnibus ut taceam, is quem viventi Gebhardo superpositum ante retulimus, arrepto tempore quasi vacuam sedem occupare post eum liberius cœpit. Quod videntes, ad quos pertinebat, ineunt prout res monebat, consilium, ordinare dignum gubernatorem matrici Ecclesiæ. In partes primo discedunt, ut in tali negotio assolet, uti cujusque natura & mores erant, alii benè alii secus consulentes. Unusquisque in suo sensu mox abundat. A spiritualibus & Divino sensu super cæteros homines vigentibus venerabilis *Tyemo*, dictante id eis Spiritu sancto, honestissima suffragatione vocatur Episcopus, alii quendam *Adalberonem*, Frisingensis Ecclesiæ Decanum asclscunt antistitem. At supernus arbiter medium se partibus interponens, qualiter hujus posterioris electionem approbarit, celeris animadversionis sorte aperuit. Dies enim colloquio decernitur, ut exhibita electi utriusque præsentia, in unum ex his quoquo pacto ab omnibus consentiretur. Conveniunt eo Patavienſis Episcopus Altmanus Apostolicæ sedis legatus, dux, comites, simul de utroque ordine grandis Ecclesia. Quo-

Episcopus ordinatur.

(*a*) *Hinc patet auctorem S. Tyemoni fuisse æquævum.* Can.
(*b*) Legendum *Memoria*, Vossius. Basn.
(*c*) Inde emendari potest *Mezgerus*, qui asserit *Gebhardum* excessisse vita 15. Julii; cum dies decimus sextus Kalendar. Augusti incidat in 17. Julii. Hic igitur sanandus locus & reponendum. Kal. Aug. Basn.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1150.

Quo dum ſimul navigio prædictus Decanus pergeret, medio amne ſub oculis admirantium paventiumque immergitur, taleque omnis controverſia compendium Judicis DEI ſortitur. Continue enim concordatis partibus ab univerſis quaſi divinitus declaratus *Tyemo* in Cathedram Pontificialem * laudatur, conſecratur, omnique plenitudine metropolitani juris firmatur.

*f. levatur.

Satis agebat pro principatu ſuo ipſe Phylochriſtus, quantum in ipſo fuit, pro-
2. *Tim.* 3. videns bona, non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus. Verùm omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patiuntur. Tredecim namque annis, quibus præfuit, bellis, obſidione, gladiis, captivitate, omnia extrema perpeſſo, inſtar beatiſſimi Athanaſii Alexandrini Epiſcopi, nunquam pene liberum corpus, ne dum libera authoritas fuit. Gravis eadem res, eadem cauſa, quæ & prædeceſſorem ſuum urgebat. Diviſum enim inter ſe ea tempeſtate regnum, & ſummum ſacerdotium, diviſa cum his injuſtitia atque juſtitia, fasque nefasque, mediam inter ſe Eccleſiam trahebant, convulſam & dilaceratam, variè aliis alii morem gerentibus. Planè cum pluribus * diu moris conſilium factum, hic Præſul in reverentia & obedientia ſanctæ Romanæ ſedis permanſit, usque ad finem fidelis. Propterea præ participibus ſuis, hæc omnia, quæ præmiſimus mala, eum apprehenderunt. Denique & æmulam ſedem contra eum tenebat ille ipſe, quem ei ſuperpoſitum vivente *Gebhardo* ante latius docuimus, ſpectabilis
Joan. 10. planè perſona, & tantæ dignitati idonea, niſi aliunde quam per oſtium aſcendens, teſte veritate, fur eſſet & latro. *Bertholdus* hic erat, infælicitatis ſuæ ſatis notus elogio, cujus intruſi, magis verò *Heinrici* quarti Imperatoris, qui per Italiam & Alemanniam, heu totius mali materia videbatur & forma, hujus iniqui conſpiratores eo usque venerabilem virum perſequendo deducti ſunt, ut grege facto bellum adorientes, ſanguinem ejus quam omnia mallent.

Pugnat cum Bertholdo.

Aderat is per ſe cum quibus poterat copiis, pugnatum eſt à duobus propinquis ſuis æque nobilibus atque magnificis viris, quos adjuvabant ſanctæ Eccleſiæ miniſteriales, plena fide, igneo ſtudio, ſi quando divina voluntas annueret Eccleſiam ab invaſoribus eripi, injurias ultum iri. At verò placet ſapientiæ Dei electos proprios hic interim premi à reprobis. Vincitur ab adverſa parte acies Præſulis; fuſi ſui partim, alii fugati, ſpolia direpta, ſimul cum pallio ſuo, intactus ipſe fuga evaſit. Non multo poſt cum per *Thaurum* montem in Carinthiam iter legeret, ecce *Udalricus* Comes partium Cæſaris, dum vult malam virtutem ſecula futura narrare, auſus eſt manum ſacrilegam mittere in Chriſtum Domini, &

Multa patitur.

in ipſo monte nil minus ſuſpicantem circumvenit Dominum ſuum, & cepit. Nullum genus ærumnarum, quod tempore, quod miſerum eſſet, in ea captivitate per quinquennium expertus non eſt. De quibus ſingulatim ſi parem differere, incertum habeo, piget magis, an pudet. Nam & maximus locorum Epiſcopus ſubjacentium, ſcilicet *Friſacenſis*, uti cum ipſo antiſtite, vel deleretur funditus, vel in fiſcum publicum redigeretur, quinquennali obſidione tentatus eſt atque vexatus. Affuit loco quoddam divinum præſidium, ne per tantum temporis ſubjici poſſit. Cumque inceptum tardius procederet, Reverendum Pontificem cum prædictis cognatis eò deducentes, primitus eum ligaverant, proh pudor! ad machinam extructam, quam vulgò mangonam appellant. Non ſint, inquiunt, manus noſtræ ſuper eum, ſed manus oppidanorum, ut occidatur. Verum quia nequitiam inaniter tantum flagitii intenderant. Agnoverunt enim oves paſtorem ſuum. Tum proximos ejus, quos ſupra cum eo captos adduxerant ante ora ſtatuentes, ſubinterminatè optionem dederunt, aut loco mox tradito obſidionem ſolvere, aut imminenti gladio cognata colla exponere. Reſpondet Epiſcopus: Res Eccleſiæ ſunt, res ſunt *Rudberti*, de quibus agitur, quas in cautionem meam tutandas ad tempus, & fideliter diſpenſandas ſuſcepi. Non mihi contingat earum diſtractione, fluxam & fragilem vitam, ſeu cognatorum, ſeu meam ſuſpendere. Non facio animam meam pretioſiorem quàm fidem. Innocenter hi itaque ambo capite truncati ſunt. Quod in pectus antiſtitis alto dolore aſcendit, dixitque obſidionis principibus, *Udalrico* ſcilicet Comiti, quem ante latis commemoravimus, cum germanis ſuis duobus. Quomodo, inquit, viros juſtos, & ſine querela pro Eccleſiæ tantum defenſione interemiſtis? Maledicti eritis ſuper terram, nec peccatum veſtrum à facie Domini delebitur, ſed infœlices ex hoc in reliquum, & decreſcentes vivetis, donec dignas animas inferno reddatis, æterno igni paſcendas. Perhiberi usque hodie ſolet omnium provincialium famine, ſceleſtos Comites nunquam proſperatos, in adverſis dede-

Digitized by Google

dedecorem vitam, in ærumnis duram mortem luiſſe; juxta viri Dei ſententiam. Qui ab eisdem poſt hæc in aliam munitionem tranſlatus, militi cuidam deputatur cuſtodiendus, ubi pro regno Dei & juſtitia ejus, tam dura angaria, quàm diutina agonizabat. SÆC. XII. ANNO 1150.

Jamque multum temporis fluxerat, nec flecti à rectitudine, ſtatuti ſui tenax animus quibat. Quare tædium Cæſarianis faciente, gladio finiendum decreverunt. Ad quod piaculum cuſtos pro ſe alium militem conducere maluit, quaſi per alterum ipſe rem agens, immunior foret. Sed mentita eſt iniquitas ſibi. Spiculator ergò ingrediens, ubi fortis agoniſta Dei ſervabatur, rem prius, pro qua venit, aperit. Reſpondit intrepidus Epiſcopus: Domini voluntas fiat. Surgensque dicto ſymbolo cum oratione procubuit, cervicem ſuper lignum extendit. Accedens lictor totis viribus fulmineum enſem adegit, ſacram verò cervicem, ac ſi ferrum ac lapidem ſecare non potuit; Tantum ſumma cutis, vix tenuem velut lineam ictus, & quod ſolum ictus agnoſceretur accepit, quod ſignum ulterius obduci, quam diu in corpore vixit, non potuit. Relinquere per hoc voluit omnibus audituris Dei omnipotentia, & ſuæ virtutis indicium, & humani flagitii. Quo ſemel cepto miniſter diaboli fruſtratum ictum ſuum imputans, quòd negligenter feciſſet, denuò cum cura & enixius ferire parabat. Age, cernere erat vim viribus exire conantem. Tum in altum vibrans gladium, ut ab alto graviori ingereretur in gulam, trabem ſuper verticem, dum non provideret, valido prius ictu ſignavit, erat enim in æſtuario, fractusque continuò enſis in partes diſſiliit. Indicium fuit Pontifici, quod nondum venerat hora ejus. Non in tenebris, neque ſub tecto, verum inter confertiſſimos hoſtes apud Corozaim triumphus illum manebat. Equidem & armiger ſathanæ caſu credens rem factam, ſed manifeſtam Dei manum expaveſcens, tum virtute, tum authoritate viri permotus, flexit animum ſuum, & ejusmodi preces effundit, coram ſancto proſtratus: Confiteor pater Domine, omnipotenti Deo; quia infœlix ego homo peccavi multipliciter, in ſanctum & honorabile caput tuum, non uniformiter: ſed per illum, qui te ſalvavit, obteſtor, & flagito, ut veniam reo indulgeas per tuam clementiam. Adhæc tam pia facilitate quàm prudenti diſcretione in hunc modum reſpondiſſe Epiſcopum accepimus: Quoniam pœnitet delicti in nos admiſſi, ex parte mea cordetenus illud indulgeo; ſi quid verò in Deum perinde conſtat flagitioſè commiſſum, notum à ſeculo eſt Domino opus ſuum, quod reddere oporteat. De hoc aliter videas convenit. Sed jam dicta etiam atque etiam mente verſantibus, quàm prudenter in re una eademque inter noſtram diſcrevit & Dei juſtitiam, certo certius erit. Etenim accipere injuriam, reddere bona pro malis, juſtitia Chriſtiana eſt, aut ſine effectu eſt. Per ſe homo, vel ex ſui parte ignoſcat gratuitò; neglectum iri apud conditorem impia cauſa non poterit. Noluit ergo verus doctor, quæ vera, quæ ſana, non etiam reo huic innoteſcere; quod ſuum erat fecit ei, & egreſſus eſt homo. Nec defuerunt inter hæc monſtra quàm plurimi longè lateque, qui miſerandos caſus antiſtitis profundè dolentes, ſubveniendi animos avidos gererent, ſed horum alios jus factionis, alios alia impedimenta repulerant. Principes conducere potuiſſent, ſed eos partim ſimilis ærumna iisdem de cauſis vexabat, alii cum Rege talia faciente Principes erant. Pauperes contra violentiam aſſiſterent? ſed pauperes erant. paupertas indiga opis, inops auxilii eſt. Patrem Apoſtolicum appellaſſent? ſed hoc exemplum calamitatis, his tempeſtatibus erat, proſcribebatur, cædebatur, exterminabatur, humanarum rerum ſpectaculum præbens. Adeò implacita urgebant, & deformia tempora.

Miles caput amputare tentat.

Attamen fuit ſecundum genus ſeculi honeſto loco natus quidam religioſus ex illis, qui apud Canonicos & Monachos exteriores fratres in cappa vocantur, cujus ſcema ordinis & habitus is etiam *Noricæ* regioni omnium primus intuliſſe narratur. Equidem ab Abbate *Hirſauvenſi* Reverendiſſimo Willihalmo per idem tempus humili officio, humili inſtitutione illud genus ortum ſuſceperat. Prædicti autem fratris * nominis *Chunradus* ferebatur. Hic ſolus dignus inventus eſt, cui præſtaret in fructum perennem omnipotens, liberare famulum ſuum de manu potentiæ. Et oportunam rem videns, quia pecuniæ obediunt omnia, ſumptibus componere negotium parat. Itaque inter cognatos & notos communes, collatione facta, militem cuſtodem 40. * talentis corrupit, & præditus, adeò ut militem cum omnibus armis de ponte fluminis una manu ſuſtolleret, & ſine onere pendulum in aëre palpitantemque teneret. Et ut breviter concludamus, omni gratia, omnibus bonis, ſuper alios mortales inſignis enituit, præter pacem mundi, ſi benè hæc dicenda pax

* *f. nomen.*

* *f. talenti.*

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1150.

est. Verum ipsa media est, nec fugere omnes bonos, nec omnes amplecti videtur, quam nemo bonus benè unquam concupivit, dum premere magis bonitatem nonnunquam consuevit. Quantum verò ad præsens attinet, Werra, sanguis, inquitas sic tempora illa fœdaverat, ut quietum nihil, tranquillum nil merito esse posset; pacem verò bonis fore nec saltim deceret, unde minus mirandum de nostro antistite. Qui post captivitatem, ut dixi, solutam, in terra sua, jam fructum suum non sperans, in Sueviam se contulit, & cum venerabili *Gebhardo* Constantiensi Episcopo tempus redimens, Sanctis & Deo servientium monasteriis, quæ in circuitu erant, suam commansionem indulsit.

Petit Hierosolyma.

Secundus autem venerat annus post eum, quo sancta civitas Hierusalem de jub jugo gentium cervicem erexerat, nec dum tamen, aut bella omnia parata, aut armis parta pax & securitas fuerat. Initium illud misericordiæ stillavit Deus, sub Duce *Godfrido*, qui cum aliis, quos idem Spiritus repleverat, primoribus, 70. millia expeditorum adduxerat, acceptaque victoria, Rex Hierusalem creatus ex sententia omnium & unctus est. Horum opus adjuvare pro nomine Christi conflagraverunt ex Almannia, Bavari, Suevi, tam proceres nonnulli, quàm populares, tradentes in hoc mundo animas suas, ut in resurrectione vitæ sumerent eas. Caput horum & sydus, ut ita dicam, quo cuncti regerentur per mare, sacer *Tyemo* factus, simul cum Duce *Welfone* Hierosolymitanæ peregrinationis iter invadit, præsertim quia non fructus in agricultura sua, sed fœda omnia evenerant atque acerba. Sic mala res, pejor spes, procul & usque in Sueviam cultorem de vinea sua ejecerat. Veniunt ergò cum eo omnes constantes corde, usque ad terram repromissionis; cum subitò antequam sanctam urbem attingerent, innumera Ethnicorum multitudine circumfusi, & constricti sunt. Etenim in civitate Corozaim tres fratres principabantur, sævitia *Diocletiano* paganiores, *Decio* tyranniores, qui adventu nostrorum comperto, ante quidem pro recenti amissione Hierusalem & victoria Christi nimium venenum vix continentes, & tunc evomere totum in peregrinos aventes, instructi pro tempore copiis quàm maximis, intentissimè obviam ruunt. Cernens vim viribus exisse pugnantes. Hinc late strage nostrorum facta, paucis elapsis, qui ad desiderata loca tantum pervenerunt, reliquos omnes in captivitatem duxerunt.

Captivus ducitur.

Dux Welfo apud Paphum seculo excesserat, Episcopus autem inter eos Christianos, permittente Deo, qui capi propter nos & ipse non renuit, capitur, trahitur; nec repugnavit, sed indignos pedes ferrea boga religatus subigitur. Eo quippe modo quoque versum, illic pagani Christianos, Christiani paganos, victos angariare ad servitia quotidiana consuerunt, ligna, lapides, aquam de procul bajulare. Cumque postmodum inter se prædicti fratres dividerent spolia rerum & hominum, præcipuus ipsorum proprio Episcopium peculio vendicans, venundare quasi vile mancipium eum aliis venalibus statuit, infelici mercimonio suum cupiens sarcinare saccellum. Veruntamen concaptivi Christicolæ, qui inita fœlicia, & ordinem viri minimè nesciebant, omni reverentia nihil remissum, nihil tardum obsequentes agebant, ut patrem obibant, ut sancto humiliabantur.

Nec latuit paganos quid agitur, inspectant, quæ persona, aut quid intra suos fuisset, nostros scisitantur. Respondetur, conditione illustrem, vita purissimum, dignitate Episcopum esse. Hi venientes Regi suo, quæ audierant, intimare non differunt. Ille accersire Pontificem, & suis aspectibus assisti præcepit. Quem hujusmodi alloquio adorsus est: Quis es? aut cujus artis peritus? Ad hæc Episcopum talibus verbis locutum accepimus: Deo meo largiente diversarum quidem artium disciplinam profiteor, sed præcipuè ut sapiens architectus fundamentum fidei firmiter in cordibus hominum ponere scio, super quod si quis bona opera ædificaverit, neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus subruent hominem fundatum supra petram, quæ est Christus. Clericum autem se & Prædicatorem figurabat. Respondit ei Rex: De ædificio hujusmodi nihil mea interest, sed tabulæ artem si nosti, seu pictoriam, vel aliquid tale, nostræ utilitati accommoda. Si artificem, inquit, nosse desideras, optimè vetusta renovare & scio & possum. Ille non capiens, quæ Dei sunt, cum indignatione respondit: Quid ambagibus garrulis circumscribendo lacessis? Ait ad eum Episcopus: Verè, ut dixi, nutantia & vetera renovandi disciplinam accepi, quia legem veterem in novam, Christo Deo meo auctore, commutare novi; insuper

per & operatorias artes, quas quæris, scilicet aurariam & hujusmodi, omnes profiteor. His auditis in gaudium magnum, & vocem erumpens ait Rex: Gratias diis nostris uberrimas ago, quod servum cunctis usibus idoneum dignati sunt destinare, & conversus ad Episcopum, Age nunc artificum optime, inquit, da operam, DEUM meum manus truncatum, aut nova effigie ex integro, aut novis manibus restaurare, ut propitium divina providentia * pensius tuo beneficio mereamur sentire. At ille gentilem inter se, & miserans & irridens errorem ait: Jube Deum truncum huc afferri ad me. Accelerant servientes Regi, & ecce inter manus præsentatur larvale simulachrum, verè larvale, cujus alia forma exterius, alius habitator interius, scilicet * Diabolus, quem in eodem demens vitio paganorum, divino adorabat ritu, & coluit. Intuitu eo, subjunxit Episcopus: Malleo, inquit, opus est; ni fallor, emendare potero Deum vestrum. Credunt deludenti, gratulantur, malleus grandis defertur, sicut præcepit. Quem manu arripiens, accessit ad simulachrum. Cumque stetisset super illud, hoc sermone exorsus est: Immunde spiritus, qui in ista effigie habitas, ad deludendos miseros homines, qui non credunt DEUM in unum & verum, & loquens & seducens, sicut per serpentem seduxisti Evam, tibi præcipio in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ut de omnibus quæ voluero, accipias verba & reddas. Confestim verba contulit ad divini nominis obtestationem diabolus. Dumque diutius sermocinarentur, dæmon in Christum quandam blasphemiam proferre ausus est, quam concussans aures vir DEI sustinere contumaciam noluit, sed blasphemum monstrum insiliens soletenus illud prostravit, & malleo, quem manu tenebat, cum vires etiam bonus furor incitasset, particulatim ingentem statuam, DEI virtute in brevi comminuit. Quid plura? videntes pagani, qui circumstabant, rem gestam, mutuò semet hortari, & quadam quasi freneſi capti sacrilegum clamitare coeperunt, & impetu facto in eum nil aliud mox, quàm nece mortis vindictam anhelaverunt. Verum Rex aliis insanis ipse insanior, pejori consilio suspendere interim lethi celeritatem malebat, & prolocutus est dicens, Nolo herclè, nolo uno, sed multimodis tormentis contumacem laniatum finiri. Per me insuper id nec volo, nec possum, par est DEOS consulere, eorumque placito & posteris digna decernere. Vinculis ferreis interim & carceri infernali damnetur. Amplectuntur sententiam iniqui satellites, fitque uti ille censuerat, & catenatus ad carcerem Præsul importunè impellitur. Ibat autem exultans & laudans DEUM in hymnis & canticis, agonemque suum omnipotenti DEO commendans. Rex autem contrito simulachro, nesciens diabolum suum unde vivere requireret, ad aliud vicinum idolum statim missos suos cum hostiis direxit, dans in mandatis, uti sacrificantes velociter, de agendis consulta referrent. Sed quemadmodum dispensatione divina beato Job olim Sathan volentissimus quidem in facultate, & in carne ejus pugnam inflixit, sed nolentissimus de pugna occasionem in cæteris præbuit gloriæ, pari modo nec adversarius noster diabolus, dictare potuit, quot, quibusve modis homo DEI laniatus enecaretur, non autem providit, quem fructum patienti pro constantia operaretur. Nobis satis constat, hæc sicut & præcedentia ideo cuncta fieri in eum permissa, quatenus titulis ejus, nec martyrii triumphus deesset, & concaptivis Christianis robur ejus æmulatione accresceret. Sacrificantibus, dæmon articulata voce emugire auditus est, dicens: Licet meo fratre & Collega amisso, miseriis cujus dejectus, vix edere voces sufficio. Quid dignum super temeritate consulam, aut quæ pœna respondebit tanti sceleris reo? Illi non satis eveniet, quicquid eveniet. Ite ergò, Domino vestro meis verbis dicentes, ut flagellatum primò, sacrilegum in spacioſum pertrahi campum præcipiat, ibique cum sacrilegium corrigendo, Dominum vestrum reparare, numina simul adorare noluerit, variis & sævissimis actis pœnis de viventibus auferatur. Ad hoc verò speculum omnis globus Christianorum, velit, nolit, conveniat, ut ejus pœna magistra, cultum diis terror, reverentia Dominis timorem incutiat. Accepto hujusmodi oraculo ex sententia animi sui, Rex alacer & lætabundus, cuncta uti doctus erat, mandavit effectui.

SÆC. XII. ANNO 1150.

* f. propensius.

Solet verò nefanda confici arte unguenti quædam species, contusa viperæ ac lacertæ arvina cum aliis ejusmodi bestiis, eoque unguento impii homines ad pessima opera, pagani verò ad supplicia nostrorum uti consueverunt. Talis enim naturæ est, ut

Thyemonis varia simplicia.

* De hac narratione idoli, vide quæ notavi ad Lectorem. CAN.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1150. ut oblitam cutem desuper ossibus & carne statim avellat. Hac ergò letifera specie contra sanctum die postera efferati, primo soleam inde perlivêre: quam baculo appendentes, nudum præ se Martyrem super asino in campum agebant, infectaque tali solea verberantes, cutem corporis, ubicunque tacta fuisset, detrahebant. Sic in campum agitur venerabilis Episcopus, & ineundo ad Deum ex imo corde hujusmodi preces effudit: Domine Jesu Christe, qui pro nobis passus es, nobis relinquens exemplum, cui servio ab infantia mea, cum sis justitia & veritas, pro te omnibus ærumnarum generibus, usque in exilium deveni, & ecce ad mortem pertrahor, ut
Colos. 1. compleam ea, quæ desunt passionum tuarum in corpore meo. Hic dies autem victori, * omnesque calamitates fœliciter consumabit, aut victo perpetuæ miseriæ initium cumulabit. Præsta ergò servo tuo, viriliter agere, ne timeam tyrannum hunc, & quæ ab eo inferuntur tormenta, fortiterque pro te sanguinem fundens, liber deinde à peccatis, & doloribus, tecum exultem in sæcula.

Cumque ad aream certaminis veniisset, jubentur spectatum adesse omnes nostræ professionis, & in modum circuli authorem suum circumstare, ut de propè videntes, & audientes recogitent & timeant, & exemplo disciplinam accipiant. Levatur impio regi tribunal in medio campi, adsunt prospectum cum omnibus oppidanis funesti satellites, & de proximis castellis magna frequentia. Judicium sedit tyrannus, & jussit exhiberi Episcopum. Quem intrepidum & alacri vultu accedentem ut vidit, hoc sermone adorsus est: Tu es ille contumax, qui in Deum meum mittere manus impias non timuisti, nec nostri respectum, nec Deorum reverentiam habere voluisti? Respondit Episcopus: Turpis est Deus & sine deitatis virtute, qui conteri potuit, prohibere non potuit. At non est revera lignum Deus, sed miro modo rationabiles homines sine ratione sunt, sine cerebro, & veri frenetici, qui nesciunt, quid dicant vel faciant, qui de rebus putant, contra quàm est, Deos fore lapides ligna, Vulcanum claudum, Jovem (ut expressè loquar) ipsum scelus & crimen mundi abominandum, & cætera visu digna. Ego autem unum Dominum habeo, unum Regem cœlis atque terris imperantem, visibilium & invisibilium creatorem, hunc adoro, huic deservio, à quo, donec supereſt in me halitus, avelli non potero. Dixit ei Rex: Depone miser insaniam tuam & audaciam, quia nisi acquiescens deos adoraveris; Christus tuus te salvare non poterit de pœnis paratis.

At ille non respondit ei verbum, sciens studio secus viam semen non esse perdendum, quod diabolus tollit de corde, ne fidem fructificet. Tunc Rex imperans militibus ait: Accedite nunc, omniumque digitorum utriusque manus summos articulos secantes præcidite. Initium dolorum hoc. factumque est ita. Deinde Rex funestus dixit Episcopo: Adhuc per te tibi consulere expedit, ut sacrificans reliqua mortium supervadas, & vitam reserves. Respondit Episcopus: Tua doctrina non est tua, sed diaboli, opera ejus non habeo, per me salubria sapio. Qui enim vitam Christo offenso volet servare, hoc est planè perdere illam.

Adhæc tyrannus commotior militibus suis, etiam injunxit partes digitorum omnium, quæ sequuntur supremos articulos truncare atrociter. Placet pertinacem pertinaciter per singula membra concidi, fecerunt ut jusserat, omnique flexura digitorum sensim resecta, tum ipsas manus, postremò brachia detruncantes insultaverunt. Tunc omnes nostræ professionis tam capituli, quàm incolæ regionis, mos enim in partibus illis obtinuit Christianos complures, cum pacis conditione inter paganos pariter habitare, pariter negotiari, qui cuncti spectaculo horrendo astantes, quod solum poterant, questibus & lachrymarum undis modum exierant. Ad quos in ipsis doloribus Martyr conversus, blanda consolatione allocutus est dicens: Nolite boni commilitones, & cives Hierusalem supernæ, si fidem usque ad finem vitæ teneatis, nolite super me flere, nolite non dolendum dolere; ipse enim ego tametsi corpore in præsentiarum deficiens, sublimiter spei robore gaudeo, quem elevandum jam jam ab imis ad superos per gratiam Christi confido. In quo magis etiam gloriæ nostræ congaudere vos decet; simul & gratias agere Deo, qui vestris diebus, vestris finibus me suam eligere dignatus est in hostiam suavitatis, vobis in formam beati certaminis. Eniti cum omni virtute post obitum meum vos hortor ac moneo, ut fide invicta, conversatione perfecta, gentibus irreprehensibiles, Christo accepti persistetis; & si paupertas, pressuræ, exilium, imminent, memineritis vos in manibus palmam, regnum, gloriam portare. Deus remunerator ea omnia victoribus præmia posuit. Quanta cuique fuerit virtus in vita, tantum erit receptus in præmio. Sæviat tyrannus quoad potest, moriar, mors ultima linea rerum. Alia vita, alia gloria subsequetur.

Digitized by Google

tur. Talia perſtabat memorans fixusque manebat in agone fœlici. Quo juſſo, ad pedes ſecandos juſſit Rex impius converti carnifices. Jamque per ordinem junctura ſenſim deciſa, tunc demum ipſa crura detruncare inſanientes cœperunt. Quid amplius facias ô inſatiabilis ſemper crudelitas? Cur beatus Præſul jam jam ſpectaculo fœdo, miſerabili, horroris pleno, nonne quod inſanis mentibus ſemper crudelitas ſuavis, impietas jocunda, ſanguis voluptas, ſævitia ſtimulus eſt? Rex enim ſceleſtiſſimus ſanguinem bibens, in ſiti ſanguinis permanebat, & ſimilis hydræ illi famoſæ, cui numeroſa capita pro uno ſurgebant, ſic cepta ſemel rabie creſcebat magis ac magis, non minuebatur. Juſſit denique poſt prædicta omnia ſancti Epiſcopi umbilicum ferro aperiri, & inteſtina illius inde inhumaniter extrahere, & extracta circa lignum, uti fila quælibet tenuata in fuſum glomerari. Cumque diu ſancta viſcera tali modo extraherentur, dolorum extrema vitalia cordis pulſavit. Jamque in ultimo ſpiritu conſtitutus, ſuſpiria quanta poterat, oculosque in morte natantes, ſurſum elevans ait: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. Quæ verba ſimul cum vita finiens, beatum ſpiritum reddidit. Verè bono certamine certato, curſu conſummato, fide ſervata, repoſitam ſcilicet coronam juſtitiæ Dominus reddidit in die illo, quemadmodum ſubjecto probatur indicio. SÆC. XII. ANNO 1150.

Quidam namque Chriſtianorum, * qui omnem poſtea ejus paſſionis hiſtoriam, noſtris partibus retexuit, teſtabatur, ſe ſub ipſa hora tranſitus Martyris de corpore vidiſſe angelicum chorum cum hymnis cœleſtibus venientem, & aſſumptam animam ad ſuperos cum exultatione viſibiliter ferentem. Ubi quanta gloria triumphans communi ſupercœleſtium ſpirituum favore ſuſcepta ſit, in corpore etiam extincto ſuper terram declarare divinitas voluit. Particulas quippe membrorum negligenter hinc inde disjectas, decrevit barbarica ſævitia, equorum pedibus conculcandas projicere, ne, quod futurum erat, ſic eum devotio Chriſtiana poſſet Martyrem facere. Accedentes ergò & tollere ubivis ſparſa nitentes, quod mirum dictu eſt, nec minimum aliquid eorum valebant, quamlibet multi, à terra movere. Pondus ſanctitatis molibus graviora membra reddebat, magnitudo meritorum majorum erat, quàm ut ferret injuriam, quæ honoris digna, quæ obſequii exigens. Multa cura, multisque modis opus tentatur, fruſtrà inceptum Deo reſiſtente oſtenditur. Neque enim ultrà canum quilibet aut avium, ſeu beſtia de ſaltu accedere propius, & contingere de corpore ſacro præſumpſit. Mirati omnes tum demum quid, cui, feciſſent; ponere ſuper cor, & pavere cœperunt. Super omnes ipſe Rex quid ageret dubius, quodve conſilium caperet, vultu colore, motu corporis pariter & animo varius agitabatur. Ad vicinum tandem idolum, *Machmit* nuncupatum, quod & ſuprà conſuluerat, miſit properè, qui acta indicantes, oraculum, quin totis de agendis referrent. Quibus dæmonem hoc modo locutum accepimus: Fateor magnus eſt, & fortis potentiæ DEUS Chriſtianorum, qui præſtat diligentibus ſe omnia cooperari in bonum. Ecce quem morti atroci addiximus, quia fidelis in modico perſtitit, ſuper omnia bona Domini ſui conſtitutus eſt. Sua patientia, crudelitate noſtra, id lucratus eſt vivens, ut in mortuum nihil poſſimus. Veruntamen quoquo pacto deſuper terra auferatur neceſſe eſt. Sepeliatur vel ab ipſis ſuæ ſectæ hominibus. Nec diutius ſpectetur ſub aëre feris, avibusque vitandis quaſi ſacrum aliquod maximum, unde gloria contra nos indies creſcat, unde fama in populos longè lateque ſe porrigat. Erepto aſpectibus corpore, ſolet ſenſim & mentibus elabi memoria. Permitti ergò partes ſui corporis Chriſtianis cenſemus. Poſtquam loquela ceſſavit dæmonum, reverſi ab eo legati, quæ audierant, quæque in mandatis acceperant, perferre ad Dominum ſuum non differunt. Acquievit ille placito, & datis dextris ſecuritatis, cunctos Chriſtiani tituli in unum confluere, & patrem ſuum, ubi vellent, ſepelire præcepit. Quæ creatori gratiarum actio, quanta exultatio, demerſos pios univerſorum animos erexerit, nos inſufficientes dicere, legentium ſenſibus metiendum relinquimus. *Thietmari obitus.*

Cumque conveniſſet copioſa multitudo noſtrorum, levantes ſanctiſſima membra Chriſti Martyris, cum hymnis & laudibus devotiſſimis in Eccleſiam deportaverunt, tribusque diebus ac noctibus impendentes excubias, ita demum glorioſæ ſepulturæ tradiderunt. Continuè autem Chriſticolæ provinciales ipſius titulo & nomini, aliam in honore Chriſti ſuper corpus ejus condere cœperunt Eccleſiam magnifico opere, digna amplitudine, auguſto decore, quin à DEO merita ejus incontaminata conſervant, ut idolum aliquod introferri aut poni in ea nunquam permittant. Aut enim propha-

* *Hinc patet fides hiſtoriæ, & auctorem fuiſſe æquævum.* CAN.

Digitized by Google

SÆC. XII. prophanatæ ſub ipſis liminibus dæmone exagitante repellitur, aut ſimulachrum in fruſta comminutum, ſtratenus, uti Dagon olim ante arcam, dejicitur.

ANNO 1150. Eodem verò die depoſitionis ſuæ, ac deinceps multa DEUS ſigna & mirabilia oſtendere dignatus eſt, non ſolum in Catholicis, verum etiam in ipſis paganis, ſicut grandævo quodam & religioſo quodam valde probo referente dedicimus, in præſentia ſua cæcorum, claudorum, leproſorum, dæmoniacorum tot in brevi curatos, ut numerum computare, celeritatem verò in oculis teſtibus credere non poſſet. Ea propter impenſiſſimi amoris affectu, omnis paganorum grex Martyrem amplecti non ceſſat. Urget frequenter obmittentes neceſſitas, compellunt eos experta pericula. Si quis enim Ethnicorum aliquando aut præſumptuoſiorum, aut virtutum ejus expertiorum, effringere ſepulchrum Martyris, aut violare aliquatenus præſumpſerit, ſine mora aut ſpiritu peſſimo repletus punitur, aut morte repentina extinguitur. His ſæpius comprobatis, tanta dudum reverentia gentiles cuncti Martyrium ejus honorant, ut omnes Chriſtianos ad ſepulchrum ejus de longè vel propè tendentes, in eundo ac redeundo pacis immunitate ſalvos dimittant. Videat nunc primò ipſa mater Romana pro cujus fide & charitate omnia extrema percurrit, viderit hæc, inquam, quæ proprio athletæ præmia debeat; ſua idem ipſius propria Eccleſia *Juvavenſis* in pectoris alta demittat, qui cultus, quod ſtudium tanti patris ac propugnatoris natalicia deceat, tantò impenſius, quantò ſignis continuis dempta dubietas, commendata merita, addita gloria eſt. Videri poteſt non mediocri intus gloria præditus, cujus tanta miracula foris coruſcant. Paſſus eſt autem egregius Chriſti Martyr 4. Kalend. Octobris, adjuvante & coronante Domino noſtro *Jeſu* Chriſto, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Et hinc fides hui hiſtoriæ accedit CAN.

F I N I S.

METEL-

Digitized by Google

METELLI
TEGERSEENSIS,
QUIRINALIA.
IN LAUDEM
S. QUIRINI
MARTYRIS,

A Caniſio primùm ex Codice Manuſcripto Monaſterii Tegerſeenſis edita.

Digitized by Google

CANISIUS

Ad Lectorem.

METelli *apographum ex codice manu ſcripto Tegerſeenſi habuimus beneficio Nobilis & Ampliſſimi viri Marci Velſeri Duumviri Auguſtani. Quis Metellus hic fuerit, nobis non conſtat aliud, quàm monachum Tegerenſem ſeu Tegerſeenſem fuiſſe, & vixiſſe circa annum Domini Milleſimum ſexageſimum. Auctor ipſa antiquitate ſe commendat. Et quibus hactenus ne nomen quidem Metelli hujus Boicorum poëtarum, quod ſciam, antiquiſſimi, notum fuit, iis Metellus tantò gratior erit, quantò inexpectatior.*

JACO-

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1160.

JACOBI BASNAGII DE METELLO OBSERVATIO.

I. MOnaſterim ampliſſimum potentiſſimumque *Tergeenſe* ſitum eſt in ſuperiore Bavaria, in faucibus Alpium, prope locum Tigurinum. Conditum, ut ajunt, ab *Othone* Imperatore ejusque fratre cognomine reſtauratum. Ei multa contulit *Henricus* Imperator: ſed cum reformationis jugum monachis imponere vellet, oppoſitionem ſummam paſſus eſt; Veruntamen binos Abbates, quorum alter alteri ſucceſſerunt, ea de cauſa præfecit. Abbates hujus cœnobii, more principum, equeſtris ordinis officiales hæreditarios & perpetuos habent.

I. *De monaſt. Tergeenſi Bucelinus Germ. Sacra.*

II. Cum in eo cœnobio viveret *Metellus* & ibi colatur *corpus S. Quirini Regis & Martyris*, ejus laudes extollit Metellus. Vixit ille Poëta anno 1160. ut teſtatur ejus Amanuenſis ad calcem carminis: nec ille tantum ſed Bruſchius ſic habet. *Habetur hodie adhuc in ornatiſſimi Tigurini Bibliotheca Metellius author, qui Tegorinus Monachus anno MCLX. floruit ac Lyricis carminibus non invenuſtus totam fere hujus divi vitam elegantiſſime ſcripſit, ſecutus per omnia ordinem Horatii poëtæ in Odis. Hunc librum Quirinalia inſcripſit quod de Sancti Quirini laudibus tantum propoſuerit dicere &c. Interim de Claudio ac Philippo Imperatoribus plurima immiſcet.* Quædam ſunt hic obſervanda.

II. *De Metello.* *Bruſch. de Patavio Germanico.*

1°. Carpit *Caniſius* Amanuenſem, quaſi erraverit circa ætatem *Metelli* ex nota quadam, quam in Quirinalibus reperias: indeque natus eſt error plurimorum, qui ætatem *Metelli* anno 1060. aſſignaverunt; & revera potuit & debuit Amanuenſis deſcribere verſus poſt aliquod temporis ſpatium quo fuerant compoſiti: ſed vix credi poteſt elapſum fuiſſe ſæculum integrum: ideo ad Sæc. XII. illum reponendum credidimus.

Cave &c.

2°. De verſibus, quos Horatianis æquare videtur *Bruſchius*, judicet lector: Nos toto cœlo diſcrepare credimus.

3°. Qui fuerit *Quirinus* Rex & Martyr ignoramus. Aſſerit Poëta *Quirinum* fuiſſe Philippi & Severæ filium. Sed meræ ſunt fabulæ, ut & ea quæ narrat de nomine Severæ in Genoëvam mutato ab origine, & quæ de Vinculis & Martyrio habet his verbis:

De carcere noctis horâ ejicit innocentem,
Ac ſupra ripam fluvii decapitat latentem.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Quæ omnia latent Hiſtoricos veteres, nec nota ſunt niſi in faucibus Alpium poſt longiſſimum temporis ſpatium ab eventu.

Denique *Quirinalia* dicebantur apud Romanos, dies quo colebatur dies feſtus *Quirini*, hoc eſt, *Romuli*; *& mons Quirinalis* dictus fuit a Templo eidem *Romulo* conſecrato. Sic a Gentilitate deductum nomen & *Quirinus* qui colitur in cœnobio Tergeenſi eſt fictitius Rex & Martyr, & forſan Gentilis ille qui Romam condidit.

INCI-

Digitized by Google

INCIPIUNT QUIRINALIA METELLI IN LAUDIBUS BEATI QUIRINI GLORIOSI MARTYRIS,

SÆC. XII. ANNO 1160. *Ita Apographum in m.ſ.*

Ad inſtar Odarum Flacci Horatii, diverſo metri genere contexta.

Quod Patre Cæſare editus ſæculum regniquæ decus ſpreverit.

ODE MONOCOLOS TERASTROPHOS, Metrum Aſclepiadeum.

O Flos purpureus, tu roſa nobilis,
Martyr conſpicuus, teſtis idoneus,
Stirpis Cæſareæ germen amabile,
Aulæ ſydereæ clarus in ordine.
Pro Chriſti poſitis nomine faſcibus,
Regni delitias ac diademata
Spernens, divitias cunctaque terrea,
Regnum perpetuum ſanguine poſſides.
Felix qui ſuperi munera luminis,
Æternique boni jura perennia
Nanciſci potuit, merce ſolubili,
Lucrans aſtra ſolo, carcere regiam.
Fortis qui rigidas ſpernere cuſpides,
Inſtantem gladium temnere quiverat
Acer, cui ſolii gloria ſorduit,
Et jus imperii pro nihilo fuit.
Præpollens animis, celſus acumine,
Secrevit placidus fluxa manentibus,
Hæc ex arbitrii culmine deſpicit,
Hæc quærens avido pectore * ſuſcipit.
Margarita nitens & pretio bona,
Sprevit patricii munia nominis,
Vix prætexta togæ ſerica ceſſerat,
Loricam fidei mox tener induit.
Ad bellum properat, quod malè ſuſcitat
Indignata piis ira tyrannica;
Regnant orbe furor atque malignitas,
Virtus, juſtitia ſunt quaſi crimina.
Stat lex, culpa ſedet, arbiter eſt reus,
Plectit pœna probos debita noxiis,
Ut colliſa magis clarius emicet
Juſtorum bonitas & patientia,

* forſ. ſuſcipit

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Auri more, rudis rudera quod ſcrobis
Aut limus madidis contribulant vadis,
Lectum diluitur de patriis aquis,
Si quid ſordis ineſt, Mulciber excoquet;
Inſignes animas ſic Deus erutas
Dira barbarie ſplendificat fide:
Gentili rabie cum pius erudit,
Labis terrigenæ fæcibus eluit:
Hinc ophirotico purius obrizo
Mundans, ſupplicii dedicat ignibus,
Gemmatas meritis ornat herilibus,
Cunctis unde micat gratia præpotens.
Nunc alto reſidens æthere fulgidus,
Laudis vota tuæ magne pater juva,
Vires ingenio ſancte Quirine da,
Aptum pande ſtylum, carmina dirige,
Ut jucunda canat plebs tibi cantica,
Quæ ſpem ſubſidii certa gerit tui,
Donis ſupplicibus concilians ſibi
Olim nota tuæ munera gratiæ.
Regum corda regas, clarifica duces,
Primates doceas juſtitiam ſequi,
Pacem des populo, dirige præſules,
Firmes Eccleſiam, ſchiſmata dirue,
Indulge precibus, crimina dilue,
Languentes releva, ſolve pericula,
Annonas tribue, pelle nocentia,
Laudemus Dominum te duce perpetim.

Quod anno Romanæ urbis Milleſimo, Philippus primus Chriſtianus Imperator cum filio Philippo regnaverit. Et de ludis triduanis in campo Martio.

Ode Dicolos Tetraſtrophos, metrum Sapphicum.

JAm ſatis terris, ratione verbi,
Qua Deus dignans habitare terris,
Corporis noſtri ſibi membra junxit,
Virgine matre,
Grandinis duræ pater ille miſit,
Cujus excedens utero perenni
Perſtat Ætneis glacies ruinis
Irreſoluta.
Dexteram cœlo validus rubentem
Extulit, cornu crucis explicatam,
Et micans haſta bene fulgurante
Perculit orbem.
Terruit gentes, grave ne periret
Sæculum, Paulus nova jura monſtrans,
Creditum Petrus pecus egit agnos,
Ardua paſci.
Credulum ligno genus inde piſcis
Hæſerat divæ requies columbæ,
Et ſacris lymphis animæ natare
Purificandæ.
Tempus annum milleſimum rotabat,
Roma quo ſe cana caput coronat,
Læta plenum conditionis ævum
Percelebrando.

Verti-

Digitized by Google

Verticem regina Deo ſuperbum
Fronte matura reverenda flexit,
Principis cedente domo Philippi
Subjuga Chriſti.
Nec tamen liquere manus heriles
Regios geſtus habitus prioris,
Curiæ flos officioſa membra
Compſerat aulæ.

Sæc. XII. Anno 1160.

CAPI.

EXit in pompam gradus omnis urbis,
Conſules & patricii, ſenatus,
Militaris ordo, tribunus & plebs,
Verna ſatelles,
Circulatores, pugiles, equeſtres,
Curruum certamen, agon, paleſtræ,
Belluarum pugna, genus ferarum
Undique rarum.
Terna lux & nox podium tenebat,
Pervigil cœtus.... immemor fit,
Multa ludorum novitas ſtuporem
Mentibus infert.
Et nec auditu ſatiatur auris,
Parva nec pupilla repletur unquam
Viſibus, nec mens agilis novorum
Tædia novit.
Hic luto fictos homines reludit,
Hic aquis ſub Deucalione merſos,
Saxeos hic arvicolas reformat
Auſpice Pyrrha.
Iſte Lædeo memorans ab ovo,
Ilium bello capit, ille Thebas
Mutua fratrum ſimulat duorum
Cæde cadentes.
Fabulæ vivunt & agunt, loquuntur;
Quidquid unquam vixit, ibi reſurgit,
Inſuper quæ nulla fuere, fruſtra
Vivere cogunt.
Actibus juſſis agitata ludunt,
Bruta ſentiſcunt & habent loquelas,
Aſtus humanus facie ferina
Degenerat ſe.
Inſtruit ſcenas imitando geſta
Horrido perſona tremenda vultu,
Acta verbis verbaque diſcit actis
Conſimilare.
Hic tragœdias licuit videre
Omnium de tempore ſæculorum,
Si quid admirabile bella ſeu pax
Egit in orbe.
Arbiter ſedit populo Quiritum
Exhibens ſpectacula digna Cæſar,
Filio conſorte throni, paternum
Nomen habente.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Quòd urbs in ſummo tunc flore fuerit, & quanta munificentia princeps currus, equos & Elephantos ſtrenasque dederit ac beſtias.

Ode Dicolos Diſtrophos. Primus verſus Glyconius, *ſecundus Aſclipiadeus.*

SIc te Roma potens Tibri,
Sic patres gemini lucis Apoſtoli,
Rectorque (*a*) regat pater,
Sic cunctis aliis jura ferat pia
Clavis, qua tibi creditis
Debes Eccleſiis æthera pandere,
Sic ſedem videas tuam
Aulæ ſydereæ limina claudere,
Ut nunquam ſimilis tibi
Poſthac imperii gloria ceſſerit,
* Quod ſi canicies mera
Exin luſtra ſeni ter duodena dat,
Jam cœlo licet alteras
Ducas milleſias, par nihil afferas.
Primus extima viceras,
Regni flos abiit non revocabilis.
Quænam rite canat lyra
Auguſtalis honos quale dedit decus!
Quanta munificentia
Implerit theatrum gaudia principis?
Qui quò religioſior
Exiſtebat, eò magnificentior
Apparebat in omnibus,
Aptus mente DEO, corpore ſæculo.
Sanè ſic & oportuit,
Ut cæleſtis apex irradians ſolo.
Arcis Romuleæ caput,
Solis perpetui lumine vivido,
Feſtino diademate,
Lætis principibus plebeque Martia,
Præſignaret apertius
Æternæ patriæ gaudia lucida.
Diſponens DEUS omnia,
Factorum modulis quæ faciet parat.
Urbi dans celebres dies,
Orbis Catholici lætitiam notat,
Qua ſanctæ fidei ſimul
Omnes Eccleſiæ ſymbola concinunt,
Per carmen vetus & novum,
Ac mundi dominam gratificans ſibi,
Sponſalis fidei dedit
Et dotis nitidæ pignora ſplendida.
Quem cæli fore compotem,
Divino ſtatuens ordine principem,
Æternis ditionibus
Celſam præcipuo munere ſanxerat,
Sceptris ante potentibus
Mundi regna manu claudere cenſuit.

Metrum

(*a*) Scriverius legit: Regnatorque. BASN.

* *In Autographo hoc ſcholium ora aſcriptum erat: Regnantibus Philippis, juxta Euſebium & Iſidorum & Aug. de Civ. Dei. milleſimus annus Romanæ urbis impletus eſt. Primo autem anno Philippi natus eſt beatus Quirinus, XXVII ætatis anno paſſus eſt ſub Claudio, Romæ ſepultus quievit annis CCCC. octoginta duobus. Translatus in Noricum requievit hactenus ann. CCC. ſeptem. Qui computati cum ſuperioribus ſiunt octingenti ſedecim. Quibus ut alter millenarius Romanæ ætatis & urbis impleatur CLXXXIV. anni reſtant, qui ter duodecies hoc eſt, XXX. ſex vicibus habent in ſe luſtrum; luſtrum enim quinquennium dicitur, quia poſt tot an. urbs luſtrabatur Unde dic. Quod ſi &c. Ponit autem ſynecdochicôs pro toto numero partem majorem, nam ſuperſunt IV. anni ultra quinarium.* CAN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Metrum quod ſupra.

IBant in theatrum data
Auro largiflui munera Cæſaris,
Carrucas ibi gemmeas
Thraces Regis equi abripiunt feri.
It cœlo populi fremor,
Solem nube tegit pulvis Olympicus,
Sudant cornipedes citi,
Ardent * are rotæ pondere ſtridula.
Turmas belligeras vehit
Turri diſpoſitas Indica bellua,
Caſtris mobilibus, fuit
Innox pugna diu, percita beſtiis,
Quas curſus vice præpetes
Certarunt pedites vincere velites:
Illæ ſed celeres ruunt,
Acres horridulo gutture barriunt,
Hoſtes ore truci petunt,
Et proboſcidibus proxima verberant.
Quîs nomen vetus hoc erat,
Lucas noſſe boves plebs avet urbica.
Hos Lucania primitus
Urbi victa dedit ſub duce nobili.
Tandem Græcia ſubdita
Nomen dans, animal fert elephanteum.
Strenæ præterea nitent
Plures aureolæ, munere regio,
Olim principibus probis
Jani principiis auſpicio datæ,
Fauſto temporis omine,
Ut ferret ducibus ſtrenua ſtrenuis
Annus geſta recentior.
Illas nobilitas Cæſaribus piis,
Rex dignis procerum dabat
Urbi quas Latiæ tam juveni dedit
Rex Titus Tatius prior,
Feſtas accipiens paupere munere
Verbenas ſtudio patrum,
Solers poſteritas quas creat aureas,
Servant dona tamen notam
A luco veteri nomine Strenuæ.
Præbent applicitas quoque
Ludi ſorte feras Jona plurimas,
Quæ donaria publica
Nomen ducta trahunt Jonio mari.
Pantheræ, tigrides, leo,
Campos innumeri ſanguine Martios
Pardi, Linx, Aper imbuunt.
Inſumunt hominum prælia beſtiæ,
Id perpes faceret dies,
Ludi parturiunt omne genus ſuum,
Totis rebus & artibus
Urbs annum ſenii * celebrat ſui.

* *fort. ire: vel are.*

* *Canabi bras.*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

De pace Ecclesiis data per Philippum Imperatorem. Et quod Origenes litteras dedit ad ipsum. Et quod à Decio occisus est.

Ode Dicolos Distrophos, primus versus Archilochius tetrameter, heroico & tribus trochæis constat, secundus penthemimere jambica & tribus trochæis.

SOlvitur acris hiems tersa nive persecutionis,
Trahunt abundas præsules catervas.
Ac jam nec gladiis lictor micat, ustulator igni;
Nec martyrum flos marcet his pruinis.
Sacra chorea Deum laudat * piæ gratulata pace
Refertque carmen læta Trinitati,
Quæ fons est vitæ, triplex ubi vena gratiarum,
Duplo repensat simpla dona nostra
Principis invicti pietate gaudet omnis orbis,
Quieverant hinc mortis officinæ.
Criminibus demptis ergastula neminem tenebant,
Bonis studebant qui malis carebant.
Cæsaris exemplo cunctis data norma prævalebat,
Profana demum jure deserenda,
Et sanctæ fidei gratè documenta consequenda.
Nec dum DEO se subdidit senatus;
Attamen edoctus scriptis pius Imperator almis,
Viri per omnes Græcias celebris
Origenis, adest cui copia prædicationis,
Ubique cautos instruens fideles,
Se fidei sanctæ cum prole domoque subdit omni.
Probatur * isdem litteras dedisse
Doctor ad hunc Regem, regnique comparem Severam,
Recepta nomen cui fides novarit
Mitius, indulgens illi Genovesa nuncupari:
Opinio quod credit absque noxa,
Sed noscatur eodem nomine virgo Gallicana,
Nec ullus inter segreges oberret.
Septies hic anno felice monarchiam gubernans,
Coronat urbem fascibus salutis,
Dum canos ejus Christo venerabiles dicavit,
Superna regna pignorans eidem
Clarior Augusti successibus idem Juliique,
Uterque quorum quæsiere terras
Viribus armorum totis, nec civium piorum,
Cruenta terris & mari trophæa,
Sub cælo tantum tristi tenuere signa prona,
Supra nil ausi, præter inclytam spem:
Iste triumphales aquilas super astra primus effert,
Herilis ausus incruentus auctor.
Gentibus excisis illi regionibus potiti,
Dedere jura, quo darent tributa:
Hic libertati dat perpetuæ jugo solutos,
Deum fateri quos docet perennem.

* forte: pia.

* idem.

CAPL.

ORegum fortunatissime, ter quaterque fauste,
Polum tenes jam septies beate,
Jus cæleste recepisti, tibi debet urbs honorem
In omne tempus laude sempiterna.

Calis

Cælis extulerat Reges ſub opinione famæ
Adaucta quorum creverat triumphis:
Quid dignum poterit tandem tibi gratiæ referre,
Novæ dabit quam dignitatis arcem?
Tu regni fines ſuper æthera victor extuliſti,
Reique tantum publicæ dediſti,
Quod prius in terris reptans, ſuper aſtra verticem fert,
Prius per arva lata, nunc in altum creſcit,
Robore devincens omnes niſi ſe: peremerat ſe,
Tuo ducatu fit valentior ſe,
Quæ princeps pacis ſine ſanguine novit imperare,
Ut ante terræ, nunc potens polorum.
Quo feror, heu migrat quo gloria principalis illa!
Fugit caducis & petit perennes.
Invidiam virtus diram comitem peroſa liquit,
Et æmulæ cor perforans abivit.
Aſpernata polo ſuper evolat ad patrem ſupremum,
Sedet quieta nec memor malorum.
Decius excellente viri probitate vulneratus,
Tyrrannicam vim colligit perarmans,
Ac majeſtatis caput imperiale merſit umbris.
Deum fidelis ſpiritu reviſit.
Urbs Verona patrem, cæſum manibus feri latronis
Remiſit aſtris, cælitus beandum.
Nominis & regni par, filius ejus urbe Roma,
Sinu parentis ſcilicet peremptus,
Martyrii celſa comis ſequitur patrem corona.
Uterque palmam ſic adeptus almam,
Urbi quæſitos firmat patriæ lares ſupernæ,
Habet perenni luce manſionem,
Et titulum proprio de ſanguine purpurante ſcriptum,
Ibi revelat curiæ beatæ,
Quem Regi regum nunc pro populi ſalute pandit,
Periclisque conſulit ſuorum.
Civibus æquis teſtamenta ſuo labore parta
Perennis ævi non ſinunt reſolvi.
Horum ſceptrigera de ſtirpe reſedit aureus flos
Quirinus, infans ſeptimum ſub annum
Ætatis creſcens, & congenitus throno paterno,
Sibi recondit hunc Deus puſillum,
Servans tutamen patriæ, miſeris dedit levamen,
Quiritibus qui dux fidei fuiſſet,
Nobilium Romana tribus ſequeretur ut propinquos,
Fidesque digno teſte vera firmet.

De magna Decii tyrannide; Et quomodo B. Quirinus *ſeptennis, in morte patris fratrisque Imperatorum XX. annis poſtea ſub ſex regibus vixerit.*

Ode Tricolos Tetraſtrophos. Primi duo verſus Aſclepiadei ſunt, tertius, Pherecratius, conſtans ſpondeo, dactylo, ſpondeo, quartus Glyconius.

QUis tutat gracilis te puer ut roſa?
Secluſum nitidis ſervat honoribus?
Caſu mira ſub arcto,
Planæ dextra potens DEI.
Servarat placitum quem dedit a truci,
Regis Saul odio dum ferus imminet,
Septo millibus antro,
Parcit cui pius æmulus.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Fuſis irruerant Allophili globis,
Ut prædas agerent in regionibus
Cogunt cive relicto,
Siſti prælia publica.
Sic teſtem DEUS hunc continuit ſuum,
Dum vir ſanguineus cædibus imperat,
Plures undique motus,
Tunc Reſpublica pertulit.
Fervet belligeris ſeditionibus,
Hoſtili graviter ſubdita principi,
Qui dum nobilitat ſe:
Vexat Cæſareum genus,
Primores odiis fulminat igneis.
Fœdo more ferox invidet omnibus,
Præferri ſibi poſſe
Quos formidat, eos premit.
Natus Pannoniæ finibus ultimis
Civis Dalmatici limitis hic erat:
Romanam pietatem
Neſcit barbarus inſolens.
Multis oppoſitus namque potentibus,
Dum per magna furit, parvulus effugit
Qui credens adoleſcit
Clara nobilis indole.
Orbatus patre jam fratreque regibus,
Vitæ luſtra ſuæ bis duo junxerat
Septenos ſuper annos,
Quos vivo patre duxerat;
Sex mutant eadem tempora Cæſares,
Regnandi vicibus quattuor editi;
Prima ſolus & ima,
Regnarunt mediis duo.
Menſem quindecimum Decius imperat
Gallus ſedecimum cum ſocio * tenet
Ter quinum Galienus
Annum cum patre * ceperat:
Quo capto quomodo Catholicos premens,
Bellis Arſacides imparibus petit,
Servans unicus arcem,
Pacem Chriſticolis dedit.
Tandem barbaricis victor ab hoſtibus
Donatur ſtatua Claudius aurea
Inſectando fideles
Geſſit ſceptra biennio.

* Filio ſuo Voluſiano.

* Valeriano.

De myſteriis numeri Septenarii, & quomodo puer Quirinus *ſeptemis poſt mortem patris, cum matre baptizatur.*

Capit Metrum quod ſupra.

COntempletur amans tempora myſtica,
Ætatis numerum cenſeat arbitris
Humana ratione,
Divinaque ſcientia.
Quid ſeptem valeant, quid decies duo,
Quid par efficiat quid ſit in impare.
Quid proportio donet,
Quid ſeſqui altera copulet,
Quid Regum ſeries nomine ſerias

Perſo-

Digitized by Google

Peſonas tribuens, regnaque quatuor,
Verbi plena boni ſunt.
Horum ſingula nil vacat:
Quæ quis ritè queat carmine dicere?
Quis ſenſum Domini noverit aſſequi,
Ni præcelſa Sophia
Se noſci dabit & ſua?
Quæ cunctis dominans, ſuaviter imperat,
Menſura, numero, pondere condidit,
Quicquid rus, mare, cælum
In ſe continet, aut creat.
Lux ſeptena diem dat requieſcere:
Felices animæ ſabbatha nunc agunt.
Vultum ſepticipem fert,
Factorem ſimilans homo.
Lux ſeptena refert tempora ſeculo.
Septem dona locant Eccleſias DEO.
Septem nixa columnis
Eſt ædes ſapientiæ.
Parricida Cain plectitur heptade.
Mortem vitat Enoch ſeptimus ex Adam.
Septem clara planetis
Cælis æthra moras agit.
Bis ſeptena Noë munda recondidit:
Septenoque die miſſa renuncia
Defert ore columba
Frondis paciferæ decus.
Septenas Abraham teſte locans oves,
Fontem Berſabee jure ſuum probat,
Septem Sara diebus
Divo funere plangitur.
Agnum ſeptima lux bis rediens edit,
Sternens primigenos Iſrael educat;
Cui rubrum mare fundens,
Hoſtem fluctibus obruit.
Caudex aureolus ſex calamos habens,
Primis lege ſacris per Moyſen datus,
Septem compta lucernis,
Attollit capitellula.
Septenis Salomon frugibus annuis,
Templum perficiens dedicat ultimo,
Bis ſeptena dierum
Dans Encænia plebibus.
Septenas hiemes Rex fera pertulit.
Tres fornax refovet fervida ſepties.
Septenæ Danielem
Dat luci Leo ſeptimus.
Machabæa tribus, aſpera gentibus,
Septenis micuit ſplendida fratribus
Sacra lege per arma,
Obtenta magis inclita.
Dum ſeptena virum fœmina prêndidit,
Septenos oculos fert petra ſtannea
Qua veræ fidei lux,
Cunctis Eccleſiis patet.
Septennis lavacrum puſio regius
Tantis myſteriis nobile ſuſcipit,
Demum matre volente,
Primo tunc ea credidit.
Olim barbarico more Severior *
Ut nomen tenuit Ethnica manſerat,

Numerus ſeptenarius.

* Quid Severa vocetur.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Sed cum pignore dulci
Chriſtum ſerior induit.

De diverſis rationibus ſeptenarii & vicenarii numeri, quibus ætas B. Quirini *computatur, de numero Regum.*

Ode Dicolos Tetraſtrophos. Tres verſus Aſclepiadei ſunt, quartus Glyconius.

SCriberis varia ſorte poëmatum.
Martyr digne cani Mæonia lyra.
Quarecunque ferox ira ſatellitis,
Te miles bone torſerit:
Nos in laude tua ſollicitos juva
Infantile decus, dum tibi nectimus,
Cantu florigero ſerta nitentia,
Felix hæc puer accipe.
Virtutes animi prætitulat tibi
Annorum ſeries innumero mare:
Quo primævus adhuc imbueris fide.
Et Chriſto patre naſceris.
Tres ac bis gemini te ſuperadditi
Præſignant fidei morigerum ſacræ,
Implet trina dies, bis duo moribus
Quadrandis modulum ferunt.
Majeſtas, * ſapiens, * & pia * creditur:
Prudens juſtaque mens robur agens modo
Informare virum nobiliter ſolet
Tutum caſibus aſperis.
Sed vis mente triplex eſt, ſcit, amat quoque
Quo falli poterit nec Academicus
Qui per cuncta refert, quid niſi falleris,
Nam qui fallitur eſt tamen.
Si fibras animæ carnis originem,
Scrutemur pariter, claret apertius,
Noſtri materies intus & aforis
Septeno numero data.
Tres vires animæ Conditor indidit
Intellectus agit per *Mathematicam,
Diſcernit ratio ſingula cognita,
Quæ mox vis memor accipit.
Cellas officiis his cerebrum gerit,
Intellecta fores ſincipitis terit,
Quæ judex ratio vertice digerit
Et ſic occipiti dabit.
Pandens hæc eadem jura forinſecus,
Corpus vivificat, ſenſificat, regit,
Hac de fruge ſua nil homini negans
Cui nec debilitas neget.
Jungens corpus agit vis Elementica,
Vivax igne calet; ſpirat ab aëre:
Lymphis irriguum terra parens fovet,
Conſtans his alitur quoque.
Flos vernans pueris, junior æſtuat,
Autumnando ſenes, decrepitos nive
Candentes hyemat ſingula ſingulis
Rebus tempora concinunt.
Anni quinque quater, bis duo quinquies
Qui ſeptena ſuper tempora prodeunt

* *Pater,*
* *Filius,*
* *Spiritus Sanctus.*

* *Spiritualiter.*

Laus quaternarii.

Nil

Digitized by Google

Nil nunc ſignificant utilis ominis
Conſultis rationibus.
Impar meta pari, par meat impari,
Stringunt alterutris ſe ſibi brachiis,
In ſemet redeunt quisque per alterum,
Arithmetica quod probat.
Quæ præſtante viro digna connexio,
Pandit per pariles unanimem piis,
Præcelſum meritis denotat impare
Summis rebus humillimum,
Qui virtute quadra præditus arduæ
Mentis quinque fores ordine rexerat,
Juſtè diſpoſito cardine ſenſuum
Clavim conſilii tenens.
Carnem quadrigenæ ſtrinxit originis
Gratè quina DEI vulnera ſic pati
Ut cor, crura, manus, lex premeret Crucis,
Et ſanctus Domini timor.
Ætas martyrii plaudit honoribus,
Quæ membris paribus flexa per imparem,
In formam cubicam ſurgit acutior,
Ter ternos ter habens ſinus.
Quo terras liquidis ignibus aëra
Deſcribunt numero convenientia,
Dum par tardus humum, impar agit polum
Binis quæ mediis ligant.
Microcoſmus in his ſe numeris videt
Conveniſſe ſimul corpore ſpiritu,
Et totaliter & particulariter
Par imparque patens ſibi.
Membris par numerus ſtat reſolubilis
Quem nutans homo fert carne ſolubili,
Aſt impar numerus non reſolubilis
Æternas animas tenet,
Tum ſi vera fides corpora ſuſcitat,
Quæ ſemper maneant æthre vel inferis,
Ac cum ſpiritibus debita propriis
Exſolvant bona vel mala.
Quis carnem dubitet nunc reſolubilem
Æternam fieri nec reſolubilem?
Nunc par propoſita tunc ovat impare
Hic fini data nec ibi.
Sic ſolas animas impare vel pari
Æquè compoſitas ſacra fides probat
Quas mutabilitas nunc variat ſua
Tunc fert perpetualitas.
In quocunque ſtatu ſors meriti locat
Ipſas judicii fine ſub ultimi,
Cum tandem reduces corpora ſumpſerint
Manſuras benè ſeu malè.
Conſtant ergo pari nunc variabiles,
Stabunt impare tunc invariabiles,
Ad præſens videant ut bona diligant,
Hîc mutent, ibi non licet.
Sex Regum * ſeries tempora continens,
Athletæ domini nobilis illius
Mundi primigenam reddit imaginem,
Quem lux ſena peregerat.
Regno bis gemino ſex tamen imperant,
Ut plenè replicent inclita quatuor
Secli regna ſenis, quæ Babylon tulit

SÆC. XII. ANNO 1160.

* *Scilicet Decii, Gallı, Voluſiani, Valeriani, Gallieni & Claudii.*

Medus,

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Medus, Græcia, Romaque.
Hic regno genitus pignus amabile,
Vivens & moriens fulſit honor Deo,
Cælis imperium quem dedit obſidem,
Vitæ præſidio ſuæ.
Cujus vita brevi tempore prænotat,
Regnorum capiti regna cadentia
Urbem cum patria ſanguine dedicat,
Cæli regna parans ei.

De Claudio, *qui poſt triumphum Romæ donatus aurea ſtatua, perſecutionem movit, & religionem Catholicam exterminavit. Qui* Quirinum *captum facultate ſua nudatum in cuſtodia Transtyberina poſuit.*

Ode Dicolos Diſtrophos. Prior verſus Heroicus, ſequens ultimus tetrapoda Heroici conſtat, qui Phaliſcus appellatur.

LAudabunt alii clarum genus, at mihi lene
Chriſti jugum dat verba Camœnæ.
Quid tulit hic ſpreto cum regni culmine ſceptro
Martyrio pompas benè mutatis?
Quas primatus habet, de ſe ſpectacula præbet
Romano placitura tyranno.
Claudius..... in hoſte requiſivit regiones
Quas diræ tulerant legiones
Barbaricæ gentis paſſim Romana trahentis
Jura ſub ingratum famulatum.
Per tria luſtra pius dum regnabat Galienus
Pace fruens bellis alienis;
Victori poſtquam laudem perfecerat æquam
Stans auro trivialis imago,
Præditus ille ſolo commovit prælia cælo,
Sanctos undique preſſit iniquè,
Sydereæ patriæ cives abolere ſtudebat,
Per quos pacem rebus habebat:
Obſidibusque ſalutis ab urbis ſede repulſis
Aut victis & carcere clauſis,
Indemnis quibus in regnis putat eſſe perennis,
Geſſit vix diadema perennis.
Morte dedit pœnas reus ob pia funera dignas,
Quæ flebat Reſpublica cives.
Urbs ubi luminibus miſerè cæcatur ademptis,
Eſt tenebris obſeſſa vetuſtis.
Rara viam vitæ pars ibat gente Quirite;
Omnes antiquus tenet error:
Sanctæ relligionis honos extinguitur omnis.
Fit cinis elanguens ſacer ignis.
Vivebat ſcintilla tamen frigente favilla,
Tandem mota procul micat illa,
Dans urbi lumen, virtutis herile cacumen,
Ex ſignorum divite turba.
Quingentenis ter ſex minus emicat annis, 482.
Romanis adeò veneratis
Obſequiis ſummis & amore virum ſpeciali,
Ut ſtudio nil par generali,
Huic niſi Petre larem ſeu Paule tuum reputarem,
Plurima ſacra licet numerarem.
Martyribus nitido ſurgentia marmore templa,
Uberiori gratia fonte.
Omnibus excurrebat ab hoc quicunque petebant,
Quos dolor aut ærumna premebat.

Digitized by Google

CAPIT.

Roma caput mundi, dum regni sceptra tenebat,
Hic carbunculus urbe nitebat.
Romuleum ferrum post aurea Græcia mittat.
Exin jam Respublica nutat.
Francigenos Reges tutores Ægra popoſcit,
Quod nunc stirps Carolastria noscit.
Augustalis..... capiens diadema coronæ,
Mox ubi regna manent, ibi gemma
Regalis transſlata locatur honorificanda,
Immò si sint vera probanda,
Regna magis..... migrando fuêre secuta,
Norica rura prior petit illa.
Victrices adamando manus exosa remissas,
Transiit Alpes arce relicta.
Fibula quam chlamydis quasi comptior imperialis
Fert locus imperii specialis.
Teutonicas. Latiasque tenens medioximus oras,
Regni binas scilicet alas.
Claudius insigni satiandus cæde *Quirini*
Hunc quæri jubet atque teneri.
Facturus procerum cœtu seu plebe timorem,
Damnat vinctum nobiliorem.
Ille catenatus Regis stetit ante tribunal,
Jesum confessus manifestè
Nativa sibi libertate fidem decorabat,
Unde minus firmos solidabat.
Possessis nudatur agris, censu spoliatur,
Omnis abit res quam tenet hæres
Juris materni prænobilis atque paterni:
Innocuo nam crimen opes sunt.
Rex primo blanditur, hic in Domino stabilitur,
Nec facili levitate movetur.
Rex prædira minatur, hic optat quo patiatur,
Nec tanto terrore gravatur
Aulam..... habens in petræ robore structam,
Fert tuto vim pectore cunctam.
Ventorum, pluviæ, nivis, imbris, grandinis, auræ,
Nullo prorsus turbine motus,
Ingenuè perstabat eumque negare negabat,
Quem certis didicit documentis.
Non flexum verbis, mox verbera conficiebant,
Dimissum crebrò repetebant.
Cæsum postremo dum posset vincere nemo,
Intra castra domo latet atra.
Trans Tyberim ductus numeroso milite tutus,
Temporibus multis ibi clausus.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Quod nunc Paganismo dedita, olim per Apoſtolos fidem receperit Perſida. Ex qua nobilis Marius & Martha cum filiis ſuis beatum Quirinum *in carcere viſitarunt, eique deſervierunt.*

Ode Dicolos Diſtrophos, metrum Choriambicum. Primus verſus conſtat Choriambo & Bacchio vel Amphibracho, ſecundus Epitrito ſecundo, duobus Choriambis & Bacchio.

LYdica regna quondam,
Perſidæ cum principibus progenieque Regum
Se fidei dederunt;
Primitivis Eccleſiæ temporibus ſubacta.
Rebus Apoſtolorum,
Strenuè geſtis Domini jura libens recepit
Cælica totus orbis.
Thomas in India, Indiæ de finibus ortus dat ubi diem Sol,
Quæ tenet arva Thomas
Usque Spanos occidui ſyderis axe clauſos,
Jacobus in Hiſpania. Quos Jacobus docebat
A Scythatum frigoribus perpetuis in ævum
Philippus apud Scythas. Quæ tulerat Philippus,
Ad peruſtæ proxima quadrantificat nigellos
Matthæus in Æthyopia. Æthiopes Matthæus,
Mundus omnis dogmata jam reſcierat ſalutis,
Barbarie relicta,
Diſciplinam Catholicæ religionis hauſit.
Contigit ergo Perſas
Regiæ ſtirpis tunc proceres ad loca ſancta voto
Implicitos venire.
Scilicet patrem geminis pignoribus ſecutis,
Matreque filiorum,
Audifax illis Abacus nomina ſors ferebat,
Arbitrio parentum.
Nuncupatos, quos Marium novimus atque Martham,
Ut retulêre geſta:
Hi precum dum munia ſolvunt, eleemoſynas dant,
Eccleſias frequentant,
Martyrum tumbas cumulant muneribus ſacrumque
Limen Apoſtolorum,
Urbe tota carceribus depoſitos fideles
Sollicitè requirunt,
Quos fovebant obſequii ſedulitate multa.
Sumptibus adjuvantes,
Ex facultatis propriæ præbitione prompta:
Trans Tyberina caſtra
Exeuntes inveniunt egregium *Quirinum*
Carcere vinculatum.
Procidentes in faciem martyris os ſalutant,
Illachrimant ovantes,
Oſculantur vincula paſſim pia membra mulcent,
Officio fideli.
Abluere ritè pedes pro Domino ligatos,
Eluvieque ſacra
Se beandos vertice, nec non vultibus, imbuere:
Inde dies per octo
Sumptibus largis lacerum verbere corpus almum
Continuè refotant,
Intimis affectibus hoc ex eo luere ſemper,

Quem

Digitized by Google

Quem fidei tenore
Noverant indigna pati nobilitatis altæ: SÆC. XII. ANNO 1160.
Invidia tonante
Ac habenas imperii præcipitante peſſum
Mortibus innocentum,
Quæ thronum raptis opibus conſtabilire tendit,
Ingenuis peremptis,
Cædibus ſe nobilitans opprimit eminentes,
Degenerat plus ſe.
Inſolens hoſtis furia notior acriore
Quos premit inſequendo,
Clariores efficit & notitiæ.....
Corde tenus coaptat.
Inclitos qui nequitiæ reſtiterint potenti.

Metrum quod ſupra.

INterea tyrannus,
Sanguinis juſti ſitiens conſilio feroci
Dat titulos per orbem
Absque reſponſo ſine juris ratione captos,
Voce DEUM fatentes
Mox inauditos perimi, judicio negato,
Ne mora ſalvet ullum.
Iſtud edictum procul evulgat ubi ſatelles
Urbe foroque toto,
Bis decem tredecies 260. Catholici trahuntur * * Al. 271.
Ante diu metallis
Mancipati, pro fidei robore fortiori
Porta ſalariæ, qua * * Prohibi
Tranſeuntes urbe foras evehit ad metalla.
Præter eos tenentes,
Plurimi quos theatro diſpoſitos ſagittis
Enecuere cunctos.
Concremandis corporibus ligna ſuper ſtruentes,
Igne fero perarmant,
Inſecuta nocte pii diripuere per ſe
Corpora ſacra flammis.
Et Joannem presbyterum ſollicitè vocantes
Exequias agebant.
De ſuo ſanctis precioſo ſatis apparatu
Lintea ſericasque
Tinxerat pallas ſanie purpurea ſacrandas
Nec ſaraballa chara
Abſtinebant obſequio relligionis hujus.
Sic tumulant beatos,
In ſinu criptæ poſitos cui juga montis inſtant:
Plena cucurbitarum
Sobrio luctu celebrant funera digna dignè:
Claudius at cruentus
Præcavens ac præmetuens ne ſi cauſa quævis
Eriperet *Quirinum*
Quem ſciebat nobiliori Cæſareaque ſtirpe
Clarius enitenten
Curiæ earum ſtudiis & veneratione
Omnibus eſſe primum.
Ne favorem forte ſenatus adipiſceretur.
Jure propinquitatis
Aut amor communis eum prævaleat tueri.
Judicii patentis
Vitat hunc examine rurſum dare proferendum

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Se..... nocte
Clanculo mandans jugulandum Tyberique mergi
Ah ſcelus, imperata
Lictor implet barbarus, & de carcere noctis hora
Ejicit innocentem,
Ac ſupra ripam fluvii decapitat latenter;
Abſtulit unda Tybris
Dulce corpus topaceo nobilibus monili,
Ad Lycaoniæ rus,
Inſulæ Chriſto duce manans retinetur illic,
Ultima jura donec
In ſepultura ſi tamen piè redderentur,
Summa dies ei ſtat
Quinquies dum quinta ſubit reddita Martio lux,*

*25. die Martii qua eſt 8. Cal. Aprilis.

De hoc quod die paſſionis ejus, omnia ſalutis humanæ myſteria & veteri & novo Teſtamento, initiata ſint, & de ſepultura ejus, ac nece Claudii, fratrisque ſui Quintilii.

Ode Dicolos Tetraſtrophos. Duo verſus Dijambo & ſyllaba, duobus Dactylis, Tertius Dimeter Jambicus Hypercatalecticus duobus Dijambis & ſyllaba. Quartus Pindaricus, duobus Dactylis & totidem Trochæis conſtat.

VIdes ut altaſtes vice martyrum
Quirine, nec jam ſuſtineas onus
Vitæ laborantis geluque
Flumina tranſierint ſoluto.
Diſſolve frigus pectoris, ut loco
Sacro reponam digna tibi patri,
Ode canens lætus pedeſtri,
Carmina laude tua referta,
Bibes in ævum vitæ Sorech merum
Quadro crucis prælo * ſupereffluens;
Conviva *Jeſu* proximus tu
Perpetua frueris dieta.
DEO pius des omnia nunc tua
Qui ſtravit æquor turbinibus grave,
Ut pace te prompti ſerena,
Magnificent famuli patronum.
Tui decus palam meriti patet
Die ſuprema, qua petis æthera,
Primordiali dignitate,
Quæ nitet * omnibus anteferenda feſtis,
Maria Chriſtum concipit hac die,
DEUS Cruci ſuſpenditur hac die,
Inferna vicit, ſtravit hoſtem,
Iſrael à Pharaone ſolvit.
DEO pater natum piè victimat
Die ſub iſta, qua ſimul omnia,
Priſcæ ſalutis & novæ ſunt
Myſtica primitus inchoata.
Polos petis teſtis ſacer hac die,
Reliqueras qui terrea mente regna,
In curia cæli receptus
Officio frueris ſuperno.
Sedes ibi fautor pius omnium
Bona fide tu vota ferentium,

* Id eſt torculari.

* Delenda videtur vox, omnibus.

Digitized by Google

Afflictiones & labores
Aſpiciens relevensque plebis.
Memento noſtri te memorantium,
Salute dona laude pios tua,
Largire pacem, ſolve nexus
Atque DEO junge tuos per ævum.

SÆC. XII. ANNO 1160.

CAPITULUM.

REgreſſus urbem cum ſociis fidelis
Vir ille Perſarum *Marius* ſupremus
Quæſivit in caſtris relictum
Carcere trans Tyberim *Quirinum.*
Gemebat, ac triſtis doluit nimis,
Quod ut prius non huic valet obſequi,
Cui presbyter Paſtor vocatus
Omnia geſta refert patenter;
Videlicet noctu jugulata membra
Rapi fluentis in Lycaoniam;
Feſtinus illò Perſa tendit
Presbyter, it ſimul ipſe Paſtor;
Amabilem prædam rapiunt citi:
Carina gratum fert onus ad locum,
Qui Pontiani tunc Cymitron
Dicitur. exequias vocabat.
Sepultus illic martyr honeſtius
Apud DEUM ſe vivere prodidit
Cunctis opem præbens ſalutis
Qualibet improbitate captis.
Ibi peregrè tempora plurima
Jubar medelæ mirificum procul,
Genti togatæ dans coruſcæ,
Auſonia venerandus omni,
Quatercenties Sol veterat orbitam
Euntis anni biſque quadragies } 482
Super means cœlo biennis, }
Dum ſacer hic Latio refulſit.
Tyrannus autem Claudius impius,
Brevi ſecuto tempore decidit,
In Syrmio cæſus tumultu
Morte luit furias potentes.
Senatus cujus fratre ſuperſtite
Ut imperaret *Quintilio** levato
Laudaverat Regem creari,
Cui nocuit memor ira fratris.
Decem dies ſeptemque ſuperfuit,
Et urbs eum fatis Aquileja dat
Cæſum pari ſternens tenore,
Ne qua tyrannica vena ſurgat.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160

Qualiter regnum à Roma in Græciam, & inde ad Teutonicos translatum ſit per Pipinum, ſub quo beatus Quirinus *in Noricum demigravit; & de viris illuſtribus Adelberto & Occatio.*

Ode Monocolos, *metrum Choriambicum, conſtans ſpondeo, tribus Choriambis, & Pyrrichio.*

TUne quæſieris ſcire, nefas, arbitrium DEI,
Lector fine brevi cur voluit ſolvere martyrem,
Nocturnis tenebris invidiæ fraude perimi ſinens,
Nec tanto pugili lucta patens campus apertior
Partam præſtiterit promeriti nomine gloriam.
Cur quem nobilitas imperii ſpreta dedit DEO,
Et quem poſt tumulum magnificè mirificat DEUS,
Furtivo patitur ſic adigi carnificis dolo.
Novit cuncta DEUS, quo faciat tempore ſeu modo,
Novit poſt glaciem Sole piam temperiem dare,
Novit poſt rabiem barbaricam tempora gloriæ:
Auri vaſa quibus pura ſuis ſtent in honoribus
Multis igne prius fumivomo cocta laboribus.
Ætas præteriit longa ſub hæc tempora perdita
Fluxit barbaries, Eccleſiæ Catholicæ nitent,
Chriſto Roma ſuam ſubdiderat credula gloriam,
Petro tradiderat ſede ſub hac imperii thronum,
Conſtantinopolim tunc ſtatuens Cæſaribus domum;
Quæ dum ferre globis Græcigenis regna minus valet,
Solis decidui barbaricis obvia gentibus,
Rhenum tranſabiit Teutonicis imperium datum,
Longobardus atrox dum Latium depopulans diu
Regnandi tenuit victor ibi jura tyrannica,
Donec Pontificis Romulei multimoda prece
Pipinus valida progrediens caſtra capit manu.
Aſtulphum ſuperat cum rabida gente ſua ſimul,
Reddens Eccleſiis pacis opem, ſubruit hoſtica.
Hujus temporibus gemma potens exul abiit procul,
Cui gemmis vigor eſt & ſpecies clarior omnibus,
Summis digna viris, quam redimant divitiis ſuis,
Et cui ſe pariter, resque ſuas dignius offerant,
Quorum geſta prius, ſic opus eſt, commemorabimus
Perſonas * martyris officiis ſtirpeque nobiles.
Ut t..... veteres notitiæ carmine pandimus,
Diva progenie par geminum prodierat decus
Fratrem bellipotens ac locuples divitiis honos,
Pipinum quibus & fama refert ſtemmate proximum
Inſignis Caroli, qui validus regna tulit, patrem:
Adelbertus eis nomina ſunt Occarius quoque,
Alter Bajarici jure Comes præciputs ſoli,
Burgundis alius belligero robore Dux probus,
Quem gens illa canens priſca vocat nunc Oſigerium.
Primates procerum conſilii clavibus intimis
Aulam corde tenent, ſed manibus prælia digerunt
Coram Rege Duci: nempe tener filius extitit,
Urbanosque ſales intra genus tum puer imbibit.
Huic ludo tabulæ Regis erat filius obvius
Donec doctior hic obtinuit promptius aleam.
Rixam victus agit corde patris forte potentius
Et Rocho jaculans mortiferè..... adegerat:
Sublatum puerum conſequitur mors properantior,

Clam

Digitized by Google

Clam funus tegitur, res ſtudio multiplici latet,
Miſſis continuo pro Duce ſeu fratre ſuo viris,
Ac..... retinent urbe ſuper rem tamen occulit.
Tractatus triduo protrahitur nec datur his diu
Suſpenſis ratio concilii quid mora poſceret,
Tandem tracta diu ſic dubiis cauſa reſolvitur.
Reſpondere Ducem jure ſuo Rex jubet ac Ducis.
Quid dent judicii jura rei, quæ refici nequit,
Dux dijudicat hoc quicquid erit prorſus om....
Quæ ſententia dum præcipuis principibus placet,
Aſſenſu celebri firma ſtetit nec replicabilis.
Tunc baliſta velut tenſa foret damnifica manu,
Telum ſubjiciunt corde patris de nece filii;
Quod ſic judicii chorda recens pellat ad intima,
Ut prolis doleat morte, tamen nil ſuper hoc agat.
Rex caſum pueri notificat cum patruo patri,
Nullas inde moras attribuens, expetit ut ſibi
Sacramentum daret quo nihil hac re grave præparet,
Et legis propriæ judicium legifer impleat,
Formidanda manus regibus hæc tunc adeò fuit,
Tàm robuſta ducis quàm comitis lata potentia,
Ut non ante loco prodierint Rex, Proceres quoque
Quàm Dux atque Comes ritè fidem principibus darent.
Ob cladem pueri nil odii vindicis exeri;
Sed erimen veniæ contribui regis honoribus,
Et regni Procerum ne ſubeant bella nepotibus.
Solvunt concilium pace data militiæ globi
Rebus diſpoſitis accelerant in ſua principes.

Apologia ſcribentis, quod non ambitione vel adulatione, ſed virtutis amore virorum illuſtrium geſta carminibus infloraverit.

Ode Dicolos Diſtrophos. Metrum Hipponacticum Hypercataleclicum. Prior verſus tribus Trochæis & ſyllaba, vel Amphimacro, & duobus Jambis. Secundus trimeter Jambicus, claudus; Conſtat Dijambis tribus una minor ſyllaba, vel V. Jambis & ſyllaba.

NOn eburna ſella me,
Nec annulus remuneravit aureus,
Ut Poëta prodeam
Heros DEO probabiles canendo.
Quo viris potentibus
Meo ſtilo placere ſim profeſſus,
Aut eis fruentibus
Beatitudinis perennitate
Quippiam ſuperfluo
Minore laude nitar addidiſſe,
Hoſpes introiveram
Amabilis ſacram domum *Quirini*
Regiamque gratiæ,
Salus frequens ubi datur petenti
Conditoribus loci
Latus laris ſepulchra continebat
Sciſcitans docebar hîc.
Patrum beata geſta non tacendâ
Nemo derogaverit.
Nec æde Pariæ niſi columnæ
Fronte gemmea nitent,
Nec arcus unione colligatur

Nec

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Nec trabes cypreſſeæ,
Bonos mea caſa fert odores
At fides valentior,
Amorque veritatis approbandæ,
Strenuis favit viris,
Et optimè DEO ferentibus ſe
Læta laude ſuccinit
Pios & inclitos ovans recenſet,
In quibus probabilem
Libens imaginem videt ſalutis.

Qualiter prælibati Proceres DEO *ſe, & omnia ſua offerre diſponentes Romam ierint, ob patrocinia ſanctorum conquirenda.*

Metrum quod ut ſupra.

REgiâ vident Heri
Ubi propinquitate ſe gravari:
Dignitas dolebat hinc
Honoris æſtimatione læſa.
Quod moleſtiam tulit
Nec obviare talione fas eſt
Principi fide data.
Manet dolor mali citò remiſſi.
Arma præferentibus
Cavere viſus eſt rebelliones.
Rex enim minus dolens
Nepotis ob necem recentiorem:
Gratiam nec his habet,
Quod ob ſuas preces omiſerint rem;
Quæ fomes ſibi foret
Cruenta ſuſcitare bella Regi.
Conſulunt quid hinc gerant;
Et arduam DEI viam ſecuti
Sæculo renunciant,
Sacris locis ſuas opes dederunt,
Inclitas DEO domos
Suis ubique condidere fundis,
Teutonum per omne rus
Suæ potentiæ manu retenta,
Quæ ſibi reliquerant
Patres avique, jure comprobato,
Dote jam remiſerant,
Potente conditis decore templis.
Inſuper choris diem
Canentibus ſub omne tempus ævi,
Perpetim ſtipendium
Dedêre liberalitate multa:
Ordinationibus
Tantum prius locisque deſtinatis
Non adhuc apertius
Renuntiaverant ſuis relictis,
Dignitate priſtina
Potentiaque ſtrenuè potiti:
Sed recogitaverant
Quibus decenter applicent patronis
Latius ſitas opes
Locisque plurimis DEO dicandas.
Cum ſuis ob hoc viris
Parant piam citi profectionem,

Qua

Digitized by Google

Qua jacent Apoſtoli
Meant ad urbium potenter urbem,
Unde congruos petant
Ferantque nobiles ſibi patronos.

SÆC. XII. ANNO 1160.

Qualiter Romam pervenientes deprædatam à Barbaris tranſmarinis urbem & patriam ulti ſunt, hoſtibus devictis & ſpoliis ereptis.

Ode Monocolos Tetraſtrophos, metrum Sotadicum, tres verſus conſtant tribus, quartus quatuor Jonicis minoribus.

Miſerandi mala ſemper cupientes
Operandi mala cauſas capiunt hic,
In Averno luituri malè geſta;
Ita juſtos bona ſemper cupientes operari,
Operandi bona cauſæ comitantur,
Quibus illis bonus actus cumuletur,
Piè quicquid cupiebant geminetur,
Et in ævum ſibi laudis decus extet, meritumque.
Eadem ſors beat almos proceres hos;
Ubi Romam peregrini venientes
Adiere, ſpoliatam reperere
Furibundis cuneis indomitæ barbariei.
Domibus nam neque templis regionis,
Sed & verbis locus ullus ſine clade
Remanebat, ſacra paſſim temerata
Tulit hoſtis truculentus mare tranans Latiale.
Spoliis jam gravis æquor repetebat,
Sua claſſis rate multa tegit undas,
Ibi prædam ſimul omnem coacervat,
Reduces dum ſocii conveniant capta reſervat.
Latiæ tunc pater urbis Zacharias
Vice Petri regit orbem ſacer omnem,
Recitantur ſuper hac re ſua ſcripta,
Data quondam tibi Præſul Bonifaci pie martyr.
Ea noſtram quoque firmant rationem,
Niſi nomen procerum nil tacuerunt,
Breviter rem quoque totam manifeſtant,
Spoliatam regionem peregrinos reparaſſe.
Legiones Latiis de patriis tunc
Ad eosdem ſuperandos inimicos
Sociatæ, duce digno caruere,
Acies Catholicas, ceu decuit, nobilitante.
Nec erat qui ſuper hoſtes ita fortes
Potuiſſet fieri dux animoſus,
Timidis Auſoniæ principibus ſic
Hebefactis ut aduſtus timet incendia cattus.
Peregrini venerantes loca ſancta
Adierunt prece Papam reverenter,
Humiles tùm pavimento cecidere,
Benedici cupientes ab eodem patre ſummo.
Pretioſis ſibi donis placuerunt,
Quod ab illo cupiebant retulerunt,
Et id omni ſtudio ſervitioque
Petiêrunt, ſacra quo pignora dono mereantur,
Magis inſtans ſibi damnum dolet ille,
Queritur quod regio ſit populata,
Nec ab urbis procul abſit dominatu
Ferus hoſtis niſi tutor DEUS adſit properanter.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Proceres * referebant generoſi,
Memorantes vetus hoc veridicumque;
Nimis ajunt reſidet qui Lare deſes,
Inimicos tolerabit venientes nihil obſtans.
Stupet heros citò reddi rationem,
Quod inermes ibi cives titubarent,
Et iners gens foret, hoſti vigor ingens,
Videt altæ probitatis nitidum par & herile.
Homines qui cor Achillis referebant,
Metuendis faciebus reverendis,
Habitudo gravis illis ſtabilisque,
Vigor & mens ſatis acris dat Vlyſſem ſapientem.
Rogat ipſos prece blanda pater iſdem:
Ad honorem Deitatis dare dextram,
Ob amorem quoque Petri ſpecialem,
Super hoſtes aliquod ferre juvamen ſibi tandem.
Nec eis quicquid ob hanc rem voluiſſet
Precii, quamlibet Apoſtolum retinendum,
Sibi poſt hac nihil unquam quid agendum
Ab ea ſede petiſſent penitus jure negandum.
Hilares hinc proceres tunc abierunt,
Et ad urbis regionisque potentes
Patriæ conſilium ritè tuendæ
Tribuerunt peregrini patriotis pavefactis
Sociis Teutonicis conglomeratis
Comitantur proceres agmina primi,
Aquilas Romuleas Noricus enſis
Regit, ac ducit in omnes penetratorius hoſtes.
Quod & olim ſcierat Julius ingens,
Neque primum ſubigendis metuens his
Populis, obvia Romæ ſibi bella
Nec adeptis dubitans exuperare ſimul orbe.

De fuga & cæde hoſtium, ac reditu triumphantium.

Ode Dicolos Diſtrophos. Prior verſus Heroicus. Alter ſecunda conſtat Penthemimere Elegiaca.

DIffugere graves ſpoliis hoſtes, ubi naves
Applicuere ſuæ.
Quos peregrina cohors inſectando benè concors
Attinet absque mora.
Oppoſitis animis coëunt, decernitur armis
Margine littoreo,
Ludibrio mortis ſævit congreſſio ſortis
Barbarie miſera.
Quæ certans malè rapta tenere, perit laniata
Vulnifico chalybe.
Teutonibus propriè ſciſſæ turmæ patuere;
Enſe viam faciunt.
Atque cruces animo perrumpunt turbine primo
Ut ſegetes acies,
Sternuntur latè turmæ paſſim ſuperatæ,
Nec ſpolii memores
Ad naves rapuere fugam; ſed non potuere
Terga negare viris
Belligeris actis curſuque nihil remoratis
Quin feriant refugas.

Inſiliere

Inſiliere rates dilapſos exanimantes
Fluctibus aut gladiis.
Tingit Mars undas, tellure marique triumphans,
Gens mala cæſa ruit.
Cæde rates redolent, quas mille cadavera complent,
Tranſtra rubent ſanie:
Sentinam plenè ſenſere cruore carinæ:
Corpora trunca natant.
Purpureo comptus mutat ſua cærula Pontus
Clara trophæa gerens:
Hoſtilis propè cuncta manus ruit undique victa,
Fugerat extima pars,
Solo barcarum nitens curſu vacuarum
Spernit opum cumulos,
Omneque prædarum dimittit onus variarum
In ratibus poſitum,
Quod Latiæ terræ mox victores retulêre
Cuique ſuum patriæ:
Vis peregrinorum diſpar patet alterutrorum
Exul uterque fuit,
Hunc mare fert Auſtrale, ſolum dedit hunc Boreale,
Viribus ambo valent;
Ille freto pugnax, hic in terra magis audax
Poſt elementa meat;
Robur eis impar multum planè, niſi fallar,
Seu leve ſeu ſolidum.
Hos licet Omnipotens palàm proſtraverit hoſtes,
Qui ſacra diruerant
Belligeratoresque ſuos dignè meliores
Juſſerit his fieri.
Tunc reparatores (ut erat caſu ſub eo res)
Urbis & Eccleſiæ,
Poſtque creatores (ut habet ſe clara modo res)
Orbe ſuæ patriæ
Pluribus almarum regionibus Eccleſiarum
Quas honor altus habet.

CAPITULUM.

Victrices Aquilæ renovant decus urbis herile,
Quæ nituêre procul
Civibus ereptam prædam pandendo receptam
Lætitia celebri
Pontificem comitata ruit plebs conglomerata
Obvia principibus:
Clerus præterea recinit cum laude trophæa
Suſcipiens proceres
Debellandorum ſalvatores populorum
Atque patres patriæ.
Quos acies plenè circumviſuntur amœnæ,
Nullus abeſt numero,
Dum cuneis totis propè deciderit ferus hoſtis,
Nemo ſub his periit
Militiæ ducibus non armatus neque nudus,
Nemo pedes vel eques,
Oblectat cives laudem victoria dives,
Quæ dabat incolumes
Victores cum re capta ſine clade redire
Auſpice ſorte ducum.
Quapropter lætus numerat cum Præſule cœtus
Præmia ſumma viris.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Jura tenenda ſenatus eis tribuit dominatus
Omnibus in ſpoliis.
Id ſibi dum laudat ſententia publica mandat,
Ut piè ſuſcipiant.
Qui contra reſponſa dederunt religioſa
Digna probis ducibus:
Non terrenarum propter lucra divitiarum,
Sed neque pro ſpoliis.
Sponte domos liquiſſe ſuas peregrina petiſſe:
Res hominesque ſuos
Non dubiæ voluiſſe viæ facilè tribuiſſe
Deciduas ob opes;
Cùm patria tellure peramplo prædia rure
Plurima poſſideant.
Sed quibus eſſet honos ſibi perquiſiſſe patronos,
Quos & adhuc cupiant.
Hæredesque ſuarum poſcant divitiarum
Perpetuò fieri.
Præſul ut hæc audit promiſſis promptior addit
Munus honorificum.
Libera tumbarum datur optio grata ſacrarum
Præter Apoſtolicas.
Tandem ſecreto Præſul jubet ore faceto,
Quem cupiant referant.
Hi ſuper inſigni paſſim virtute *Quirini*
Sæpius audierant.
Gratior hic turbæ quia nec celebratior urbe
Romulea fuerit,
Nec ſanandorum major medicus miſerorum
Mira frequens ageret,
Judicibus ſæcli qui ſunt duo lumina cæli
Contiguus merito,
Et præſtans majore potentatu vel honore
Martyribus reliquis,
In relevandorum virtute pia miſerorum
Fortis utraque manu.
Sive piis dexter, ſeu duris corde ſiniſter
Debuerit fieri.
Ergo ſacrum petiêre quid, & notum tenuere
Corpus herili viri.
Cœperat Antiſtes vultus demittere triſtes
Obſtupuitque nimis,
Dum cælis dignum pavida ſapit aure *Quirinum*,
Verba modeſta dedit.
Non potuiſſe pati cives tàm triſtia tanti
Damna patrocinii.
Illi perſtabant eadem ſimul ingeminabant,
Aſſiduis precibus.
Præſul ait rurſus, Nobis ſit inutile prorſus
Si dabo quæ petitis.
Civibus invitis quæ non impunè feritis
In patriam reduces,
Conſiliis parere meis ſi vultis in hac re
Quod petitis faciam.
Quæ liceat nobis ad præſens tradere vobis
Plurima ſuſcipite.
Pignora ſanctorum quos continet urbs aliorum;
Sicque redite domum.
Et mihi legatos huc inde remittite cautos
Qui ſacra dona ferant.
Interea conabor & hoc ſolers operabor

Undę

Digitized by Google

Unde ſatisfaciam.
Tunc veſtris precibus per pignora martyris hujus
Si DEUS annuerit.
Parent primates dictis, conſulta probantes,
Accelerant reditum.
Munere ſanctarum felices divitiarum
Pro quibus exierant.
Nam margaritas deportavere petitas
Egregias pretio
Queis loca fundorum poſt inſtituere ſuorum,
In ſacra jura DEI.
Norica fert horum provincia trina locorum
Quæ prius ediderat
Nomine primorum procerum ſub Apoſtolicorum
Laude *Quirine* tua.
Arſacium cleri thermis ſtatuêre foveri,
Pervigili ſtudio.
Hippolytumque choris illuſtravere canoris
Quos modo clerus agit;
Non ita fundatos, ſed in hoc quondam renovatos,
Ut veteres memorant.
Huſtia virgineæ me fugerat aula choreæ, Huſtia,
Rhenicolis propior,
Qua bibitur ſcypho vivis ſignis anaglypho,
Unde medela patet;
Rebus ibi noto pro plumigenis data voto
Soſpes ut abſtineat
In laudem Domini, ſurgens virtute *Quirini*
Cujus erat patera.
Argento commiſſa fides ut fert ibi priſca
Indigenequæ loci.
Verum nobiliore nitens Burgundia flore,
Eximiisque locis,
Ac prius hos experta duces fert carmina certa
Principibus propriis.
Qui ſemet fæliciter & ſua cuncta potenter
Attribuêre DEO
Cumque parant ſanctis habitacula terrea gratis
Præbitione pia,
Sede poli gaudere per hos ipſi meruere
Lumine perpetuo.

De reditu Procerum in patriam ab urbe Roma, & evectione B. Quirini *per maritima. Et de his qui ſigillum Apoſtolici temerantes corpus martyris inſpicere voluerunt, divino igne peremptis.*

Ode Dicolos Diſtrophos. Metrum Jambicum. Primo verſu trimetrum per duplices, Senarium per ſimplices; Secundo verſu Dimetrum vel Tetrametrum.

EUnt ab urbe principes pii domum,
Sacrata dona deferunt.
Salute patrias perenniter beant
Sacris dicatas oſſibus.
Parant, relicta Romæ gemma nobilis
Et alteris micantior
Ut afferatur ocyus fideliter:
Quod hoc modo peregerant.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1160. *Udo.

Erat ſibi Clero nitens ſororius
Vocatus * Audon; hunc cient
Et ad ſacerdotem citato dirigunt.
Celer nihil moratur is,
Mandata principum precesque Præſuli
Refert Petri vicario.
Memor ſit ille ſponſionis arduæ
Viris potentibus datæ.
Paraverat ferenda membra vaſe jam,
Quod arte textili fuit
Ubique palmeis connexum ſpatulis
Sagaci diligentia;
Subinde cautus advocatis nuntiis
Viris honeſtioribus
Præſentat imminente canticinio
In veſte palmea latens
Corpus ſacrum ſuo ſuper ſignaculo
Præmuniens ſarcophagum.
Per alteram viam redire nuntios
Jubet pater piiſſimus.
Timens ab inſequentibus ne civibus
Votiva dona perderent;
Monetque ne qua curioſitas eis,
Sigilla lædat indita.
Vale pium Præſul refert euntibus:
Ille ſibi grates agunt.
Onus ſacrum levant ab urbe, promovent
Iter petendo tutius.
Via reflexa eis marina diligunt
Ubi pateret exitus
In æquor exules fuga procul vehens,
Neceſſe ſi foret tamen.
Sed hac graves beatiore ſarcina
Nihil morando tranſeunt.
Ut alpium ſuperna tranſmeaverant,
Quiete ſe remiſerant,
Timoris immunes ab æmulis ſuis,
Quos ante formidaverant.
Ibi patere cœperat potentius
Honos vigorque martyris.
Sodalium pars una pervicacior,
Baccho ſoluta liberè,
Audet joco demens furente dicere,
Sic ſeiſcitans ab invicem:
Putasne Pontifex ſigilla cur dedit
Nec amovenda juſſerit?
Ut inſcii quid afferamus abditi,
Romulidis luſui erimus:
Iram gravem nobis domi fecerimus,
Ubi nihil producimus.
Hæc loquendo martyris impotens ſimul:
Ut ora ſic manus agunt,
Sigilla furia rotante quæſitant
Velum prius ſarcophagi
Levare dum nituntur improba manu,
Potente ſat miraculo
Reverberantur illicò divinitus
Cadunt ab igne vindici.
Ex..... areæ ſacræ qui fulminans
Eos repente perculit;
Neci jacent omnes miſerrimæ dati

Quos

Digitized by Google

Quos hæc rapit malignitas;
Eo ſtupore nempe qui remanſerant,
Caſtris ruere præpetes.
Ad hujus eventum gravem miraculi
Vident reos fuſos ſolo,
Sigilla ſalva pervident Antiſtitis:
Cucurrit omne vulgus huc.
Ubique villulis ab adjacentibus
Avet videre martyrem.
Tumba ſua velut throno potentiæ
Procacibus pœnas dare,
Timore bajuli ſacrati corporis,
Viæ moras breves agunt.
Dei domo recondidêre martyrem,
Fida ſatis cuſtodia:
Geſtæ rei miſêre nuntios heris,
Qui cuncta panderent eis.

De adventu B. Quirini *in Noricum, & de fonte ſalubri, qui ſub vehiculo emanavit. De ædificatione templi, & dedicatione. De particula à Scapulis martyris elapſa.*

Ode Dicolos Diſtrophos. Primus verſus ut ſupra Jambicus ſenarius. Alter ſecunda parte Elegiaci, & Dimet. conſtat Jambico.

LEcti ſtudent pro rebus internuncii
Acclerare vias, amore patriæ ruunt,
Et ocyus primoribus cauſas ferunt,
Martyris eximii quibus vigor refulſerit.
Mirantur hi, virosque mittunt inclitos
Egregios meritis ut alma dona deferant.
Illi petunt ſacræ locum cuſtodiæ,
Obſequii ſtudio digno levant onus pium:
Ad Noricas citant iter provincias,
Hîc adeundo ſacro dicata corpori loca.
Noctu remiſerant ſolo ſarcophagum
Tegrineique lacus ripa quietem ceperant,
Ubi ſalubris vena fontis exiit,
Sub loculo ſcatebris clarè fluens perennibus,
Ægris ſalus ſit iſta lympha crebrius,
Quos etiam tumulo rediſſe contigit graves.
Fons hic petentibus diatim martyrem
Conditur; ædicula levamen eſt feſſis via
Corpus beatum deſtinato jam loco
Eccleſiâ ſtatuunt Jesu dicata quæ manet.
In hac enim ſtetit patronus inclitus,
Dum ſibi conſtruitur domus decore debito.
Eam ſubinde principes ut explicant,
Innumerus populus fidelium concurrerat.
Provinciales tres Epiſcopos eô
Magnifico Proceres honore convocaverant.
Ab his prius ſacratur aula nobilis
Principibus geminis Apoſtolorum maximis,
Quorum beata gratiis ſic prænitet,
Credere ſi liceat nec invidendum ſit ſacris,
Ut præter urbem verius nuſquam loci
Inveniantur, ubi promiſerint ſe tantidem.
Peracta dedicatio refulſerat
Lætitia celebri per plurima cum gloria.

Cruces

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Cruces de hinc vexilla ſublevaverant,
Thure vapor redolet; nitent lucernæ clarius;
Solemniter corpus tulere præſules,
Eccleſia modica ſignis procul ſonantibus,
Triumphus altius levatur martyris,
Plebiſonis modulis ſequente pompa principum;
Parata nempè tumba de petra fuit,
Corporis ad requiem muro coacta firmiter;
Qua dum reponi debuit Martyr ſacer,
Palmicia tunicia tectum levant ſarcophago.
Pedum levi de fine fert Epiſcopus,
Presbyter à ſcapulis & parte ponderis ſequens;
Intra manus gemmam tulêre pendulam,
Depoſitis pedibus tumbam ſuper Præſul ſtetit.
Adhuc tamen pectus tenebat Presbyter,
Cui cadit in manibus pars una corporis ſacri,
Per palmeæ ſportæ foramen exiens,
Sanguine ſic roſeo recente purpurantior,
Velut die peremptus hac ipſa foret.
Cantica clara ſonant ſtupore plena gaudii,
Grates aguntur omnium patri DEO,
Quod dedit hos hilares ſui redire muneris.
Dotale pignus hinc ſit Ilimenſibus,
Id tamen hoc merito quod Audon * his pater foret,
Cujus labore flos adeptus hic erat,
Et locus ipſe ſuis avunculis ſubjectior
Chirographis ſacræ tum bæcohæſerit
Martyris eximii, Ducis ſub usque tempora
Qui detrahens cœnobiis fundos ſuos,
Funereis manibus dedit necem ducatui.

* Ulla.

De tumba Martyris & Crypta ſub ea, & de poſſeſſionibus collatis loco à fundatoribus. Et de Duce Arnaldo, qui Eccleſias ſpoliavit, ac de fine ejus.

Ode Dicolos. Diſtrophos. Metrum primo verſu Heroicum: altero reciprocatum prioris Odæ ſecundi verſus metrum habens, ex Dimetro Jambico, & ultima Penthemimere Elegiaca.

MArtyr ſanctorum medius circumpoſitorum,
Concluſus eſt ſaxeo denique mauſoleo,
Margaritarum quaſi centrum bis geminarum
Ardens tenet Carbunculus quintus in arce micans,
Ambitur ſacris in gyrum quattuor arcis,
Quicquid reconditum gerant, qui ſciat ipſe canat.
Hoc tamen hac de re vetus audet rumor habere,
Primariis viris, locus quos colit iſte patres,
Dum Romanorum prædas retulêre ſacrorum
Et optio dabatur his ſumere quæ cuperent,
Non ſine majorum precioſa parte ſacrorum,
Victoriæ ſeu gloriæ præmia digna data.
Nec tanti minimum ſpolii tulerant ſibi primum:
Diviſor eſt enim ſibi promptior ipſe leo.
Crypta ſub his tumbis ſacra continet abdita, turbis
Rivi fluunt hic gratiæ, Martyre propitio.
Et..... deducta tyrannis ultio juſta,
Vibrat diu plagam minans, fine ferit gravius.
Perfert jure pari plerumque ſuos tribulari,
Quorum preces audit tamen, mox relevans humiles.
At conſummatis tumbis & conſolidatis,

Ovant

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Ovant ibi perampla plebs ac procerum numerus.
Tunc fundatores ſcriptas tribuere loco res,
Centum minus quæ tunc erant & quater undecimo
Infra millenos manſus ſerie duodenos.
Nihil ſui reliquerant Bajarica patria
Quod non divino teſti tribuere *Quirino*
Determinatum finibus indubiis penitus;
Centenos præter manſus quibus & reverenter
Altenſium novo loco ſubſidium dederant.
Sic gladios aræ fratris ſimul impoſuere
Gemitibus nimis ſuis ſeque DEO tribuunt.
Hinc trabeas chlamydemque libens deponit uterque,
Et ad DEI laudem capit monachicos habitus,
Quinquagenorum trina vice grex monachorum
Manebat inſtitutus hoc cœnobio ſub eis:
Qui præſcriptorum nihil amiſere bonorum,
Sed plurimis annis prius detinuere diu,
Ultra centenos ac ſeptena vice denos,
Nec ſenſerant injuriam jura priora loci.
Cum tandem magnus ſpoliavit templa tyrannus,
Regni Monarchiam volens præripuiſſe ſibi,
Prædia cunctorum tunc Norica cœnobiorum
Decreverat primatibus tradere rapta locis,
Quo ſibi faviſſent quæcunque geri placuiſſet
Adverſus aulæ Principes, Eccleſiasque DEI:
Hujus ab hoc dimota loci poſſeſſio tota.
Ditat per omne Noricum progeniem procerum,
Per quæ fundatus locus omnibus eſt ſpoliatus,
Nihil remanſit ex eis, conditus in quibus eſt,
Bis niſi ſepteni manſus deciesque deceni:
Honore continet tamen ſe nihil imminuens,
Duntaxat floris divina laude prioris,
Parendo regibus, dabit ſumptibus obſequium.
Procinctum de jure negat rapto ſibi rure,
Regalibus ſtipendiis quod prius obtinuit.
Fonte ſalinarum loca viginti patinarum,
Duobus additis, ſimul ſuſtulit ille furor.
Conventum fratrum poſt hanc prædam reparatum,
Fidelium ſequentium dona patenter alunt.
Dux tamen Arnaldus (*a*) ſine laude diu memorandus,
Senſit citò plagam DEI, morte cadens celeri:
Dum Ratiſponæ curtim parat ex regione
Primoribus lectis, ut hæc, quæ ſtuduit peragat:
Nuntius hunc Chriſti terrens affamine triſti,
Ulricus Antiſtes necem præcinit indubiam,
Ni reparet gratis ſpoliata ſacraria ſanctis,
Et altera die refert nil dubitans obitum.
Commemorans itidem ſuper hoc ſibi cognita pridem
In viſione quæ duos prodiderat gladios,
Unus ubi capulatus (*b*) & alter non capulatus,
Ducis tyrannidem feram denotat acephalam.
Princeps deſpexit monitus, nec cepta reflexit;
Sed urbe cum primatibus conſilium tenuit.
Curia perſtabat, proceres jam menſa vocabat.
Sedes petunt ſatellites quisque ſuo Domino,
Oppoſitum Dux ipſe ſibi fertur poſuiſſe

Epiſco-

(*a*) *Arnolfum ducem Bajoariæ intelligit, de quo Otto Friſingh. l. 6. c. 8. ſimilia* CAN.

(*b*) *Hæc viſio S. Udalrici refertur cap. 3. vitæ ejus ab autore coævo, qui ſicut & Siffridus Presbyter Ep. 4. 1. & Ditmarus l. 1. gladio non* capulato *putant denotari Imperat. Henricum Aucupem, qui Epiſcopalem unctionis benedictionem neglexit accipere. Noſter vero Metellus & Gebhardus in Vita S. Udalrici & Otto Friſing. l. 6. c. 8. exiſtimant ipſum Arnolfum ducem fuiſſe ſignificatum* CAN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Epiſcopum, prandensque jam fercula mittit ei.
Ut convivarum primo ſummoque ſuorum,
Et curialitate ſe vivere mandat adhuc.
Cui Præſul reddit, noctem quod adusque dies ſit,
Refert ut iſta nuntius, verba dolor ſequitur:
Dux improviſi finis ſubita paralyſi
Correptus effertur domum; nec mora vita fugit.
—Mortuus occultatur ut allodium capiatur,
Quod ſingulis promiſerat principibus tribui
Exſpoliatarum de fundis Eccleſiarum:
Erectus in ſponda tamen ponitur exanimis.
Palmas frigentes ſibi compoſuere clientes,
A mortua mortem manu ſuſcipiunt proceres,
Crimen viventis libant tactu morientis,
Quod cuique complacet rapit de manibus rigidis.
Fert Emmerammi domus ipſius oſſa tyranni
Arcu notat pictum ſuper diſtichon eximium.
Vivus pollebam faciens quæcunque volebam.
Innihilor ſub humo, ſic erit omnis homo.

Epilogus. De geſtis B. Martyris jam deſcriptis, & de miraculis ejus adhuc deſcribendis.

Ode Dicolos Diſtrophos. Prior verſus Heroicus, alter Jambicus Dimeter.

JAm mihi ſignorum via lata, *Quirine*, tuorum
Patet tuis in laudibus,
Per tua geſta vehor, * vaſtum quaſi mergor in æquor,
Multis ubi natatibus
Disjunctas terras & celſas tranſeo petras,
Per ſumma nunc per ima nunc,
Aut clarus pergo vel rurſus in abdita mergo,
Sententiæ meatibus;
Scilicet adnitens dignos deducere teſtes
Authenticis ſcriptoribus,
In commendandis cauſis per nos memorandis,
Ne fluctuans opus ruat,
Ex veterum multis extraxi carmina ſcriptis
Incognitis & cognitis;
Huic ſerto flores quæſivi nobiliores
Per prata ſive per nemus.
—At nunc complanata datur mihi regia ſtrata,
Præſente carminis via,
Qua niſi vel ſcriptum, vel teſte ſuperſtite dictum,
Verſu nihil reponitur.

* *Al. Vaſti.*

De cæco nato ad ejus tumbam ſacram illuminato.

Metrum quod ſupra.

URbs præclara patet, quam dignè Julius optet
Cæſar, juvamen ut foret,
Aut obex omni rebus dubiis regioni,
Cui nomen eſt Juvavium: *
Huic olim digno voluit clareſcere ſigno
Quirinus in DEO potens:
Hinc delegatum tradit ſine lumine natum

* *Id eſt, Salisburgum.*

Ad

Digitized by Google

Ad Martyris domum pii,
Illeque jejunus lucis perquirere munus
Fideliter devoverat.
Jam ripas ENI fluvii trangreſſus amœni
Ibat vias per invias,
Nunc cælos ſcandens, nunc vallibus infera tangens,
Deſerta permeaverat
Ductor matura monet hunc ut prandeat hora:
Voti memor ſe continet.
Poſt modicum rurſus, non ſe procedere prorſus,
Ait Comes, ni prandeat.
Perſtitit immoti fortis cuſtodia voti,
Nec audit improbum ducem:
Ille relinquebat miſerum villamque petebat,
Eſum ſibi quærens ibi.
At deſolatus miſeros levat iſte precatus,
DEI rogans clementiam,
Quò teſtis digni merito mediante *Quirini*,
Ei daret ſolatium,
Ut bona quæ ſperat, directo tramite quærat.
Poſt quam fide perorat hæc,
Propitium numen dat eum ſentiſcere lumen,
Nec dum tamen plenariè.
Sed peragendarum noſcendo calle viarum,
Ducis vicem præbens ſibi,
Cum perveniſſet ſupplex & procubuiſſet,
Fundens preces ad Martyrem,
Clarius agnovit lumen tenebrasque removit;
Ovans revertitur domum,
Enarrans cunctis præconia digna ſalutis,
Sibi datæ per Martyrem.

32:16

De contracta directa.

Ode Dicolos Diſtrophos. Metrum primo verſu Heroicum, altero Jambicum ſenarium.

QUædam contractis ad nates clinica plantis,
Prima die Novembris à parentibus
Ad tumbam delata ruit ſupplex, ita nata,
Ut ſe ſuis nuſquam referret greſſibus.
Hæc poſt Miſſarum munus ſolemne ſacrarum,
Remota plebs ubi locum dedit ſibi,
Dum repens orat, greſſus diſpendia plorat,
Propinquior ſacro jacet ſarcophago.
Qua ſatis intentè ſua vota DEO tribuente,
Fuſas ab intimis preces præcordiis,
Complet venarum reſolutio mira ſuarum,
Senſimque dirigi videt nervos ſibi:
Greſſus diſcebat, quos non à matre ſciebat.
Reverſa plebs grates refert DEO canens;
Et gaviſorum cecinere chori monachorum,
Movendo ſigna quæ dedit Campania.

49:72

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

De miraculo circa Aran Epiſcopum, *qui cum Abbate Megilone, reliquias* B. Quirini *apud Ilminam tollere nitens; ſenſum viſumque perdidit:*

Ode Monocolos, Metrum Jambicum, ſenarium continuum.

LAtè frequens..... fama Martyris
E Franciæ terris trahebat exteris
Aran Epiſcopum, videret ut locum.
Abbas habebat cognitum prius virum,
Ob hoc eum reviſerat libentius,
Amicus alter alterum ſciens ovat.
Antiſtes oſſa Martyris dari rogat:
Abbas ait, Mauſoleo recluſa ſunt,
Nec deforis quicquam remanſit uſpiam;
Si partiendum quippiam reſederit,
In Ilmina Cœnobio videbimus,
Ubi tenetur portio recondita,
Ex Martyris delapſa ſola corpore,
Ne deforet pignus ſuis fidelibus.
Hæc dixerant uterque: nec moras agunt,
Ad Ilminæ locum citi ſe transferunt:
Ævo graves requiſiêre clericos,
Ubi foret pignus ſacrum reconditum,
Quod unicum Martyr reliquit integer;
Illi ſibi ſacram dedere capſulam,
Cum qua ſecus tumbam ſedent Arſacii,
Qui præminet patronus ipſius loci.
Dum panderent capſam, brevemque tollerent
Ibi reconditæ ſalutis indicem,
Vix nomen illic Martyris relegerant,
Et mens eos, lumenque viſuum fugit:
Tantum remanſit virium ſibi vel ſenſuum,
Ut obditam capſam citò reponerent:
Solo ruunt jacentque ſupplices diu,
Fletu petendo gratiam reatibus,
Placant DEUM diutinis precatibus.
Tandem prior redit vigor cum viſibus.
Auferre venerant loco ſacro decus,
Gratum tenent, quod non ſibi perit ſalus.
Ubique Martyrem regreſſi prædicant,
Potentia qui præminens & gratia
Audaciam premit levatque ſupplices.

De muliere, quæ brachio debili, panem ſangueſcentem detulit, & ſanata eſt.

Ode Monocolos. Metrum Saphicum continuum.

BRachio languens mulier fidelis,
A ſua poſcit domina licere,
Ut comes vadat populo meanti
Ad ſepulchrum Martyris ob medelam:
Denegabatur ſibi quod petebat,
Et minis compellitur ad laborem:
Altera quæ luce rogando perſtat,
Impeditam ſe referens dolore
Brachii, nil poſſe laboris uſu;
Idque perſuaſum ſibi ſpe medelæ,

Quod

Digitized by Google

Quòd DEI Martyr det opem precanti. SÆC.
Circulum de pane creaverat tum, XII.
Quem volebat, ſcilicet offerendum, ANNO
Debili circundare brachio poſt; 1160.
Hunc manu geſtans dominam rogabat,
Gratiæ ne claudat iter petendæ:
Ira demum major heram ſubibat,
Ac jubet diſcedere ſæva vernam,
Deſidem culpans operis remiſſi.
Circulum voti rapit efferata,
Quem videt frangens madidum cruore,
Et ſtupens cedit precibus petentis.
Vota portat fœmina jam cruenta.
Fama velox mira vehit peracta;
Turba pagis proruit ex propinquis,
Quæ viam præter numerum frequentans,
Ducit ægram prævia vel ſecuta.
Ad ſacram tumbam volat ante rumor,
Inde rumoris venit ipſa cauſa,
Intrat ædem fæmina gratioſam,
Vota conteſtata DEO volente
Ponit aræ ſanguinolenta dona.
Brachium cui debile convaleſcit.
Hinc DEO laudes reſonant catervæ,
Gaudio dulci lachrymando paſſim,
Panis Altenſes retulêre fragmen
Hoſpites pro teſte domum regreſſi,
Gratiæ quo dona probare poſſent,
Seculi laudanda per omne tempus.

De fœmina, cui lapis in lingua excreverat.

Ode Monocolos Tetraſtrophos. Metrum Anacreontium Hypercataleƈticum; Conſtans Anapæſto, duobus Jambis & ſemipede.

MUlier ferebat ore
Lapidem tenente lingua,
Fluidis humoribus qui
Fuit ortus indecenter.
Ea venit ad ſepulchrum,
Sua vota martyri dans;
Sed ut oſculatur aram,
Cadit ore lapſa petra.
Remeabat inde læta,
Memorando ritè laudes
Sibi præſtitæ ſalutis.
Populus ſtupet fidelis;
Celebratur hic *Quirinus*,
Sua tumba prædicatur
Medicina ſingularis,
Bona ſpes neceſſitatum.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

De Energamena liberata.

Ode Monocolos. Metrum Adonium, conſtans clauſula Heroici.

DÆmonis atri
Fraudibus olim
Fœmina capta
Venit ad aram
Marturis almi,
Atque repentè
Preſſa ſopore
Vocibus altis
Terruit omnes.
Nec mora, ſana
Evigilavit:
Et referebat
Hæc ſibi viſa;
Flore gemellos
In juvenili,
Parte ſepulchri
Interiore
Progredientes,
Ejus ab ore
Forcipe bina
Æthiopem tunc
Elicuiſſe.
Dum ſtupuerunt
Aſpicientes
Acrius illam
Vociferatam:
Nobile ſignum,
Concelebratum
Laude frequenti,
Comperit aula
Tunc ducis, & mox
Cæſaris almi,
Qui ſacra condens
Munia ſedis
Pontificalis
Monte, Babe cui
Nomen adhæſit,
In Novichinga
Ubere villa,
Principe cœtu,
Auſpice cura,
Publica jura
Pacis habendæ
Proſpiciebat.
Curia tota
Perpete dignum
Laude *Quirinum*
Magnificabat.
Inclitus iſdem
Denique Princeps,
Qui diadema
Ordine regum
Teutonicorum,
Floruit, atque
Gloria ſumma
Catholicorum,
Martyris ædem
Eſt veneratus
Supplice voto;
Id ſtudioſa
Dum prece ſolvens,
Undique ſacras
Circuit aras,
Scanderat ipſa
Ardua templi
Concamerata,
Quæ Michaëli
Ante dicata
Jam tenuiſti
Virgo Joannes;
Quo pius hic Rex
Crebrius orans,
Mira refertur
Lumine mentis
Spirituali
Addidiciſſe:
Sæpius unde
Commemorabat,
Quàm grave pondus
Criminis illi
Incubuiſſet,
Qui loca clara
Martyris hujus
Rebus honoris
Juris aviti
Deſtituiſſet.

De Matrona, quæ Eccleſiam B. Quirini *intrare non potuit.*

Ode Monocolos Tetraſtrophos.

COmpta magnificentius,
Septa militibus ſuis,
Optima facie quoque
Præminens hera venerat.

Martyris

Digitized by Google

Martyris celebri die
Ingredi cupiens ſacras
Illa cum populo fores,
Impedita repellitur.
Vis ſuperna tenens eam
Introire vetat ream,
Quæ putans quod in hoc ſibi
Præter obvia crimina
Sexus obfuerit minor,
Inter agmina plebium
Fortius reprimentium
Se gerens ſine viribus
Tentat addita pluribus;
Januas patulas adit:
Obſtat alma potentia,
Denegans aditum ſibi.
Quam levant humeris viri,
Ac ferunt aditum propè,
Nec valent ſub eo levi
Faſce limina transgredi.
Clara lumina cerei
In manu capit utraque,
Sed nec his meruit tamen
Compos eſſe ſacri loci.
Quæ pudore magis dolens,
Optat hoſpitio foras
Anxiata recedere;
Fixa perſtitit ut petra,
Nec movere valens gradum
Ante ſive retro ſuum,
Mœſta Presbyterum vocat,
Confitens ſua crimina.
Rurſus appetit ingredi
Lumen in manibus ferens,
Nec ſinit Deitas eam
Sacra limina transgredi.
Confitens iterum probat
Cæreos pariter gerens,
An ſibi pateant fores,
Arcet hanc aditus patens.
Tertio ſtudioſius
Confitetur, & accipit
Per flagella ſalubria
Pœnitens humilem modum.
Vovit omnia denique
Spontè crimina tergere:
Vix abhinc meruit ſacri
Particeps fieri loci.
Inde gloria Martyri
Singularis & ardua,
Ac ſacro timor in loco
Crevit & reverentia.
Diſciplina potentior
Nobili data fœminæ,
Clara forma modeſtiæ
Fit ſcienda fidelibus.

SÆC. XII. ANNO 1160.

De

Digitized by Google

SÆC. XII.

ANNO 1160.

De novem Energumenis, cæco, contractoque ſanatis. Et de fœmina cui chirotheca manu rigente detracta eſt.

Ode Monocolos Tetraſtrophos.

EVecti Latio feſta *Quirini*
Plaudens concelebrat Norica dum gens,
Ter terni laqueo dæmonis acti,
Attracti fuerant ſpe medicinæ,
Qui cuncti pariter, munere grato,
Diris hoſpitibus ſunt vacuati;
Elatis crucibus, laude ſonante,
Lætis Eccleſiam plebibus intrant.
Cæcus præterea lumine gaudet.
Contractus miſeros corrigit artus.
Inferrata diu ſolvitur ulna
Altari ſtolidæ. Tunc quoque ſacro
Votum fœmina fert in chirothecis;
Illi continuo palma rigeſcit,
Ne prorſus retrahi poſſet ab ara;
Cum non viſa rapit vis chirothecam
Ac ſuſpendit eam deſuper aram,
Præſentes ut eam cernere poſſent;
Poſtremo reſidem ſuſcipit Altar.
Cum palma rigida fœmina perſtat,
Votorum ſtudio niſa reſolvi.
Spondet perpetuò concelebrare
Feſtum ritè diem Martyris hujus,
Ut jejuna prius luce ſequente
Ejus honore vacet nil operando.
Votis explicitis palma reducta
Flexu ſe plicuit ſana priore.
Congaudens populus mira reſultat
Quæ pro teſte ſuo Chriſtus adimplet.
Clarus Regis honos, militis eſt laus.

De ea quæ veſpere ſabbathi balneum parare niſa, divino igne cremabatur:

Ode Monocolos. Metrum Anapæſticum Catalecticum. Ex tribus Anapæſtis & ſyllaba.

MUlier lavacrum cupiebat
Sibi veſpere Sabbatha quod dant,
Lapidum celerare calore.
Silicis manibus capiebat,
Poſitura foco cumulato;
DEUS omnipotens ferit illam
Sua jura nimis temerantem:
Silices digitis coäleſcunt,
Sed & irreſolubiliter ſunt
Miſeræ manibus ſociati,
Cruciantque cremando tenentem.
Sua veſtis ei fuit ignis,
Et ea ſpoliata ſubinde
Aliis cooperta minus nil,

Vel

Digitized by Google

Vel ab his doluiſſet aduſta.
In eo cruciamine longo
Petiit veneranda *Quirini*
Piè limina queſta laborem;
Ibi ſenſit opem pietatis,
Et atrox ſua pœna ſoluta
Petiit, Domino tribuente.

Sæc. XII. Anno 1160.

De milite Captivo per merita Martyris erepto

Ode Monocolos Tetraſtrophos. Metrum Jambicum Dimetrum, Catalecticum quod & Anacreontium.

JAcebat urbe captus
Miles gravis cathenis
In carcerem retruſus
Bogisque ſtrictus arctis.
Erat triumphalis nox,
Quæ Martyrem peregit
Cælo beans *Quirinum*;
Captivus hoc ſciebat,
Et anxius petebat
Dari ſibi levamen,
Obdormit inde tractans
Videt virum decorum,
Quĩ taliter compellat:
Si deferes cathenas
Iſtas meo ſepulchro,
Te vinculis reſolvam.
Votum libens agebat
Adhuc ſopore preſſus,
Et mox pedi ſoluta
Cathena pendet uno.
Quies remota ceſſit,
Timorque cogitantem
Subit, foris cuſtodies
Qua permearet arte.
Victus ſopore rurſus
Videt virum priorem,
Qui præcipit fidendum,
In ante perge * condonens
Mollis quies abibat,
Surgens manu bogam fert,
Qua pes tenetur unus;
Fores adit patentes:
* Stans in his videbat
Per plurimos cuſtodes
In arma præparatos,
Nec audet egredi jam,
Ubi morans, videt ſe
Repente trans cuſtodes
Situm, Deo juvante,
Marique transferente,
Portas petebat urbis;
Illæ licet ſeratæ
Receperant fugacem:
Ad usque foſſas ibat,
Quæ muniere caſtrum;
Ubi morantur illum

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1160.

Ablata ligna pontis,
Properat fugam vetandam
Per arbores trajectas,
Transit tamen fossata;
Cui primitus cathenis,
Pes alter est solutus.
Liber ferenda dorso
Rejecit ille vincla,
Currens gradu citato,
Ut dama rete vitans.
Custodibus soporem
Vincentibus, reprensus
Abisse, quærebatur,
Canum fugax odore.
Videbat insequentes
Invisus illis ipse;
Canes ei propinqui
Refugerant tenendum.
Ad flumen hæc sequela
Pervenit amputanda,
Sequens enim decursum
Fraudat canes odore.
Sic odientibus se
Ereptus expetebat
Sedem piam *Quirini*,
Graves gerens cathenas.
In se peracta narrat
Divina dona mira,
Laudemque Martyri dans,
Bogas refert ad aram.

De eo qui terminos possessionis invaserat.

Ode Monocolos Pentastrophos. Metrum Dactylicum, Trimetrum Catalecticum & tribus Dactylis & syllaba.

Milles avarior absque modo
Proxima rura sibi solitus
Subdere quæque potente manu,
Sævus agros violenter agens,
Alme *Quirine*, tuos rapuit,
Quos Orientis habet regio,
Flumine nobilis Erlasia
Carmine Teutonibus celebri,
Inclita * Rogerii Comitis
Robore, seu tetrici veteris.
Cœnobii tamen Oeconomi,
Propitiis ubi judicibus,
Jura loco petière suo,
Pandere prædo coactus erat
Vel sua rura vel Ecclesiæ.
Limitis ut daret indicium,
Certius utraque qui dirimat,
Quove loco sua desinerent,
Ecclesiastica, jus caperent
Indubitabile perpetuò,
Vectus equo celeri properat,
Raptor agros penetrans avidè,
Et socians Saliena sibi,

* *Rogerius Marchio Austriæ, Hungarorum irruptionibus oppositus à Conrado Imperatore, Anno* 913.

Fort. Aliena.

Limi-

Digitized by Google

Limitis arva ſui nimium
Tendit in attiguas ſegetes.
De hinc hunc proprius ſonipes
Intolerabiliterque ferit,
Vix ſibi vita fuga fuerat,
Vix ſine debilitate domum
Verberibus domitus rediit.
Cœperat hinc reſipiſcere jam,
Eccleſiæque remiſit agros,
Quos tulerat dominante manu.
Gloria Martyris aucta viget,
Laus & in hoc ſibi digna datur.

SÆC. XII. ANNO 1160.

De quodam Præfecto Ratiſponenſi, qui Decimas S. Quirini *tulerat.*

Ode Monocolos. Metrum Glyconium, conſtans Spondeo, Choriambo, Pyrrichio.

SAnctorum loca viſitans
Dum princeps Hyatoſpolis
Urbanus Comes exiit,
Tolli pabula juſſerat
Ex quadam decimaria
Curti Martyris incliti;
Illinc cuncta necem ſimul
Paverunt animalia.
Jam nocturna quies abit,
Lux pandebat heris viam,
Stratores ut equos parent
Paſtos è ſtabulis eos;
Sed traxere cadavera
Admiranda. timent DEUM,
Experti venerabilis
Mirabilia Martyris.

De equo ad murum Eccleſiæ religato in rabiem verſo.

Ode Monocolos ex Dactylo & duobus Trochæis.

ANnua dum coluntur,
Feſta pii patroni,
E Latio paterno
Bajariam petentis,
Ad Boreale muri
Quod latus in forum fert,
Eccleſiæ *Quirini*
Exterius cymitrom
Miles equum ligarat
Tyro, volens eadem
Arma die ſubire,
Huic ſonipes furebat
Fræna ferox revulſit,
Indomitosque paſſim
Aſper agit rotatus,
Nec requievit ante
Quam ſibi vita morte
Perdita cum furore
Sacra timenda ſuaſit,
Ac reverenda tanti
Martyris eſſe templa.
Immaculata ſedes
Sacra decent per ævum.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

De illo qui Dominica die ſepem reficiens paralyſi diſſolutus eſt.

Ode Dicolos Heptaſtrophos. Metrum Trochaicum Archilochium. Uno verſu Acatalectico, altero Catalectico.

RUſticus dirupta ſepis
Conreſarciens die
Qua DEUS mortem triumphans
E ſepulchro prodiit,
Vindicem plagam ferebat;
Corpus omne decidit;
Se trahit ſolo miſer.
Lineas cruore duxit
Tota deſuper cutis
Horrido nitens colore,
Martyris petit tumbam
Languidus, dolentibusque
Promovendo flexibus
Supplicavit intimè,
Ut pius *Quirinus* illi
Obtineret à DEO
Criminis remiſſionem
Ac doloris extitum.
Plurimis de hinc diebus
Pœna perſtitit rei,
Inſolubilis diu.
Hoc per omne tempus autem
Sedulò petens opem,
Sede Martyris ab alma
Promeretur erigi,
Paululum levans humo ſe,
Pectus ut muro queat
Applicare proximo.
Diligenter inchoata
Dona poſtulans DEI,
Baculo regente cœpit
Ambulare debilis,
Orat integram ſalutem
Claudicans brevi mora
Soſpes exilit grádu.
Obſequens loco remanſit.
Poſtmodum vir hic diu
Gratias agens fideli
Servitute Martyri:
Ad ſacrum dehinc ſepulchrum
Exulaverat DEI,
Plurimos eò ſequens.

De furibus marſupia deſecantibus.

Ode Monocolos Tetraſtrophos. Metrum Jambicum Dimetrum ex duobus Dijambis.

DIe ſacra qua Norico
Se Martyr inclitus dedit,
Frequens caterva plebium
Templum ſuum repleverat.
Mixti duo fures ibi
Fecere damna pluribus,

Sectis

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1160

Sectis rei marsupiis,
Et sacra defraudaverant.
Qui dum volunt recedere,
Tenetur unus exitu
Patente, clausis artubus,
Nec egredi permittitur.
Elapsus alter hæserat,
Planaque restitit via,
Qua fons salubris exiit
Sub Martyris sarcophago.
Postremò cuncta proditi
Uterque rapta proferunt,
Confusionis ebrii
Rubore, dant pedes fugæ.
Qui venerant ditescere
Raptis, inanes exeunt.
Laudatur hîc potentia
Latè *Quirinus* eminens.

De Matrona, quæ vino de Ecclesia sublato, Dæmone correpta est.

Ode Dicolos Distrophos. Metrum uno versu Jambicum Anacreontium, altero Pherecratium.

MAtrona sæva fratrum,
Jussit tollere vinum,
In monte Strenienſi,
Hoc ex Ecclesia mox
Cum tolleretur, illa
Facta protinus amens
Acri furore fertur;
Crines dilacerabat,
Torvum caput rotabat,
Pravè lumina torquens,
Sub qua feroce plaga,
Sic percussa remansit,
Ut matre deferente,
Templum Martyris intrans,
Et commorans ibidem,
Multo tempore nullam,
De lectulo *Quirini*
Persentire medelam
Devotione matris
Commendata valeret.
Vitam misella demum
Sensus indiga clausit.
Sexum, genus, laborem
Quivis commisereri
Debebit hic fidelis,
Et plagam revereri.
Nam Germanus ejus olim
Sibodus Comes extat,
Ac nobilem maritum
Eoa regione
Sortita præminebat.
Quam tunc, vindice dextra
Tangens DEUS potentes,
Hæc cunctis metuenda
Exempla ferre jussit,

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Plectendis violentis:
Quo frater interim tunc
Defentor Comes acer
Sacri loci videret
Iram quam meruiſſet,
Et exitu ſororis
Tali commonitus ſe
Exinde leniorem
Præberet populis &
Quandoque terminandis
Cauſis Eccleſiarum.

De Clerico qui locum ſibi ſubjicere affectavit.

Ode Monocolos Tetraſtrophos. Metrum Phaleucium Hendecaſyllabum. Ex Spondeo, Dactylo, tribus Trochæis.

QUidam clericus, altiore ſtirpe,
Regi proximus, atque principali
Aulæ Cæſareæ loco potuus,
Clarâ ſede tuæ *Quirine* tumbæ
Oppreſſâ, ſibi mancipare cœpit
Res, & tollere quod libuiſſet omne:
Campanum quoque vas tulit ſonorum,
Daninga lare quod ſuo recondit,
Fratris id refer.....eo remoto
Forte: Fratres id referunt.
Iras exerit ille dum rediſſet,
Nas ipſum jubet ocyus reduci,
Parebant homines ſui jubenri.
Millenis propè paſſibus revectum
Vas; portantibus imminebat ipſe
Compulſor gravis & ferus coactor.
Amiſſa ſubitò furore mente,
Diro circuitu diu rotatur,
Vitam mors celer improbam recidit.
Qui geſſere domus ſacræ rapinam
Nec procedere prævalent in ante
Nec deponere vas, viave flecti:
Quò plus progrediendo niterentur,
Retrorſum magis impotes feruntur,
Donec rapta loco ſacro reportant.
Laudem Martyris omnium canit vox,
Qui ſic propitius premit potentes,
Obſiſtens violentiæ potenter.

De Navigantibus in die S. Quirini *à tempeſtate liberatis.*

Ode Monocolos Tetraſtrophos; Ex Spondeo, Bacchio, Choriambo, Pyrrichio.

QUondam marinis obruta fluctibus,
Quærebat urbem glorificam Crucis
Hieroſolymam.
Præclara gentis copia Noricæ,
Devotione longius exulans;
Sanctum ſepulchrum, quo jacuit DEUS,
Mortem reſurgens victor ubi fugat,
Clarente Paſchæ tempore proximo,
Voto ſalubri cernere deſtinans.
Neptunus acri ſe rabie movet,

Quem

Digitized by Google

Quem Rex tumeſcens Æolus excitat;
Horum * thecis dum prælia fugerat,
Nunc alta cæli, nunc petit infera.
Cælis relapſa texit aquis ratem,
Aut elevando nubibus inditam
Demiſit infra regna Plutonia.
Commiſſa ligno ſpes hominum tremit.
Inſtabat almi paſſio Martyris,
Anni recurſu feſtus erat dies,
Cœlo *Quirinum* clarior inferens,
Quod navigantum pars bona noverat;
Quorum ſacerdos unus amans DEUM
Surrexit, atque pluribus inſtruens
Verbis ſalutis corda paventia,
Poſtremo dicta ſic ſua clauſerat:
Sciatis, inquit, eſſe diem Sacram
Magni patroni Bojarici ſoli;
Hunc invocantes experiemini
Præſente vobis propitium via.
Nec dum loquenda presbyter edidit,
Nomen *Quirini* plebs rapit anxia,
Conclamat illum mox prece flebili,
Solamen ut ſit rebus in extimis.
Non demorata ſæva maris lues
Nomen refugit nobile Martyris;
Optata ſervit ſpontè ſerenitas;
Blandis feruntur carbaſa flatibus.
Povexit omne proſperitas iter,
Tàm permeantes quàm reduces ovant,
Condigna plaudit gloria Martyrem,
Cujus reduxit gratia ſupplices.

SÆC. XII. ANNO 1160.

De vidua paupercula, cujus domus per merita S. Quirini *ab incendio ſervata eſt, totâ villâ concrematâ.*

Ode Monocolos Tetraſtrophos. Ex Trochæo ſive Spondeo conſtans.

VIlla quædam rapta
Flammis, eſt aduſta;
Nata pauper illic
Clamat ad parentem:
Mater invoca nunc
Martyrem *Quirinum*,
Quem pium patronum
Omnium ſonat vox.
Illa deprecatur:
Sancte nos *Quirine*,
Adjuva miſellas,
Ignibus repreſſis:
Ecce non habemus
Prorſus adjuvantem,
Tu miſertus affer
Spem neceſſitati.
Vix ſonus precantis
Imbuebat auras,
Ventus elevatos
Fortis arcet ignes,
Quos ab æde tollens
Fœminæ fidelis,

In

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

In alteras domos
Fert ultro citroque.
Pagus ille totus
Arſit, una manſit
Hæc domus ſuperſtes,
Martyris tutelâ.
Incolæ mirantes,
Hunc larem *Quirini*
Nominarunt inde,
Quòd tutarit illum.

De navi, quæ trecentis viris immota, à quinquagenis leviter Eno *immiſſa eſt.*

Ode Dicolos Hexaſtrophos. Metrum Trochaicum Archilochium.

PLebs tuis *Quirine* feſtis
Affluebat alacris,
Quam jocunda fovit æſtas,
Dum ſacram petit tumbam
Januamque gratiarum
Quæ pateſcit omnibus.
Dives angit agmen, ENO
Ut novam ratem vadis
Inferat; ſed in regreſſu
Hoc agi ſpoſponderant,
Ac DEO prius ſtudebant
Sacra vota reddere.
Attamen viri trecenti
Subſtitere circiter,
Et gravi labore vanè
Applicare dum ſtudent
Proximis aquis carinam,
Illa fixa perſtitit.
Quinquies deni reverſi
Poſt ſoluta Martyri
Vota, tædio repreſſos
Qui remanſerant vident,
Tunc trahendo * pauci
Nomen invocant pium.
Martyr invocatus audit;
Navis acta labitur,
In fluenta fertur ultro;
Clamor intonat ſimul.
Laus boni ſonat patroni
Ore plebium frequens.
Juſta diſciplina claret
Vota negligentibus,
Puniens reos labore;
Evidensque gratia
Vota comprobat peracta.
Gloriæ decus DEO.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

De milite Babinbergenſe qui caballum voverat.

Ode Dicolos Tetriſtrophos. Metrum duobus verſibus Aſclepiadeum, Tertius Pherecratius. Conſtat Spondeo, Dactylo, Trochæo.

QUidam miles erat captus ab æmulo,
Incluſus tenebris ſederat anxius,
Omni re miſerandus,
Paſſus vincla diu ſpe dubitaverat,
Cunctis auxiliis deficientibus
Illi conſiliisque.
Atrox hoſtis ei clauſerat omnia
Spiramenta ſpei, quem ſepeliverat
Intra carceris ima.
Tandem commemorans mentis in abdito,
Quantos eripuit caſibus aſperis
Clemens ſæpe *Quirinus*;
Huic devovit equum, qui fuerat domi
Conſervatus ei fortis & aptior,
Si ſe liberet inde.
Non dilata diu gratia; prodiit
Vinctus liber, abit nexibus erutus,
Membris ſoſpes & acer.
Qui devotus equum Martyris ad ſacra,
Sicut propoſuit limina deferens,
Valvis nectit habenas.
Is verò ſonipes carus erat ſibi,
Quem niſus precium dando reducere,
In dono ſolidum fert.
Stabat fixus equus, frena tenent fores;
Argentum duplicat, lora nec explicat;
Æs parcè triplicabat,
Non ſolvens animal; dona quadruplicat,
Stat rurſum ſonipes; nec niſi ſeptimo
Diſſolvit ſolido ſe.

De Romipeta, qui equum S. Quirino *devovit.*

Ode Dicolos Hexaſtrophos. Metrum Trochaicum, uno verſu Acatalecticum altero Catalecticum.

ALter expetebat urbem,
Qua tenentur incliti
Principes Apoſtolorum,
Vovit equum quo ſedit,
Si reduceret valentem,
Ferre dono Martyri.
Duxit & reduxit illum
Soſpitem levi gradu:
Venit ad templum *Quirini*,
Ad fores equum ligat,
Pro redemptione cujus
Sex Deo ſiclos dedit.
Exiens equum ligatum
Januis reſolvere
Tentat, & non prævalebat:

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1160.

Obtulit quod & prius;
Frena tractat eruenda,
Nec datur folutio.
Quatuor ſiclos ad aram
Deferebat ultimo;
Subjugale tum reſolvit:
O *Quirine*, dixerat,
Magnus adjutor, & acer
En negociator es.
Præſuli Turonico par
Iſte Martyr extitit,
Ille Chlodovæo regi,
Bella dum Gothis parat,
Victor & redit, caballum
Reddit ſiclis ducentis.

De Clinica ſanata in Eccleſia Parochiali Beati Quirini.

Ode Monocolos Tetraſtrophos. Duobus Jambis, & ſyllaba, duobus Dactylis conſtans.

INfirmitate preſſa perenniter
Primis ab annis fœmina debilis,
Delata paſſim per loca plurima
Nullum levamen languida ſenſerat.
Plebana perſtat Baſilicæ domus
Ab Affrico quæ proxima terminat
Poſſeſſionem Martyris incliti,
Parochiam qui continet alteram,
Sed illa ſedi ſubdita Præſulis
Quam monte Babe Rex prius edidit,
Ac regalium compſit opum bonis,
Vetus reſervat nomen Hagaria
Ab hujus iſti plebe genus fuit
Paupercula, quæ ſtrata fovens diu,
Fruſtraque ſacra circuiens loca,
Ædam *Quirini* viderat ultimo;
Hæc colle ſupra Danubium ſita,
Plebes regit, cui CELLA vocabulum
Eò propinquis illa ferentibus
Delata ſupplex in Quadrageſima
Jacebat orans, vota Deo dabat,
Ut ſanitatis munia redderet,
Ligata morbis membra reſolveret,
Ac debitis hæc officiis daret.
Jam ſabbatho dum Miſſa peredita
Moneret addi ritè Synaxeon,
Cui veſper affert nomen in ordine,
Se dirigebat clinica lectulo;
Primumque feſſi ſingula corporis
Sic membra ſenſim tendere cœperat,
Ut ſana tandem ſurgeret eminus,
Mirando turbis illachrymantibus.
Divina clerus carmina cecinit,
Sonant *Quirinum* cantica plebium,
Devotionis gaudia dulcia,
Fletu remiſcent organa cantuum.

De

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

De puero languente, qui gleba penſatus apud fontem B. Quirini, *in triduo defunctus eſt.*

Ode Monocolos Triſtrophos. Metrum Dactylicum, Quatuor Dactylis Conſtans.

LAude ſalubris aquæ miſeris pia
Mira recenſeo, Martyris optimi,
Clara Camœna fideliter inſonet.
Fons patuit medicabilis omnibus,
Subſidium populis cupientibus,
Corporeis ſuper anxietatibus.
Martyr ut huc Latio venit exulans,
Hæc voluit dare flumina gratiæ,
Gleba potens ubi nocte quieverat.
Ille latex licet ubere munere
Languida membra frequens reparaverit;
Jura tamen tenet hæc ſpecialia,
Quod puerilia corpora morbida,
Si fuerint ibi cum prece ſedula,
Penſa ſolo, ſequitur reparatio.
Non ita ſeptima lux aderit ſibi,
Quin miſeros reparata ſalus levet,
Aut pia mors requiem placidam ferat.
Id quoque tempora noſtra probant ſatis,
Dum modo gratia ſe vetus innovat,
Cujus ibi duo mira recenſeo.
Fœmina trans *Tegrienſe* fretum manens,
Languiduli, cruciata doloribus,
Sex, pueri fuit anxia, menſibus;
Cui laticis memorando ſenes viri
Mira peracta ſub anterioribus
Ritè monent ibi quærere gratiam.
Paruit exhilarata monentibus,
Portat eò puerum miſerabilem,
Huncque ſoli propè pondere penſitat.
Spe vegetata bona rediit domum;
Tertia lux animam pueri beans,
Dat requiem miſeræ mulierculæ.

De eo qui ablutus in fonte B. Quirini, *diutina infirmitate infra triduum abſolutus eſt.*

Ode Monocolos Triſtrophos. Metrum Anapæſticum Pindaricum.

TItulus Sixti Martyris almi
Romani quoque ſtat Pontificis,
Cui ſunt occidui Tegrienſes,
Ubi Guvernerius, ſcribæ frater,
Jacuit vi deficiens febrium
Glandibus inguine tangens nimiis,
Cruciamine longo preſſus homo
Subeunte putredine perdidit
Acri delapſa virilia morbo,
Immodicisque doloribus actus
Clamoribus altis reſonabat;
Neque luce ſibi, neque nocte quies.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Ita feſſum tàm fortibus ægrum
Languoribus annus agit geminus,
Dum ſpes nulla foret medicinæ.
Aliquando tamen ſopor hunc tenuit;
Atque Deo miſerante monetur,
Diluat ut ſe fonte *Quirini*.
Bona ſpes alacrem lecto relevat,
Baculo fultus ſequitur ſocios,
Laticemque ſalutarem petiit.
Panibus & caſeolis ibi ſe
Penſans, diſtribuebat egenis;
Lotus clara voce perorat:
Pie Sancte *Quirine* Dei Martyr,
Si vivere debeo corpore ſemi,
Nolo diaria vivere ſeptem:
Mihi tu bone propitius tribuas
Dolor ut meus hoc ſpatio pereat,
Si niſi ſoſpes redit integritas,
Remeans nihil inde fuit dubius,
Quin precis effectum mox caperet;
Solvit lux triduana dolores.

De fœmina quæ calculo liberata eſt.

Ode Monocolos Triſtrophos. Metrum Jambicum Pindaricum: recipiens Spondeum, Anapæſtum, Tribrachyu præter legitimos.

EX pago Norici, quem Vaganam dicunt,
Ad Martyris mulier devenerat tumbam,
Quæ calculi morbo periclitabatur;
Incommodo tali biennium ducens,
De more parturientis intumeſcebat,
Penitusque ſibi fœtum tumor prætendebat:
Ea crebrò ſupplicans frequentarat templum;
Clemens patronus obtinenda differebat,
Donec meritum fides inſtantiâ captet.
Tandem precibus incumbens illa ſedulis,
Quadam die repente gratiam ſenſit,
Ex intimis ſe viſcerum lapis ſolvit.
Feſtina mox diſceſſit ædibus ſacris,
In limine conſidet nunc prævalens ultrà,
Quam matronæ levantes educunt feſſam.
Grates agens Deo petram jecit duram,
Ovo propè comparem fibrisque concretam,
Quam forfice matronarum deſecant curæ,
Soſpes rediit domum Sanctique collaudat
Magnalia Martyris *Quirini* præclara,
In ſe manifeſtius probata conteſtans.

De peregrino, qui ob cædem avunculi, circulis ferreis conſtrictus, ſancta nocte Paſchali abſolutus eſt in Eccleſia B. Quirini.

Ode Dicolos Diſtrophos. Prior verſus Aſclepiadæus, alter Pherecratius.

QUidam cæde reus ſtravit avunculum
Spernens jura propinqui.
Inferratus ob hoc nexibus aſperis
Ibat per loca ſancta.

Quæ-

Digitized by Google

Quærens & veniam criminis ipſius,
Et nexus quoque ſolvi.
Hinc dum tenderet, ut Saxonia pium
Quæſiſſet Gotehardum,
Abbas ante fuit qui Tegrienſibus
Uno nec magis anno,
Apparens ſenior canitie mera,
Affatur peregrinum:
Quæras Bojariæ, vir bone, finibus
Sancti templa *Quirini*,
Qui martyr ſitus eſt corpore nobili
In clauſtro Tegrienſi.
Illuc perge citus, nec dubitaveris,
Quin ſolvaris ibidem.
Reſpondens miſer hic; non ſibi cognitum
Hunc callem memorabat.
Cui rurſum ſenior: Nil remorabere
Nec quicquam verearis,
Rectam nempe viam certius invenis,
Pergens ad loca ſancta.
His dictis monitor viſibus excidit.
Surgit præmonitus vir,
Promiſſisque bonis fiſus iter petit
In terras alienas,
Quamvis lingua ſibi cognita Norica
Viæ utcunqueve fuiſſet,
Demum perveniens attigerat ſacram
Clari Martyris ædem,
Jocundi celebris tempore Sabbathi
Quod fert gaudia Paſchæ:
Nocturnalis ubi fine Synaxeos
Chriſti laudibus aſtans,
Dum, Surgens, canitur, victor ab inferis,
Læto carmine plebis.
Hauſit glorificæ munera gratiæ,
Almi laude *Quirini*.
Ferri proſiliunt denique circuli
Viva carne ſepulti,
Quod cernens populus, tunc numeroſior
Ob Paſchalia feſta,
Laudes conduplicat multimodas Deo,
Creſcunt vota patrono,
Qui tutor miſeris, ſpes pia pauperum,
Audit vota precantum.

SÆC. XII. ANNO 1160.

De alio itidem inferrato, qui ante valvas Eccleſiæ B. Quirini *reſolutus eſt.*

Ode Monocolos diſtrophos. Metrum Anapæſticum Paremiacum, Ex Dimetro Catalectico, hoc eſt tribus pedibus & ſyllaba. Recipit omni loco Anapæſtum vel Spondeum.

ALium parili vice ſtrictum
Ferri torques onerabant.
Aderat venerabile feſtum,
Renitens in fronte Novembris.
Jacuit miſerabilis iſdem
Vir in hoſpitio requieſcens,
Et ab apparente monetur,
Ut ad Eccleſiam properaret;

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Ubi donandam medicinam
Sibi certam non dubitaret.
Nihil inde miſer remoratus,
Petiit ſacra limina templi.
Stetit orans æger ibidem
Pietatem Martyris almi,
Quatenus dignetur ei jam
Cruciamina ſolvere longa;
Subitò ferri reſoluti
Nexus procul exiliêre,
Cute qui merſi moribunda
In corpore delituere:
Dolor acer vulneris illum
Cogebat vociferari.
Titubans etenim cecidiſſet,
Deus hunc niſi continuiſſet,
Inviſibilis ſibi viſus
Aſtare comes vel amicus,
Ad ſe ſtringebat eundem,
Donec bene convaluiſſet,
Gemitus jam vociferantis
Reticent grates reſonarunt
Medico celeri tibi Martyr,
Qui ſemper ades miſeratus
Dignis precibus miſerorum,
Solvens numeroſa pericla;
Nec fons unquam pietatis
Tibi deficit omne per ævum.

De illo, qui bovem compatri furatus, nummos eidem cum marſupio præcidit, meritis Beati Quirini *divinitus propalato.*

Ode Dicolos Diſtrophos. Metrum Jambicum Archilochium tribrachum. Prior verſus Trimeter, ſecundus Dimeter Acatalecticus.

UBique fraus in orbe latè dum furit
In proximos & cognitos,
Quidam bovem tulerat furatus compatri,
Fidem minus vel fas tenens;
Uterque poſt ad Eccleſiam celebri die
It, actor & queſtor rei:
Ubi dum populi frequentia ſe denſans premit,
Et hi duo propiant ſibi,
Fraudi manus apta ſacculum præciderat
Cum ter decem denariis
Prænominato ſupra compatri ſuo,
Furti cavillatus lucro,
Quod non diu potens patronus pertulit,
Sed ocyus prodit reum:
Solemnibus peractis plebs rediit domum;
Remanſit ille ſolus hîc,
Sacri laris perluſtrans omnes exitus;
Tenent eum panſæ fores.
Nec ullus huic aditus patuit obnoxio,
Quem Martyr alligat reum.
Sacriſta tranſiens ſpaciari pervidet
Incognitum templo virum.
Quid hic agis, inquit, homo? claudendæ ſunt fores.
Exi citò Dei domo.

Is

Digitized by Google

Is denegat exitum ſibi dari foras,
Per Martyris potentiam.
Quidnam Dei pro nomine contigit hîc tibi,
Ut hinc negetur exitus?
Refert per omnia crimen ille reus ſuum,
Furtum bovis ſeu ſæculi.
Quæſitus invenitur iſdem compater,
Quæ damna culpæ læſerant,
Ei datur optio tandem de bis ſex bubus,
Sibi deligendi quem velit.
Redduntur & nummi malè poſſeſſi dolo.
Tibi laus *Quirine* perſonat.

De duobus leproſis, qui uno tempore ad Eccleſiam B. Quirini *venientes diverſo loco & diſpari exitu, ambo tamen curati ſunt.*

Ode Monocolos Tetraſtrophos. Metrum Glyconium ex Spondeo, Choriambo, Pyrrichio.

SParſit lepra duos ſimul:
Hi tumbam pariter ſacram,
Feſto Martyris incliti,
Disjuncti tamen, expetunt.
Ambo diſſimili modo
Senſerunt piè gratiam,
Deterſi maculis ſuis
Hora diſpare ſeu loco.
Unus dum precibus ſtudet
In Cryptæ poſitus lare,
Laſſum ſomnus eum rapit,
Et grata requie fovet:
Quem cum deſeruit ſopor,
Sudor plurimus occupat,
Ipſum ſordibus eluens,
Cui mox pulchra redit cutis.
Exurgens alacer fugit,
Decedensque loco ſacro,
Velox inde petit domum,
Nil geſtæ memorans rei.
Hunc miles probus agnitum,
Cauſam dicere juſſerat,
Confeſſumque reduxerat,
Ut grates ageret Deo.
Tandem protulit omnia
In ſe facta benignius,
Soſpes ſtans ope Martyris,
Ac ſic lætus abit domum.
Alter preſſus ea lue,
Ut venit, remeaverat
Æger, vota precum dolens
Quod fudiſſet inaniter:
Quæſivit tamen exiens,
Qua fons Martyris effluat;
Hoc à prætereuntibus
Addiſcens, ibi ſe lavat.
Confeſtim recipit color
Illum lætus & optimus,
Laudatur celeberrima
Almi gloria Martyris.

De

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160

De Clinica, quæ ad tumbam Martyris veniens obdormivit, & quendam vidit pedem comprehenſum trahere, & dirigere. Unde evigilans ſanata eſt.

Ode Dicolos Diſtrophos. Metrum Sapphicum, adjuncto Glyconio.

MOrbidis quædam religata nervis
Venit fœmina debilis,
Cui pedum pars ima retorta crevit
Ægro.....fœminæ.
Illa dum procumberet ante tumbam,
Somno vincitur ocyus,
Et videt clari juvenem decoris,
Se prenſam pede tendere.
Nec diu ſomnum capiens, repente
Sanam ſe vigil expavet.
Plaudit inſueta ſibi ſoſpitate;
Demum membra recorrigens
Incipit veſtigia rectè ferre,
Etſi ponere neſciat.
Intonat carmen populi *Quirinum*
Tutorem miſeris pium,
Atque languentum medicum potentem
Vox gaudens canit omnium.

De raptoribus, qui ſæpius panes & cibaria fratrum & lagenam vini tulerant, excæcatis.

Ode Dicolos Diſtrophos. Metrum uno verſu Phaleucium, Altero Dimetrum Dactylicum, Archilochium, duobus Dactylis, duobus Trochæis.

FRatrum ſervitio ferenda vina,
Tarda viæ mora præpedivit.
Solers œconomus reperta rure
Pocula detulit uſibus dans
Andreæ celebri die fidelis
Obſequio tribuenda fratrum;
Diſſenſere viri ſtudendo bellis;
Mutua cædes ubique fervet;
Diſcurrendo ſerunt metuntque mortes:
Turma latrociniis cibatur.
Omni nempe die tulêre, quicquid
Cœnobio fuit apparatum,
Et potus rapuêre partem
Primitus eſt ut equo remiſſa.
Jam ſolemnis Apoſtolo fuit lux,
Ac propè tertia lucis hora;
Elata cruce Martyris ſepulchrum
Circuiêre precando fratres,
Prædonum violentias repelli
Ritè patrociniis *Quirini*:
Hinc & myſterium canendo Miſſæ,
Cauſa Deo precibus refertur,
Exin nocte ſequente vindicatur
Continuata rapina fratrum.
Qui vinum tulerant, ab hoſte capti,
Luminibus ſpoliantur octo.

Di

SÆC. XII. ANNO 1160.

De Guernerio Ameone, qui oſtium Eccleſiæ B. Quirini *ſecuri percuſſit.*

Ode Dicolos Diſtrophos. Metrum primo verſu Jambicum Archilochium, admittens quandoque Anapæſtum; altero Elegiacum.

PRocax agebat hoſtem inſequens.....
– Martyris ille piam fugit in Eccleſiam.
Qui turre contutatus interim latet,
– Donec dura dies tranſit & hæc rabies.
Sed inſecutor dum non invenit viros,
Hos crebro quærit, clauſtra ſecure ferit.
Vacuus redit tamen prorſus nihil ferens.
Vindex ira Dei fit comes acris ei:
Nam mente captus dum redire cœperat,
Sacrilegum rapuit mox furor, ut meruit.
Domum relatus infortuniis cadit,
Corporis & rerum damna premunt miſerum.
Pœnæ reum vivum conſumunt debitæ,
Quem ſepelire parat plurima peſtis arat.
Tandemque notior vindicta criminis
Cum latè patuit, mors gravis hunc rapuit.

De arreptitio, qui dum trahitur ad templum, ſe proripiens effugit in montem, ibique curatus eſt.

Ode Dicolos Diſtrophos. Metrum uno verſu Aſclepiadæum, altero Jambicum dimetrum.

CAptus dæmonio cum trahitur ferus
Ad Martyrem pro gratia,
Extorſit manibus ſe retinentium
Curſuque ſylvas appetit:
Montis nempè ſubit celſa cacumina,
Quem nominant Albarium.
Illic cura gregum detinuit viros
Tunc plurimos in alpibus:
His Energumenus fortè cohæſerat
E ſaltibus pulſus fame;
Paſtores caſulis ſe refovent foco.
Demens eis hic aſtitit.
Qui labens ſubitò mergitur ignibus,
Partimque flagrans læditur.
Cum magno vomitu dæmon eum fugit,
Cui ſana mens ſtatim redit.
Et palam retulit lætior omnibus,
Quid gratiæ tum ſenſerit.
Lucem conſpicuam vidit ab æthere
Lapſam per auras eminus.
Hæc dum clara meat montis acumine
Tranſitque verticem viri.
Dæmon ſternit eum cælica non ferens;
Divina ſentiens abit.
Nam Martyr ſub eo ſe radio ſacer
Terris *Quirinus* intulit,
Conducens duplici luce Georgium
Ad gratiæ decus pium,

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Quorum diffugiens ocyus improbus
Non pertulit præſentiam.
Vir ſanus repetit Martyris atria,
Laudans Dei clementiam,
Qui ſemper miſeros propitius juvat
Per Martyrum ſuffragia.

De eo, qui procaciter indignando requirens, quis eſſet Quirinus, *obmutuit.*

Ode Dicolos Diſtrophos. Metrum uno verſu Alcmanium, Dactylicum, Tetrametrum Acatalecticum; altero Jambicum dimetrum.

RUricolam dum ſervitii ſui
Tædet, vagus petit fugam:
Is ditioni ſubditus exteræ
Liber colonus extitit.
Dedita ſanctis munia deſerens,
Agros reliquit publicos.
Obſequio qui Martyris inditi,
Fratrum coluntur uſibus.
Ergo fugax iſdem remanens diu
Extra ſui juris viam,
Sulbacienſis heri fuit accola,
Pago ſedens Bojariæ.
Viderat hunc Dapifer probus
Guvernerius loci ſacri.
Hic quid agis? famulabere juſtius,
Ait, *Quirino* Martyri.
Præpoſitus comitis reſponderat,
Quis eſt *Quirinus* hic tuus?
Hic meus eſt: mihi ſerviet à modo.
Quod ut procax edixerat,
Mutus in æternum manet ille vir:
Hoc ultimum verbum ſibi.

De luce in Eccleſia B. Quirini, *noctu divinitus oſtenſa, cum ſuavi concentu.*

Ode Dicolos Diſtrophos. Metrum uno verſu Alcmanium Dactylicum Trimetrum Hypercatalecticum, è tribus Dactylis, & ſyllaba. Altero Pherecratium recipiens prima regione pro Spondeo Anapæſtum.

FOemina religioſa dominum *
Venerans memoratur
Expetiiſſe locum ſanctum,
In quo Martyr habetur.
Hæc ſero requietura
Ad templum prius ibat,
A longè quæ proſpiciens
Claras luce feneſtras,
Fulgureo ſplendore domum
Plenam cernit ab intus.
Præterea reſonans audit
Suavi carmine voces.
Eccleſiæ portas adiit,
Offenditque ſeratas.

Pluri-

Digitized by Google

Pluribus oſtendens eadem,
Cunctis mira videbat.
Undique circumiit templum
Dum ſit janua clauſa:
Et quaſi ſol foret incluſus
Lux extra radiabat.
Nec ſplendor defecit ibi,
Neque concentus amœnus,
Donec poſt modicum ſonuit
Solito fuſile ſignum.

SÆC. XII. ANNO 1160.

De Abbate Udalſcalco, qui injuſtam ſententiam contra B. Quirini *familiam approbare niſus, paralyſi in triduum obmutuit.*

Ode Dicolos Diſtrophos. Metrum Trochaicum Alcmanium, ex quatuor Trochæis, &c.

CAuſa dum foret gerenda
Quondam complacitata,
Approbare niſus Abbas
Cuidam nova jura,
Quæ ſuper plebes iniquè
Sanxit Martyris almi,
Uſum perdidit loquelæ
Subita debilitate;
Qui rem geſſerat ſiniſtrè
Contra jura priorum.
Sic tribus diebus illum
Conſtrinxit paralyſis,
Ut nihil prorſus valeret
Effari ſuper hac re.
Tertia die remittens
Jactis nutibus illam
Immitem ſententiam, mox
Linguæ vincla reſolvit.

Anno Domini 1102.

De Udalſcalco Præcone familiarium B. Quirini in Halle *villa Salinaria, qui damna Eccleſiæ reticens obmutuit.*

Ode Monocolos Diſtrophos. Metrum Phaliſcum, ex tribus Dactylis & Pyrrichio.

PRæco datus ſociis ferus erat,
Eccleſiæque ſuæ ſine fide
Res agitans, aliena ſtuduit
Inde juvare negotia magis,
Præmia ſuſcipiens malè data,
Juſtitiæ ſtetit obvius ibi,
Quo reditus ſalis omne refertur
Negotii variabile lucrum;
Cœnobii quoque damna reticens,
Plus ſibi cognita, noxius erat,
Indicibus famulans malevolis.
Expoſuit ſocios vafer * eris.
Res ea, quam refero, nova patet,
Viſibus hanc memor ipſe recolo.
Servitii veteris facile jus

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Dum melior famulatus ageret,
Ogdoa pars geminata ſalis hic
Vendita clàm reperitur aliis,
In variis manibus dubia ſtans,
Martyris ex ditione periit.
Quod ſcelus ille ſciens, neque volens
Indicium dare, perdita quis hæc
Tunc habuiſſet, ut inde repeti
Res potuiſſet abacta nequiter,
Dum ratio ſibi nulla valuit
Conſuluiſſe rei dare viam,
Perdidit eloquii miſer opem,
Quam malè geſſerat, impiè negans
Commoditatibus hanc tribuere,
Teſtificando loci bona ſacri.
Quæ tamen edita poſt patuerant,
Civibus excipientibus ea.
Hi quoque vendita qui tenuerant
Nominibus patuere propriis:
Mutus at ille remanſit & egens,
Corpore debilis atque tremulus,
Mortis adusque diem miſer ea
Clade notabilis omnibus erat.

De judice Altahenſi, qui apud Torndorff in Cœmeterio Eccleſiæ B. Quirini *domum ædificaverat.*

Ode Dicolos Diſtrophos. Metrum Phaleucium, ex Spondeo, Dactylo, tribus Trochæis. Alter verſus Elegiacus.

CIrca Danubium *Quirinus* olim
Notus ab Eccleſiæ claret honore ſuæ,
Qua ſignis variis frequens coruſcat
Ritè patrocinii gloria diva ſui,
Genti Boëmicæ manet celebris,
Quæ laris atque rei vota dat omnis ei:
Altenſi populo patet verendus,
Quique plebeiam continet Eccleſiam.
In cujus cimiterio ſacrato
Structa fortè domo pulſus agebat homo.
Qui judex ſociis tamen rebellans
Victus ceſſit eis à laribus propriis.
Ruptis Eccleſiæ vir ille muris,
Hoſpitio tacitum fecerat introitum.
Ceſſarunt ibi ſigna gratiarum
Martyris ipſius munere crebra prius.
Indignata ſalus manum retraxit,
Immeritosque ſequens, rara fit, ante frequens.
Quod non improbus iſte pertimeſcens,
Vix anni ſpacio manſit in hoſpicio.
Nec plenè revolutus ibat annus,
Martyris ex ira fit domus uſta pyra.
Nunc ſtultus reparare non veretur:
Quæ malè ſtructa fuit rurſus ab igne ruit.
Inſenſatus eam refecit ille:
Sed plectebat eam tertia flamma ream,
Jam quarti ſceleris pudor receſſit
Durata facie, ne via ſit veniæ.
Nam quartò reparata flagrat ædes.

Victrix

Victrix vindicta crimina solvit ita. Sæc. XII. Anno 1160.
Tandem quippe recogitans *Quirinum*,
Tot vicibus vetitum deferit introitum.
Interrupta repletur ora muri;
Crescit adacta foco gloria digna loco.
Sed non dissimili furore fertur,
Filius ejusdem ædificans itidem,
Annis quæ geminis Deo rebellis
Bis frustra reparat bis quoque flamma vorat.

De paralytica sanata in præfata Ecclesia.

Ode Monocolos Tetrastrophos. Metrum Dactylicum Archilochium Tetrametrum, recipiens pro Spondeo vel Dactylo Anapæstum,

MAter plebani fuit ægra
Paralysi sic jam religata,
Ut nisi sella proveheretur
Nusquam prorsus progederetur.
Ea voto supplex delato
Ad præfatam Martyris aulam
Questa dolorem mente fideli
Speratam petiit medicinam.
Quam cum devota prece poscens
Munus deposuisset ad aram,
Mox nervi morbo resoluti
Cœperunt sensim solidari.
Pedibus læta suis repedabat
Quam deportarunt alieni;
Cum populo laudes resonabat
Sospes meritis Martyris almi.

De Bernoldo Altahensi, qui nimietate languoris amisso visu, octo annis cæcus, apud eandem Martyris Ecclesiam curatus est.

Ode Monocolos Tristrophos. Metrum quod supra, absque Anapæsto, quem in eo Boëtius ponit contra regulam centimetri.

CAptus febre ministerialis
Longâ Mauritii Ducis alti
Perdidit omnem luminis usum;
Sic annis octo sine luce
Conversans vitâ miserandâ
Damnatos circumtulit orbes.
Demum venit spe medicinæ
Ad memoratam Martyris ædem,
Junctus plebi tempore festo,
Ac fidei duce lumine lumen
Amissum repetit prece firma
Per pia sancti dona *Quirini*.
Accipit ille fidelia vota,
Et referantur lumina clausa
Lux tenebras * in Missa fugavit.
Tum resonarunt cantica plebes.
Ductorem spernens remeabat,
Ante manu pertractus ad aram.

* Immissa.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

De Equis, qui Cœmeterium ſupradictæ Eccleſiæ ingreſſi, poſt horam mortui reperiebantur.

Ode Monocolos Triſtrophos. Metrum Jambicum Dimetrum Hypercatalecticum.

VEnatione militares
Viri feruntur occupati
Verſus domum ſacram *Quirini*;
Devotione debita ſe
Demiſerant equis citatò
Et ſupplices templum petebant.
Sed negligentius caballos
Liquere ſtantes ante valvas,
Ac liberos cuſtode nullo.
Dum nemo detineret illos,
In atrium ſimul ruerunt,
Ibi malignè pabulandi.
Mors eſt eis locus ſacratus
Præſumptus inſolenter illis,
Ex quinque nullus eſt ſuperſtes.
Ut exiêre militantes,
Invenerant equos jacentes.
Crevit timor loco verendo.

De ſaxo ſetus eandem Eccleſiam.

Ode Monocolos Tetraſtrophos. Metrum Pherecratium continuum, ex Spondeo, Dactylo, Spondeo conſtans.

MIram vindicis iram
Claras omnipotentis
Res geſtas habet omnis
Sacri pagina ſcripti.
Non ignes Sodomorum
Uxoriſve Lothææ
Fœcundam ſale petram
Ignorare licebit.
Nec pauper Deus iræ
Fert oſtenta ſceleſtis,
Quamquam gratia dives
Venâ nunc patet almâ
Etſi tempora noſtra
Jam ſint plena periclis,
Ut Paulus memorabat,
Non nos gratia liquit,
Donans ſupplicibus ſe
Ac duros nocuoſque
Crebro vindice pœna
Pleſtens ſive coërcens.
Res hæc quam referemus
Dum ſit conſcia paucis
Præpollentibus ævo,
Formam ſacrilegis das.
Juxta præmemoratam
Clari Martyris ædem
Demonſtratur ad Auſtrum
Quadam parte remota.

Saxo

Digitized by Google

Saxo forma Caballi,
Frenum ſellaque cui ſit,
Tanta proprietate,
Ac ſi vixerit olim.
Aſcenſor propè paret
Tanquam deſiliiſſet
Retrorſum fugiturus
Totus ſaxeus ipſe.
Hæret pes ſibi dexter
In ſtrepa, latet alter
Sub terra, neque corpus
Cernes usque ſub alas;
Preſſus mole caballus
Fixis cruribus altè
Vaſta deſidet alvo
Nitens ſemper in ima.
Sed quid res ea ſignet
Ex verbis ſeniorum
Hæc comperta canemus
Diva laude *Quirini.*
Supra ſæpè relatæ
Dum res Eccleſiæ fur
Convaſando tuliſſet
Jumentumque gravaſſet,
Sedit deſuper ipſe
Durè calcibus urgens,
Et perſenſit equum mox
In petram riguiſſe;
Cum ſtatim celerando
Dextrorſum reſiliret,
Tranſit poſtima dorſi,
Vix tangens pede terram,
Confeſtim lapis extat;
Nec vindicta reliquit
Factis digna fugacem
Bruto cœpta caballo.
Ne ſententia ſumma
Neglexiſſe merentem
Poſſet jure videri
Dum punit pecus innox.
Si quem res inopina
Et tàm mira movebit,
Sollers audiat acta
His non diſſona multum;
Et quæ per loca certa.
Ac vicina valebit,
Si gnarus datur judex
Præſens noſcere viſu.
Auſtro Norica tellus
Ciſalpeſtribus oris
Florens Eccleſiam fert
Lindenſis ſibi nomen.
Quas tres munere panes
Oblati ſuper aram,
Sublati quoque furto,
Jam ſunt ſaxa per ævum.
In Buſenkaimena
Perſtant Eccleſiæ nunc
Petræ, diſpare mole,
Omnes bis geminæ ſunt,
Et quædam cubitales,

Aus

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Aut binis cubitis ſunt,
Seu parum minus aut plus,
Ac ceræ color his eſt;
Omnes interiore
Strictim parte foratæ
Lychnum ſponte fatentur
Quod ferrent aliquando,
Nec longo memoratur
Res hæc geſta ſub ævo;
Vivo teſte replevit
Aures, indice viſu.
Sollers Arthemius vir
Et clarus Tegrienſis
Miles robore pollens
Hanc ædem renovarat.
Nam templum memoratum
Muro conſolidavit,
Quod lignis prior ætas
Inſtruxiſſe refertur:
Intactam tamen aram
Servarat, quod eandem
Antiſtes ſacer olim
Udalrice ſacraris.
Hac ara ſteterant hi
Ceræ denique trunci
Sublati, reparandi
Cera plure coacta.
Quos ex ædicula fur
Raptans editiore,
Sacratas ubi veſtes
Structorisque tulit rem.
His dum tendit onuſtus
Effugiſſe laborans,
Præco circuit illic
Longa nocte dieque;
Nec decedere campo,
Nec deponere prædam
Ulla ſorte valebat,
Conſtringente Deo ſe.
Confeſſus malè rapta,
In pagumque reductus,
Veſtes reddidit omnes.
Petras cera crearat.
Juxta Danubium ſtant
Pagi, Winſteviam quos
Dicunt Cleminiamque;
His confinia juncta
Diſcernuntur iconâ
Quæ fert ſaxea ſaccum
Diſtentum ſatis, æquè
Saxi pondere durum.
Hinc plebs accola narrat,
Quod furis ſit imago,
Vecors Eccleſiam qui
Vicinam ſpoliarit,
Sacram nomine Petri
Axillas. Ac villâ memoratâ
Quæ rurenſe forum dat
Pro tutamine ſtructam.
Id terra ſimulachrum
Aſcellas propè merſum,

Fertur

Fertur vi nec ab arce
Surſum poſſe moveri.
Inter crebra ſalicta
Callis ducit ad urbem
Turbas Aureatenſem;
Hic rupes ſtat equina,
Petrinuſve caballus
Sella nudus habetur;
Quem ſeſſore perempto
Dum traxêre latrones,
Seu cæſi pietate,
Seu virtute ſuperna,
Fertur diriguiſſe,
Arvo merſus & ipſe.

SÆC. XII. ANNO 1160.

De altera in rure Danubii Eccleſia B. Quirini, *quæ cum poſſeſſione, ad quam pertinet, ab Arnaldo quondam Duce, in beneficium data fuit.*

Ode Monocolos Triſtrophos. Metrum Pindaricum continuum, duobus Dactylis, duobus Trochæis conſtans.

DAnubius fluviis datus rex;
Fert ratibus decies duces ſex,
Septifidusque Thetin coronat:
Illius in gremio *Quirinus*,
Sevit agros prius obſequentes;
Fagus habet locus in notamen:
Eccleſias ſpolians tyrannus,
Hæc tulerat bona, dans habenda
* Imbripolis Comiti potenter;
Quæ noviter Comes urbis ejus
Ut * properi dedit arva juris,
Rus placitum ſibi cambiendo;
Hinc vetus hîc ager eſt receptus
In tua jura ſacer *Georgi*
Cœnobio ibi dedicato.
Eccleſiam prior hoc patronus
Rure piam miſeris habebat,
Ac populo celebrem fideli:
Perdita qui cupiunt reſcire
Hactenus huc veniunt precantes.
Vota ferunt nihil hæſitantes,
Quin triduo capiant abacto
Certius indicium ſuorum
Aut procul aut propè perditorum.
Curtis holus nimium peribat,
Et vacuum remanebat arvum,
Fure domi cumulante porrum;
Oeconomus ſua vota tandem
Ad tua ſacra *Quirine* defert
Limina, conqueritur rapinam:
Certior inde ſilet querelam.
Tertia lux venit, & repente
Fur aderat, malè rapta geſtans:
Omne rei facinus fatetur,
Reddidit integra quæ tuliſſet:
Nam nec in uſibus hæc redegit.
Præterea retulit patenter,
Martyre durius imminente,
Talia ſe mala pertuliſſe,
Ut ſibi vita comes futura

* *Ratisbon.*

* *proprii,*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Dum maneat, nihil ex *Quirini*
Rebus eum libuiſſet ultra.

De milite, qui inimicum ſuum in prænominata Eccleſia combuſſit.

Ode Monocolos Triſtrophos. Metrum Phaliſcum continuum, conſtans extrema Heroici Tetrapoda.

INſectans animoſius hoſtem
Miles in Eccleſiam ruit illam,
Qua fugiens ſe clauſerat intro.
Multa vi terroreque niſus
Hunc à ſede repellere ſacra:
Nil, conando, proficiebat.
Ignes injecit ferus ædi,
Quæ flammas citò lignea cepit;
Nec mora, conflagrant ſacra tota.
Ambuſtus qui fugerat illuc,
Se Sanctis commendat iſdem,
Ad quos eſt ſua juncta favilla,
Quò jungant animam ſibi, corpus
Dum ſecum voluere cremari;
Salvus ut eſt Domini Cruce latro.
Ceſſit non impunè triumphus:
Namque brevi lætatus iniquus
Senſit dignam Martyris iram.
Dum remeare domum celeraret,
Mens non ſana rapit properantem
Ac pontem tranſire volentem.
Lapſus equo, caſu graviore,
Eliſit femur impare greſſu,
Quod poſthac ſibi debile manſit:
Delatusque domum tenuari
Totus, & evaneſcere cœpit
Senſim, corpore morbidus omni.
Ingratam dura nece vitam
Finivit demum miſerandus
Sacrilegus, pœnas ſceleris dans.

Finis Odarum Quirinalium numero LX. Quæ totidem metri generibus editæ ſunt.

PRO-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160

PROLOGUS IN BUCOLICA QUIRINALIUM.

Carminibus clari, quondam ſoliti redamari,
Læta magis potuêre canentes verba tenere;
Nec laudes vanæ fuerant, nec carmen inane,
Quando rependebant meritum, quoſcunque canebant:
Dum fuit Auguſtus judex in carmina juſtus
Rivi Minciadæ quem vaticinantur & Odæ,
Cui vivo memores præmaturantur honores:
Nondum divinus fuit exul ab urbe Latinus,
Metro ſeu proſa, re certa ſive jocoſa;
Urbs ſtudiis florebat enim, livore carebat,
Et quicunque ſtudebat, eum flos urbis habebat
Inter primatum ſemper Collegia gratum:
Nunc facies rerum ſenio mutata dierum
Omnia pervertit, mentes in prava reflectit;
Uſu lucrorum placet omne genus ſtudiorum,
Ut diverſorum poterit modus ingeniorum,
Ingeniis mox bella minuta dedêre lucella,
Alternans dudum facit hinc ubi captio ludum,
Regnarunt fraudes & diripiunt ſibi laudes.
Illas dum plectit, colubrum Dialectica nectit,
Aut obluctatus ſtabit Rhetor galeatus;
Hæ tollunt artes modo cauſarum ſibi partes,
Hæ turbis gaudent & in omne licentius audent,
Hæ ſatagunt certò, quia depugnant in aperto;
Sudant obſcuro reliquæ lucroque futuro.
Sed quota pars vatum plus clareat eſt dubitatum,
Carmina quid poſſint, quid in hæc commercia proſint,
Non ſatis apparet, niſi Muſa domum remearet,
Aonios montes, ubi Caſtaliæ quoque fontes
Obverſans, flores legeret biberetque, ſorores,
Pegaſeas venas, claras fundendo Camœnas;
Nunc peregrinatur, nunc ingratis operatur,
Liquit Apollineas procul exiliata choreas.
Ars ubi rara putatur, in externos ſpatiatur,
Qui nihil altorum norunt in ea meritorum,
Nec vires operum, nec tædia longa dierum,
Qui piper atque ſalem faciunt precio ſocialem,
Aſpernantur eburna, velut ſunt vaſa colurna.
Scilicet arguti debent ita rebus abuti,
Ut capiant ſpernendo, quid amiſere ſtudendo.
Rerum contemptor ſic eſt & callidus emptor.
Aſt ego nec vendenda fero, nec projicienda;
Nil aſpernanti tribuam, famulabor amanti:
Quæ nullum lædent, nobis in carmina cedent.
Mira rei geſtæ viventi profero teſte.
Curas multimodis humanas diximus odis
Hinc Bucolica cura boum nobis canitura,
Fraudes cum pœna referet ſubeunte Camœna.
Ora tui digne vatis moderare Quirine.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

ECLOGA I. BUCOLICORUM QUIRINALIUM.

De vitula elegante, quæ à ruſtico promiſſa voto B. Quirino, *ſed à Domino illius armentis juncta eſt. Ubi una nocte omne, præter eam, armentum deperiit.*

Tityrus Allegoricè Tegrienſis eſt receptor animalium, quæ voto deferuntur. Melibœus quidam olim detractor B. Quirini, *qui eſt in ultima Ecloga paralyſi percuſſus & curatus inducitur.*

Melibœus. TITYRE tu magni recubans in margine ſtagni,
Sylveſtri tenuique fide pete jura peculi;
Nos patriæ fines & dulcia linquimus arva:
Et noſtri pecoris tua dura replebimus arva.
Expectes fruſtra nos Tityre lentus in umbra.
Tityrus. O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit,
Qui curas hominum propè nos pecorum quoque fecit.
Nobis nempe bonus ſemper fuit ille patronus,
Votivum munus cui felix attulit annus;
Ille boves ſuperare luem permiſit, & aræ
Inſcriptam plebem tribuit ſperare ſalutem.
Melibœus. Non hoc inviſum, magis id mirum mihi viſum.
Grandine cur & peſte ferit nos aura frequente?
Exanimes illos retuliſti nempe gemellos,
Qui ſedere vagi flagrante ſub arbore fagi
De cœlo tacta. nunc eſt ubi gratia tanta,
Cujus opem jactas, cujus bona mira retractas?
Quî timidis ſaltem liceat ſperare ſalutem?
Tityrus. Quas populi doluere, Dei plagas meruere,
Munera ſpondentes ſanctis & non. referentes
Dum venerabantur ſancti, dum vota dabantur,
Omnia læta fuêre, procul mala cuncta fuêre,
Temperies anni nil pertulit inclita damni,
Sol terras refovebat, opes tellus pariebat,
Ætas creſcebat, nec quid ſit grando ſciebat.
Ex quo ſanctorum jam gloria nulla locorum
Conducit populos, ſors anxia deterit illos,
Temperie mœſta vix arcta ferens alimenta.
Ecce ſolo ſterili palleſcunt lumina cœli,
Mors plebi pecorique frequens incumbit ubique.
Melibœus. Et quæ cauſa tibi ſuberat loca ſacra videndi,
Numquid ut offerres, magis aut oblata referres?
Tityrus. Libertas, mentes quæ fert ad utrumque volentes,
Muneris expertem me non adeò, nec inertem
A puero canos reſpexerat usque ſub annos,
Ut nos argueres juſtè, quocunque cadet res,
Et prius à vita quam morte relinquar ab iſta:
Præmoriar gratis dum ſtabit gloria Sanctis.
Sed dicis verum: præſens mutatio rerum
Omnia præcidit, quæ priſtina copia vidit;
Dum res pollebat, ſeu mens me læva tenebat,
Libera ſpes vulgi, quod abeſt, nec cura peculi,
Auſa fuit magnos non formidare tyrannos.
Seu pax florebat, mens & me læta gerebat,
Quid cantaret heros regio lætiſſima veros,

Quàm

Digitized by Google

Quàm votiva meis exibat victima ſeptis! SÆC.
Pinguior & ſacræ veniebat caſeus aræ; XII.
Plurima tempus adusque meum ſexus utriusque ANNO
Ex atavis penſum ſolvebat dextera cenſum. 1160.
Melibæus. Mirabar neglecta quod improperas ſacra feſta
Patroni tanti per ſecla diu celebrati,
Cui miro digna pendere ſub arbore ſigna
Scis ſanatorum varia cura miſerorum.
Cum referas talem famulatum tàm ſpecialem,
Quem veterum pietas nec præſens deſerit ætas,
Dic quos culpabas votique reos memorabas,
Ob quorum facinus foret aër & ipſe malignus;
Quæ promiſiſſet tellus mentita fuiſſet.
Tityrus. Sic illum teſtor juvenem tibi cælice rector,
Teſtem condignum rutilante cruore *Quirinum*,
Sic ejus curas populis pecorique futuras,
Sic ejus ſacram ſignis clarentibus aram,
Nobis æterna luſtrandam ritè lucerna,
Quam votis magnis cumulabimus ecce quotannis,
Nil me fallaci verbove referre procaci,
Nil dubiæ ceciniſſe rei; ſic me juvet ipſe.
Melibæus. Fortunate ſenex, etſi tibi parva ſuppellex,
Ampla fides credi dat, ſi quid habes referendi,
Res jam procedunt: ergo tua rura manebunt,
Et tibi magna ſatis, quamvis agris breviatis,
Plura lapis nudus teneat, limus quoqe crudus,
Ac feſſis udis ſqualens tegat ulva paludis.
Tityrus. Hoc inquam flendum quis denegat atque dolendum?
Quis vetet hoc quæri, ſi det Deus id retineri?
Credo diu multum ſcelus hoc non ibit inultum,
Quod pridem latis arvis ſine limite raptis,
Pro tanto ſine jure tenendo denique rure,
Quæ voto debentur, ea jam fraude tenentur:
Ut vindicta ſatis pateat ſuper his data Sanctis.
Melibæus. Mens hominum ſi dura recordetur ſua jura,
Hoc ſollers agito quid crimine noris ab iſto.
Tityrus. De grege vota bonus tibi danda *Quirine* colonus
Secernens vitulam, dederat paſtoribus illam
Pratis paſcendam, poſt hæc in vota trahendam.
Quæ bene..... formoſaque ſic adolevit,
Ut nec in armento fuerit ſimilis ſibi toto;
Sanctis invidit dominus gregis, hoc ubi vidit;
Hanc tolli juſſit, meliorandis quoque junxit
Armentis reliquis, lucris perſuaſus iniquis:
His una dum nocte fuiſſet juncta, repente
Mortua ſunt jumenta ſequenti luce reperta,
Ut quod ſperaret nil præter eam remaneret:
Redditur extortis tunc demum bucula votis;
Hanc Melibœe ſacris fero vix, ita fortis & acris.
Melibæus. Me trahit ipſa magis, cur non pervertere.....?
Tityrus. Vix teneo captam, nec enim ſibi vinclâ remittam.
Melibæus. Nocte mane tamen hac, clauſum ſtabula pecus illac.
Cœnabis mecum, tua ferto viatica tecum.

53: 8

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

ECLOGA II. QUIRINALIUM.

De bucula formoſa, quam voto promiſſam, & biennio retentam lupi diſcerpſerunt die S. Quirini.

Corydon eſt voti debitor, de quo loquitur auctor.

DUm moviſſe pedes ſacras vult paſtor ad ædes,
Anxius armenti Corydon à clade recenti,
Quo ſucceſſus ei bonus & fuga perniciei
Eſſet, peſtifera ſubeat ſi morbus ab aura,
Voverat electam forma præſtante juvencam,
Quæ cornu pœnas dabat & pede ſparſit arenas,
Deliciæ pecoris totius opima decoris;
Hæc votis aptata viget campis ſpaciata,
Et capit incrementa ſui per paſcua læta:
Ruſticus ut cernebat eam, quia proficiebat,
Dono quod vovit pecudem fallendo removit,
Perfidus atque tenax tantillo munere mendax,
Quæ dum paſcebat ſub frondibus, hic veniebat,
Et ſecum tacita ſic mente revolverat iſta:
Heu mea præpollens ô bucula, cur ego tollens
Te mihimet cuiquam fatuus te largiar unquam?
Invideam ne mei pecoris te progeniei?
Non ita ſtultus ego tam pulchra ſtirpe carebo.
Non datur hoc munus, ſolus manet ipſemet unus,
Qui non ſic ulli cupiat ſicut ſibi ſoli.
Hæc ait: & voti cadit omnis cura remoti,
Spes quoque divinæ fidei, tibi prompta *Quirine:*
Hinc abſiſtebat, nec quid ſperaret habebat,
Aſſiduè mentem relegens diverſa tuentem;
Reddere vota volebat, & hoc itidem renuebat,
Cordis inops, mœſtus, ſuper ereptos ſibi quæſtus,
Si munus ſolviſſet ei qui cuncta dediſſet.
Ah Corydon Corydon quæ te dementia cepit?
Ah voti fallax, quæ te verecundia cepit?
Munificus parere voles, nulloque carere?
Sit promittendo ſatis actum, non tribuendo,
Si quibus arte datæ fidei quid reſtat apud te.
Sin aliter ſcires, aliter tractanda Dei res.
Ruſticus hic, quid noſſet enim, quid noſcere poſſet?
Ruſticus eſt Corydon nec munera providet aræ.
Ruſticus eſt qui non votum ſtudet accelerare.
Is dum cunctatur dare bis * annum replicatur;
Quæ retinebatur ſpecies bovis amplificatur,
Os torvum, tauri caput, & pilus hirtior auri,
Et latus immenſum longè, paleareque tenſum,
Cornua geſſit obunca, ſub his ingentia cuncta,
Incedens panda tranſit veſtigia cauda,
Pro cujus forma juris decedere norma
Sponſor perſuaſus, duros adigit ſibi caſus.
Martyris inſtabat nox quæ cœlos penetrabat:
Jam clara ſurgente die, grege prata petente,
Bis gemini venere lupi, pecus inſiliêre,
Voto debentem reddi, medio gradientem,
Armento rapuere, minutatim ſecuere,
Non contingentes hanc ultra ſed fugientes:

Nec

Digitized by Google

Nec nocuere gregem reliquum, quo noſcere legem — SÆC. XII. ANNO 1160.
Vindictæ cœleſtis eis poſſes documentis.
Inde fides adolevit, ob id reverentia crevit
Alme *Quirine* tibi, valuit correptio plebi.
Vota reus perfert, quæ rarò quis bene differt,
Emendatque moræ culpam ſubeunte pudore.

ECLOGA III. QUIRINALIUM.

De bove, quem quidam vovit, alter furto ablatum, nullatenus valens jungere, & uſui habere, pretio redemit, quod ſponſor in votum obtulit. Bos dum arctius ſtringitur, emptore vulnerato, ſe loris excuſſit, & ad B. Quirinum *decurrit, quem inſecutor non prius, quàm ante templum Martyris aſſequi potuit.*

Damœta eſt emptor, vel inſecutor bovis; Menalca, qui voverat, cujus ſervus, vel procurator pecoris Ægon.

Menalca. Dic mihi Damœta, cujum pecus hac tibi meta
Damœta. Venerit? Ægonis? Non id mihi vendidit Ægon.
Menalca. Infelix animal bos, argenti dedit albos,
Ut requieviſſet, duros calles nec iniſſet.
Aſſuetum loris genus eſt patiensque laboris.
En emptor fœnus petit hic cuſtos alienus,
Qui venit indigne; non hoc patiare *Quirine.*
Damœta. Cautus ab incerto convitia tanta ſileto;
Novimus & qui te norint, tot habet locus iſte:
Si ſanum ſaperes, nec in hæc te jurgia ferres,
Juris ut in morem præſens ferat hoſpes honorem.
Menalca. Et quid habebit honoris, quid geſſit mihi moris,
Dum quem fraudavit, fruſtra taurum ſibi pavit,
Gramina tondentem, juga ferre ſed impatientem?
Damœta. Exolves tandem, juſto mihi judice fraudem,
Qua deportaſti precium, pecus exagitaſti;
Aut reddes nummos, aut me ſectare meus bos.
Menalca. Hoc debes veri ſub judicis aure fateri,
Hic prius indemni me quod tibi jus coëmendi?
Parcebam mitis pridem cedendo petitis.
Prodidit en culpam DEUS & non ſivit inultam.
Damœta. Crimen ut imponis, ſimul excuſamina ponis,
Quos accepiſti nummos in vota dediſti;
Te magis infamas, dum me pro fraude reclamas.
Si tibi vendendi fuit, & mihi jus coëmendi.
Menalca. Tu jus appelles? Sed enim non quod tibi velles;
Luminibus captus, trahis aut ſuper alta coactus.
Damœta. O meliora DEUS clemens cauſæ dabis hujus,
Non adeò ſum juris inops, ut crimine furis
Hactenus ex facili me perdere congruat ulli.
Menalca. Non ego narrantem te reſte bovem laqueantem
Adverti, priſca greſſum latrante Lyciſca?
Damœta. Ni fugis omnis ego rationis jure tenebo,
Nunc te diſtraxiſſe bovem, me digna dediſſe
Pro bove, quæ nunc ipſe Deo poteras tribuiſſe,
Menalca. Te ne miſer fugerem, quem deprenſum retinerem?
Nec capto cedam furto partam tibi prædam.
Jus opponat in omne tibi juſta ratione,

Digitized by Google

Hinc tribuam pignus, ſi judex ſit mihi dignus.
Damœta. Ergo progrediamur, & hic nos experiamur,
Hunc tam præclarum prior en ponam tibi taurum,
Quod tibi, ſi vincar, pignus reſtare paciſcar;
Tu ſimul è contra nobis tua pignora monſtra.
Menalca. Oppoſuiſſe bovi quicquid non utile novi.
Quæ declaratum voto licet appreciatum
Abs te jam dominus voti tulit ecce *Quirinus*;
Nempe via diſtante venit nullo comitante
Hoc animal raptante Deo cunctis dominante.
Rem ſed utrisque bonam feſſis, duo pocula ponam,
Hæc tibi plena meri poterunt in pignus haberi.
Damœta. In jus ſi cedet mihi bos, pro pignore cedet,
Qui tibi ſi cedet, te non hunc tollere tædet;
Dum taurum ſpectas, nihil eſt quod pocula præſtas.
Menalca. Quod proprium non eſt, certum pro pignore non eſt;
Et patet incerto certum præſtare profecto,
Majus ab incerto tu fers, ego paucula certo.
Anſer adhuc in ſpe ſatis eſt gallo minor in re.
Damœta. Incertum quod emo penitus faciet mihi nemo,
Dum me decertas incertum non bene certas,
Nec mihi nec tibi, fraude mihi, verum tibi clade,
Nam mihi mercatum taurum tollis tibi pactum.
Sit meus hic vel non, judex diſcerne Palæmon.
Menalca. *Arbite læſus ego verear te chare Palæmon?
Tu cauſas juris præſentibus atque futuris
Dicendas noſti, tibi laus eſt maxima juſti;
Judice te poſito procedet res mea tuto.
Palæmon. Dicite dum tempus vacat; audit amœna juventus:
Incipe Damœta, tum ritè ſequere Menalca:
Verſibus alternæ geminentur utrinque Camœnæ.
Damœta. Principium Deus eſt, orbem Deus ambit & implet;
Excelſis regnans, humiles rector pie cernas.
Menalca. Principium Chriſtus judex in ſecula juſtus,
Noſtri factus imago; tui ſalvemur imago.
Damœta. Heu malo petit Eva virum, dans fercula ſæva,
Et fugit in frondoſa prius, tum fœmina viſa.
Menalca. At ſpinas inſtans lambit ſacer ignis amictas;
Qualis ut hinc noris fons inviolatus amoris.
Damœta. Ferales undæ ſiccantur ab ore columbæ;
Quæ pacis divam clauſis congeſſit olivam.
Menalca. Aurea ſunt mandata decem quaſi mala relata
Sylveſtri de monte Sina Domino tribuente.
Damœta. O quoties & quanta loquens ſapientia ſancta,
Simplicibus parens, regnum pervenit ad aures?
Menalca. Exuperans Amalech fortiſſime jura dabas hæc
Bellator, cuſtosque rei quo dividat æquè.
Damœta. Dum teſtamenti fuit arca feræ data genti,
Hanc revehunt vitulæ; mactantur ab Iſrael illæ.
Menalca. Ruth petit * deſert, nolens cum nepte reverti;
Flevit amore ſocrus, hinc eſt agnus Patris ortus.
Damœta. Triſte dedit chari Jonathæ caſu viduari.
Triſte Jeremiæ mors immatura Joſiæ.
Menalca. Dulce ſalus vivis, oculis lux, gloria divis;
Dulce quies laſſis, cæli ſpes extima paſſis.
Damœta. Hymnidica Muſa quondam gens Iſrael uſa.
Fulſit rege * dedit qui carmina ſummus amavit.
Menalca. Imò cantorum Rex ac dux Theologorum
Vatis jure * dedit modulans Muſam renovavit.
Damœta. Suave dedit qui carmen amans regaleque germen,
Nunc & ibi regni ſuccreſcat jure perenni

SÆC. XII. ANNO 1160.

* *David.*

* *David.*

Menalca,

Digitized by Google

Menalca. Qui non odit Ama poterit laudaſſe Caiphan, SÆC.
Ipſeque jungat apros, & arans ſale ſeminet agros. XII.
Damœta. Qui roſeos flores, vernos captatis amores, ANNO
Noſcite, ſpinarum latet illic vulnus amarum. 1160.
Menalca. Qui nuper runcata tenes Sylveſtria prata,
Coge gregem verſus villas, jam murmurat urſus.
Damœta. Cur virides ripas toto paſtor grege ſtipas?
Fons patet, agnellos fuge de ripâ unda tenellos.
Menalca. Sol cremat infeſtus, pecori nimius nocet æſtus:
Succedant umbris, ubi lenior aura ſalubris.
Damœta. Heu pleno bos jure meus rapitur mihi durè,
Judiciique palæſtra ſiniſtra facit mea dextra.
Menalca. Non ſpeculans æquum, viſus tibi faſcinat æquum,
Ut jus non cernas hominum, divinaque ſpernas.
Damœta. Dic quid naſcatur bis, quid moriendo creatur,
Et quaſi divinus ſis tauri munere dignus.
Menalca. Dic quid rure ſatum patrem cupit inviolatum,
Et tibi me de re nulla ceſſiſſe fatere.
Palæmon. Lege pari dites jam longas ſcindite lites;
Jus vobis æquare licet, non fas violare:
Bos erat hic utriuſque, Deus quem tollit utriſque,
Dum tu voviſti, tu jungere non potuiſti,
Ferte Deo morem quòd utrique tenetis honorem.

ECLOGA IV. QUIRINALIUM.

De Bucula præſtante, quæ voto deſtinata, dum ob elegantiam diu retinetur, enixa eſt vitulum æquè formoſum, quo adulto ſine præduce ad templum Martyris cum prole decurrit.

SIcelides Muſæ tranſite lacus Arethuſæ,
Conregionales vobis .....Latiales,
Tegrineoque Seni date remos carmine leni:
Hic opus inſigni vobis de laude *Quirini.*
Cantabit; virtutis opem, curamque ſalutis,
Sacræ theſaurum glebæ, gratum ſuper aurum
Seclis pandetis; nam mira ſui referetis,
Quæ fert jumentis in jus per vota receptis,
Detentor fortis, variæque potens vice ſortis.
Devotos ſolatur, ab his dum ritè vocatur,
Infidos prodit, mendaces vindicat, odit.
Bucula dum charæ formæ promittitur aræ
Sic incrementis anni fuit aucta ſequentis,
Nil jumentorum foret ut ſibi par aliorum;
Sponſor creſcentem videt ac ſpecie renitentem,
Primaque votorum permutat verba ſuorum.
Dum ſpecie clara danda mens nutat avara,
Bucula ſic retinetur, ut hac ſoboles generetur:
Jam nova progenies maculis inſignis, & albo
Ac niveo miſcens orbes nigros quaſi carbo,
Aut rutilo fulgens pecori decus addidit ingens:
Jam redit & largo data pignore matris imago.
Incipe taure tener mugitu noſcere matrem,
Incipe, votivamque Deo comitabere matrem.
Spectabant lætum pagi collegia fœtum,
Præconabantur, quòd in annum læta ſequantur,
Proventu rerum, niteantque ſerena dierum,
Nempe ſenes & anus, ſi frivola non referamus,

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Et quibus hæc curæ ſuper eventu genituræ,
Auguriabantur quæ mox ventura putantur;
Hi dum convenere frequentes, hæc retulere,
Tractantes anni prognoſtica ruſtica magni:
Clades præteritas ſequitur felicior ætas;
Lege ſub æterna redeunt Saturnia regna,
Ordoque ſeclorum venit ævi ſorte bonorum;
Exſpes quas luges, venient, regio, tibi fruges;
Brumas multa domi refovebit copia pomi,
Promptior ubertas quam mittit & aptior æſtas,
Profluet egregio ſimul omnis terra Lyæo,
Liber & alma Ceres ſic lætas proſpicient res,
Ut nec honeſta Venus generis neget utile fœnus;
Tota ſui ſit feſta comis & florida Veſta,
Ac ſterilis nusquam feret undique quod creat uſquam;
Cui Lucina ſolo favet, id vegetabit Apollo:
Tum referent magni menſes ea quæ prius anni,
Sublimes fructus decuplo dabit annus onuſtus,
Si quid fraudavit labes prior aut vitiavit,
Hi qui ſuccedunt proventus ſponte replebunt,
Nec ſimplum reddent quod reddunt, ſed ſuperaddent:
Semina quæque cadent in terram, centupla ſurgent,
Quin ſine cultura fruges, vinum ſine cura
Per ſylvas & prata feret tellus inarata:
Frumenti ſpicas dat campus ut ante myricas,
Spinaque floreſcens fit vitea ſtirps adoleſcens,
Unam portabit quæ dulcia muſta creabit,
Pax erit annorum quoque gloria ſumma piorum,
Non leo non urſus, non quævis belluæ prorſus
Egreſſus hominis vel paſtus obſidet agnis:
Noſſe tamen laudis, priſcæ veſtigia fraudis,
Nullus ut in ſaltum mittat pecus incomitatum:
Examen vulgare ſolens hæc commemorare,
Servari cautè mandat præſagia tantæ
Ubertatis, utrumque pecus, matrem vitulumque:
Sic indevotum ſponſorem frangere votum
Perſuadent, leviter quod & egerat ante libenter;
Nec memorabantur per quem bona contribuantur,
Obliti ſua jura Deo tandem reditura
Semper ab ingratis, ſi nolint hinc dare gratis,
Ac fieri damno jam læto ſæpius anno,
Quod domino clarum fraudant munus decimarum,
Sanctis votorum retinentes dona ſuorum.
Nam poſt tempora multa parens ſoboli coadultæ
Geſſit corpus enorme nitentis bucula formæ,
Dum mens polliciti pecoris memor excidit iſti,
Martyr promiſſæ ſibi dona rei tulit ipſe;
Bucula prole ſequente fugax agitata repente
Proruit armentis ignoto calle relictis;
Quam conſectatur ſponſor ſuus ut capiatur;
Sed non attingebat eam, donec veniebat
Ad templi valvas, iterum hoc ſine præduce calcans.
Votum mente revolvit, & id demum quoque ſolvit
Vir ſatis admonitus, nolens ſua vota ſecutus.
Laudarunt dignum cœleſti laude *Quirinum*,
Cantica multarum cum plebibus Eccleſiarum,
Quarum vota ſuam celebrabant publica tumbam
Ex diverſorum reſonam turmis populorum.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

ECLOGA V. QUIRINALIUM.

De vacca, quæ voto promissa B. Quirino, *ob viæ longitudinem ad S. Georgium ducebatur.*

Hîc Menalca Abbas Tegriensis, Mopsus est Abbas S. Georgii, qui ipsum miraculum enarravit, &c.

Menalca. CUr operis pro posse nihil gerimus bone Mopse?
Tu res exorsus gestas memores, ego versus;
Dum curis vacat hora, quieta resolvimus ora.
Mopsus. Tu major, domus est tua, subjiciar tibi, jus est;
Dictis parebo, quæ posces acta monebo.
Hic tibi sub tecto placet eloquar, aut in aperto?
Præcipis accedam quo vis, jussusque recedam.
Menalca. Nulli credendum magis ex hoc plusve sciendum.
Mopsus. Qui præsens aderam, potui rem noscere veram.
Menalca. Incipe Mopse referre, datum tibi tanta videre;
Dic si quid cordi servant tua mira Georgi,
Si quid divinæ laudis tua signa *Quirine*,
Aut simul amborum ferat hoc munus quod honorum,
Uni quod spretum noras, aliique retentum.
Mopsus. Id planè recolo monitus verbo quoque solo,
Quod clarè gestum satis omnibus est manifestum,
Hoc inquam narrabo, Dei nec mira negabo;
Menalca. Id mihi scire licet, qui norit cætera dicet,
Incertum certis cadit ut saliunca rosetis,
Ambiguum vox viva premit, salices ut oliva;
Non est te præsente labor reliquo mihi teste.
Mopsus. Montanæ regionis homo, quæ finditur omnis
ENO, per valles frangente vagos sibi calles,
Voverat ad claram pretiosi Martyris aram,
Pro cura pecorum vitulam donare suorum,
Quo sis certa, *Quirine*, petenti spes medicinæ:
Tæduit immensi callis, per quæ Tegriensi
Hoc pecus adduxisse loco vir debuit ipse:
Consilium cupiebat, & hoc tandem capiebat,
Nil voto distare, sacri nomen variare,
Si quid voverit huc, quisquam persolverit illuc,
Tantundemque valere, pares fructus * redi.....
Dicta *Quirine* tibi caperes si vota Georgi,
Ambos in regno sociales esse superno,
Æthre coæquandos, cur hic fore dissociandos,
Nil æternorum distantes dote bonorum,
Munere votorum, nihil hic differre sacrorum:
Ille sequebatur, simul ut suadela dabatur;
Bos per cornua vincta laborat in ardua ducta,
Qua Monachis pia castra dat arce Georgius arcta,
Tracta super pontem quo scandunt agmina montem,
Dum sua vota ferunt, animæ suffragia quærunt,
In medio restabat & hinc transire negabat,
Verberibusvè coacta vel omni robore tracta;
Ipse vocabar ego, mirandaque cernere pergo:
Rursus me præsente trahebant fune rigente,
Plagis tundebant, nec eam movisse valebant,
Sternere quam possent, non ultra ducere possent:
Hanc meditans ego forte ligatam dæmonis arte,

* *fort. reuhibere.*

SÆC. XII. ANNO 1160.

Protinus aſpergi benedicto fonte ſategi;
Rurſum conati ſunt à vitula ſuperati.
Quæſitus tandem ſponſor, qui vovit eandem,
Prodidit absque mora, confeſſus vota priora:
Quadrupedem brutam mox præcepi, reſolutam
Ire ſinant, dimiſſa feratur quò libet ipſa;
Illa fuga præpes ſe jecit in infima præceps,
Qua montes jungens vallis barathrum patet ingens,
Sicque Deo tutante ruebat in aſpera cautè,
Ut nil membrorum doluiſſet læſa ſuorum,
Non inquirentes expectans ſeque ſequentes,
Vallibus emergit ſylvas ſine præduce pergit;
Vix fuit incomitata viam flexiſſe notata,
Martyris ad tumbam primis votis adeundam:
Curſor eam ſcitus ſequitur nemorisque peritus,
Et veſtigando non attigit ac properando,
Donec tranſmittens inter ſylveſtria montes
Paſcua vicini petit & nova culta *Quirini*,
Unde ſacræ propiora domus adiiſſet in hora.
Menalca. Ut laſſabundis ſopor, ut fontes ſitibundis,
Sic carmen fert læta tuum divine Poëta,
Litem Sanctorum referens in dona piorum,
Dum ſua quisque volunt & ab his diſcrimina tollunt.
Mopſus. Id fieri rectæ rationis habet via juſtè:
Vult Deus ipſe ſibi ſua, Cæſaribus ſua reddi.
Illud in imparibus poſitum, magis eſt paribus jus,
Si regi ſecum jus dat ſummus Deus æquum
Ut ſua juſtus ubique ſciat dare civis utrique
Dum ſit firmandum nihil eſſe Deo ſimilandum.
Par decet æquatis voti jus reddere Sanctis.

31

ECLOGA VI. QUIRINALIUM.

De Bove peſtilente, qui mactandus dum voto deſtinatur, repente exilivit, & viduæ paupercule venditus eſt: precium in cera commutatum ad tumbam Martyris oblatum.

COepta Syracuſis nos jungant carmina Muſis,
Sylveſtrique via pudeat nihil alma Thalia,
Quin pecorum cura dignè recinas tua jura;
Nos te ſectemur, nec enim dux diva veremur
Divinis humana novis rebus veterana,
Quamlibet alterno tamen ore peracta moderno
Ornamenta creare docet nos legifer hac re:
Sic declarari ſacra ſic hoſtes ſuperari
Ut Memphæorum variis opibus ſpoliorum
Iſraël armetur, ſedes ſacranda paretur;
Victor junctus & ipſe thoro placet Æthyopiſſæ
Vindice cui lepra ſoror emendat ſua probra,
Præſul ob hoc ſupera nec tranſit liber ab ira,
Poſt ſuperans reges & prælia dans quoque leges,
Nobis rurſus in hanc rem dux ſacer inſtruit aurem,
Captivam tonſam mandans ita ducere ſponſam
Ut cæſis unguis crinisque prius moribundis,
Sit ſociale thoris vivi decus omne nitoris.
Pulſis errorum jam turmis Barbaricorum,
In Romanorum prior agmine chordicinarum
Riſit clariſonis modulis mihi Muſa Maronis,

53

Hanc

Digitized by Google

Hanc acceptavi puer, & creſcens adamavi,
Qua cum deſpondi, victoris jure totondi
Cuncta prophanorum reſecans moribunda Deorum,
Cætera quæque juvant & amore perennia vivant.
Innocui flores flagrent Deitatis honores.
Non timeam ſacra ſpolium ponens ſuperata,
Si quid ab hac præda dignum raperet mea ſcheda,
Ex devictorum ſpoliis dedit Allophilorum
Sanxit opus templo toto mirabile ſecto.
Viderat ingentem vir peſte bovem recidentem,
Vir pecoris ſollers & agreſti munere pollens,
Languida tendebat bos membra ſoloque jacebat,
Quem vovit dominus; ſi ſanet peſte *Quirinus*,
Ipſius ſacram deduci munus ad aram:
Bos non ſurgebat poſſeſſor ut hæc referebat.
Caulas ergo jubet quo verna cadavere mundet:
Audit juſſa laniſta capitque paratior iſta,
Exerto cultro taurum ſuperaſtitit ultro,
Et parat invalidum pecus impiger aggrediendum,
Attactus leviter bos exilit impatienter,
Inde fuga rapiente petit rus curte patente;
Ruſticus hunc ſectatur, eum ſervus comitatur:
Ad mirum ſigni plebs è lare curſitat omni;
Hic cruciamine plena ſuperveniebat egena,
Anxia natorum famis improbitate ſuorum,
Quos aluit viduata viro, rebus tenuata
Martyris hæc ſub honore Deique petebat amore
Ad ter dena ſibi taurum numiſmata vendi:
Largius oranti pius hic precium breve danti
Sic pecus indulſit, domui quod læta reduxit,
Nummos taxatos in ceræ merce redactos
Detulit almigeni ſecum pro laude *Quirini*.
Ipſius hinc tumbam ſponſor properans adeundam
Ponit munus ibi: rem narrat ab ordine totam,
Martyris ex virtute viæ cauſam ſibi motam,
Quin languens animal pietate potens reparavit,
Ex cujus precio ſacris hic dona paravit:
Cantu plebiſono reboat laus digna *Quirino*.

ECLOGA VII. QUIRINALIUM.

De bove, quem morbo peſtilentiæ proſtratum, & voto curatum ſponſor ſex annis detinuit, qui trabe percuſſus interiit.

SOrte minus tuta, fracto bove, lis fit acuta,
Certat hero ſervus, probrorum ſurgit acervus
Quædum prodemus tua geſta *Quirine* canemus:
Tu modo propitiate fave patrone beate,
Ingenium menti cumula tua mira canenti,
Tu laudes dignare tuas ita clarificare,
Quo radius virtutis ab æthre valenter euntis
Non obſcuretur vitro per quod jacietur.
Eccleſiæ ſanctæ pandendus carmine latè,
Cordibus inſpergas rorem, nos crimine tergas,
Ut claras clarè valeam res commemorare;
Hæ ſub perſonis dictæ Thyrſi Corydonis
Dant contendentem cum præceptore clientem.
Forma pollebat bos, quem mala peſtis habebat;

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Sollicitus cura Dominus jam morte futura
Spondet vota *Quirine* tibi pro ſpe medicinæ:
Si per te ſanatur, ait, tuus hic habeatur;
Martyr ſancte Dei da finem perniciei.
Ruſticus hoc ubi dixit, ab atra morte revixit
Taurus: & exiliebat, & hinc ſanus remanebat.
Poſſeſſor ſenis hunc fortem detinet annis,
Nec voti memoratur quo reus attineatur;
Oblitum vindex non tranſit Juſtitiæ lex;
Nam biga volvente trabem de monte ferente
Arbor in ante jacet nimis, & tergum bovis arcet,
Cui ſpinam fregit, miſerum reſidere coëgit:
Multus conſuetè plauſtro fit ſermo cadente,
Incuſat famulum dominus, ſervus magis illum;
Ac ſic cœpit herus, primatus jure ſeverus:
Corydon. Nunc me formator noſtri benedicat & auctor,
Daß mich Gott behüt und geſegne. Quod mihi ſolamen confert hic quodve juvamen?
Ut non hærentes thalami malè convenientes?
Sic bigâ junctâ malè, labes tanta ſecuta.
Thyrſis. Aſpiciant cuncti plauſtri compagine juncti
Si quid neglectum, ſi quid non ordine rectum:
Iratum fruſtra, nec cauſa te mihi juſta,
Impubes pueri poterunt quicunque fateri.
Non ego deliqui, tibi cerne quod obſtet iniqui.
Corydon. Heu quid enim? novi, quod & hunc taurum tibi vovi
Jam dudum digne tribuiſſem magne *Quirine*,
Ejus delicti durè me commonuiſti;
Si placidè gereres, en ipſum munus haberes.
Thyrſis. Si quid voviſſem, nunquam prorſus tenuiſſem,
Dum pauper rerum paſcar mercede dierum;
Non mihi concluſus quod vovero detinet uſus.
Prompta Deo reddunt qui vota, per omnia creſcunt.
Corydon. Heu quid agam, talis, quo non mihi par, animalis
Caſu perculſus? cultura jacet mea prorſus;
Impedior damno graviore, pudoreque magno,
Olim dilatum perdens malè munus amatum.
Thyrſis. Quis pandet verbis, Sardis ut amarior herbis
Sic ſtimulus mentis ſe corde tenus comedentis;
Cuique dies unus quam totus longior annus,
Dum reus optat obire malum delicta perire,
Corydon. Muſcoſi fontes refovent æſtu ſitientes,
Quos circa ſupraque virens ſomno favet umbra:
Solſtitium venit, Deus in præcordia venit,
Pœnitet errorum, turgeſcit gemma bonorum.
Thyrſis. Tæda domi pinguis ſupereſt & plurimus ignis,
Siccans agreſtes udos, pluviam fugientes;
Flamma timet quantum ſtipulas, ego frigora tantum.
Fluctuet unda foris, calor æſtuat intus amoris.
Corydon. Stant ulmus, buxus vivi fontis propè fluxus,
Fert abies perpulchra trabale cacumen in æthra,
Spina ſtat, hac tacta flebis puerilia facta,
Lignaque virtutum præbebunt hæc tibi cultum.
Thyrſis. Sylva virens floret, vicio moriens ager arct,
Non modo declini colles dant pocula vini.
Jam redeat virgo prior ut revireſcat origo
Arvaque deſerti fontis liquor undet aperti;
Corydon. Nauta potens almam vitem fert, Debbora palmam,
Rex ſacris cedrina parat, dux ante Sethina,
Ad templi valvas Salomon præcidit olivas;
Hic virtus victrix agit, iſtic gratia nutrix.
Thyrſis. Iſraël in ſalices ſuſpenderat organa deflens,

Carmina

Digitized by Google

Carmina dum captis Babylonicus exprobat hoſtis; SÆC.
In res ſolemnes ſalicum fert munera torrens, XII.
Dum celebrat cœtus ſacra ſcenopegia lætus. ANNO
Corydon. Littus amat myrtus, prægnantibus unica virtus 1160.
Præ multis rerum curas medicans mulierum;
Stans inter myrteta vir exprimit omnia læta
De reditu gentis donoque Dei miſerentis.
Thyrſis. Subdita decreſcunt corylo, pino.....
Tollitur infractis fortiſſima fraxinus haſtis,
Malus ſcire dedit mala, quæ mortem prior edit.
Ad lignum Vitæ ſalvandi quique venite.
Hos inter ſe* memini ſimul oppoſuiſſe
Et Corydon tibi Thyrſis habetur major in iſtis.

13

ECLOGA VIII. QUIRINALIUM.

De bove quem quidam vovit, alter furto ſublatum nec occidere, nec vendere potuit.

Hic Damon & Alpheſibœus agunt.

PAſtorum Muſam ſuper abducto bove fuſam
Martyris in laudes mea fiſtula dicere gaudes:
Tu mihi ſive Dei frueris ſpeculo faciei,
Et cœli ſuper alta quieſcis ſede beata;
Seu noſtros cernes curſus, clemensque gubernes,
Des placitum quicquam tibi proloquor: en erit unquam
Ut pateant dignè per me tua facta *Quirine?*
A te cœpit opus, tibi deſinet, omneque corpus,
Hoc te multigenæ reſonet per ſecla Camœnæ,
Quæ tua mira feret, te laudum munere quæret;
Ne cui virtutum ſucceſſit gloria multum,
Defuerint operum tibi carmina vera tuorum;
Cumque coronatum cælis & clarificatum
Eccleſiæ noſcant, tua quæ ſuffragia poſcant,
Obſequio tumbam norint non prætereundam,
Quam variis clarè ſignis radiare;
Hanc hederam lauro jungant, gemmas velut auro,
Schedula quas offert, tua quæ miracula profert,
Ut niteat tua dexta potens, ô Martyr ab æthrê,
Unde polo terrisque micans celebraris utrinque
Et carmen generale tibi ſonat ac ſpeciale;
Illud ab æterna meat, hoc virtute moderna,
Qua pius es miſeris, duris metuendus haberis.
Dum peſtem pecudum mens prævidet anxia dudum,
Cultor devotare bovem decreverat aræ
Martyris in laudem, quo dimoveat ſibi cladem.
Taurum furatus proprios trahit alter in actus;
Huic lis apta rei Damonis & Apheſibœi,
Illinc raptorem ſtatuit bovis, inde datorem;
Carminibus qui digna ferent de Martyre ſigna.
Iſte domum ducto bove, qui ceſſit ſibi furto,
Dum lucrum cupiebat & ob culpam metuebat,
Plurima tractabat, ſed quid faceret dubitabat:
Cum ſolus remoratur, apud ſe ſic meditatur:
Damon. Hunc taurum mactabo, cutem, carnes preciabo,
Sic occultabo melius, ſic lucra parabo,
Ne bove paſcendo labor inſtet ſive trahendo;

52 11

Si

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Si res procedet, ſatis actum: ſin, malè cedet.
Credo *Quirinalis* res eſt mihi judicialis.
Audis quid curem? velox mihi præbe ſecurem,
Accelera, cultrum majorem defer acutum.
Curre citò quid ſtas? meat hora quieta nec inſtas?
Heu tardè procedit opus, quo fine recedit?
Credo *Quirinalis* res eſt mihi judicialis.
Tu retineto ferum, dum ſtabit ege levo ferrum:
Hæc penetrare poteſt pellem. quid dæmonis hoc eſt?
Ecce tene rurſus: melius conabor adorſus.
Ei quam dura cutis! plagis manet integra cunctis.
Heu quid portenti fortuna parabit agenti?
Credo *Quirinalis* res eſt mihi judicialis.
Frontem pulſabo tamen eventumque probabo,
Grandius advertens & acumen inutile vertens,
Attritum mulctabo caput, ſic fortè necabo.
Proh reſilit duris impulſibus acta ſecuris,
Nec quicquam cerebro nocet incuſſu quoque crebro,
Ceu lapis objectus ſic ad omnes defugit ictus.
Credo *Quirinalis* res eſt mihi judicialis.
Vincar adhuc utrumne, videbo, da mihi cultrum;
Numquid non moritur ſi decidam ſibi guttur?
Cornibus acceptum teneas, dum ſubrigo mentum.
Quis dæmon talis ſub pelle lates animalis,
Quod non mactari poteris ferrove ſecari?
Aut hoc ſi non eſt, miror mihi qui furor obſtet.
Credo *Quirinalis* res eſt mihi judicialis.
Sed cur deſpero, cur non nova commoda quæro?
Uno confuſus reliquos prudens petit uſus.
Si non jumentum licet abſcondiſſe peremptum,
Maturè vendam, mea ne compendia perdam.
Verna bovem ducta: cadat in commercia juſta:
Ni fallor, nunquam venit inde boni mihi quicquam,
Nunc age feſtina, taurumque foro trahe, mina.
Credo *Quirinalis* mihi res eſt judicialis.
Quis volet hic aratrove bovem, ſeu jungere plauſtro?
Ecce ſatis fortem, ſub utramque dabo ſibi ſortem,
Nec precio facili quisquam melior datur illi:
Hoc mihi jumentum media dat parte talentum,
Sic, quicunque volet, ſic me conſtat mihi, tollet.
Ei quid ago? res ſunt: hominesque foro propè dites
Aſſunt qui vendant, nec ſunt qui digna rependant.
Credo *Quirinalis* res eſt mihi judicialis.
Sed condeſcendam coëmentibus, ut citò vendam,
Ne ſi non vendo, bove ſit labor hinc retrahendo.
Res ut quæratur, ſic venum proſtituatur;
Ibo ſi ſaltem mediam precii fero partem.
Ac ne bos retrahatur, id ipſum dimidiatur.
Nec plus nec minus eſt, qui per commercia præſtet.
Quo tandem pacto tardabo? revertar in acto.
Credo *Quirinalis* mihi res eſt exitialis.
Quod tuleram gratis, compellor reddere gratis.
Me miſerum quid agam? divinam ſentio plagam,
Reſtituam promptus, quod cogar reddere captus,
Ne juſtis vinclis tradar, vitæque periclis.
Accipe clementer famulaturum tibi ſemper
Clade reum tanta: tua ſuſcipe ſponte relata:
Laudis erit ſi parcet homo ſibi quem Deus arcet.
Oro *Quirinalis* mihi res fiat venialis.
Hæc Damon referebat, ubi Deus hunc reprimebat.
Muſa refer quid ei calamus canat Alpheſibœi.

Plura

Digitized by Google

Plura gerant plures, omnesque decenter eunt res. Sæc.
Alpheſibæus. Effer aqua ſacra vas, & laris atria luſtra, XII.
Poſt prunis pura teſta jace maſcula thura, Anno
Ter dum ſpargetur domus & ter thurificetur; 1160.
Ut nos dignanti ſit ſuavis odor Deitati,
Ducite rure boum jam ſignis nobile votum,
Ducite condigno votis pia dona *Quirina.*
Martyris expertus referam præconia certus,
Vi ſe quam mira ſua gratia pandit & ira,
Circa votorum raptus vel dona ſuorum
Sunt variis exacta modis inſignia tanta
Ut nemo numerum concludere poſſit eorum.
Ducite condigno votis pia dona *Quirino.*
Et patet hoc donum latè populis regionum,
Si non iratis ſint obvia crimina Sanctis,
Virtutes ceſſant, homines quas quærere ceſſant.
Quæ ſi rareſcunt, nihil his niſi carmina deſunt,
Laude ſacris digna, quæ promant priſtina ſigna.
Ducite condigno votis pia dona *Quirina.*
Carmina grata Deo, ritus probat in Jubilæo:
Buccina dum ſeptena procul reſonabat amœna,
Cantu ſacrarum Jericho cadit alta tubarum:
Dona Dei cecinere pii quæ promeruere,
Cantica ſignantes Hymnosque Deo modulantes:
Nos etiam veneramur eum quo ſæpe juvamur.
Ducite condigno votis pia dona *Quirina.*
Carminibus contexta recenſentur geſta,
Paucula de multis, quaſi ponti gutta fluentis.
At qui factorum numerum complere ſuorum
Ne dicam clarè modulis velit æquiparare,
Ante ſolum faciet mare, vel Thetis arida fiet,
Quàm ſciri poſſit ſacer hic quàm plurima geſſit.
Ducite condigno votis pia dona *Quirino.*
Stabit & hoc factum cum laude ſibi memoratum,
Quod furto directa requiſivit ſua vota,
Dum vult, dignatur, ne rem voti patiatur
Sub manibus furis perverſis cedere curis.
Ducite condigno votis pia dona *Quirino.*
Multoties damnoſa ſuis ſumptu precioſa
Auferri ſeu clade ſinit ſibi ſeu quoque fraude
Clandeſtinorum, vel apertorum ſpoliorum,
Et repetit cum laude minuſcula perdita fraude;
Non cupidum rerum, fraudi ſed jure ſeverum
Se monſtrans, in re non eſt minor illa minore.
Ducite condigno votis pia dona *Quirino.*
Feſti præterière dies, plebes abiere,
Quæ contutatæ turmis & conglomeratæ,
Martyris ut petière patrocinium, retulêre.
Non ego procedam ſolus, nec me dabo prædam;
Exponam voti munus non amplius hoſti,
Quod cuncti mecum ſine ſpe laudare receptum.
Ducite condigno votis pia dona *Quirino.*
Non ingratus ero neque ſenſu mentis aberro,
Quin reddam gratis votorum munia Sanctis,
Martyre jumentum ſed ſuffragante receptum
Qua re cunque valebo ſacris inferre ſtudebo,
Fur illud neu prædo trahat per cuncta cavebo.
Ducite condigno votis pia dona *Quirino.*
Hoc animal vendam, precio mea vota rependam,
Et melius levis ibo minusque pericla ſubibo,
Sic nil longarum gravat anxietudo viarum.

SÆC. XII. ANNO 1160.

Ducite condigno votis pia dona *Quirino.*
Suſcipe votorum munus patrone meorum,
Quod mihi ſublatum, per te cognoſco relatum:
Quæ tibi ſervaſti, cape dona; fave famulanti.
Eccleſiæ cœtus tua fert magnalia lætus,
Virtutis præſentis erit per ſecula teſtis.
Solvite condigno meritis pia vota *Quirino.*

ECLOGA IX. QUIRINALIUM.

De bove, quem Intalenſis quidam, cum conjuge ſua peſte recidentem B. Quirini *devovit, & convaleſcentem anno retinuit, qui rurſus proſtratus voto ſanatur & redditur.*

Hic agunt Mœris & Lycida.

QUo te, Mœri, pedes? an quo via ducit? *Moer.* Ad ædes.
O Lycida, quid habes, quod me nunc affore gaudes?
Lycid. Eja dic quid ago, quid curandum properabo,
Ut tanto dignam damno capiam medicinam?
En moritur mihi peſte jacens bos optimus iſte,
Quo jumentorum robur ſtetit omne tuorum.
Dic ſiquid noſti curæ pro nomine Chriſti.
Mœris. Non aliud tantum novi tàm ſæpe probatum;
Si tauro vitam de morte cupis repetitam,
Fac promittatur languens hic ſi reparatur,
Olim divino medico per ſecla *Quirino.*
Lycid. Magne patronorum pater, exemplumque piorum
Nunc nobis carum reparans habeas tibi taurum,
Clare *Quirine* polis radians præ lumine ſolis.
Mœris. Martyr fallere neſcit, & en tibi bos revaleſcit:
Tu modo pro voto reddendo promptior eſto.
Lycid. Numquid opus noſtris rebus credam fore ſanctis?
In regno lucis nihil indiguere caducis:
Nos quæ lætamur per eos reparata, fruamur.
Ipſi quippe ſciunt quod opus nobis ea fiunt.
Mœris. Sic age, jumentum doleas ne forte retentum,
Quod videas dirè ſub eadem clade perire,
Quem pietas Domini ſolvit, meritumque *Quirini*;
Lycid. Non adeo magnum ſcelus eſt, ſi ſervo per annum.
Mœris. Fac quodcunque voles; ſequitur, quod, ut æſtimo, noles.
Lycid. Nos quocunque cadit res bos tamen iſte juvabit.
Mœris. Heu Lycida quid agis? fies obnoxia plagis
Iræ cæleſtis, votis ſine lege retentis:
Bos non eſt oblatus adhuc, meat annus abactus:
Quàm tibi formido, caſu plangas malefido!
Lycid. Tu nimium curas res auguriando futuras;
Sors homini quàm dura nocensque ſuperflua cura:
Quando DEUS parcit curis, nec tunc homo parcit.
Mœris. Aſpice verna foras mens fortè quid anxia noras.
Neſcio quid cauſæ reſonat tinnitus ab aure.
Lycid. De fama triſti nunquam requieſcere noſti.
Qui malè confidunt ipſi ſibi prælia fingunt.
Mœris. En ut dicebam tibi non fruſtra metuebam,
Quos duros caſus ferret temerarius auſus;
Colluctans in morte jacet bos ille repentè,
Quem ferit ejectis oculis acerrima peſtis;
Extremum tantum ſuſpirat pectore flatum.
Lycid. Ei quid ais? rideſne? ſcio terrere ſtudes me,

Digitized by Google

Mæris. Surge vide quid agas; hæc ſunt joca quæ memorabas.
Lycid. Vernula curre citò pro cereolo benedicto,
–Hunc properans accende, bovis per cornua tende.
–Signatus bove Luca juva jumenta caduca.
Mæris. Ah magis hæc obſunt, jam nulla precamina proſunt,
Reddentur ſi vota, fugit mors ſponte remota.
Lycid. Si vivet, digne tuus hic eſt Sancte *Quirine*,
–Solves ergo precamur, eum, dum non mereamur.
Votivus pridem tibi bos dignoſcitur idem.
Quàm non prudentes morti dedimus retinentes;
In ſalvum dones, & pignus eum tibi pones,
Amodo votorum nil nos retinere tuorum.
Mæris. Pridem voviſti quod damno detinuiſti;
En hoc jumentum gaudes de morte receptum,
–Cladibus hinc edocta ſtude tua reddere vota.
Lycid. Sedula conabor, nec in hoc ultra remorabor.
–Cum bove nempè quis ibit, eum qui pellere quibit.
Per montanarum ſylvis implexa viarum?
Mæris. Oeconomus vini Latii de jure *Quirini*
Id conducturus, propè nos remoratur, iturus,
–Huic votum mittamus & hinc nos expediamus
Acri tantarum magnoque labore viarum.
Lycid. Hoc placet, hoc faciam, taurum transmitto ſibi jam.
Gartio, præpoſitum ſcrutatus ab hoſpite dictum,
Quo lare verſetur quandove redire putetur,
Fer ſibi jumentum nece bis præſente receptum,
Commendans votum, dic eventum quoque noſtrum.
Gartio. Dant vobis dominus meus iſtud & hoſpita munus;
Indicio ſigni duplicis per dona *Quirini*,
Bis devoratum, bis morte gravi revocatum.
Oeconomus. Patrono grates agimus, ſua dona probantes:
–Bos tamen hac ſibi curte manens deſerviat iſte;
–Nos ſua dum veniemus ad ipſum mira canemus.

Sæc. XII. Anno 1160.

ECLOGA X. QUIRINALIUM.

De bucula, quæ apud Torndorff in muro Eccleſiæ B. Quirini *ſe defricans interiit. Et de Rhomberto Altahenſi Abbate paralyſi percuſſo, & ibidem ſanato.*

–EXtremam complere manum, numerumque tenere
Per Bucolica, qui res egit agit mihi vires;
–Pars reſtat pauxilla, bovem fert Cantianilla,
Danubii villa muliercula ſederat illa
Cui malè curatum pecus ibat quærere paſtum,
Diſcurſuque vago dum circuit omnia pago,
Attigit incautè domui loca proxima ſanctæ,
Atria luſtrando circa muros ſpaciando;
Hac te vicinæ regiones ſede *Quirine*
–Patronum cepere, perenniter excoluêre;
Boemicæ genti, votis illuc venienti
Eſt adeò celebris tua ſignis gloria crebris,
Ut cumulent magnis ibi donis ſacra quotannis.
De ſpecie pecorum munus fert quiſque ſuorum,
Et vivens quicquid ſe poſſediſſe domi ſcit,
Pro numero capitum tutat pecus omne redemptum,
Confidens certè nihil hinc ſe perdere peſte.
Hic lar multarum princeps eſt Eccleſiarum,

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1160.

Plebs *Altavorum* quo concurrit populorum,
Cui clauſtro memorata ſubeſt domus illa ſacrata;
Jus fert Abbatis tibi *Maurici* famulantis,
Margine ripenſi fluvii procul in mare tenſi
Qui rex cunctorum fluviorum Teutonicorum,
Invidiam Rheno curſu conflavit amœno.
Is locus ut fundatus, ab his mox eſt cumulatus,
Qui ſatis impensè ſtatuere decus *Tegrienſe*,
Et *Romæ* primum nacti virtute *Quirinum*
Toti *Bojariæ* ſimul *Altamſque* dedere.
Bucula dum ſacrum propè curſitat improba murum,
Terga petulca fricat, vaga nam latus abſide tricat,
Quæ medio compar cyclo circum tegit altar;
Protinus illa fricata cadit flatu ſpoliata;
Fert murus ſetas, proſtratæ crimina teſtans:
Fama volat facti, currunt cives ſtupefacti,
Crevit ab exemplo tali reverentia templo;
Villula diffamat mirum, provincia clamat,
Abbas *Robertus* tutor regionis honeſtus,
Eventus ſigni dum fertur ab æde *Quirini*
Et complura prius miracula Martyris hujus,
Ingens hoc pecudum cognoverat edita dudum,
Luſit inurbane non utiliter ſibi ſanè
Lucrari multum memorans hujusce bubulcum
Virtutis, ſacris qui defenſor foret acris.
Ediderat verbum vix hoc tamen ore ſuperbum,
Atque reos artus paralyſis agens ferit intus,
Ut ſibi nulla foris ſint uſus jura prioris.
Menſque recognoſcit quid verbis prodiga poſcit,
Obvia quæ ſanctis jam cœlo clarificatis,
Hoc ſe dejecit probro quod in æthera jecit.
Eccleſ. 10. *Eccli.* 27. Sic male jactantes lingua notat Eccleſiaſtes,
Qui lapides ſurſum jaciet, recident ſuper ipſum.
Tandem proſtratus proprios gemit ille reatus,
Ac pro placando ſibi Martyre jam meditando,
Quam retuli pridem languens petit ipſius ædem,
Traſterna vectus qua ſtratus erat ſibi lectus,
Correxit dignè ſupplex deliquia linguæ,
Munere penſavit ſe, fletu crimina lavit,
Vires membrorum recipit per vota ſuorum,
Quas prius amiſit dum linguæ fræna remiſit,
Pro ſacris actis fundens convitia Sanctis.

*M. C. LX.

* *Ex ſcholio pag.* 42. *corrigendum M. LX. niſi numerum M. C. LX. ad ſcriptorem non ad auctorem referas.* CAM.

FRAG.

Digitized by Google

FRAGMENTUM

EX LIBRO CONTRA

FOLMARUM

EDITUM

A

PETRO STEWARTIO

LEODIENSI.

Digitized by Google

LECTORI,

PETRUS STEVARTIUS, &c.

SÆC. XII. ANNO 1165.

Circa tempora Alexandri III. Pontificis Maximi, vixit in Franconia quidam Folmarus, petræ Stillantis, ſeu Trieſſenſteinii Præpoſitus, qui præter cæteros errores, quibus infectus erat, in hunc etiam Elipandi, vel Neſtorii, de perſona & adoptione Chriſti incidit: quem cum in Bavaria diſſeminare tentaret, occurrerunt duo ex Bavaria Monachi non indocti; alter Gerohus, ſeu Gerochus Monaſterii Reichenſpergenſis Præpoſitus; alter ejusdem Monaſterii Decanus, quorum iſte proprium & vaſtum volumen adverſus Folmarum conſcripſit; ille in opere, quod de inveſtigatione Antichriſti indigitavit, Folmarum quoque refellere haud omiſit. Utrunque opus exſtat in Boicis Bibliothecis; utrunque lucem mereretur, niſi dum ſcriptores iſti ab uno extremo, hoc eſt, ab Elipandiſmo ſeu Neſtorianiſmo, quàm longiſſimè recedere cupiunt, propius ad alterum extremum, nempe ad Eutychianiſmum ſeu hodiernam Lutheriſtarum Ubiquitatem acceſſiſſent. Quia in id, quod aſſumptum eſt, ſeu in humanam naturam aſſumptam, perfectiones divinas realiter transfuſas dogmatizant; ita ut id, quod aſſumptum eſt, propter hujusmodi communicationem divinarum perfectionum, ſit verè & per omnia æquale Deo ſeu divinitati. Quæ ſunt germana Ubiquiſtarum deliria.

Ut autem tibi, amice lector, guſtum aliquem præbeam ejus Apologetici, quod contra Folmarum Decanus Reichenſpergenſis conſcripſit; en tibi præfationem Auctoris; & principium Libri.

Digitized by Google

JACOBI BASNAGII DE HOC FRAGMENTO ET EJUS AUTHORE OBSERVATIO.

SÆC. XII. ANNO 1165.

I. ERravit vir doctus in Historiâ litterariâ qui hoc Fragmentum tribuit *Etherio & Beato. Habetur*, inquit ille, *libri alicujus ab Etherio & Beato contra Folmarum conscripti Fragmentum in Auctuario Stevartiano* p. 243. Erroris causam præbuit quod *Stewartius* illud Fragmentum libris *Etherii* conjunxerit. Animadvertere tamen debuit vir eruditus *Folmarum*, etsi aliqua sentiret cum *Elipando*, non vixisse nisi quadringentis & ultra post annis. Florebat scilicet duodecimo Sæculo *Folmarus* sub *Alexandro* Pontifice III. ideoque liber ille non debuit tribui *Etherio*, sed Decano Reicherspergensi, ut monet *Stewartius*. Miror etiam virum eruditum dubitare an *Folmarus* vixerit Sæculo XII. sub Alexandro III. Lites enim habuit cum duobus *Eberhardis*, quorum alter Babergensis, alter Salisburgensis fuit Episcopus; hic autem partes *Alexandri* III. tuebatur, alter vero *Friderici Barbarossæ* adversus *Alexandrum*.

I. *Hoc Fragmentum non est Etherii.*

II. Scripsit autem *Folmarus* non modo de naturis & Personis Christi, sed aliam tuebatur sententiam, qua negabat partes integras corporis Christi manducari in Eucharistia: carnem sine ossibus, Sanguinem sine carne, sub specie vini & panis recipiebat; totum Christum ratione personæ se nihilo minus edere dicebat. Plurimis Episcopis arridebat illa sententia, ut ipse asseruit; sed commoti sunt adversus eum *Gerochus* & *Eberhardus* Bajoariæ Metropolitanus, qui tandem illum ad dejerandam priorem sententiam coëgerunt: an bona fide nescio. Videtur ab eo tempore in Nestorianismum incidisse: Illud enim crimen nondum intentabatur illi cum agitata fuit de Eucharistia controversia mox à nobis indicata. Ipsum ajunt aulas Principum frequentasse, quamquam eas sæpius carperet: Pontificem ipsum in partes suas voluisse trahere: seminandis & propagandis erroribus invigilasse; quæ forsan inimicorum sunt convicia. Habes ejus sententiam de Eucharistia, retractationem pluresque ea de re scriptas Epistolas Bibliothecæ Patrum tomo quarto, parte secunda; ibi etiam reperias Gerochi vel Gerolii Epistolam ad Eboracensem Episcopum circa Eucharistiam.

II. *Folmari sent. de Eucharistia.*

INCI-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1165.

INCIPIT PROLOGUS SUBSEQUENTIS OPERIS.

DIVERSIS diversa de Christi secundum carnem natalibus simul & gloria, qua nunc apud Patrem glorificatur, sentientibus; nonnullis verò ex eis etiam nostra dicta vel sensa super his lacerantibus; insuper verò etiam falsa quædam nobis impingentibus, subsequentis Operis necessitas mihi imposita est. Quod tamen Epistolari compendio terminari potuisse ad horam putavi. Sed, dum vel nostra asserui, vel adversantium calumniatorum dictis & objectionibus obviavi; dum mendaciter nobis imposita depuli, in longum idem opus protelatum est: quod sequestrata Epistola, Apologeticum dici volumus. Eo quod in ipso ea, quæ verè nostra dicta sunt, nævo pravitatis carere monstrantes, etiam falsò nobis imposita depulimus.

Sic autem impulsionem hanc calumniantium accepi, tanquam per eos inter diversas
Matth. 16. 15. de Domino diversorum opiniones, ipsum nobis dicentem audirem; *Vos autem quem me esse dicitis?* Cujus & generationi secundum carnem quoque divinissimæ, simul & gloriæ per meritum Passionis etiam homini in paternæ majestatis consessu acquisitæ, ea devotione simul & cautela testimonium perhibui, ut sperem
Ibidem. 16. me ab illa Petri testificatione, qua dixit; *Tu es Christus filius Dei vivi*; simul & ab aliis Evangelicis & Apostolicis testimoniis hominis assumpti divinitati & gloriæ perhibitis non aberrasse. Quamvis autem liber ipse ad personam unam in longinqua regione positam destinatus sit; omnes tamen, qui non captiosè, sed piè legere nostra curaverint: putent sibi eum destinatum, ad quorum etiam ammonitionem paratus ero corrigere, quæcunque vel rationi contraria, vel à sanctâ scriptura dissona, vel sanctorum Patrum assertionibus adversa, nobis in nostris demonstare potuerint.

Quod si unum quempiam, vel duos ex Patribus citra ea, quæ dicimus, remansisse invenerint, obsecro, ne nimis festini, nostri, nostrorumque dictorum Judices sint. Nam quod unus, vel duo minus fortè uno in loco dixerunt, ab aliis non minoris auctoritatis viris, vel ab iis ipsis alias suppleta, si quærent, invenient. Ad hoc autem sanctorum Patrum dicta pro nobis facientia in eodem opere nostro, vel acervum testimonii, locis opportunis congessimus, ut venientes eò usque adversarii persequentes nos, ultrà progredi non præsumant.

Sed nec illa, quæ nobis contraria putantur, omisimus, ut eadem determinando, cum sanctæ Canonicæ scripturæ sensibus, quoad potuimus, faceremus concordare. Nam ut Patres ea loquuntur, quæ cum sanctæ Canonicæ scripturæ apicibus concordant, ibi non determinatione, sed fide majore opus est, etiamsi ea, quæ dicuntur, humanæ intelligentiæ facultatem excedant. Sed nec una hujus Opusculi nostri pagellâ quis lecta, idem quod in ea, his quæ in scholis fortè audivit, aut quæ sua sibi dictat opinio, contrarium invenerit, in contradictionem, vel sugillationem nostri rapiat; vel codicem, quasi amaricantibus ad insuetum cibum dentibus, detestetur, quin potius lecta cum præcedentibus & subseqentibus conferat; &, ut spero, omnia salva erunt.

**Sententia Adam Decani, de hæresibus.*

* MAgistro P.* venerabili Herbipolensis Ecclesiæ Decano Fr. A. dictus & ipse, divina clementia, Reicherspergensis Cœnobii Decanus; si quid valet, peccatoris oratio.

Sciens

* *Alia, ac recentiore manu, est Epigraphe ista M. SS. apposita.*

Digitized by Google

Sciens veſtræ honeſtatis non latere perſonam, quantas & quales, vicinus veſter, Folmarus de Petra ſtillante dictus, * magiſtro noſtro Richenſpergenſi Præpoſito injurias irrogaverit, in Epiſtola ſua domno noſtro Tavavenſi Archiepiſcopo miſſa; non me temerarium apud vos judicari arbitror, ſi me ſcutum opponere tentavero pro illo, cujus & Germanitate ſecundum carnem frater, & in Domino filius ſum: Sed enim, ut verum fatear, Epiſtola illa maledicta, & maledicenda, ſiquidem maledictis plena, mendaciis reſperſa, felle amaritudinis infuſa: utpote, juxta nomen Auctoris, de *folle amaro*, & amaritudinis miſſa, nondum à magiſtro noſtro perſpecta eſt, hoc me ad vos ſcribere inchoante, * Quia jure inter cætera id bonum (eſt) contentionis hujus, ut cum Epiſtola fortè ad eum, contra quem erat ſcripta, perveniſſet, ſimul quoque & ea, quæ à ſuis eſſent contrà dicta, acciperet; & quem injuriarum fortè acerbitas humanitus contriſtaſſet, injuriarum depulſio, ſimul & mendaciorum exinanitio conſolaretur.

SÆC. XII. ANNO 1165.

* Gerobo ſeu Gerocho.

Non exſtat hæc Epiſtola Folmari. *

Quamvis ne id quidem contriſtare nos debeat, quaſi novi nobis aliquid contingat. Nec enim novum, virtuoſis improbos invidere, nomenque ſibi eos, qui nullius nominis aut meriti ſunt, ex detractione in Eccleſia virorum ſpectabilium comparare; infelices ſe, ac ſine cauſa natos arbitrantes, niſi nomen ſuum quoque, nacti occaſionem, ſparſerint in populum, ne homines viventes, morientesque fallant, ſi apud eos vel falſæ virtutis opinione, cum verè non poſſent, vel ſaltem in malum, cum non poſſent in bonum, memoriam non relinquant. Hæc namque intentio pleroſque ſicarios, latrones, piratas, & aliorum ſcelerum Principes ac Duces effecit; dum quærebant magis & per malefacta, inſuper & mendaciter apud homines celebrari, quàm felicem in ſilentio vitam peregiſſe.

Hinc & noſter Follis amarus non quieſcit, ſcribit & reſcribit: legendas circumfert Epiſtolas liberè increpationis plenas. Principes occultè ſcriptis infamat: quibus tamen in facie adulans, munuſcula eorum libenter, Giezitico more, acceptat. Porrò doctrinæ perverſitate aërem ipſum maculat; natalibus Domini noſtri Jeſu Chriſti derogat: dicens eum, in eo quod homo eſt, ut auribus noſtris audivimus, non aliter eſſe filium Dei, quam unum ex nobis. Reſurrectionis quoque gloria, & honore aſcenſionis glorificatum, negat paternæ æqualitatis gloriam introiſſe, aut introire potuiſſe. Reſiſtentes verò ſibi nos in hac peſtifera doctrinâ, mendaciis commaculat; ſuumque mortuum filium, nobis nocturnâ fraudulentiâ, ſed apertâ coram Principibus & laicis procaciâ, nititur ſupponere: noſtrum verò vivum ſibi vendicare: Sed, judicante Rege Salomone, non proficiet. Archiepiſcopos & Epiſcopos in Epiſtolis ſuis imperitiæ vel negligentiæ arguit, & addicit, ducem ſe non jam cæcorum ſolum, ſed & videntium conſtituens: quaſi ipſe melius de longè, quæ apud eos gerenda ſunt, quàm ipſi ſua de propè cognoſcant. Hæc ſanè impigrè ac temerariè ſatagit; non ut eos iniquitati; ſed, magis noſtræ innocentiæ infenſos efficiat. Suſtineant verò illi, quandiu volunt, ejus inſipientiam, cum ſint ipſi ſapientes. nam * noſter, dulcem patientiam exſuperat; contra quos linguam ſerpentinam exacuit, virus evomit, os vipereum dilatat. non quidem vitam in nobis temporalem, ſed id, quod Deo vivimus, quodque Chriſtiani veri ſumus, & eſſe ac dici cupimus, volens exſtinguere.

Quæ & qualis hæreſis Folmari.

* *Gerochus.*

Sed agat, & ſatagat, quantum volet, quantumque Deo permittente, à ſuo ſeſſore Diabolo concitatur. Nam, Deo nos protegente, quandiu ſupereſt halitus in nobis, non incidemus id, in quod nos præcipitare molitur, contra Deum negationis barathrum, ut cum ipſo in Dominum Jeſum dicamus blaſphemiam, ut negemus hominem aſſumptum in Deum, eſſe Deum, eſſe proprium Dei Patris filium, eſſe id, in quod aſſumptus, & in quod ex Spiritu ſancto, & Maria Virgine natus eſt. Cujus perverſæ in faciem reſiſtentem doctrinæ * Magiſtrum noſtrum draconi in occulto ſibilanti comparat: quaſi ipſe Magiſter noſter ea, quæ de hominis in Deum aſſumpti vera divinitate loquatur, hactenus in occulto, & non in palàm locutus ſit. Quaſi non de verbo hoc contra novos Paulianiſtas, Neſtorianos, Photinianos loquens & ſcribens, aures etiam Romanæ Eccleſiæ impleverit. Non eſt autem erubeſcendum, de Chriſti & hominis aſſumpti in Deum gloria, Evangelium, ſicut Paulus quoque Apoſtolus non erubuit gloriæ beati Dei: haud dubium, quin Domini noſtri Jeſu Chriſti; quemadmodum ait; *Non enim erubeſco Evangelium Chriſti. Oleum enim effuſum nomen ejus:* & jam olim per publicum prædicatum eſt, manifeſteque magnum eſt illud pietatis ſacramentum: *quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt mundo, aſſumptum eſt*

* *Gerochum.*

Rom. 1. 16.

Cant. 1. 3.

1. Tim. 3. 16.

Digitized by Google

SÆC. XII. *eſt in gloria.* Nempe, *omnis lingua jam confitetur, quia Dominus Chriſtus Jeſus in gloria eſt Dei Patris.*

ANNO 1165. Unde prorſus elinguis, ac penitus in Eccleſia Chriſti non audiendus, quiſquis paternæ gloriæ confeſſum homini à Verbo aſſumpto abrogaverit. Etenim in omnium
Phil. 2. 11. linguarum eum jam in gloria Patris eſſe confitentium numero computandus intelligitur. Sibilare nos more draconum dicit, cum potius ejus, qui ita fari geſtit, ſibilus antiqui ſerpentis ſit. qui cum in cælo filii Dei locum, id eſt, altiſſimi ſimilitudinem appetens, id ipſumque homini ſuadens, ab intentionis ſuæ curſu ceciderit; nunc aliâ viâ tortuoſus ac lubricus incedens, filioque prælationem gloriæ invidens, eum à Patris confeſſu, ad hominum communem uſque ſimilitudinem molitur deducere: ut in fide hominum non aliter in humana natura filius Dei ſit credendus, quàm unus quiſpiam magnorum Angelorum, vel hominum; quantulam tamen ſanctis hominibus & angelis potiorem gloriæ menſuram obtinens, ad ipſam verò im-
Haſtenus Epiſtola. menſam divinitatis gloriam non pertingat.

Principium libri. Miranda nimis ac deteſtanda veternoſi ſerpentis aſtutia: qui ut olim congruum ſuæ nequitiæ invenit organum; ita nunc ſibi delegit Folmarum, *follem amarum*, per quem id hominibus ſuadeat, quod in Chriſtum Jeſum, tanquam in Deum credendum non ſit: quod homo ille in Deum aſſumptus, Dei Patris naturalis & proprius filius non ſit: quodque in plenitudinem paternæ gloriæ obedientiâ mortis conſummatâ, non tranſierit: ac proinde nec latria ei, quæ ſoli Deo debetur, ſed potius dulia ſit exhibenda. Ecce igitur plus quam Neſtorius hic. Ille enim hominem coadorandum Verbo docuit: quemadmodum ait; *ſeparo naturas; unio adorationem.* Item; *Inconfuſam igitur naturarum cuſtodimus conjunctionem. Confitemur in homine Deum; veneramur divinæ conjunctionis omnipotenti Deo coadorandum hominem.* Iſte verò, ne coadorandum quidem cenſet. Tanto igitur iſte præ Neſtorio damnatione dignior eſt: quanto ab adoratione Verbi, carnem Verbi longius excludit.

Item; Neſtorius *B. Mariam*, Dei genitricem dici vetuit; docens, eam non Deum, ſed tantum hominem Deo conjunctum genuiſſe. Iſte, & amplius in errore peſſimo procedit; dum & Deum Patrem eſſe aſſumpti à Verbo hominis negare præſumit; afferens pro argumento illud Philoſophicum, quo dicitur; *ex inſenſibili, nil ſenſile naſci.* Hoc enim argumentum, ſi ex naturalibus in Theologiam admittitur: exinanita eſt fides, qua Eccleſia hactenus indubitanter confeſſa eſt Virginis filium, Dei quoque filium exiſtere. quia ſicut totus Deus, totusque homo eſt; ita utriusque parentis totus eſt filius confitendus. Sed ne in naturalibus quidem penitus conſtare videtur argumentum, quo ex inſenſibili nil dicitur ſenſile naſci; &, è converſo: cùm videamus ex vita grani, quæ ſenſibus non percipitur, herbam & ſpicam, ſimul & alia in ſpicâ grana naſci. Pone enim grana frumenti alia ad ſolem, aut in furno deſiccata; quorum alia, ea videlicet, quæ ad ſolem ſiccata ſunt, ſeminibus adhuc apta erunt; alia verò minimè; eo quod vitalis in eis vigor exſtinctus ſit: ſenſu ta-
De inſenſili & ſenſili. men in his, vel illis vigorem vel exſtinctionem ejusmodi in nullo percipiente. Si verò dicitur inſenſibile id, quod ſenſu non percipit, nihilque ex eo ſentiens naſci; id eſſe falſum, quam plurimis argumentis edocetur. Cùm videamus è terrâ vermes, & animantia quàm plurima naſci; ſicut è fimo etiam equino bruchorum quædam ſpecies procreatur.

Verùm, nos ſicut ad fidem, quæ in Deum nobis eſt, naturalium non ducimur argumentis: ita, ubi eadem deficiunt, fidem infirmare non poſſunt. *Aufer argumen-*
Hebr. 11. 1. *ta*, ait quidam ſapiens, *ubi fides quæritur.* Et Apoſtolus; *Fides*, inquit, *eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Et B. Papa Gregorius; *Fides*, ait, *non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Igitur in his, quæ ſecundum Deum credenda ſunt, quantò ratio deficit, tanto meritum fidei perficere perdocemur. Neque verò pater noſter Abraham ideo infirmatus eſt in fide; quia videbat proprium corpus emortuum, & emortuam vulvam Saræ; cujus ſi verè filii ſumus, exempla imitari debemus.

De adulteriis naturæ. Videmus autem & in naturalibus quædam fieri naturæ adulteria, ſuper quibus etiam illud legis præceptum eſt; ne coire faciat Judæus jumenta ſua cum alterius generis animalibus, ex quo videlicet coitu, animalia, quæ naſcuntur, neutrius parentis ſpeciem plenè retinent; ſed biforme quiddam, & monſtruoſum, miſtumque, ut ait Poëta, genus eſt. Super qualibus & nos quidam indiſciplinatè arguere auſus eſt; quia Chriſtum ex Deo & Virgine *Maria* natum, biforme velimus genus facere.

Sed

Digitized by Google

Sed abſit à nobis horriſonum illud dictu vel cogitatu, unquam vel mente concipere, ut ſupernaturalia Dei, adulteriis naturæ aſſimilemus: vel Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, biforme quiddam, quod nec Deus plenè, nec homo ſit, arbitremur. Etenim ſupernaturalia Dei naturalia humanæ naturæ ad imaginem ſuam facta, nec corrumpunt, nec excludunt: quin potius ſua unione ſuper ſemetipſa in divina mirabiliter attollunt, in propria quidem natura & ipſa manentia, & humana conſervare potentia. Quod enim ſupernaturale eſt, in omnia naturalia omnifariam potens eſt, ſuæ tamen ſublimitatis & excellentiæ jure in omnibus conſervato; nec ad indigna ſe penitus inclinans. Unde & Deus, more noſtro, videre & audire in ſcripturis ſanctis dicitur: cùm tamen, more noſtro, nec aurem ipſe, nec oculum habeat.

SÆC. XII. ANNO 1165.

Supernaturalia in omnia naturalia potentia eſſe.

Unde & David dicere nec voluit, nec debuit: qui plantavit aurem, nonne & ipſe aurem habet: &, qui finxit oculum, nonne & ipſe oculum habet; ſed; *Qui plantavit aurem*, ait, non *audiet?* aut, *qui finxit oculum, non conſiderat?* Sicut ergò audit & videt: ita quoque ſuæ divinitatis modo tangit, quæ ſuo attactu digna judicaverit, ſuæ, inquam, ſublimitatis modo, videt Deus, audit, atque tangit & operatur, in nullo corporei membri utens, vel indigens inſtrumento. Quomodo enim aure vel oculo, aut manu ad audiendum, videndum & tangendum vel operandum indigeat, qui totus ſibi auris, oculus & manus eſt? Videt autem, audit atque tangit Deus, non noſtræ paſſibilitatis modo, ſed ſuæ impaſſibilitatis & æternitatis virtute. Videt atque audit omnia, non quo viſus ejus in rem oppoſitam agat, vel auditus ſonos offendentes & advolantes excipiat; ſed, quod eum nihil noſtrorum motuum, vel cogitationum, ne dicam dictorum, lateat: nihilque eorum, quæ fecit, aut quæ voluit ſibi ejus contuitum atque ſcientiam celare valeat. *Omnia enim nuda & aperta ſunt oculis ejus.* Videt omnes & omnia, quæ fiunt, ſive in cælo, ſive in terra, diverſo tamen, quod in effectis patet, contuitu; quosdam videlicet per gratiam, quosdam verò per iram. Unde ſcriptum eſt; *Oculi Domini ſuper juſtos; & aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.*

Pſal. 93. 9.

Hebr. 4. 13.

Pſalm. 33. 16. 17.

Similiter autem & operatur Deus, manu propria ad agendum nec utens, nec indigens: quippe cujus velle, feciſſe eſt. Amat quoque & zelat Deus, non quod noſtræ infirmitatis modo paſſibiliter, ſed ſuæ virtutis privilegio impaſſibiliter: Qui ſicut totus oculus, ita & totus amor eſt. Tangit quoque animas ſuo attactu dignas, quas videlicet ſuo attactu ipſe dignas effecerit. Ejus verò tetigiſſe, eſt, præſentiæ ſuæ, & ingreſſus in animas ſanctas ſenſibile ejus ſignum dare: imò & miro atque ineffabili modo, eas, cum voluerit, nunc intellectu, nunc & in affectu, interdum quoque in ſenſu, mira quâdam, & huic ſeculo penitus ignota ſuavitate afficere. Quippe qui totus ipſe ſuavis & vera atque ſumma ſuavitas eſt. Quasdam verò in æmulationem, atque zelum contra vitia & vitioſos, ſpiritus ſui igneo quodam afflatu ſuſcitare. Sic autem hoc agit, ut vigilantes, ſeu dormientes interdum ſigna quædam divinæ viſitationis in ſemetipſis recognoſcant: ſanctis ſolummodò, quos Deus novit, experta & uſitata maximè; tunc, cum eos in opus aliquod ſpiritale ſuſcitare voluerit. Quarum, nimirum Deum diligentium ac dilectarum Deo animarum pro experimento divini attactus, in amoris Cantico hæc vox eſt: *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum ejus.*

De viſu, auditu, aliisque ſenſibus Dei.

Experientia & fructus divini attactus.

Cant. 5. 4.

De fructu quoque ſpiritalis operationis ejusmodi tactum ſubſecuto, ſubſequenter ſubjecit dicens; ſurrexi ut aperirem dilecto meo. Nequaquam enim ſuſcitatæ & fœcundatæ animæ miniſterium ſuum Deo negare poterunt; quin ſurgant, & oris peſſulo diſcluſo, Verbum Dei tractando, ipſum in corda audientium vel legentium introducant. Et talis quidem animarum fœcundatio ex dilectione eſt.

Aliæ verò & ex timore concipiuntur: quarum vox eſt: *Domine à timore tuo concepimus, & peperimus, ſpiritum ſalutis fecimus ſuper terram:* in omnibus tamen nihil indignum ſe, divinitas agit cum hominibus, vel angelis, habitans in eis, & in eis, ac per eos agens, quæ vel ipſorum, vel aliorum ſaluti conducunt. Imò verò, valdè decet Deum iſta dignatio; ut ei de ſalute noſtra, & de laude ſua per nos amplianda, cura ſit. Nos quippe ſumus illa Sion, de quâ ſcriptum eſt; *Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Hieruſalem.* Neque verò innaturale eſt Deo habitare cum hominibus: quippe quos ad imaginem ſuam contemplandam condidit: ſicut oculus noſter ſolus, præ omnibus membris, ad ſolis lumen creatus eſt. Unde & univerſam Eccleſiam, ſimul & ſingularem quamlibet ſibi dilectam, ſeque diligentem animam, ſponſam vocare dignatus eſt: ſeque ab ea ſponſum vocari non dedignatur.

Alios à timore, alios ex amore divino concipere.

Pſal. 64. 1.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1165.

Quin & inter hanc ſponſam, & ſe, per ſpiritum ſuum decantari, & ſcribi procuravit Epithalamium, carmen videlicet nuptiale; Unde totus ille tertius libellus Salomonis contextus eſt. Super cujus amoris experientiâ Paulus quoque Apoſtolus dicere non dubitavit: *Pax Dei, quæ exſuperat omnem ſenſum.* Item; *Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum.* Item; *Corpus non fornicationi, ſed Domino, & Dominus corpori.* Et illud; *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur, qui autem adhæret Domino, unus ſpiritus eſt.*

Philip. 4. 7. 1. *Cor.* 13. 12. 1. *Cor.* 6. 13. *Ibid.* 16. 17.

Naturale Deo ſaſturam ſuam diligere.

Et hoc dicimus, ut nec inconſuetum, nec innaturalem inter Deum & rationalem creaturam demonſtremus amorem. Nihil enim ferè magis naturale Deo, factori omnium, quam diligere facturam ſuam: præcipuè tamen eam, quam ad ſui imaginem, & ſimilitudinem condidit: quam ad ſe cognoſcendum & diligendum creavit. Sicut item rationali creaturæ valdè naturale eſt, factorem ſuum, verſa vice diligere. Nam, ſi qui rationales ſpiritus Deum factorem ſuum non vident, nec diligunt, ex vitio id potius naturæ, quàm ex eorum natura eſt. Igitur omnes Angelici ſpiritus & homines, qui tamen ad annos diſcretionis venerunt, ex propriæ conditionis natura, Deum noſſe ac diligere poſſunt, qui tamen in eo ipſo, quòd naturaliter apti ſunt, non proficiunt, niſi divinitùs adjuti. Quod verò non omnes adjuvantur, non ex defectu potentiæ, vel bonitatis divinæ eſt; *ſed ex vitio ipſorum*, ejus adjutorium non quærentium. quamvis ne ipſum quidem, ſine ipſo quærere utiliter valeamus, ut totum bonum noſtrum potius gratiæ ipſius, quàm meritis noſtris imputetur: & ei ſoli ſit gloria, cujus & gratia eſt, &c.

OFFI

Digitized by Google

OFFICIUM

DE

SANCTO CAROLO.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1166.

CANISIUS

Ad Lectorem.

MISIT ad nos R. P. Iodocus Mezlerus de S. Carolo exſcriptum ex vetuſto quodam Rituali libro: illud Compendio Canonum attexere placet; vel ea de cauſſa, quod Carolo Magno oblatum ſit dicatumque à Pontifice Adriano. Notum eſt autem multis in locis Carolum Magnum tanquam ſanctum anniverſaria memoria coli; de quo hæc Illuſtriſ. Card. Baronius Tom. 9. Anno Chriſti 814. Egregiarum ipſius virtutum merito Eccleſia Gallicana ejusdem Natalem celebrat, habentque inter Sanctos recenſitum Aquisgranenſis Eccleſiæ tabulæ. Sub Friderico Imperatore poſt annos centum ſexaginta ſex, Paſchalis, Papa dictus, in numerum Sanctorum adſcripſit. Cujus rei geſtæ aſſervari diploma in Aquisgranenſi Eccleſia tradunt. Verum quod Paſchalis ille haud legitimus Pontifex fuit, ſed Schiſmaticus, ejusmodi canonizatio haud recepta eſt ab Eccleſia Romana; ob quam cauſſam nec nomen ejus illatum eſt in Eccleſiæ Romanæ Martyrologium. Verum, quod non reperiantur legitimi Pontifices illud diploma aboleviſſe, aut impugnaſſe, aut prohibuiſſe, res ſic tacita permiſſione ſive tolerantia perſeverat: ut ſcilicet in propria Eccleſia, ubi ſepultus fuit in Galliis coleretur: Ita quidem Canonum præcipui Interpretes declararunt. Oſtienſ. & Joan. And. in ca. 1. de Reliq. & veneratione Sanct. Cæterum propagatus poſtea noſcitur ejus cultus in alias Eccleſias Belgii atque Germaniæ, in quibus idem Carolus ſanctitatis titulo celebratur ac colitur: quibus favent ſcripta plurium Francorum Hiſtoricorum. *Hæc Baron. In Martyrologio Germanico Petri Caniſii ponitur Carolus Magnus* 28. *Januarii, ut & à Molano in additionibus ad Uſuardum: & in* Indiculo *Sanctorum Belgii.*

J A-

Digitized by Google

JACOBI BASNAGII DE HOC OFFICIO OBSERVATIO.

Sæc. XII. Anno 1166.

QUo tempore confectum sit illud *Officium Caroli Magni* vix dici potest. A *Paschale*, *Alexandrii* III. Antipapâ, Canonizatum ferunt *Carolum*; sed forsan de diplomatis, quod servare se profitentur Aquisgranenses, veritate dubitabunt plurimi. Mirandum magis *Baronium* suffragari testimonio *Paschalis*. Quî enim fieri potest ut qui Schisma fovebat, Altare contra Altare erexerat, Friderici partibus devotissimus motuum & bellorum causa fuit, tantam habuerit in cœlo vel Ecclesia Potestatem, ut eo declarante, *Carolus Magnus* inter cœlites sit adscriptus? An subsequentium Pontificum ea de re silentium diploma, nulla fultum autoritate, roborat? An judicium, etiamsi a Schismatico emanaverit, ea ratione sit legitimum, quod ab aliis revocatum non fuerit, viderint alii. Quidquid sit, cum a temporibus Paschalis Carolus recensetur inter Sanctos, secundum *Baronium*; Paschalis vero sedem non arripuerit nisi anno 1164. ut fert Chronicum incerti authoris non editum, sedemque tenuerit per quinquennium, illud Officium an. 1166. assignari posse credidimus, donec aliunde major lux affulgeat. Illum autem annum præ cæteris indicavimus, quia, ut ferunt Steronis Annales, hoc anno *facta est Translatio Sancti Caroli imperatoris feria IV. post nativitatem Domini.*

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1166.

OFFICIUM DE SANCTO CAROLO.

IN virtute tua Domine, vſ. Magna eſt gloria. *Oratio.* Deus qui ſuperanbundati fœcunditate bonitatis tuæ Beatum Carolum Magnum Imperatorem & Confeſſorem tuum depoſito carnis velamine beatæ immortalitatis trabea ſublimaſti: Concede nobis ſupplicibus tuis: ut quem ad laudem nominis tui honore Imperii exaltaſti in terris: pium ac propitium interceſſorem habere mereamur in cælis. *Lectio libri Sapientiæ.* Beatus vir qui in ſapientia morabitur. *Gradu.* Domine prævenisti. vſ. Vita petiit. *Alleluia.* Domine in virtute. Si infra. *LXX pone. Sequent.* ℟. Beatus vir qui timet Dominum. vſ. Potens in terra. vſ. Gloria & divitiæ. *Sequentia.* Urbs * Thuregum urbs famoſa, quam decorant glorioſa Sanctorum ſuffragia. Regi Regum pange laudes, quæ de magni Regis gaudes, Caroli memoria. Iſte cætus pſallat lætus, pſallat Chorus hic ſonorus vocali concordia. At dum manus operatur bonum, quod cor meditatur dulcis & pſalmodia. Hac in die, die feſta magni Regis magna geſta recolat Eccleſia, Reges terræ & populi ſimul plaudant ac ſinguli celebri lætitia. Hic eſt Chriſti miles fortis, hic invictæ dux cohortis decem ſternit millia: terram purgat à lolio, atque metet cum gladio ex meſſe zizania. Hic eſt magnus Imperator boni fructus bonus ſator & prudens Agricola. Infideles hic convertit, fana, Deos, hic evertit, & confringit idola. Hic ſuperbos domat Reges, hic regnare ſacras leges facit cum juſtitia. Quam tuetur eo fine ut & juſtus ſed nec ſine ſit miſericordia. Oleo lætitiæ unctus dono gratiæ cæteris præ Regibus. Cum corona gloriæ majeſtatis Regiæ, inſignitur faſcibus. O Rex mundi triumphator, Jeſu Chriſti conregnator, ſis pro nobis exorator, ſancte pater Carole, emundati à peccatis ut in regno claritatis nos plebs tua cum beatis cæli ſimus incolæ. Stella maris ô Maria, mundi ſalus, vitæ via, vacillantum rege greſſus, & ad Regem des acceſſus in perenni gloria. Chriſti ſplendor Dei Patris incorruptæ fili matris, per hunc ſanctum cujus feſta celebramus, nobis præſta ſempiterna gaudia.

* Zurich in Helvetia.

Evangelium ſecundum Lucam. In illo tempore, dixit Jeſus diſcipulis: Nemo lucernam accendit, & in abſcondito ponit, &c. *Credo in unum*, non canitur ni ſit Dominica. *Offerto.* Poſuiſti Domine in capite. *Secreta.* Hoſtias tibi Domine, quas pro Sancti Caroli Magni Imperatoris & Confeſſoris tui commemoratione deferimus * tui ſuppliciter exorantes, ut peccatorum indulgentiam nobisque pariter mentis, & corporis conferant ſalutem. *Commun.* Magna eſt gloria. *Complet.* Sanctificet nos quæſumus omnipotens DEUS ſacri corporis tui veneranda perceptio, ut intercedente Beato Carolo Magno Imperatore, & Confeſſore tuo, per hæc myſteria noſtræ ſalutis & fidei in prætenti peccatorum veniam, & in futuro vitam conſequi mereamur æternam. Per Dominum, &c.

FINIS.

BRE-

Digitized by Google

BREVIS RELATIO
DE
ORIGINE,
FUNDATIONE, ET PROGRESSU
MONASTERII WINDBERGENSIS
IN BAVARIA
ORDINIS PRÆMONSTRATENSIUM.

A Caniſio primùm publicata.

Ex ejusdem Monaſterii Manuſcripto Codice.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1167.

JACOBI BASNAGII DE HOC SCRIPTO OBSERVATIO.

INnoteſcit facile author hujus deſcriptionis. Fuit origine Saxo. Fratrem habuit ſibi cognominem, quem a teneris annis rapuerant Hunni; eo tamen reperto Monaſterii Windbergenſis in Bajoaria, fundamenta ſimul jecerunt. Mirum quot Reliquiæ ab ipſis tranſlatæ dicuntur. Superat fidem narratio; quî enim breviſſimo tempore a longinquis regionibus tot colligi & in deſertas Regiones transvehi potuerint? Nullum forſan argumentum aptius ad infirmandam fidem quam habent plurimi de veritate Reliquiarum, quàm ingens ille Reliquiarum numerus tam brevi annorum ſpatio conſarcinatus. Quidquid ſit, author hujus Narrationis Windbergenſi Monaſterio nomen ſuum dediſſe teſtatur; fuit enim ipſi nomen *Wint*. Ætas nullo modo incerta, quippe qui anno 1167. aut circiter ſcripſiſſe ſatis innuat. Conveniunt quæ refert de *Willelmo* milite, qui ſub *Victore* ſecundo an. 1054. vixerit & ad Henrici quarti Imperatoris tempora pervenerit. Alia memorat de *Engilmaro*, quem Martyrem facit ſub *Urbano* ſecundo an. 1095. ita ut non niſi ſæculo duodecimo jam adulto vivere potuerit. Exordium ſumit a viſione aquilæ, quæ cum in ſomniis ipſi appareret, *terram concuſſit ex impetu ſui volatus*. Cætera non melioris notæ adjecit.

RELA-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1167.

RELATIO DE ORIGINE MONASTERII WINDBERGENSIS.

Qualiter locus Windbergenſis primo inſtitutus ſit.

NOTUM ſit omnibus fidelibus tam futuris quam præſentibus, qualiter ego Wintth nomine, Eccleſiam conſtruxi in loco, qui nomen trahit à me ipſo. Adveni enim de Saxonia, in prædictum locum, primus incola illius loci, & ab hoc, ut prædixi, nomen à me traxit, ſcil. Windberg. Dormivi namque in ſupra dicto loco, & in ſomno vidi aquilam volantem, & ex impetu ſui volatus concuſſa eſt terra. Et pervenit usque ad me, & tetigit me pennis ſuis, dicens ad me: ſurge & vade contra flumen magnum, & obvios habebis viatores, & inter illos ſciſcitaberis quis vocetur Wintth. Hic habet nomen tuum, & coopérator tuus erit. Feci ut juſſit, & opere completa eſt viſio. Primum igitur interrogavi eum, qua patria, qua terra, vel, qua gente adveniſſet. Et reſpondit dicens, ſe veniſſe de Saxonia cum exercitu Ludovici Regis, adjungens quod deduxiſſent eum Hunni. Et progrediens interrogando, dixi, quæ eſt mater tua in illis partibus, vel quis frater tuus. Et reſpondit, Mater mea vocabatur Sophia. Et corruens in collum ejus, amplexatus ſum eum præ gaudio lachrymans, quia ſcivi eum ex vera narratione matris meæ, meum eſſe fratrem; Quia ergo poſt illum natus ſum, traxi idem nomen, quia vi ablatus erat, ex dilectione qua dilexerat eum noſtra mater. Aperui ergo ei in multis ſermocinationibus, quos ad invicem confabulati ſumus, cor meum, de conſtructione Eccleſiæ, narrans ei ſomnium quod vidi. Et ut multa & magna paucis concludam, conſtruximus Eccleſiam in honore Domini noſtri Jeſu Chriſti, & perpetuæ virginis Mariæ, & omnium ſanctorum, & per nos peccatores allatæ ſunt huc reliquiæ ſanctorum ſubſcriptorum, & in altari per nos concluſis lapidibus, abſconditæ & collocatæ, aſtante Azelino Presbytero. *Windbergenſe Monaſterium quando inſtitutum.*

De inconſutili tunica Domini. De crinibus ſanctæ Mariæ. De quinque panibus: qui ſupererant quinque milibus. De ſanguine Domini. De lancea quæ aperuit latus Domini. De Dalmatica ſancti Stephani Protomartyris. De ſtola ſancti Joannis Apoſtoli. De Coſta ſancti Bartholomæi Apoſtoli. De hydria in qua baptizavit ſanctus Laurentius ſanctum Romanum. De thuribulo quod tenuit Zacharias quando loquebatur ei Angelus. De Joanne, Agnetis virginis, Emmerentianæ virginis, Valerii Epiſcopi, Tyrſi Martyris, Albani Martyris, Balbinæ virginis, Caſtuli Martyris, Priſci Martyris, Ruodberti Epiſcopi, Nicetii Epiſcopi, Ambroſii Epiſcopi, Antonini Martyris: Eufemiæ virginis, Vincentii Martyris, Gaii Papæ, Anaſtaſii Papæ. De cruce ſancti Petri Apoſtoli, Georgii Martyris, Juvenalis Martyris. De dextro brachio ſancti Simeonis, in quo Dominum tenuit, cum delatus eſt ad templum. Helenæ Reginæ; Bachumii Monachi, Urbani Papæ, Felicis Papæ, Petronellæ virginis, Nicomedis Martyris, Zotici Martyris, Benigni Martyris, Feliculæ virginis, Viti Martyris, Albini Epiſcopi, Leonis Papæ, Chriſtophori Martyris, Pantaleemonis Martyris, Sennes Martyris, Tertullini Martyris, Acontii Martyris, Simplici Martyris, Juſtini Epiſcopi, Caſſiani Epiſcopi, Laurentii Martyris, Agapiti Martyris, Arnolfi Epiſcopi, Rufi Martyris: Auguſtini Epiſcopi, Marcelli Martyris, Firmini Martyris, Remigii Epiſcopi, Capraſii Martyris, Galli Abbatis, Kalixti Papæ, Severi confeſſoris, Sylviani Epiſcopi, Amandi Confeſſoris, Simonis Apoſtoli, Victorini Martyris, Theodori

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1167.

dori Martyris, Euſtachii Martyris, Cæciliæ Virginis, Rufi Martyris, Chriſanti Martyris, Valeriani Martyris, Ignatii Martyris, Nemeſii Martyris, Trophimi Epiſcopi, Emmerammi Martyris, Lini Papæ, Petri Epiſcopi, Evariſti Papæ, XI Millium virginum, reliquiæ ſanctorum Innocentum, Narciſſi Epiſcopi, & aliorum reliquiæ ſanctorum nongentorum, & inſuper reliquiæ ſanctorum quinque milium & trecentorum.

Hæc eſt honorabilis & amabilis antiquitas Wintthbergenſis Eccleſiæ, quam nos poſſumus in eadem ſignificatione, Venetidunenſem, à Venetiduno, hoc eſt, à Sclavi monte, ſi placet, apellare. Nam poſteriori tempore ſupervenerunt reliquiæ Vodalrici confeſſoris, & Venzeslai ducis ac Martyris, itemque Apoſtolorum Petri & Pauli, quas in pendenti crucicula credimus contineri.

De beato Willihelmo.

Willelmus miles.

HUic autem loco tantis ſanctorum pignoribus gratificato non minimum gratificationis addidit emeritus & veteranus Chriſti miles Willihelmus, qui poſtquam flagrans ſancto deſiderio plurimas peragraverat regiones, Salvatoris & Apoſtolorum ejus, aliorumque ſanctorum veſtigiis ac ſepulturis illuſtres, iſtic & vivus reſpirare voluit à periculis fluminum, à periculis latronum, à periculis paganorum, ac fluctuum marinorum, & defunctus ac ſepultus expectare plenam retributionem laborum ſuorum in reſurrectione juſtorum; Laboraverat enim non ſolum in ſupra dictis periculis, ſed etiam in vigiliis & jejuniis multis, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, inſuper & ferreorum circulorum coartatione, à qua tamen oportuno loco & tempore divina ſolutus eſt miſeratione. Unde non mirum ſi pro certiori futurorum bonorum expectatione ſpiritum meruit Prophetiæ, per quem cum multa prædixerit ut nobis beatæ recordationis altrix ejus Comitiſſa Luitkardis, retulit, iſta duo memoriæ noſtræ cohærent, videlicet immaniſſima clades Saxonici prælii, ſecus Unſtruth fluvium nimia crudelitate patrati per tyrannidem quarti Henrici; diesque reſolutionis ipſius corpuſculi. Hunc apte notatum repperimus, in feſto Victoris Papæ & Martyris, ſcilicet in XII. Kalend. Maii, ut per hoc etiam deſignaretur victorioſus ad Chriſtum ejus tranſitus. Hertwicus honoratæ memoriæ Ratiſponenſis Epiſcopus Capellam dedicavit, quam ſuper eum Comes Adelbertus in ſomnis admonitus, pro medicamento gravis infirmitatis ædificavit. Referre ſolitus erat idem beatus Willihelmus de quodam miniſtro & conviatore, ſuo nomine Iwano, quod mox ut obiſſet, thureis odoribus per divinam gratiam commendatus fuiſſet.

De beato Engelmaro.

Engelmarus caſus à ſocio.

PRÆTEREA ſuggerente venerabili Rudberto Presbytero, & annuente præfato Comite Adelberto, ceſſit in dominium hujus loci ſylveſtris cella ſancti Engelmari, de quo nos plura ſcribendi futuris ſcriptoribus occaſionem dare cupientes, diligentis inquiſitionis initia ponimus. Denique reperimus eum natione fuiſſe Bajoarium, genere & opere Georgium, hoc eſt, terræ colonum, ſed abdicatis terrenis deſideriis propriisque facultatibus pro amore Chriſti derelictis, eremiticæ vitæ diſciplinam cœpiſſe ſub eruditione ſancti Gregorii Armeniorum quondam, ut ferunt, Archiepiſcopi, ſed tunc uberiori ſpe cæleſtis præmii voluntariam paupertatem cum peregrinatione circa Pataviam ſectati. Quo defuncto, ſecundum quod ipſe prædixerat, Nona Calendarum Octobris, circa meridiem, hora qua illa famoſiſſima ſolis Eclipſis accidit, quam non ſolum maxima mortalitas, ſed & Hieruſolimitana ſequebatur expeditio, auctore Papa Urbano ſecundo, contulit ſe beatus Engelmarus in ſolitudinem requietionis ſuæ, factaque inibi manſione, cœpit laboribus manuum ſuarum juxta Pſalmiſtam & Apoſtolum vivere, & nihilominus vigiliis ac jejuniis & orationibus conditoris ſui gratiam ſpiritu fervens quærere. Cumque pro bonitate & religione ſua valde acceptus eſſet omnibus, qui in circuitu ejus erant, ſocius ſuus novus Cain appellandus, invidia ductus potioris ei divinitus collatæ gratiæ, ſeque dolens inæqualem apparere, remotis arbitris non exhorruit in illum manus extendere, percuſſumque nive & ruderibus operire. Fertur enim poſt octavam Epiphaniæ proxima die facinus hoc perpetraſſe & usque ad Pentecoſten variis ſimulationibus & diſſimulationibus occultaſſe. Ultra vero ſolemnitatem ſancti Spiritus non debuit tanti ſceleris reus latere, quoniam ipſius etiam eſt mundum de peccato arguere. Igitur novi Abel ſanguine ad Dominum clamante, vagus & profugus factus eſt recens Cain ille, qui

Pſal. 127. 1. Cor. 4.

Digitized by Google

qui ſingularem eremi poteſtatem, cum æquipollentia favoris humani poſt mortem beati Engelmari ſperaverat obtinere, exemplo Judæorum, quæ propter obtinendum locum occiderunt Chriſtum, ſed propter occiſum Chriſtum perdiderunt locum, & diſperſi ſunt in omnem ventum. SÆC. XII. ANNO 1167.

Veniens autem quidam vulgaris Sacerdos, inventum corpus vulgariter ſepelivit, videlicet non ſecundum ſublimitatem ſanctitatis, ſed ſecundum humilitatem paupertatis. Hujus enim diligentiæ pietas & merces ſervabatur ſupradicto Rudberto, olim duntaxat populari Presbytero, nunc autem & arctioris converſationis æmulo, uti ſcilicet digno dignum monumentum præparet, in quo tunc ſacra oſſa ejus tranſponerentur, cum etiam Eccleſia lapidea ejusdem Ruberti patratu ſuper eum conſtructa dedicaretur, anno videlicet Incarnationis Dominicæ, milleſimo centeſimo primo, Romanorum præſulatum & regnum concorditer gubernantibus Innocentio ſecundo, & Lothario tertio. A prima tamen ſepultura divino inſtinctu tanquam lex obtinuit, ut ſingulis annis in media pentecoſtes hebdomada populus ibi confluat, & cælitus deſignati Martyris patrocinia devotus requirat. Nam ſicut fideles in verbis ſuis adhuc ſuperſtites viri pronuntiant, cum ille locus aliquando nullum habitatorem haberet, & vilis ædicula ſepulchrum venerabilis Eremitæ protegeret, ipſique forte noctu præterirent, proſpexerunt ibi numeroſa luminaria divinitus accenſa mirabili claritate radiantia, ſeque non ſolum ad introſpiciendum, ſed etiam ad introëundum provocantia. Inſuper odorati ſunt & ſuaviſſima aromata, absque ſpecie aromatica. Præterea plures infirmi & afflicti medelas & ereptiones ibidem perhibentur experti, ſed quia nobis ignoti ſunt, notos expectamus de quibus ſcribamus; futuris namque temporibus majorem Dei gloriam ſperamus illic apparituram.

Defuncto itaque Rudberto venerabili loci hujus præpoſito primo, Succeſſit Eberhardus quidam Friſingenſis de Sceftlar, qui vixit uno anno. Quo propter intemperiem morum ſuorum amoto, ſucceſſit Gebehardus Colonienſis de Beiſebur, qui præcipiente Papa Eugenio, à venerabili Henrico Ratiſponenſis Eccleſiæ Epiſcopo ſecundum ſtatuta ordinis Præmonſtratenſis conſecratus eſt in Abbatem. Hujus ſtudio ac labore deſerta antiqua parochiali Eccleſia, Monaſterium novum eſt perfectum, atque glorioſiſſimè dedicatum, ſicut ſcripta ſequentia plenius teſtantur.

Anno milleſimo centeſimo quadrageſimo ſecundo ab incarnatione Dominica, gubernante Monarchiam Rege Conrado, præſidente diœceſanæ noſtræ Eccleſiæ venerabili Henrico Epiſcopo: anno primo ingreſſionis venerandi Patris & proviſoris hujus loci Gebhardi, in diſciplina & religione per omnia ſtudioſiſſimi, fundamento templi noviter poſito, muroque ſanctuarii tantum initiato, conſecrata ſunt tria altaria in capitibus hujus Eccleſiæ, altare ſancti Petri & Pauli ad Meridiem, & altare ſancti Joannis Evangeliſtæ, & ſancti Andreæ ad Septentrionem, in duodecima Junii calenda. In ſecunda die, id eſt, undecima Junii calenda, ſummum altare in honore ſanctæ & individuæ Trinitatis, beatæ Mariæ, & ſancti Auguſtini, & ſanctorum plurimorum, quorum nomina ſunt ſubſcripta. Conſecravit autem ea altaria Dominus Stilco Olmucienſis Epiſcopus, de provincia quæ eſt Moravia, vir magni nominis & meriti, tam ſpiritualibus quam laicis acceptus & gratus perſonis, amator religionis, quantum ad profeſſionem noſtri ordinis ſcil. Præmonſtratenſis, præſente fundatore loci nobili Comite Adelberto cum uxore ſua nomine Hedewic, & duobus filiis ſuis Hertwico & Perhtoldo, qui quæcunque prius donaverat ſuper altare ſanctæ Mariæ ſupra notatum coram tanta multitudine fideli devotione delegavit.

Qualiter dedicatum ſit Monaſterium.

QUIA plerumque etiam ea, quæ utiliter & laudabiliter fiunt, in oblivionem ex negligentia ſolent venire, idcirco Eccleſiæ noſtræ conſecrationem dignum duximus litteris commendare.

Anno ergo Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo ſexageſimo ſeptimo indictione prima, dedicata eſt hæc Baſilica in honore beatæ & perpetuæ Virginis Mariæ, à venerabili & ſanctæ converſationis viro Joanne Eccleſiæ Olmucienſis Antiſtite, quarta Decembris kalenda. Conſecrata ſunt etiam eodem die duo altaria, unum in medio Monaſterii in honore ſanctæ Crucis, alterum in latere Septentrionali in honore ſancti Egidii. Proximo autem die, id eſt, tertia Cal. Decembris conſecravit idem reverendus & ſæpe nobis memorandus Epiſcopus altare in Meridionali latere Monaſterii in honore ſancti Mauritii, Gereonis, Victoris ac ſociorum eorundem, & alterum altare in Septentrionali abſida chori, in honore beati Nicolai confeſſoris.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1167. Summum autem altare & duo altaria altrinſecus è latere conſecrata fuerant, anno milleſimo centeſimo ſexageſimo ſecundo undecima Junii Calenda, à venerabili & piæ memoriæ Epiſcopo Stilcone præmemorati patris & Domini noſtri Joannis prædeceſſore, quorum devotio eò amplius in nos enituit, quo uterque noſtri ordinis, noſtrum ordinem honorare curavit. Utraque autem conſecratio mediante & impetrante reverendiſſimo Patre & vigilantiſſimo Paſtore noſtro Gebehardo perfecta eſt. Pro quo tum communiter tum ſpecialiter in perpetuum orare neceſſe habemus, cujus tam eximium devotionis fervorem circa locum noſtrum cognovimus.

A dedicatione majoris Altaris usque ad dedicationem Monaſterii computantur anni XXV. & XXVII. hebdomadæ & dies una.

Reliquiarum numerus infinitus.

Hæ reliquiæ continentur in majori Altari. De ligno Domini; de ſyndone Domini; de terra ubi natus eſt Chriſtus; de petra aſcenſionis ejus. Reliquiæ ſanctæ Mariæ matris ejus; & de crinibus ejus. Joannis Baptiſtæ. Petri Apoſtoli. Andreæ Apoſtoli. Marci Evangeliſtæ. Sancti Petri diſcipuli Apoſtolorum. Stephani Protomartyris. Clementis Papæ & Martyris. Blaſii Martyris, Laurentii Martyris. Kiliani Martyris, Vincentii, Lamberti, Dionyſii, Georgii, ſanctorum Joannis & Pauli, Viti, Mauritii, Sebaſtiani, Tiburtii, Pancratii, Vitalis, Adriani, Fortunati, Benigni, Hippolyti, Valentini, Albani, Wenceſlai, ſanctorum Innocentum, Candidi Mart. Friderici Martyris, Innocentis Martyris, Gregorii Papæ, Martini confeſſoris, Nicolai confeſſoris, Rudberti, Baſilii, Gerhardi, Udalrici, Auguſtini confeſſorum, Dionyſii avunculi ſanctæ Afræ, Hieronymi confeſſoris, Egidii confeſſoris, Abraam confeſſoris, Saturnini confeſſoris. Cæciliæ Virginis & Martyris, Luciæ, Anaſtaſiæ, Candidæ, Valentinæ, & undecim millium Virginum, Gerdrudis Virginis, Virgineæ Virginis, Walpurgæ Virginis, Margarethæ Virginis, Afræ Martyris.

Hæ reliquiæ continentur in altari S. Crucis, Joannis Baptiſtæ, Petri Apoſtoli, Andreæ Apoſtoli, Bartholomæi Apoſtoli, Mathæi Evangeliſtæ, Lucæ Evangeliſtæ, Stephani Protomartyris. Urbani Papæ & Martyris. Januarii Epiſcopi & Martyris. Apollinaris Epiſcopi & Martyris. Lamberti Epiſcopi & Martyris. Laurentii, Sebaſtiani, Chryſogoni, Victoris, Quirini, Hippolyti, Georgii, Gervaſii & Prothaſii Martyrum. Nazarii & Celſi Martyrum. Abdon & Sennes Martyrum, Criſpini & Criſpiniani Martyrum, Gregorii Papæ, Damaſi Papæ, Martini Epiſcopi, Wolfgangi Epiſcopi, Udalrici Epiſcopi, Gothardi Epiſcopi, Gerhardi Epiſcopi, Germani Confeſſoris, Hieronymi Presbyteri. Juſtini Presbyteri. Agathæ Virginis & Martyris, Ceciliæ, Verenæ, Scholaſticæ, Radegundis Martyrum & Virginum, item 11000. Virginum.

Hæ reliquiæ continentur in altari S. Egidii, Petri, Thomæ, Bartholomæi Apoſtolorum: Blaſii, Dionyſii, Eraſmi Epiſcoporum & Martyrum, Vincentii, Chryſogoni, Pancratii, Urſi, Hippolyti, Valeriani, Theodori, Vitalis, Martyrii, Marci & Marcelliani Martyrum: Egidii, Nicolai, Maximi Epiſcopi, Gothardi Epiſcopi, Epiphanii, Udalrici, Wolfgangi, Leonardi, Antonii, Florini Confeſſoris, Benedicti Abbatis. Nonnoſi, Sawini, Henrici, Marci, Confeſſorum: Ceciliæ, Gerdrudis, Chriſtinæ, Specioſæ Virginum & Martyrum: Mariæ Magdalenæ, Hilariæ Martyris, undecim milium Virginum.

Hæ reliquiæ continentur in altari S. Nicolai: Pauli, Andreæ, Philippi & Jacobi Apoſtolorum. Stephani Papæ & Martyris, Cleti Papæ & Martyris, Sixti Papæ & Martyris. Apollinaris Epiſcopi & Martyris, Lamberti Epiſcopi & Martyris, Laurentii, Chryſogoni, Chriſtophori, Albani, Valeriani, Pancratii, Cyriaci, Venceslai Martyrum. Quatuor coronatorum: Coſmæ & Damiani Martyrum: Marci Papæ & Confeſſoris, Nicolai & Martini Epiſcoporum, Auguſtini, Ambroſii, Ruſtici, Gothardi Epiſcoporum, Henrici & Florini Confeſſorum. Ceciliæ, Walpurgis, Balbinæ, Leutrudis Virginum.

Hæ reliquiæ continentur in altari S. Mauritii. Andreæ Apoſtoli, Bartholomæi Apoſtoli, Matthæi Evangeliſtæ, Mauritii, Gereonis, Victoris Martyrum, Caſſii atque Florentii Martyrum: Dulciſſimi & Chariſſimi Martyrum, Marci & Marcelliani Martyrum: Feliciſſimi & Agapiti Martyrum; Felicis & Adaucti Martyrum: Sanctorum Thebæorum, Clementis Papæ & Martyris, Viti, Georgii, Vitalis, Pancratii, Sebaſtiani, Chriſtophori, Quirini, Cholomanni, Ruſtici, Martyrum: Anaſtaſii Papæ, Alexandri Papæ, Gothardi Epiſcopi, Pantulfi Epiſcopi, Benedicti Abbatis, Ceciliæ, Emmerentianæ Virginum & Martyrum, Tharſillæ Virginis, Pelagiæ Martyris, undecim millium Virginum.

Hæ reliquiæ continentur in cruce medio Monaſterii pendenti. De ligno Domini, de

Digitized by Google

de ſepulchro Domini, de menſa Domini, de ſudario Domini, de ſepulchro ſanctæ Dei Genetricis. Joannis Baptiſtæ, Pauli Apoſtoli, Jacobi Apoſtoli, Bartholomæi Apoſtoli, Stephani Protomartyris, Clementis Papæ & Martyris, Alexandri Papæ & Martyris, Fabiani Papæ Martyris, Marcelli Papæ & Martyris. Lamberti Epiſcopi & Martyris, Laurentii, Mauritii, Victoris, Chriſtophori, Juſtini, Vincentii, Cyriaci, Quiriaci, Pancratii, Conſtantii, Siſinnii, Martyrii & Alexandri Martyrum. Gregorii Papæ. Martini Epiſcopi, Nicolai Epiſcopi, Auguſtini Epiſcopi, Simpliciani Epiſcopi, Aurelii Epiſcopi, Valentini Epiſcopi, Henrici Confeſſoris, Benedicti Abbatis; Agathæ Virginis & Martyris, Agnetis, Ceciliæ, Afræ Martyris: 11000. Virginum.

SÆC. XII. ANNO 1167.

Anno milleſimo centeſimo quinquageſimo octavo, 11. Maii Calenda, à venerabili Epiſcopo Hertwico Ratiſponenſi ſecundo, invitato ab Abbate hujus loci reverendo Gebehardo, dedicata eſt Eccleſia B. Blaſii ad ſorores, in honore ſanctæ & individuæ Trinitatis, & S. Crucis, & S. Mariæ Virginis. Joannis Baptiſtæ. Petri Apoſtoli. Pauli Apoſtoli. Jacobi fratris Domini, & ſanctorum Martyrum Stephani Protomartyris, Blaſii Epiſcopi & Martyris, Laurentii Martyris, Emmerammi Epiſcopi & Martyris. Viti Martyris, Pancratii Martyris, Georgii, Hippolyti Martyrum, Dionyſii Epiſcopi & Martyris, Euſtachii Martyris, & Sanctorum Confeſſorum. Auguſtini Epiſcopi, Sylveſtri Papæ. Nicolai Epiſcopi, Martini Epiſcopi, Udalrici Epiſcopi, Egidii Confeſſoris, Leonardi Confeſſoris, Amandi Confeſſoris: Et Sanctarum Virginum: Mariæ Magdalenæ, Agathæ Virginis & Martyris, Ceciliæ Virginis & Martyris, Agnetis Virginis & Martyris, Margarethæ Virginis & Martyris, Barbaræ Virginis & Martyris, Pelagiæ Martyris.

Hæ reliquiæ continentur in altari S. Martini. Jacobi Apoſtoli. Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ. Stephani Protomartyris, Victoris Martyris: Blaſii Epiſc. & Martyr. Sebaſtiani Mart. Mauritii Mart. Pancratii Mart. Chriſtophori Mart. Theodori Mart. Emmerammi Epiſcopi & Mart. Martini Epiſc. & Confeſ. Nicolai Epiſc. & Confeſ. Wolfgangi Epiſc. Udalrici Epiſc. & Confeſ. Leonardi Confeſſoris, Bernardi Abbatis & Confeſ. Ceciliæ Virginis & Mart. Agathæ Virginis & Mart. Julianæ Virginis & Martyris, & undecim millium Virginum.

FINIS.

CHRO-

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRONICON

INCERTI AUCTORIS

A

NATIVITATE DOMINI,

USQUE AD ANNUM EJUSDEM DOMINI NOSTRI M. C. LXVII.

EX

M. S. Codice Monaſterii Allerſpachenſis in Inferiore Bavaria, editum.

STUDIO

PETRI STEVARTII

LEODII SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS, ET PROFESSORIS, &c.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1167.

LECTORI,

STEWARTIUS.

AMice Lector. *Chronicon iſtud eſt quaſi compendium Chronici Reicherſpergenſis, quod ante paucos annos evulgavit Vir clariſſimus D.* Chriſtophorus Gewoldus, J. V. D. *& Conſiliarius Bavaricus: niſi quod Reicherſpregenſe progreditur uſque ad annum Redemptoris M. C. XCIII. Iſtud, ad annum ſolummodo M. C. LXVII. Lectu non eſt indignum; & forſan ſuppeditabit, quæ alibi fruſtra quæras. Exſcripſit illud ſua manu ex veteri exemplari R. P.* Ferdinandus Crendelius, *Societatis* Jeſu *ſacerdos, mihi ob eruditionem, morumque innocentiam & integritatem, cum viveret, chariſſimus; cujus memoria, tametſi jam defuncti, nunquam apud me veteraſcet. Vale.*

CHRO-

Digitized by Google

CHRONICON INCERTI AUCTORIS.

AB Orbe condito uſque ad Urbem conditam computantur anni quatuor millia, 447. Ab Urbe verò condita usque ad Nativitatem Chriſti computantur anni ſeptingenti quinquaginta duo. Omnes igitur anni ab exordio mundi, usque ad nativitatem Chriſti, fiunt quinque millia, centum, 99..

Regnante Octaviano Cæſare Auguſto, anno 42. Imperii ejus, ab Ægypto verò ſubjugata, & Antonii vel Cleopatræ interitu 28. anno, prima adſcriptione cenſus, quæ facta eſt à Præſide Syriæ Cirino, quando cenſum agi ſingularum provinciarum, & cenſeri omnes homines ab Auguſto juſſum eſt, natus eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus in Bethlehem oppido Judææ, Dominica nocte, 8. Kal. Januarii circa finem 42. anni Auguſti, regnum Judaicæ gentis tunc tenente Herode primo, ex alienigenarum gente, anno regni ejus 31.

Eodem quoque Cæſaris anno natus eſt Joannes præcurſor ac Baptiſta Domini 8. Kal. Julii.

Auguſtus Cæſar.

Anno 2. Dominicæ Incarnationis, Herodes pueros occidi juſſit omnes qui erant in Bethlehem Judæ, & in omnibus finibus ejus, à bimatu & infra ſecundum tempus, quod exquiſierat à Magis; qui Hieroſolymam venerunt ex Oriente 13. die poſt nativitatem Chriſti, in 8. Idibus Jan.

Temporibus Auguſti Colonia ab Agrippa Rege, & Auguſta, à Druſo * rege, Auguſti privigno conſtruuntur.

4.

5.

6. Herodes Rex miſerabili morte periit; & Archelaus filius ejus pro eo in regnum Judæorum ab Auguſto ſubſtitutus.

7. Puer Jeſus ex Ægypto reducitur. Romæ tam dira fames erat, ut Auguſtus laniſtarum familias, omnesque peregrinos, ſervorum quoque maximas copias, extra Urbem trudi præceperit.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

14.

15. Archelaus Rex à Judæis apud Auguſtum accuſatus, in Viennam Galliæ Urbem exilio relegatus eſt: regnumque Judæorum in quatuor tetrarchias, & inter quatuor filios Herodis, fratres Archelai, Herodem, Antipatrum, Lyſaniam & Philippum diviſum eſt ab Auguſto.

16. Tiberius privignus Auguſti veneno periit.

17.

18.

19. Germanicus Druſi filius, Caligulæ pater, de Germanis, ad quos ab Auguſto ſene miſſus fuerat, triumphavit.

20.

21.

22.

23.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1167.

24.
25.
26.
27. Pilatus Judææ procurator à Tiberio Cæſare dirigitur. Pilatus poſt paſſionem Domini retulit ad Tiberium & ſenatum de paſſione & reſurrectione Chriſti, & de reliquis virtutibus ejus. Et Tiberius cum ſuffragio magni favoris retulit ad ſenatum, ut Chriſtus haberetur Deus. Sed ſenatus indignatione motus, conſecrationem Chriſti recuſavit; præcipuè Sejanus Præfectus Tiberio obſtinatiſſimè contradixit; quem ipſe Tiberius poſtea cum plurimis ſenatoribus & filiis propriis occidit. Tiberius tamen illicò edicto accuſatoribus Chriſtianorum mortem minatus eſt.
28.
29.
30. Tiberii autem 15. Joannes circa regionem Jordanis baptiſmum pœnitentiæ prædicabat, ipſumque Redemptorem baptizat. Poſt baptiſmum Dominus in deſertum ſecedit, & poſt jejunium Apoſtolos vocat.
31.
32. Joannes Baptiſta ab Herode Tetrarcha capite truncatur in caſtello Macherunte.
33. Tiberii verò 18. Dominus Jeſus ſua paſſione mundum redemit. Aſiæ quædam civitates terræ motu, qui tunc factus eſt, dirutæ ſunt. Matthias in loco Judæ conſtituitur Apoſtolus. Stephanus à Judæis lapidatur. Jacobus frater Domini Hieroſolymorum Epiſcopus conſtituitur & conſecratur ab Apoſtolis.
34.
35. Paulus Apoſtolus, ſecundum Latinos, qui à Januario annum incipiunt computare, à Chriſto de cœlo vocatus eſt. Secundum Hebræos verò, qui à Martio initium anni capiunt, eodem anno, quo Dominus paſſus eſt, 11. menſe, id eſt, 8. Kal. Febr.
36. Agrippa cognomento Herodes, filius Ariſtobuli filii Herodis Regis, ſub quo natus eſt Dominus, accuſator Herodis Tetrarchæ Romam profectus, à Tiberio in vincula conjicitur: ubi plurimas ſibi adſcivit amicitias, & maximè Germanici filium Cajum.
37.
38. Aſcendit Paulus Hieroſolymam videre Petrum.
39. C. Cæſar: flagitioſiſſimus omnium hominum qui ante eum fuerunt: nepos Auguſti Cæſaris, Caligula; à ſuis occiditur.
40. Agrippa cognomento Herodes, amicus Caii, Judæorum genti à Cajo præficitur. Herodes Tetrarcha filius Herodis æterno exilio damnatus, à Cajo in Hiſpaniam relegatur. Pilatus ab eodem Cajo tantis malis excruciatus eſt, ut propria manu ſe transverberaverit.
41.
42. Matthæus in Judæa prædicans, Evangelium ſcripſit.
43. Claudius Tiberius Cæſar; veneno periit.
44. Herodes Tetrarcha; qui Joannem decollavit, cum Herodiade in Hiſpania mœrore periit.
45. Jacobus frater Joannis ab Agrippa Herode decollatus.
46. Hoc anno inter Theram & Theraſiam inſula de profundo emicuit 30. ſtadiorum ſpatio extenſa.
Eodem quoque anno fames ſatis dira per univerſum orbem terræ erat; quam Prophetæ prædixerant, ut legitur in Actibus Apoſtolorum: ſed Chriſtianorum neceſſitatibus apud Hieroſolymam, convectis ab Ægypto frumentis, Helena Adiabenorum regina converſa ad fidem Chriſti largiſſimè miniſtravit.
Agrippa Herodes ab angelo percuſſus, miſerabili morte interiit, ut legitur in Eccleſiaſtica hiſtoria.
Et Agrippa ipſe filius Herodis Agrippæ, in Judæa regnare cœpit uſque ad exterminium Judæorum.
Petrus Apoſtolus Romam venit; Marcus Evangelium ſcripſit.
47.
48. Hoc anno tanta ſeditio in diebus azymorum Hieroſolymis exorta eſt, ut in portarum exitu populo coarctato, triginta millia Judæorum proſternerentur.
49.
50.

Digitized by Google

50. SÆC.
51. Claudius Judæos tumultuantes Roma expulit. XII.
52. Hoc anno tanta fames Romæ erat, ut Imperator correptus à populo convi- ANNO
ciis, & fragminibus panis turpiſſimè infeſtatus vix furorem populi evaſerit. Ipſe 1167.
ſtatim 30. & quinque ſenatores, & 300. ſimule quites Romanos, minimas ob cauſas, occidit.
53. Philippus Apoſtolus in Aſia in civitate Hierapoli octoginta ſeptem annorum defunctus eſt.
54.
55.
56. Nero Cæſar: ſororius
C. Caligulæ. Prima perſecutio.
Nero tantæ libidinis fuit; ut ne à matre quidem, vel ſorore, ullâve conſanguinitatis reverentia abſtinuiſſe referatur. Virum in uxorem duxit: ipſe à viro ut uxor acceptus eſt. Luxuriæ verò tantæ fuit, ut retibus aureis piſcaretur, quæ purpureis funibus extrahebantur: nunquam minus mille carrucis iter feciſſe traditur. Urbem Romam per ſex dies & ſeptem noctes ardere præcepit. Matrem, fratrem, ſororem, uxorem, cæterosque omnes cognatos & propinquos ſine cauſa occidit: primuſque Romæ Chriſtianos ſuppliciis & mortibus affecit, ac per omnes provincias pari perſecutione excruciari præcepit: ipſum nomen Chriſtianitatis exſtirpare conatus. Tandem hoſtis à ſenatu pronunciatus, & ignominiosè fugiens ad quartum ab Urbe lapidem ſe ipſum occidit: atque in eo Cæſarum omnis familia conſumpta eſt.
57.
58.
59. Paulus Apoſtolus vinctus Romam mittitur, ſecundo anno Neronis. Feſtus procurator ſuccedit Felici. Lucas Evangelium ſcripſit.
60.
61.
62. Sub Nerone tres Urbes terræ motu ceciderunt. Triginta millia hominum peſtilentia poſt mortem Apoſtolorum perierunt.
63. Jacobus frater Domini à Judæis lapidatur. Feſto magiſtratus Judææ ſucceſſit Albinus. Albino Florus. Lucanus claruit.
64. Marcus Evangeliſta in Alexandria coronatus eſt.
65. Sub Neroniana perſecutione coronantur Romæ Proceſſus & Martinianus & 47.
qui baptizati ſunt à B. Petro; Torpes, Marcellus & Apulejus, Mediolani Nazarius & Celſus. Apud Niceam Aquilejam Hermagoras Epiſcopus, Fortunatus Epiſcopus, Felix cum Conſtantia.
66.
67.
68.
69. Mortuo Nerone, in quo Cæſarum omnis familia conſumpta eſt, ſtatim Galba apud Hiſpanias, uſurpavit Imperium; & Piſonem nobilem adoleſcentem ſibi in filium & regnum adoptavit; cum quo etiam ab Othone jugulatus eſt. Otho poſt tria civilia bella, quæ cum Vitellio commiſit, deſperatis rebus ſe ipſum interfecit. Vitellius victor Romam venit, & Imperium invaſit; & Sabinum fratrem Veſpaſiani occidit. Ipſe etiam à militibus Veſpaſiani ignominioſè occiditur.
70. Hoc anno miſſus eſt à Nerone---------- Veſpaſianus magiſter militiæ adverſus Hieroſolymam & Judæos. quia Judæi non ferentes luxuriam & avaritiam, cæteraque flagitia Flori, qui poſt Albinum magiſtratum Judæorum tenebat, adverſum Romanos durè rebellaverant.
71.
72. Petrus Apoſtolus Romæ crucifigitur. Paulus decollatur. Linus & Cletus poſt eos Romanam rexerunt Eccleſiam.
73. Veſpaſianus Imperator. hic profluvio ventris periit. Hic à regibus & ducibus & omni exercitu, qui cum eo in obſidione Hieroſolymorum erat, Imperium adeptus eſt: & ſtatim Romam profectus eſt adverſus Vitellium; qui Imperium invaſerat; relicto filio ſuo Tito ad procurationem obſidionis.
74. Hieruſalem everſa eſt; & Judæi expugnati ſunt à Tito filio Veſpaſiani, Indictione ſecunda. Judæorum undecies centena millia, gladio & fame periiſſe narran-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1167. tur in obſidione Romanorum. Titus magna ac diuturna obſidione Judæos premens, non ſine multo ſuorum ſanguine tandem muros civitatis irrupit; ſed ad expugnandam interiorem templi munitionem; quam recluſam multitudo ſacerdotum ac principum tuebatur, majore vi & mora opus fuit. Quod tamen poſtquam in poteſtatem redactum, opere & antiquitate ſuſpexit, diu deliberavit, utrum tanquam incitamentum hoſtium incenderet; an in teſtimonium reſervaret. Sed, quia Eccleſia Dei jam per totum terrarum Orbem germinaverat, arbitrio Dei auferendum fuit. Itaque Titus templum in Hieroſolymis, Imperator ab exercitu pronunciatus, incendit ac diruit: quod, à die conditionis primæ, usque ad diem everſionis ultimæ, annis 1100. & duobus ſteterat. Muros Urbis univerſos ſolo adæquavit.

75.

76.

77.

78. Joſephus claruit.

79.

80. Apollinaris Epiſcopus à B. Petro Apoſtolo ad Ravennam directus, Martyrio coronatur ſub Veſpaſiano.

81. Tres civitates Cypri nono anno Veſpaſiani terræ motu corruerunt.

82. Titus Imperator, filius Veſpaſiani, morbo interiit.

83. Linus Papa primus poſt Petrum martyrio coronatur.

84. Domitianus Imperator frater Titi.

85. Sub hoc Joannes Apoſtolus & Evangeliſta Romæ in ferventis olei dolium mittitur ante portam Latinam. Et cum inde læſus exiſſet, in Pathmos inſulam relegatus eſt; ubi & Apocalypſin vidit & ſcripſit.

86. Cletus Papa coronatur.

87.

88.

89.

90. Domitianus in tantam ſuperbiam prolapſus fuit, ut Dominum ſe ac Deum vocari ac ſcribi, colique juſſerit: Et confertiſſimam toto orbe Chriſti Eccleſiam, datis ubique crudeliſſimæ perſecutionis edictis convellere auderet. Libidinis intemperantia quidquid excogitari poteſt, fecit. Nobiliſſimos ſenatorum alios occidit; alios in exilium egit. Ipſe autem in Palacio à ſuis crudeliſſimè confoſſus interiit. Cadaver ejus exportatum, ignominioſiſſimè ſepultum eſt.

91.

92.

93.

94. Anacletus Papa coronatur. Hic Presbyter à B. Petro eſt ordinatus; & Memoriam B. Petri inſtruxit; & compoſuit loca, ubi Epiſcopi reconderentur.

95.

96.

97.

98.

99.

100. Nerva Imperator. Hic admodum ſenex à Petronio Præfecto Prætorii, & Parthenio interfectore Domitiani, Imperator creatus, Trajanum genere Hiſpanum in regnum adoptavit. Hic primo edicto ſuo omnes exules Domitiani revocavit. Unde & Joannes Apoſtolus hac indulgentia liberatus, Epheſum rediit, & ibi Evangelium ſcripſit.

101. Trajanus Imperator. Joannes Apoſtolus & Evangeliſta apud Epheſum requievit nonageſimo octavo ætatis ſuæ anno. Sed & Apoſtolorum chorus, & omnis illa ætas, quæ à Domino vivæ vocis auditum ſuſceperat, jam de hac luce diſceſſerat.

Trajanus Imperator primum errore deceptus, perſecutionem tertiam in Chriſtianos agi præcepit: ſed poſtea Plinii judicis ſui relatu admonitus, reſcriptis illicò leniоribus temperavit Edictum. Statim tamen Romæ aurea domus à Nerone totis privatis publicisque impenſis condita, repentino periit incendio.

102. Clemens Papa coronatur. Hic Siſinnium Romanum cum uxore ſua Theodora baptizavit cum 323. promiſcui ſexus de domo ejus. Hic etiam ex præcepto B. Petri

Digitized by Google

Petri ſuſcepit Eccleſiæ Pontificatum, & ſeptem regiones diviſit fidelibus Eccleſiæ, qui geſta Martyrum ſolicitè perquirerent. SÆC. XII.

103.

ANNO 1167.

104. Sub Trajano quatuor Urbes aliæ, & duæ Græciæ, tres Galliæ uno terræ motu ceciderunt: idemque terræ motus in Antiochia penè totam civitatem ſubruit. Multa quoque millia Judæorum, qui tunc per diverſas Urbes ſeditionem moverant, ſub eo occiſa ſunt. Nereus & Achilleus martyrio coronantur. Et Ignatius tertius poſt Petrum Apoſtolum Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus. Simeon, qui & Simon filius Cleophæ, Hieroſolymorum Epiſcopus crucifigitur.

105.

106.

107.

108.

109.

110. Evariſtus Papa coronatur. Hic conſtitutus diviſit in Urbe Presbyteros, & ſeptem Diaconos ordinavit, qui cuſtodirent Epiſcopum prædicantem.

111.

112.

113.

114.

115.

116.

117.

118.

119. Alexander Papa cum Eventio & Theodulo martyrio coronatur. Hic Alexander B. Hermen Urbis Romæ Præfectum baptizavit cum uxore, & ſorore, & filiis, cum mille 250. ſervis ſuis, cum uxoribus & filiis eorum. Hic etiam ad conſecrationem Euchariſtiæ inſtituit; quod, ſicut de latere crucifixi Domini effluxit ſanguis & aqua; ita aqua vino miſceatur; in ipſa conſecratione: nec vinum ſine aqua, nec aquam ſine vino debere offerri decernens.

120. Helius Adrianus Imperator, conſobrinæ Trajani filius. Hic per Quadratum Apoſtolorum diſcipulum, & alios Chriſtianos de Chriſtiana religione inſtructus, præcepit, ut nemini liceret Chriſtianos ſine objectu criminis, aut probatione damnare. Idemque continuò pater patriæ in ſenatu ultra morem majorum appellatur: Et uxor ejus Auguſta. Judæos ultima cæde perdomuit, ultusque eſt Chriſtianos. Præcepitque ne cui Judæo introeundi Hieruſalem eſſet licentia; Chriſtianis tantum civitate permiſſa; quam ipſe in optimum ſtatum, murorum exſtructione reparavit, & Heliam de prænomine ſuo vocavit.

121. Apud Athenas Quadratus Apoſtolorum diſcipulus, & Dionyſius Areopagita clarent.

122.

123.

124.

125.

126. Sub Adriano Imperatore paſſus eſt Euſtachius (qui prius dicebatur Placidus) cum uxore & filiis.

127.

128.

129. Sixtus Papa coronatur. Hic conſtituit, ut ſacrata miniſteria non tractarentur, niſi à ſacris miniſtris; & præcepit, ut intra actionem ſacrificii ſanctus, ſanctus, ſanctus, decantetur.

130.

131.

132.

133.

134.

135.

136.

137.

138.

139.

140. Te-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1165.

140. Teleſphorus Papa coronatur. Hic conſtituit, ut ſeptem hebdomadibus ante Paſcha jejunium celebraretur: Et ut in Nativitatis Domini nocte, miſſæ celebrentur & hymnus angelicus, id eſt, Gloria in excelſis, hora ſacrificii cantetur; illuſtreque duxit martyrium.

141. Antoninus Pius cum filiis Aurelio & Lucio Imperator. Hic adeò tranquillè Rempublicam gubernavit, ut meritò pius, & pater patriæ nominatus ſit. Juſtinus Philoſophus librum de Chriſtiana religione compoſitum, Antonino tradidit, benignumque eum ergà Chriſtianos fecit. Ipſe autem Antoninus ad duodecimum ab Urbe lapidem morbo coreptus interiit.

142.

143.

144. Higinus Papa coronatur. Hic conſtituit Clerum; & diſtribuit gradus.

145.

146.

146.

147.

149. Juſtinus Philoſophus claruit.

150.

151.

152.

153.

154.

155.

156.

157.

158.

159.

160.

161.

162.

163. Marcus Antoninus Verus cùm fratre Lucio Aurelio, & filio Commodo Imperator. filius Antonii Pii. Hic in bello Parthico, quartam perſecutionem in Chriſtianos agi in Aſia & Gallia præcepit: multique ſanctorum martyrio coronati ſunt. Secuta eſt lues plurimis infuſa provinciis, totamque Italiam vaſtavit; ut paſſim villæ, agri, oppida ſine cultore & habitatore deſerta, in ruinas ſylvaſque conceſſerint; * Hic etiam per milites Chriſtianos, qui in exercitu ejus fuerant, de hoſtibus triumphavit. Nam dum idem Imperator undique ab hoſtibus circumventus eſſet, & exercitus ejus maximum periculum, propter aquarum penuriam ſuſtineret, ſitique omnes laborarent; & Imperator æſtuaret, & quæreret, quid facto opus eſſet, reperiſſetque in legione quadam milites Chriſtianos; quibus tandem, ut noſtris mos eſt, flexis genibus obſecrantibus Deum; per preces Chriſtianorum militum maxima vis pluviæ effuſa eſt: hoſtes etiam, qui jam exitialiter imminebant, crebris fulminibus, & cælitus prolapſis ignibus perterriti, fugati ſunt.

** Exercitum verò Romanorum cunctaſque legiones hac lue conſumptas ferunt.*

Hic Antoninus Commodum filium ſuum aſſumpſit in regnum. Aurelius Commodus, frater Antonini Marci ante bellum Parthicum, & poſt captam Seleuciam Iſauriæ urbem ſuper Hydaſpen fluvium ſitam, cum 400. millibus hominum, caſu morbi, quem apoplexiam vocant, repente interierat. Marcus Antoninus Verus in Pannonia conſtitutus morbo periit.

164. Anicetus Papa coronatur. Hic præcepit ut Clerus comam non nutriret, ſecundum præceptum Apoſtoli.

Sub hoc (M. Antonino) Polycarpus diſcipulus. S. Joannis coronatur, & Felicitas cum ſeptem filiis.

165.

166. Sub hoc Imperatore Martyrio coronati ſunt, apud Sebaſten Armeniæ Blaſius Epiſcopus; Juſtinus Philoſophus. In Syria Victor & Corona.

167.

168.

169.

170.

171.

172.

173.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1167.

173.
174.
175. Pius Papa coronatur. Sub hoc Imperatore Hermes librum ſcripſit, qui dicitur Paſtoris.
176.
177.
178.
179.
180.
181. Lucius Antoninus Commodus Imperator; filius Marci Antonini. Lucius Antoninus Commodus per omnia luxuriæ & obſcenitatis dedecora depravatus, interfecit quam plurimos ſenatores, & maximè illos, quos nobilitate & induſtria excéllere videbat. Ipſe Commodus cunctis incommodus vivus adhuc, hoſtis humani generis judicatus ab omnibus eſt, & in domo Veſtiliani ſtrangulatus periit. Sub eo duo incendia Romæ fuerunt. Nam Capitolium fulmine ictum eſt; ex quo inflammatio facta, Bibliothecam illam cura majorum ſtudioque compoſitam, ædesque alias concremavit. Deinde aliud incendium ædem Veſtæ & Palatium plurimamque partem Urbis ſolo coæquavit.
182.
183.
184.
185. Sother Papa coronatur. Hic conſtituit, ut nulla monacha pallam ſacratam tangeret in Eccleſia, neque incenſum poneret.
186.
187.
188.
189.
190.
191.
192.
193.
194.
195. Helius Pertinax Imperator. Hic Helius Senex à Senatu Imperator creatus eſt: ſed à Juliano Juriſperito in Palacio ſtatim occiſus eſt: Et ipſe Julianus Imperium invaſit. Ex mox etiam ipſe à Severo apud Pontem Mulvium bello civili victus & interfectus eſt.
196. Severus Pertinax Imperator. Hic genere Afer, & natura ſævus, ex nomine Imperatoris, quem occiſum ultus fuerat, pertinacem ſe appellavit, & quintam perſecutionem poſt Neronem in Chriſtianos exercuit: plurimique Sanctorum per diverſas provincias coronati ſunt. Hic tria civilia bella geſſit. In uno Julianum, Romæ: in ſecundo Peſcennium Nigrum, qui in Ægypto & Syria Tyrannidem aſpiraverat. In tertio, Clodium Albinum, Juliani in occidendo Pertinace ſocium; qui in Gallia ſe Cæſarem fecerat, occidit. Cujus belli malo multum utrinque Romanorum ſanguinis effuſum eſt. Ipſe ad Eboracum oppidum morbo periit. Reliquit duos filios, Baſſianum & Getam: quorum Geta hoſtis publicus judicatus eſt, & interiit. Baſſianus Antonini cognomine aſſumpto, poſt patrem regnavit.
197. Narciſſus Hieroſolymorum Epiſcopus & Theophilus Cæſareenſis & Clemens Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyter, & Pantenus Philoſophus, Leonides pariter Origenes coronatur martyrio.
198.
199.
200. Eleutherus Papa coronatur. Hic accepit Epiſtolas à Lucio Britanniæ rege, ut per ejus mandatum fieret Chriſtianus.
201.
202.
203.
204.
205.
206.
207.
208.

Digitized by Google

SÆC. XII. 209.

210.

ANNO 1167. 211. Victor Papa coronatur. Hic conſtituit, ut ſanctum Paſcha die Dominico celebraretur, & à 15. luna primi menſis usque ad viceſimam primam obſervaretur. Et conſtituit, ut neceſſitate exigente, ſive in flumine, ſive in mari, ſive in fontibus, ſub Chriſtiana confeſſione quicunque hominum ex gentilitate venientes baptizarentur.

212.

213.

214. Aurelius Antoninus Baſſianus Caracalla Imperator. Hic patre Severo aſperior, omnibus hominibus libidine intemperantior, novercam ſuam Juliam duxit uxorem. Hic contra Parthos bellum moliens, inter Ediſſam & Carras, ab hoſtibus circumventus occiſus eſt.

215.

216.

217.

218.

219.

220. Zepherinus Papa coronatur. Hic conſtituit, ut præſentibus omnibus Clericis & Laicis fidelibus, ſive Diaconus, ſive Sacerdos ordinaretur, & adſtantibus Sacerdotibus Miſſæ celebrentur.

221. Macrinus Imperator, qui & Opelius Aurelius dictus eſt. Hic Præfectus primùm Prætorii cum filio ſuo Diadumene invaſit Imperium; ſed emenſo anno apud Achillaidem militari tumultu periit.

222. Marcus Aurelius Antoninus Imperator. Hic primum Sacerdos Heliogabali templi, nullam ſui, niſi ſtuprorum, flagitiorumque, totiusque obſcænitatis infamem ſatis memoriam reliquit. Tumultu autem militari exorto, Romæ cum matre ſua interfectus eſt.

223.

224. Origenes claruit.

225.

226. Aurelius Alexander Imperator. Sub hoc paſſi ſunt Cæcilia Virgo, Tiburtius & Valerianus fratres; quos Cæcilia convertit. Calepodius Presbyter. Palmatius Conſul cum uxore & filiis, & Simplicius ſenator.

227. Calliſtus Papa coronatur. Hic conſtituit jejunium Sabbathi ter in anno fieri, frumenti, vini & olei ſecundum Prophetiam.

228.

229. Aurelius Alexander, Senatus voluntate ac militum Imperator creatus, digno æquitatis moderamine Reip. præfuit. Hujus mater Mammæa Chriſtiana Origenem Presbyterum, qui eo tempore clarus habebatur, curavit audire. Alexander expeditione in Perſas facta, Xerxem regem maximo bello oppreſſit. Ipſe autem militari tumultu, apud Mogontiacum interfectus eſt.

230. Urbanus Papa coronatur. Hic baptizavit Tiburtium & Valerianum fratrem ejus, quos Cæcilia virgo convertit.

231.

232.

233.

234.

235.

236.

237. Maximinus Imperator. Hic nulla Senatus voluntate Imperator, ab exercitu creatus, ſextam perſecutionem in Chriſtianos, ſextus à Nerone exercuit. Ipſe autem à Pupieno Aquileiæ interfectus, perſecutionis ſimul & vitæ finem fecit.

238.

239.

240. Gordianus Imperator. Sub hoc Pupienus interfector Maximini, & Balbinus frater ejus in Palacio occiſi ſunt. Gordianus ingentibus præliis adverſum Parthos proſperè geſtis, fraude ſuorum ſuper Euphraten interfectus eſt.

241.

242.

243. Pontianus Papa coronatur. Hic juſſu Maximini cum Hippolyto Presbytero Sardi-

Digitized by Google

Sardiniam deportatus, & fuſtibus mactatus, Martyrium conſummavit: corpus ejus à Fabiano poſtea relatum eſt. SÆC. XII.

244. Antherus Papa coronatur. ANNO 1167.

245.

246. Philippus cum filio Philippo Imperator. Hic primus omnium Imperatorum Chriſtianus fuit: Et Philippum filium ſuum conſortem regni ſecum fecit.

247.

248. Iſte annus, id eſt tertius hujus Philippi Imperatoris, etiam milleſimus erat à conditione Romæ, ſecundum computationem Oroſii hiſtoriographi; juxta cujus computationem iſte libellus à principio usque ad tempora Honorii Imperatoris conſcriptus eſt.

Notandum eſt diligenter, quod ambo Imperatores, quamvis diverſis locis, tumultu militari & Decii fraude interfecti ſunt: qui pro eis regnavit.

249.

250.

251.

252. Decius Imperator. Hic ſeptimo à Nerone ad perſequendos interficiendosque Chriſtianos, feralia diſperſit edicta: pluriumque ſanctorum coronati ſunt. Idem filium ſuum Cæſarem legit, cum quo ſimul continuò in medio barbarorum ſinu interfectus eſt.

Fabianus Papa coronatur. Hic Fabianus regiones diviſit Diaconibus; & ſeptem Diacones fecit, qui ſeptem Notariis imminerent, ut geſta Martyrum in integro colligerent.

253. Cornelius Papa coronatur. Hic levavit corpora ſanctorum Apoſtolorum de Catacumbas.

In Sicilia civitate Catanenſium Agatha virgo coronatur.

254. Sixtus Papa martyrio coronatur cum Feliciſſimo & Agapito: Et Laurentius Diaconus, Hippolytus & Concordia, Abdon & Sennen, Ireneus & Habundius.

255. Gallus Hoſtilianus, cum Voluſiano filio. Sub his facta eſt ultio violati nominis Chriſtiani. Nam usquequo ad profligandas Eccleſias edicta Decii devenerunt; eatenus incredibilium morborum peſtis extenditur. Nulla ferè provincia Romana, nulla civitas, nulla domus fuit, quæ non illa generali peſtilentia correpta atque vaſtata ſit. Ambo Imperatores ſub hac peſtilentia in bello civili, contra Æmilianum novis rebus ſtudentem occiſi ſunt. Æmilianus tunc victor in tertio tum menſe invaſæ tyrannidis extinctus eſt.

256. Origenes moritur, & in Tyro ſepelitur. Protus & Hyacinthus coronantur, & Eugenia virgo. Veronæ Zeno Epiſcopus.

257. Valerianus & Gallienus Imperatores. Hic in Rhetia ab exercitu Auguſtus appellatus; Romæ autem à Senatu Gallienus Cæſar creatus eſt. Valerianus autem mox, ut arripuit Imperium octavus à Nerone, adigi per tormenta Chriſtianos ad idololatriam juſſit, fuſo per omnem Romani regni latitudinem ſanctorum ſanguine.

Ipſe autem hujus nefarii auctor edicti, à Sapore Rege Perſarum captus Imperator Romani populi, ignominioſa apud Perſas ſervitute conſenuit, hanc infamis officii continuò, donec vixit, damnationem ſortitus, ut ipſe acclivis humi regem ſemper aſcendentem in equum, non manu ſua, ſed dorſo ſuo attolleret.

Et Gallienus quidem tam claro judicio Dei territus, tamque miſero collegæ permotus exemplo, pacem Eccleſiis ſatisfactione reſtituit. Igitur ſub Gallieno primus Ingenuus, qui purpuram Imperii ſumpſerat, apud Myrſam occiditur. Poſthumius, qui in Gallia invaſit Tyrannidem, ſeditione militum interfectus eſt, Æmilianus apud Mogunciacum, cum res novas moliretur, oppreſſus eſt. Poſt mortem Poſthumii Marius ibidem invaſit Imperium; ſed continuò occiditur. Deinde Victorinus à Gallis ultrò creatus, & poſt paululum occiſus eſt. Huic ſucceſſit Tetricus, & multas ſeditiones militum pertulit. At verò in Oriente per Odenatum quendam victi ſunt & preſſi Perſæ: defenſa Syria, & recepta Meſopotamia eſt. Gallienus cum Rempublicam deſeruiſſet, & Mediolani libidinibus inſerviret, occiſus eſt.

258.

259.

260.

261. Dionyſius Papa coronatur. Hic Eccleſias Presbyteris dedit, & parochias & diœceſes diviſit, atque conſtituit.

262.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1167.

263.
264.
265.
266.

267. Stephanus Papa martyrio coronatur. Hic conſtituit, ut Sacerdotes & Levitæ veſtes ſacras in quotidiano uſu non haberent, niſi tantum in Eccleſia.

268.
269.
270.

271. Lucius Papa martyrio coronatur. Hic ab Imperatoribus Valeriano & Gallieno, ob fidem Chriſti exilio relegatus, & poſtea divino nutu ad Eccleſiam ſuam redire permiſſus, capitis obtruncatione martyrium conſummavit. Hic præcepit, ut duo Presbyteri, & tres Diaconi in omni loco Epiſcopum non deſerant, propter teſtimonium Eccleſiaſticum.

272. Claudius Imperator. Hic voluntate Senatus Imperator creatus, Gothos continuò incredibili ſtrage delevit. Huic à Senatu clypeus aureus in Curia, & in Capitolio ſtatua equeſtris aurea decreta eſt. Ipſe apud Sirmium morbo correptus interiit. Poſt hunc; Quintilius frater ejus, ab exercitu Imperator electus; vir quidem unicæ moderationis, & ſolus fratri præferendus; ſed ſeptima decima die interfectus eſt.

273.

274. Mavion Presbyter Antiochenæ Eccleſiæ, qui contra Paulum de Samoſata, qui ejusdem Eccleſiæ Epiſcopus erat, accipientibus Notariis, diſputaverat, claret.

Aurelianus Imperator. Hic vir induſtria militari experientiſſimus, Gothos in expeditione ad Danubium magnis prœliis profligavit, ditionemque Romanam antiquis terminis ſtatuit. Inde in Orientem converſus, Zenobiam, quæ occiſo Odenato marito ſuo Syriam receptam ſibi vendicabat, in poteſtatem redegit. Tetricum in Gallia minimè vires ejus ferentem, ſine labore ſuperavit. Urbem Romam muris firmioribus cinxit. Noviſſimè cum perſecutionem nonus à Nerone moliretur, fulmen ante eum, magno pavore circumſtantium ruit, ac non multò poſt in itinere occiſus eſt.

275.

276. Felix Papa primus coronatur. Hic Felix Papa conſtituit; ſupra Memorias Martyrum miſſas celebrari.

277. Euticianus Papa coronatur. Hic per diverſa loca trecentos 40. duos martyres manu ſua ſepelivit, & conſtituit, ſuper altare fruges & uvas benedici.

278.

279. Anatolius natione Alexandrinus, Epiſcopus Syriæ, claret.

Tacitus Imperator; ſexto menſe occiſus in Ponto eſt; poſtquam Florianus parem regni ſortem ferens, tertio menſe apud Tarſum interfectus eſt.

Manichæorum hæreſis his temporibus exoritur.

280. Probus Imperator. Hic Gallias jam dudum à Barbaris occupatas, per multa & gravia prœlia, deletis tandem hoſtibus liberavit. Bella civilia plurimo ſanguine fuſo, duo geſſit. Unum in Oriente, quo * Saturninum oppreſſit. Aliud, quo Proculum & Bonoſum Tyrannos apud Agrippinam ſuperatos interfecit. Ipſe autem in turre ferrata, militari tumultu apud Sirmium periit.

M. S. Saturnium, mendosè.

281.
282.
283.
284.
285.

286. Carus Narbonenſis Imperator. Hic cum filios ſuos Carinum & Numerianum conſortes regni feciſſet, bello Parthico ſuper Tigridem in caſtris fulmine ictus, interiit. Numerianus filius ejus, qui cum eo fuerat, rediens, fraude Apri Soceri ſui interfectus eſt.

Sub his Imperatoribus paſſi ſunt Romæ Chryſantus & Daria: Claudius, Hilaria uxor ejus, cum filiis ſuis & 70. militibus.

287.

288. Diocletianus Imperator. Hic Imperator ab exercitu electus, ſtatim, ut poteſtatis copiam habuit, Aprum interfectorem Numeriani manu ſua interfecit. Carinum inde, quem Carus Cæſarem apud Dalmatiam reliquerat, flagitiosè viventem, in bello ſuperavit. Dehinc Maximianum cognomento Herculejum Cæſarem fecit, miſitque in Gallias contra Amandum & Helianum novas res molientes; qui & eos facilè

Digitized by Google

facilè ſuperavit. Quo facto eundem Maximianum Herculejum ex Cæſare fecit Auguſtum. Conſtantium verò & Maximianum Galerium Cæſares legit. Conſtantius Herculeii Maximiani privignam Theodoram accepit uxorem; ex qua ſex filios fratres Conſtantini genuit. SÆC. XII. ANNO 1167.

Interea Diocletianus in Oriente, Maximianus Herculejus in Occidente vaſtari Eccleſias, interficique Chriſtianos decimo poſt Neronem loco præceperunt. Quæ perſecutio omnibus ferè ante actis diuturnior, atque immanior fuit. Nam per decem annos incendiis Eccleſiarum, proſcriptionibus innocentum, cædibus Martyrum inceſſabiliter acta eſt. Secundo perſecutionis anno Diocletianus ab invito exegit Maximiano Herculejo, ut ſimul purpuram, Imperiumque deponerent; ac junioribus in Rempublicam ſubſtitutis, ipſi in privato otio conſeneſcerent. Itaque ſub una die Diocletianus apud Nicomediam, Maximianus apud Mediolanum, poteſtatem Imperii, ſimulque cultum depoſuerunt.

Galerius & Conſtantius Auguſti, primi Romanorum Imperium in duas partes determinaverunt. Galerius Maximianus Illyricum, Aſiam & Orientem; Conſtantius Italiam, Africam, Gallias obtinuit. Sed Conſtantius, ut tranquilliſſimus, Gallia tantum Hiſpaniaque contentus, Galerio cæteris partibus ceſſit. Galerius duos Cæſares legit, Maximinum, quem in Oriente conſtituit; & Severum, cui permiſit Italiam; ipſe in Illyrico conſtitutus. Conſtantius verò Auguſtus ſummæ manſuetudinis & civilitatis, in Britannia obiit anno perſecutionis tertio, 16. Imperii ſui anno.

289.

290. Cajus Papa martyrio coronatur. Hic conſtituit, ut per omnes gradus aſcenderet primum, ſi quis Epiſcopus fieri mereretur.

291.

292. Sub his Imperatoribus paſſi ſunt, Sebaſtianus, Marcus & Marcellianus, Caſtulus Zetarius Palacii, & cæteri, qui in paſſione ſancti Sebaſtiani leguntur. In Antiochia Julianus & Baſiliſta: Cæſarauguſtâ, Vincentius Diaconus: Apud Siciliam Vitus & Modeſtus; Lucia Virgo; Apud Auguſtam, Afra; Agauni, Mauritius cum Sociis ſuis: Apud Coloniam Agrippinam Gereon cum Sociis ſuis, Eulalia virgo; Juliana virgo; Pantaleon, Euphemia virgo, Coſmas & Damianus; Criſpinus & Criſpinianus; Barbara virgo, & Julia virgo: Timotheus Apoſtolus.

293.

294.

295.

296.

297.

298. Marcellinus Papa coronatur. Hic ad ſacrificandum compulſus, ſacrificavit: deinde pœnitentia ductus pro fide Chriſti capite truncatus eſt. Sub eo etiam tam gravis perſecutio fuit, ut inter unum menſem, 17. millia hominum promiſcui ſexus, per diverſa loca coronarentur.

299.

300.

301.

302. Marcellus Papa Martyrio coronatur. Hic fecit cœmeterium via Salaria, & 25. Titulos in Urbe Roma inſtituit, propter baptiſmum & pœnitentiam multorum, qui convertebantur ex paganis, & propter ſepulturas Martyrum.

303.

304.

305.

306. Hoc anno 19. autem regni ſui, Diocletianus in Oriente, Herculejus in Occidente vaſtari Eccleſias, interficique Chriſtianos, decimo poſt Neronem loco præceperunt.

307.

308.

309. Euſebius Papa moritur. Hic invenit hæreticos in Urbe Roma, quos per manus impoſitionem reconciliavit; cui ſucceſſit

310. Melciades Papa.

Licinius Conſtantiæ Conſtantini ſororis vir, Carnuti Imperator creatur, quarto perſecutionis anno.

Conſtantinus Imperator. Hic primus omnium Imperatorum Chriſtianus fuit, excepto

Digitized by Google

SÆC. XII. cepto Philippo. A Conſtantino omnes ſemper Chriſtiani Imperatores usque in hodiernam diem, excepto Juliano Apoſtata.

ANNO 1167. Conſtantino illuſtri in Galliis ſtrenuiſſimè rempublicam procurante, Prætoriani milites Maxentium Herculei Maximiani filium Auguſtum nuncuparunt. Pater ejus jam ex Auguſto privatus, & adhuc publicus perſecutor, occaſione filii ſolicitatus, arripuit tyrannidem. Galerius Auguſtus Severum Cæſarem adverſum Maxentium Romam cum exercitu miſit. Qui cùm Urbem obſideret, militum ſuorum ſcelere deſertus, fugit Ravennam, & ibi occiſus eſt. Maximianus Herculejus confirmatum jam in Imperio filium poteſtate regia ſpoliare conatus, à militibus fugatus eſt: Et poſt dolos, quos etiam in Conſtantinum generum ſuum cogitaverat, Maſſiliæ interfectus eſt. Galerius occiſo Severo Licinium virum ſororis Conſtantini, Imperatorem creavit. Ipſe Galerius, poſtquam perſecutione Chriſtianorum per annos 10. omni genere hominum exhauſit provincias, judicio Dei, putrefacto introrſus pectore, & vitalibus diſſolutis, cùm ultrà horrorem humanæ miſeriæ, etiam vermes eructaret, tunc primum Chriſtianos de exiliis revocavit; ſuos autem cruciatus non ſuſtinens, vim vitæ ſuæ ipſemet intulit.

311.

312.

313.

314. Silveſter Papa conſtituitur poſt Melciadem Pontificem. Hujus induſtria ſynodus præclariſſima toto orbe terrarum 318. Patrum apud Nicæam Urbem Bithiniæ celebrata eſt, ſub conſulatu Conſtantini & Licinii Auguſtorum: tamen tempore Julii Papæ conſummatur. Hic conſtituit, ut ſacrificium altaris in ſindone linteo celebretur; & conſtituit, ut chriſma ab Epiſcopo conficiatur; & ut baptizatum liniat Presbyter: Et Dalmaticis in Eccleſia uti præcepit. In hac ſynodo damnata eſt blaſphemia Arii Alexandrini Presbyteri, quam de inæqualitate ſanctæ Trinitatis aſſerebat, ſcilicet tres eſſe gradus in Trinitate; Et patrem eſſe majorem; filium minorem; Spiritum ſanctum creaturam. Sed eadem ſancta ſynodus conſubſtantialem Deo Patri filium Dei per ſymbolum diffinivit. Hæc eſt prima ſynodus, quæ Nicæa dicitur toto orbe veneranda; in qua 20. Canones ſancti Patres ſtatuerunt.

315.

316. Conſtantinus pacem Eccleſiis poſt decem annos, quàm à perſecutoribus vexabantur, indulſit. Deinde inter Conſtantinum & Maxentium bellum civile exortum eſt. Et Maxentius ultimè ad pontem Malvium victus & interfectus eſt.

Maximinus etiam Chriſtianorum perſecutionis incenſor & auctor, dum civile bellum contra Licinium diſponeret, interiit. Licinius repentina rabie ſuſcitatus, omnes Chriſtianos è Palacio ſuo juſſit expelli. Mox bellum inter ipſum Licinium & Conſtantinum exoritur. Sed Conſtantinus Licinium ſororis ſuæ virum primùm in Pannonia vicit. Deinde apud Cibalas oppreſſit, univerſaque Græcia potitus Licinium ad deditionem coëgit. Sed Herculei Maximiani ſoceri ſui exemplo motus; ne iterum depoſitam purpuram in perniciem Reipublicæ reſumeret, privatum juſſit occidi. Deinde Conſtantini Cæſaris filii Criſpus & Conſtantius, & Licinius adoleſcens, Licinii Auguſti filius, Conſtantini autem ex ſorore nepos, Cæſares ſunt creati. Sed inter hæc latent cauſæ, cur vindicem gladium, & deſtinatam in impios punitionem Conſtantinus in proprios egerit liberos. Nam Criſpum filium ſuum, & Licinium ſororis ſuæ filium interfici juſſit. Ipſe autem multas gentes diverſis præliis ſubegit, & urbem nobiliſſimam nominis ſui primus Romanorum conſtruxit; quæ ſola Romæ forma & potentia poſſit æquari. Mox Gothorum fortiſſimas & copioſiſſimas gentes in ipſo barbarici ſoli ſinu delevit. Calocharcum quendam in Cypro novis rebus aſpirantem oppreſſit. Tricennalibus ſuis Dalmatium filium fratris ſui Cæſarem legit; qui continuò militari ratione deceptus eſt. Cumque bellum Conſtantinus in Perſas moliretur, in villa publica juxta Nicomediam, diſpoſitam benè rempublicam filiis ſuis tradens, obiit feliciter.

317.

318.

319.

320.

321.

322.

323.

324.

325.

Digitized by Google

325.
326.
327.
328.
329.
330.
331.
332.
333.
334.
335.
336.
337.
338.
339. Marcus Papa poſt Sylveſtrum Romanam rexit Eccleſiam.
340. Conſtantius cum Conſtantino & Conſtante fratribus Imperator. Conſtantinus cum Conſtantem fratrem bello inſectatur, incauta petulantia periculo ſe offerens, à Ducibus ejus occiſus eſt. Conſtans adverſum Parthos & Saporem Regem, qui Meſopotamiam vaſtaverat, novem præliis partim proſperè decertavit: ſed pòſt, cùm ſe intolerandis viciis dediſſet, & Magnentii dolis, qui apud Auguſtodunum Imperium arripuerat, interfectus eſt. Nepotianus deinde, Conſtantini ſororis filius Romæ invaſit Imperium, ſed mox à Magnentianis ducibus occiditur. Sequitur bellum illud horribile inter Conſtantium Magnentiumque apud Urbem Murſam geſtum; in quo multa Romanarum virium profligatio etiam inpoſterum nocuit. Magnentius ibi victus fugit, & apud Lugdunum propria manu ſua ſe interfecit. Decentius quoque frater ejus, quem Cæſarem Galliis præfecerat, ad Senonas laqueo vitam finivit.

Conſtantius continuò Gallum patrui filium Cæſarem legit; quem mox crudeliter agentem occidit. Sylvanum quoque per Gallias novis rebus inhiantem, maturè interfecit: Et Julianum patruelem ſuum Galli fratrem Cæſarem creatum miſit in Gallias. Qui, everſas oppreſſaſque ab hoſte Gallias ſtrenuiſſimè in integrum reſtituit. Qui his elatus ſucceſſibus, faſtigium uſurpavit Auguſti, & mox Italiam, Illyricumque pervadens, Conſtantium Parthicis præliis occupatum, regni parte privavit. Conſtantius dum ad civile bellum contra Julianum dimiſſa expeditione Parthorum revertitur, defunctus eſt. Ita ille, qui diſciſſa pace & unitate fidei Catholicæ, Chriſtianos adverſus Chriſtianos armaverat, totum tempus vitæ ſuæ bellis civilibus per propinquos & conſanguineos ſuos excitatis, expendit.

342 Julius Papa. Hic conſtituit ut nullus Clericus cauſam quamlibet in publico ageret, niſi in Eccleſia.

343.
344.
345. Eorum temporibus Maximinus Treverorum Epiſcopus clarus habetur. Euſebius Presbyter ab Arianis in cubiculum truſus, moritur. Dionyſius Epiſcopus Mediolanenſis exilio damnatur. Paulinus Conſtantinopolitanus Epiſcopus ab Arianis ſtrangulatur. Paulinus Treverorum Epiſcopus, ſucceſſor Maximini, à Conſtantio in exilium relegatur. Antonius Monachus in Eremo moritur, anno ætatis ſuæ centeſimo primo.
346.
347.
348.
349.
350. Impietas Ariana Conſtantii fulta præſidio, exiliis, carceribus & variis afflictionum modis, primum Athanaſium; deinde omnes non ſuæ partis Epiſcopos perſecuta eſt.
351.
352.
353.
354. Liberius Papa Romanam rexit Eccleſiam. Hic ab Arianis in exilium miſſus eſt: & Felix Diaconus ejus, pro eo ſubſtitutus eſt. Poſt mortem autem Conſtantii ad ſedem ſuam regreſſus eſt.
355.

356.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1167.

356.
357.
358.
359. Basilius Cappadocensis Episcopus claret.
360. Felix Papa Romanam rexit Ecclesiam. Hic declaravit Constantium esse hæreticum, cùm secundò baptizaretur ab Eusebio Episcopo; & ideo ab eo capite truncatus est.
361.
362. Hilarius Pictaviensis Episcopus ab exilio revocatur, porrecto Constantio libello pro se apud Constantinopolim.
363.
364. Julianus Imperator. Julianus dudum Cæsar, postquam solus regno potitus est, Christianam religionem arte potius, quam potestate infectatur; ut negaretur fides Christi, & idolorum cultus susciperetur; honoribus magis provocare, quàm tormentis cogere studuit. Igitur ad bellum adversum Parthos pergens, Christianorum sanguinem diis suis vovit; palàm persecuturus Ecclesiam, si victoriam adeptus fuisset. Itaque postquam à Ctesiphonte castra movit, dolo cujusdam transfugæ in deserta perductus, cum vi sitis & ardore solis, insuper labore arenarum confectus periret exercitus, Julianus dum per deserta vagatur, ab obvio quodam hostium equite contorstus interiit: sicque misericors Deus impia consilia dissolvit.

Hujus tempore coronantur Joannes & Paulus, Pigmenius Presbyter: Quiriacus, qui & Judas, Alexandriæ Gallicanus; Aresia civitate Donatus Episcopus Martyr.

365. Jovinianus Imperator. In ipso summo rerum discrimine Jovinianus Imperator ab exercitu creatus, cùm & locorum iniquitate captus; & hostibus circum septus nullam evadendi facultatem haberet, fœdus cum Sapore Rege Persarum pepigit, ut tutum & incolumem exercitum Romanorum à locorum periculo & hostium liberaret. Ipse autem dum rediret, in quodam cubiculo novo, nuper calce illito, dum se cubitum recepisset, octavo mense; calore prunarum & nidore suffocatus, vitam finivit.

Damasus Papa clarus habetur. Hic constituit Credo in unum Deum, ad Missam cantari, ex decreto sanctæ universalis Synodi à 150. Episcopis Constantinopoli celebratæ.

366. Valentinianus Imperator. Hic cum Christianus integra fide Tribunus scutariorum esset sub Juliano Augusto; jussus ab eo aut immolare diis, aut militia excedere, discessit: Et mox, qui dimiserat pro Christo Tribunatum, retribuente Domino, in loco persecutoris sui accepit Imperium apud Nicæam, consensu militum. Qui postea fratrem suum Valentem participem regni fecit. Valens ab Eudoxio Episcopo Ariano baptizatus & persuasus, in sævissimam hæresin declinavit. Horum Imperatorum anno tertio Gratianus Valentiniani filius Imperator creatur. Eodem anno apud Atrebates vera lana de nubibus, pluviæ mista defluxit. Valentinianus ad bellum adversum Sarmatas pergens, subita effusione sanguinis, quod Græci ἀποπληξιν vocant, suffocatus obiit. Post quem Gratianus filius ejus Occidentis Imperium tenuit, Valente patruo ejus in Orientis partibus constituto. Valentinianum etiam fratrem suum parvum admodum, socium creavit Imperii.

367.
368. Eo tempore Athanaricus Rex Gothorum multos Christianos in gente sua crudelissimè persecutus, ad coronam Martyrum sublimavit.

Mediolani Ambrosius Episcopus insignis habetur: qui ex Judice catechumeno, subitò apud Mediolanum divino nutu à cunctis Episcopus electus est, consentiente Imperatore Valentiniano; quique, cum pro fide Catholica libros Gratiano postea Imperatori porrexisset, ac veneratione, qua debuerat, susceptus esset, universa statim Italia sub eodem Gratiano Imperatore ad fidem rectam repedavit; cùm usque ad id tempus Italia, perfidiæ Arianæ morbo langueret. Hic & Augustinum postea Episcopum baptizavit.

369.
370.
371.
372.
373. Apollinaris Laodicenus Episcopus multimoda nostræ religionis scripta componit: qui postea à fide devians, heræsin sui nominis instituit.

374.

Digitized by Google

374.
375.
376.
377. Hilarius Pictavis moritur.

Valens Imperator. Hic effrenata libertatis audacia legem dedit, ut monachi, hoc eſt Chriſtiani, qui dimiſſa ſecularium rerum multimoda actione ad unum opus fidei ſe redigunt, ad militiam cogerentur. Tunc per vaſtas Ægypti ſolitudines Tribuni & milites miſſi, qui ſanctos Dei inde abſtraherent invitos, multa agmina ſanctorum ibi occiderunt.

Tunc primum Hunorum gens diu inacceſſis montibus ſecluſa, repentina rabie percita, exarſit in Gothos, eosque de antiquis ſedibus expulit. Gothi tranſito Danubio fugientes, à Valente ſine fœderis pactione ſunt ſuſcepti: Poſtea in arma ſurgentes, vere lacrymabile bellum in Thracia cum Valente conſeruerunt. Et victus eſt exercitus Valentis. Ipſe Imperator ſagitta ſauciatus, & in fugam verſus, cùm in cujusdam villulæ caſam deportatus lateret, ab inſequentibus hoſtibus deprehenſus ſubitò, igne ſuppoſito, concrematus eſt ab eis: juſto Dei judicio ab illis igne crematus, quos ipſe perfidiæ ſuccenderat igni. Ante ſi quidem, Gothis petentibus, ut eis Epiſcopos mitteret, à quibus fidei rudimenta ſuſciperent, ipſe Valens Doctores ad eos Ariani dogmatis miſit; ſicque univerſa illa gens Ariana effecta eſt. Ipſe enim Valens ab Eudoxio Arianæ hæreſeos Epiſcopo baptizatus & perſuaſus, in ſæviſſimam hæreſin dilapſus eſt, conatusque eſt Catholicos perſequi: ſed fratris auctoritate repreſſus eſt.

378.
379.
380.
381. Magnus pater noſter Baſilius Epiſcopus obiit.

Gratianus Imperator. Hic cum afflictum, & penè collapſum Reipublicæ ſtatum videret, legit Theodoſium Hiſpanum virum, & apud Sirmium eum purpura induit, Orientisque & Thraciæ ſimul præfecit Imperio. Tunc Theodoſius Alanos, Hunos & Gothos incunctanter aggreſſus, magnis præliis, multisque vicit; & cum Athanarico Rege Gothorum fœdus percuſſit: qui & continuò apud Conſtantinopolim obiit. Tunc univerſæ Gothorum gentes Theodoſio ſe dediderunt. Interea cum Theodoſius in Oriente Arcadium filium ſuum conſortem feciſſet Imperii, Maximus, vir ſtrenuus & probus, in Britannia invitus ab exercitu [Imperator] creatus, in Gallias tranſivit: ubi Gratianum Auguſtum dolis circumventum occidit, fratremque ejus Valentinianum Auguſtum Italia expulit; qui in Orientem ad Theodoſium fugiens, benignè ab eo ſuſceptus eſt.

382. Martinus Turonorum Epiſcopus fulget. Et Hieronymus in Bethlehem inſignis habetur.

383. Secundo anno Gratiani Theophilus paſchalem computum ſcribit.

384. Secunda Synodus habita eſt in urbe regia Conſtantinopoli, ſub Damaſo Papa & Gratiano Imperatore à 150. Patribus contra Eudoxium & Macedonium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, qui negabat Spiritum ſanctum Deum eſſe. Sed eadem Synodus conſubſtantialem Patri & Filio Spiritum ſanctum demonſtravit, dans ſymboli formam, quam tota Græcorum & Latinorum confeſſio in Eccleſiis prædicat: & tres canones ibi ſtatuerunt.

385.
386.
387. Siricius Papa Romanam rexit Eccleſiam.

Theodoſius Imperator. Hic juſtis neceſſariisque cauſis ad bellum civile permotus, poſuit in Deo ſpem ſuam, ſeſeque adverſus Maximum Tyrannum proripuit. Itaque indicto bello, Theodoſius, nemine ſentiente, ſola fide major Maximo, (nam longe minor erat in univerſa belli comparatione) vacuas tranſivit Alpes, atque in Aquilejam improviſus adveniens, ubi tunc Maximus, quaſi jam victor reſederat. Nam Andragaſius Comes ejus ſummam belli adminiſtrabat. Illuc itaque adveniens Theodoſius, hoſtem illum magnum Maximum ſine dolo clauſit, cepit, occidit. Andragaſius Comes ejus fugiens, in undis ſuffocatus eſt. Valentinianus receptâ Italiâ, potitus imperio eſt, occiſo etiam Victore filio Maximi. Cùm autem tranquillè viveret apud Viennam, dolo Arbogaſtis Comitis ſui, ut fertur, ſtrangulatus periit. Arbogaſtes ſtatim Eugenium Tyrannum Imperatorem creavit; cum quo contra Theodoſium Imperatorem ad bellum procedit; habentes validas, & bene inſtructas acies: ſed, Deo adjuvante, mirabiliter Theodoſius ſuperavit.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1167.

388.
389.
390.
391.

392. Joannes eremita fulget. Hic Theodoſio victoriam de hoſtibus prædixit, cum contra Eugenium & Arbogaſten patrem ejus ad bellum venit.

393. Anaſtaſius Papa Romanam rexit Eccleſiam. Hic inveniens hæreticos in urbe Romana, damnavit eos, & conſtitutum fecit, ut nullus tranſmarinus in clericatum ſuſciperetur, niſi quinque Epiſcoporum deſignaret chirographum.

394.
395.
396.

397. Innocentius Papa Romanam rexit Eccleſiam. Hic pacis oſculum ante communionem dari decrevit. Hic etiam conſtitutum fecit de Eccleſia. Et Pelagium atque Celeſtium hæreticos damnavit. Et conſtituit, ut qui natus fuiſſet de Chriſtiana, per baptiſmum regeneraretur; quod Pelagius damnavit.

Eugenius captus & interfectus eſt. Arbogaſtes ſua ſeſe manu interfecit. Theodoſius autem compoſita tranquillataque republica, apud Mediolanum obiit, in imperio relinquens Arcadium filium ſuum.

398. Arcadius Imperator. Sub hoc Gildo Comes, qui Africæ præerat, ubi defunctum Theodoſium comperit, novis rebus inhians, ſcilicet fratrem ſuum Maſcezelem timens, duos filios ejus adoleſcentes occidit. Adverſus hunc, ut in hoſtem, Maſcezel frater ejus miſſus eſt; qui Caprariam inſulam adiit, & ſervos Dei aliquantos aſſumens ſecum, cum parva manu, hoc eſt cum quinque millibus, contra 70. millia hoſtium, ſpem ſuam in Deo ponens, pugnavit & vicit. Gildo frater ejus fugiens, ſtrangulatus periit. Poſtea Maſcezel elatus inſolentiâ rerum ſecundarum, poſthabito ſanctorum conſortio, Eccleſias Dei auſus eſt temerare: ſed non impunè. Nam ſtatim occiditur.

Tunc etiam Radagaſus omnium antiquorum præſentiumque hoſtium immaniſſimus repente totam inundavit Italiam. In populo ejus plus quàm ducenta millia Gothorum fuiſſe feruntur. Quem continuò Duces Gothorum quidam, qui præſidium ferebat Romanis, nutu Dei conterritum in Feſulanos montes coëgerunt, eoque ducenta hominum millia, inopum conſilio, cibo, arido & aſpero montis jugo, urgente undique timore concluſerunt; edentibus, bibentibusque Romanis, illi immanes hoſtes, eſurientes, ſitientes, languentesque confecti ſunt. Tam magna multitudo captivorum Gothorum fuiſſe fertur, ut viliſſimorum pecudum modo, ſingulis aureis paſſim greges hominum venderentur.

Radagaſus ſolus ſpem fugæ ſumens, clam ſuos deſeruit, atque in Romanos incidit, à quibus retentus & interfectus eſt.

Arcadius vixit in Imperio 12. annis, & Imperii ſummam Theodoſio filio parvo admodum moriens tradidit.

399.

400. S. Martinus migravit ad Dominum. Severinus Epiſcopus Coloniæ Agrippinæ claret.

401.

402. Auguſtinus eximius doctor fulget.

403.
404.
405.
406.
407.
408.
409.

410. Honorius cum Theodoſio, filio fratris ſui Arcadii, Imperator.

411. Zoſimus Papa Romanam rexit Eccleſiam. Hic conſtituit ut Diaconi lævam tegerent palliis.

412. Ab incarnatione Domini, ab urbe autem condita anno 1164. 9. Kalendas Septembris, Alaricus Rex Gothorum ipſam Romam obſedit, turbatamque irrupit, partemque ejus incendio cremavit; dato prius præcepto ſuis, ut quantum poſſent, prædæ inhiantes à ſanguine temperarent: & ut in ſanctis locis, præcipuè autem in Baſilica ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, neminem fugientium nocerent.

413.

Digitized by Google

413. Septima annotatio Carthaginenſis Synodi habita eſt ſub Honorio Auguſto: in qua Patres 218. ſtatuerunt Canones 23. quorum auctor maximè extitit Aurelius Carthaginenſis Epiſcopus. In eadem Synodo Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus fuiſſe legitur. SÆC. XII. ANNO 1167.

414.

415. Bonifacius Papa Romanam rexit Eccleſiam.

Sub Honorio fuerunt hi tyranni. Stilico Comes, qui ante irruptionem urbis, Eucherium filium ſuum Imperatorem facere conatus, cum ipſo filio juſſu Honorii occiſus cum aliquibus fautoribus ſuis eſt. Poſt hunc Gratianus in Britannia municeps ejusdem inſulæ, Imperator conſtituitur & occiditur. Cujus loco Conſtantinus ſurrexit & cum Conſtante filio ſuo, quem ex monacho Cæſarem fecerat, à Conſtantio Comite Honorii, cui tunc ſumma belli commiſſa erat, occiſus eſt. Conſtans tamen à Gerontio Comite ſuo interfectus eſt apud Viennam, & in locum ejus Maximus quidam ſubſtitutus. Ipſe verò Gerontius à ſuis militibus occiſus eſt. Maximus purpura exutus, in exilium ab Honorio miſſus eſt. Poſtea Jovinus, vir Galliarum nobiliſſimus in tyrannidem mox ut ſurrexit, cecidit. Sebaſtianus frater ejusdem continuò ut Imperator creatus eſt, occiſus eſt. Attalus etiam novis rebus inhians, captus, & ad Conſtantium Comitem deductus eſt, à quo, Honorio præſentatus, manu truncatus eſt. Heraclianus Comes Africæ Conſulatum adeptus, Imperium etiam affectans, cum Sabino genero ſuo Romam vaſtaturus ab Africa venit. Habuiſſe tunc tria millia & ſeptingentas naves dicitur; quem numerum nec apud Xerxem præclarum illum Perſarum Regem, nec apud Alexandrum magnum fuiſſe, hiſtoriæ ferunt; ſed occurſu Comitis Honorii, nomine Marini fugatus Carthagine interfectus eſt. Sabinus captus in exilium miſſus eſt. His tantis incommodis Deo favente ſopitis, & magna induſtria Conſtantii Comitis ſuperatis, Honorius Imperator Gallam Placîdiam Auguſtam germanam ſuam eidem Conſtantio ſuo Comiti fide integerrimo & ingenti viro, magno cunctorum gaudio ſociavit, & eum apud Ravennam in conſortium regni adſcivit.

416. Hoc anno corpora ſanctorum Stephani Protomartyris & aliorum, Luciano Presbytero revelantur.

417.

418.

419.

420.

421. Hoc anno Hieronymus Presbyter ætatis ſuæ anno 97. libros ſuos per 56. annos confecit.

422.

423. Cæleſtinus Papa Romanam rexit Eccleſiam. Hic conſtituit, ut Pſalmi Davidis 150. ante ſacrificium canerentur antiphonatim ex omnibus, quod ante non fiebat; ſed tantum Epiſtola & Evangelium recitabatur. Ex hoc inſtituto excerpti de Pſalmis à B. Gregorio I. Introitus, Gradualia, Offertoria, communiones, cum modulatione ad Miſſam in Eccleſia Romana cantari cœperunt.

424.

425. Theodoſius minor filius Arcadii Imperator.

426.

427. Sub iſto Theodoſio minore fuit octava annotatio Africanæ Synodi; in qua Patres 229. recitaverunt & firmaverunt Canones 105. qui per diverſa Concilia Africanæ provinciæ, temporibus Aurelii Carthaginenſis Epiſcopi leguntur eſſe conſcripta.

428.

429.

430.

431.

432.

433.

434.

435. Valentinianus junior filius Conſtantii Comitis, poſtea Imperatoris, Ravennæ Imperator ordinatur à Theodoſio juniore Imperatore. Tunc Bonifacius, qui tyrannidem arripuerat, in perniciem totius Reipublicæ efferveſcens, Wandalorum, Alanorumque gentem cum Geiſerico eorum Rege ab Hiſpaniis evocatos, Africæ immiſit;

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1167.

sit; qui, cunctam pene Africam ferro, flamma, rapinis crudelissimè devastantes, Catholicam fidem insuper Ariana impietate subvertere quærebant.

436. Augustinus Episcopus Wandalis Hipponem regium obsidentibus, migravit ad Dominum anno vitæ ejus 86. Usque ad illud tempus ducentos 32. perfecerat libros, exceptis innumerabilibus Epistolis & homiliis, & aliis tractatibus popularibus.

437. Hoc anno congregata est Synodus in Epheso metropoli, jubentibus Imperatoribus Theodosio juniore & Valentiniano sub Cælestino Papa; locum ejusdem Papæ obtinente Cyrillo Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopo in ejusdem Synodo: quæ habita est à 196. Episcopis Catholicis. In qua damnatus est Nestorius Constantinopolitanus Episcopus cum suis fautoribus. Qui Nestorius dicebat B. Virginem non Dei, sed tantum modò hominis genitricem. Et duas personas in Christo asserebat; unam, carnis; & aliam deitatis. quæ, eadem Synodus damnavit, ostendens manere in duabus naturis unam personam Domini nostri Jesu Christi. Et 15. capitula contra ejusdem Nestorii blasphemias, & totidem Canones conscripserunt anathematizando.

Geisericus dolo Carthaginem invadit, omnesque opes ejus excruciatis diverso tormentorum genere civibus, in jus suum vertit; nec ab Ecclesiarum dispoliatione abstinens; quas sacris vasis exinanitas, & sacerdotum ministratione privatas, non jam divini cultus loca, sed suorum jussit esse habitacula servorum. Inde universis populis infestus, sed præcipuè nobilibus & religiosis: ut discerni non possit, hominibus magis, an Deo bellum intulerit. Igitur Carthago à Wandalis hoc modo capta est; evolutis ab eo tempore, quo Romano Imperio cœperat parere, annis 478. anno, postquam condita erat, millesimo, ducentesimo, octogesimo nono.

438.

439. Cæliocistus, qui & Sixtus III. Romanam rexit Ecclesiam. Hic criminatorem suum Basum nomine, nutu divino mortuum, manibus suis cum linteaminibus, & aromatibus humanè tractans sepelivit apud B. Petrum.

440.

441.

442.

443.

444.

445. Leo Magnus Papa Romanam rexit Ecclesiam. Hic addidit in Canone, *sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.* Hic & multa super Eutychetis errore scripsit ad Pulcheriam Augustam. Et Eutychianam atque Nestorianam hæresin damnavit. Et ejus industria, habita est quarta Synodus in Chalcedone contra Eutychen Manichæorum Præsulem sub Martiano Imperatore à sexcentis 30. Patribus.

Qui Eutyches asserebat Christum post humanam assumptionem, non ex duabus naturis existere; sed solam in eo divinam naturam permanere; quod eadem sancta Synodus damnavit, prædicans Christum Deum sic natum de Virgine, ut in eo substantiam & divinæ & humanæ naturæ confiteamur. Et 28. Canones statuerunt. Et Dioscorum Alexandrinum quondam Episcopum, defensorem Eutychetis, & rursum Nestorium cum omnibus reliquis hæreticis eadem Synodus damnavit.

446. Flavianus Constantinopolitanus Episcopus Eutychen damnat.

447. Germanus Episcopus Antisiodorensis, & Lupus Treassenus in Britanniam diriguntur. Posthæc Germanus apud Ravennam moritur, quia illic Pelagianæ hæreseos assertores, Britannorum tentabant subvertere fidem. Britanni à Gallorum Episcopis auxilium petentes ad rectæ fidei defensionem. *

448.

449.

450.

451. Martianus & Valentinianus Imperatores. Huic Imperatori Martiano Leo Papa multa fidei dogmata scripsit.

452. Joannes Baptista duobus monachis caput suum manifestat.

Circa hæc ipsa tempora Attila Rex Hunorum, dum regnum inter Pannonias, Daciamque gereret, Macedoniam Mysiamque & Achajam, utrasque etiam Thracias vastaret, immanissima rabie, ad Occidentale regnum, id est, Italiam animum intendit. Sed obsistente Aëtio Romanorum patricio, mox, ut Gallias ingressus est, in bello superatus est. In Pannonias regressus, majorem exercitum coacervans, Italiam furibundus intravit. Et primum Aquilejam in ipso sitam Italiæ principio, expugnavit, & sic Romam tetendit. Sed occurrente ei Leone Papa, non solùm Romæ, sed

&

Digitized by Google

& totius Italiæ ſalutem obtinuit. Nam nutu Dei Attila territus, nil ſacerdoti Chriſti loqui potuit, niſi quod ipſe optavit. Sicque à ſua ſævitia repreſſus Attila, Pannonias rediit relicta Italia. Cumque ibi profuſa convivia exercens, dum tantum vini, quantum nunquam ante, in ſimul bibiſſet, cum ſupinus quieſceret, eruptione ſanguinis, qui ei de naribus ſolitus erat effluere, ſuffocatus exſtinctus eſt, adhuc vivente Martiano Imperatore. SÆC. XII. ANNO 1167.

453. Aëtius Patricius à Valentiniano occiditur.

454. Anatolius Conſtantinopolitanus Epiſcopus Eutychetis errorem damnat. Et à Leone Papa arguitur, quod contra Nicænum Concilium, Antiochenam & Alexandrinam Eccleſias ſibi ſubdere voluiſſet.

455. Paulinus Nolanæ urbis Epiſcopus claruit.

456. Valentinianus Imperator, qui in Occidente regebat, & cum Geiſerico fœdera pacis firmaverat, à quodam milite Aëtii Patricii, quem ipſe Valentinianus invidia ductus juſſerat occidi, confoſſus interiit, Marciano Orientali aulæ præſidente.

Continuò advectus ex Africa navibus adeſt Geiſericus cum validiſſimo ſuæ gentis exercitu; & perculſis Romanis, omnibusque ex urbe fugientibus, urbem omni præſidio vacuam obtinuit Geiſericus; occurrente ſibi Leone ſummo Pontifice. Cujus ſupplicatio eum, ita, Deo donante, lenivit, ut cum omnia in poteſtate ejus eſſent, ab igne tamen, & cæde & ſuppliciis abſtineret. Quatuordecim itaque diebus habita libera ſcrutatione Roma, omnibus opibus ſuis evacuata, à Wandalis eſt capta ſecunda jam vice, poſtquam eam primò Alaricus invaſerat.

Apud Arelatum Hilarius Epiſcopus doctiſſimus atque præclariſſimus vir, qui vitam S. Honorati prædeceſſoris ſui ſcripſit, moritur.

Martianus Imperator facta à ſuis conſpiratione ab eis peremptus eſt.

457.

458. Leo Imperator filius Martiani Imperatoris. Huic Leoni Leo Papa multa ſcripſit.

459. Theodorus Epiſcopus civitatis Syriæ, hiſtoriam Eccleſiaſticam à fine librorum Euſebii ſcribit.

460.

461.

462. Vivente adhuc Valentiniano Imperatore Geiſericus Epiſcopum urbis Carthaginis Quodvult Deus, & maximam turbam clericorum navibus fractis impoſitam, nudos & exſpoliatos expelli præcepit; ſenatorum atque honoratorum multitudinem primò exilio crudeli contrivit: poſtea in transmarinam partem projecit ob Catholicam fidem. Tunc etiam Valerianus Abenſis civitatis Epiſcopus, annorum 80. dum viriliter, ne ſacramenta divina & maximè libros & cætera Eccleſiæ ornamenta inimicis Dei traderentur, dimicaſſet, foris civitatem ſingularis juſſus eſt expelli, & ita nudus ſub aëre jacuit, donec vitam pro Chriſto finiret. Cætera facta iniquiſſima Geiſerici Regis Arriani, & quomodo contra Deum & ejus cultores tumuerit, & qualiter Catholicam fidem exterminare conatus fuerit, & Ariana peſte maculare, in Africana hiſtoria plenè conſcripta inveniuntur.

463.

464.

465.

446. * Hilarius Papa Romanam rexit Eccleſiam.

467. Victorius jubente Papa Hilario, revolutionem magni anni deſcribit. * alias Hilarus.

468.

469.

470. S. Severinus Abbas in partibus Noricorum claruit: qui etiam ſpiritu prophetiæ præditus fuit.

471.

472. Simplicius Papa Romanam rexit Eccleſiam. Hic damnavit Achatium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, & Petrum Alexandrinum Epiſcopum, Eutychianos.

474.

475. Zenon Imperator.

Odoacer cum fortiſſima Herulorum multitudine, fretus inſuper Turcilingorum, ſive Scirorum auxiliis, ab extremis Pannoniæ finibus, in Italiam contendit. Qui dum adhuc per Noricorum rura exercitum duceret, cognita S. Severini fama, qui illis tunc in locis degebat, ad eum, benedictionem petiturus acceſſit. Ingreſſus igitur Odoacer

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1167. cer Italiam, & cernens ſibi proſperos ſucceſſus adcreſcere, ſtatim regiam arripuit dignitatem. Auguſtulus etiam, qui pridem in Italia Imperii præſumpſerat dignitatem, cernens univerſam Italiam Odoacris viribus ſubidi, ſponte purpuram abjecit. Et ita Romanorum Imperium, & Auguſtalis illa ſublimitas, quæ ab Auguſto quondam Octaviano cœpta erat, in hoc Auguſtulo periit. Quo dejecto ab Auguſtali dignitate, Urbem ingreſſus Odoacer, totius Italiæ adeptus eſt regnum.

476.

477.

478. Mortuo Geiſerico Rege Ariano; Hunericus major filius petri ſuccedit. Hic patris imitator, poſt ordinationem Eugenii Epiſcopi, quem ordinari permiſerat Carthagini rogante Zenone Imperatore, cùm jam per 24. annos Carthaginenſis Eccleſia proprio Epiſcopo eſſet deſtituta; ut Severum Arianum eſſe monſtraret, & item publicam faceret perſecutionem Eccleſiæ Dei, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos & alia membra Eccleſiæ, id eſt, quatuor millia nongentos 66. omnes Catholicos, ad exilium Eremi deſtinavit; in quibus erant podagrici quam plurimi; alii per ætatem annorum lumine temporali privati; in quorum numero erat Felix Epiſcopus, habens jam in Epiſcopatu annos 44. qui paralyſi morbo percuſſus, nec ſentiebat quidquam, nec penitus loquebatur. S. quoque Epiſcopum Eugenium in partem quoque eremi relegavit.

479.

480.

481.

482.

483.

484.

485.

486. Felix Papa Romanam rexit Eccleſiam. Hic quoque damnavit Acarium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, & Petrum Alexandrinum Epiſcopum.

487.

488. His temporibus Theodoricus Rex Gothorum ab Orientis partibus veniens, Italiam poſſeſſurus intravit, miſſus ab Zenone Imperatore, qui etiam eum conſularibus faſcibus ſublimaverat, & univerſam Italiam cum ſenatu, & cuncto populo Romano commendaverat adverſus Odoacrem. Odoacer magnis viribus ſæpius cum Theodorico conflixit in ipſa Longobardia, ſed ſemper victus ab eo refugit. Theodoricus Veronam & Mediolanum cum cæteris Italiæ civitatibus obtinuit. Noviſſimè extincto apud Ravennam Odoacre, Theodoricus totius Italiæ adeptus eſt ditionem.

489.

490.

491.

492. Anaſtaſius Imperator. Hic Romani decus Imperii Eutychianæ hæreſeos illuvie maculavit.

493.

494. Gelaſius Papa Romanam rexit Eccleſiam. Hic etiam damnávit Acatium Conſtantinopolitanum Epiſcopum & Petrum Alexandrinum. Hic etiam tractatus & hymnos compoſuit, & Sacramentorum præfationes cauto & elimato ſermone dictavit. Hic etiam libros adverſus Eutychen & Neſtorium compoſuit.

495.

496.

497.

498.

499. Anaſtaſius Papa Romanam rexit Eccleſiam. Hic divino nutu percuſſus eſt, quia voluit occultè revocare Acatium; ſed non potuit.

500. Symmachus Papa Romanam rexit Eccleſiam. Hic conſtituit omni die Dominico, & natalicíis Martyrum, Gloria in excelſis cantari ad Miſſas. quem hymnum Teleſphorus Papa nocte tantum Natalis Domini ad Miſſas à ſe in ipſa nocte inſtitutas cantari inſtituerat; & in eo, ad angelorum verba, quæ ſequuntur, adjecerat. Hic etiam in Wandalica perſecutione - - - - - pecuniam & veſtes per Africam & Sardiniam Epiſcopis in exilium miſſis miniſtravit. In hujus Symmachi Papæ electione tanta diſſentio Romæ facta eſt à fautoribus Laurentii, etiam à quibusdam electi, ut Feſtus ſenatorum nobiliſſimus, & exconſul Probinus, Laurentii partibus faventes adverſus Fauſtum exconſulem, cæterosque, qui Symmacho adhærebant, bellum inferrent,

Digitized by Google

rent, multasque cædes & homicidia in medio urbis facientes, pleroſque ex ſacerdotali numero, multos etiam Clericorum, perplures civium Romanorum exſtinguerent. SÆC. XII. ANNO 1167.

501.
502.
503.
504.
505.

506. Clodoveus Rex Francorum in Galliis regnavit annis 30. Siagrium patricium interfecit. Alaricum Regem Gothorum, qui Romam vaſtaverat, in Aquitania Pictavis in bello occidit. Cunibadum Regem de Burgundia expulit: Alamannos tributarios fecit. Anno 11. regni ſui à S. Remigio Remorum Epiſcopo, unà cum Francis baptizatur.

Mamertus Viennenſis Epiſcopus triduanas litanias inſtituit.

507.
508.
509.
510.
511.

512. Clodoveo Rege Francorum mortuo, quatuor filii ejus, Theodericus, Clodomerus, Childebertus, & Clotarius regnum patris inter ſe diviſerunt.

513.
514.

515. Hormiſda Papa Romanam rexit Eccleſiam. Hic etiam Clerum compoſuit & pſalmis erudivit, & direxit legatos Conſtantinopolim cum Catholico fidei ſcripto, quatenus Anaſtaſium Imperatorem, qui in hæreſi, in quam delapſus fuerat, perſeverabat, ad Eccleſiæ gremium reducerent. Is non ſolùm ſalubria eorum monita ſprevit; ſed inſuper etiam à ſuis conſpectibus non ſine contumelia expulit: ſed non impunè; nam non multò poſt, vi fulminis percuſſus interiit.

516.

517. His temporibus apud Africam defuncto Thraſamundo Wandalorum Rege Arianæ perfidiæ, Hildericus ejus filius ex captiva filia Valentiniani Principis ortus, Wandalorum regnum adeptus eſt. Qui non patrem hæreticum, ſed matris monita ſequens, rectæ fidei cultor extitit. Qui etiam priusquam ad regni jura aſcenderet, univerſos Epiſcopos, quos Thraſamundus pater ejus in exilium coëgerat, regredi fecit, eisque Eccleſias reddi præcepit, octoginta & quatuor annis evolutis, ex quo à Geiſerico primitus apud Africam Eccleſiæ fuerant deſtitutæ.

518.

519. Juſtinus ſenior Imperator. Hic Imperator ſuccenſus ardore Catholicæ fidei, omnimodis ſatagere cœpit, ut Arianorum nomen exſtingueret, ſtatuitque, ut ubique Eccleſias Catholica religione conſecraret. Quod dum in Italia Rex Theodoricus Arianus audiſſet, Joannem Papam cum aliis conſularibus viris & patriciis ad Juſtinum direxit, mandans, ut, niſi hæreticis quantocyus Eccleſias ſuas redderet, eosque in pace degere ſineret, univerſos Italiæ populos ipſe gladio exſtingueret. Qui, dum in itinere morantur, idem Theodoricus rabie ſuæ iniquitatis ſtimulatus, Symmachum exconſulem ac patricium, Boëtium ſenatorem & exconſulem, Catholicos viros trucidavit.

Joannem verò Pontificem, dum reverſus fuiſſet ab Imperatore, & Ravennam veniſſet, ſimul cum ſociis ſuis carceris afflictione peremit: eò quòd eos Juſtinus honorificè ſuſcepiſſet, & petitionem eorum, licet invitus, recepiſſet. Ipſe verò Theodoricus Arianus * 28. poſtquam Joannes Papa mortuus eſt, ſubita morte defunctus eſt, & ejus animam in Vulcani ollam, quæ ibi proxima erat, demergi à Joanne Papa & Symmacho, à quodam ſolitario viſa eſt. * M. S. 98.

520.
521.
522.
523. Joannes Papa Romanam rexit Eccleſia.
524. Felix Papa Romanam rexit Eccleſiam.
525.
526.

527. Juſtinianus Juſtini ex ſorore nepos Imperator. Hic per Beliſarium patricium Perſas

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1167. Perſas fortiter devicit; & per eundem Beliſarium Wandalorum gentem capto rege eorum Gilimere, usque ad internecionem delevit, Africamque totam poſt annos 96. Romano Imperio reſtituit. Rurſus Beliſarii viribus Gothorum gentem in Italia, capto etiam eorum rege ſuperavit. Mauros quoque poſt hæc Africam inſectantes, eorumque Regem, per Joannem Conſulem protrivit. Extruxit quoque Conſtantinopoli templum, cui nullum opus in totis terrarum ſpaciis ſimile poterat inveniri, quod Græco vocabulo ἁγίαν Σοφίαν nominavit.

528.

529.

530. Bonifacius Papa Romanam rexit Eccleſiam.

531.

532. Joannes qui & Mercurius Papa, Romanam rexit Eccleſiam.

Romæ Dionyſius Abba Paſchales deſcripſit circulos, incipiens ab anno 532. qui eſt annus Diocletiani Principis 247.

Victor quoque Capuanus librum de Paſcha ſcribens, Victorii arguit errores.

533.

534. Agapitus Papa Romanam rexit Eccleſiam. Hic ingreſſus Conſtantinopolim ad Juſtinianum Imperatorem, Antimum Epiſcopum ejusdem urbis, qui duas in Chriſto naturas negabat, depoſuit, & pro eo Menam Catholicum conſecravit.

535. Silverius Papa Romanam rexit Eccleſiam. Hic à Beliſario invito, juſſu tamen Theodoræ Auguſtæ, in exilium mittitur, & ibi moritur; eo quod Antimum hæreticum Conſtantinopolitanum Epiſcopum recipere noluiſſet.

536. Caſſiodorus primum Romæ Conſul, deinde ſenator, ad extremum monachus factus claruit.

537. Vigilius Papa Romanam rexit Eccleſiam. Hic à Juſtiniano in exilium mittitur, eò quod nollet revocare Antimum Conſtantinopolitanum Epiſcopum. Poſtea revocatus ab exilio, cùm reverteretur, in Sicilia civitate Siracuſana calculi dolore obiit. Beliſarius patricius, poſt multas & inſignes victorias Romam veniens, auream crucem centum librarum, precioſiſſimis gemmis ornatam, in qua ſuas victorias deſcripſerat, beato Petro, per manus Vigilii Papæ obtulit.

538. Arator etiam Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus claret.

539. Benedictus Abbas in Caſſino monte poſt ſolitariam vitam, futurorum præſcius, virtutibus radiabat.

540. Temporibus hujus Juſtiniani Imperatoris ſub Vigilio Papa, habita eſt quinta Synodus in urbe regia Conſtantinopoli contra Theodorum & omnes hæreticos. Qui Theodorus dicebat eſſe alium Deum Verbum, & alium Chriſtum; & ſanctam Virginem negabat Dei genitricem fuiſſe, ſed hominis tantum fuiſſe dicebat. quod eadem Synodo iterum damnavit, & 14. capitula contra Theodorum & ſocios ejus ſcripſerunt.

541.

542.

543.

544.

545.

546.

547.

548.

549.

550.

551.

552.

553.

554. Pelagius (I.) Papa Romanam rexit Eccleſiam. His temporibus Totila Rex Gothorum collecto undique exercitu, univerſam Italiam invadit, & Romam veniens, eam obſidionibus circumdedit: quæ tunc tantam famis penuriam paſſa eſt, ut præ magnitudine inopiæ, natorum ſuorum carnes comedere vellent. Feſſis denique Romanis, nec valentibus reſiſtere, Totila, aperta porta Oſtienſi, urbem ingreſſus eſt; & cupiens parcere Romanis, per totam noctem clangere buccina juſſit, ut ſe à Gothorum gladiis, in Eccleſiis, aut quibuſcunque locis occulerent. Et habitavit aliquantis temporibus cum Romanis, quaſi pater cum filiis, quibus tamen antea erat infeſtiſſimus. Elapſi ſanè ex urbe aliqui è numero ſenatorum, Conſtantinopolim properant,

Digitized by Google

rant, & quibus calamitatibus Romani ſubjicerentur, principi narrant. Qui ſtatim Narſen eunuchum ſuum cubicularium cum manu valida dirigit. Qui ad Italiam veniens, maximo cum Gothis ſæpiſſime conflixit certamine. Sæc. XII. Anno 1167.

555.
556.
557. Hildebertus Rex Francorum, filius Clodovei, cum exercitu Hiſpaniam intrat. Clotarium filium fratris ſui Clodomeri cultro confodit. Theodoricus etiam Rex, filius Clodovei moritur, Theodobertus filius ejus poſt eum regnat.
558.
559.
560.
561.
562.
563.
564.
565. Juſtinus minor Imperator.
566. Joannes Papa Romanam rexit Eccleſiam. Hic Eccleſiam Philippi & Jacobi Apoſtolorum, quam prædeceſſor ejus Pelagius cœperat, perfecit & dedicavit.

Narſes patricius Totilam regem Gothorum in Italia occidit. Idem Narſes cum Ducibus Theodoberti regis Francorum pugnavit, qui Italiam deprædabantur, eosque ſuperavit.

Hildebertus & Clotarius Reges Francorum cum exercitu Romam intrant. Albuinus etiam, qui tunc decimus Longobardis imperabat, & filiam Clotarii regis Francorum in matrimonio habuit, Italiam cum Longobardis intravit, conceſſa Hunis Pannonia. Theodebertus quoque Rex Francorum Italiam intrat, & cum Longobardis certamen init, eosque ſuperat. Poſt in Franciam reverſus moritur. Hildebertus etiam Rex Francorum non multo poſt tempore Pariſiis moritur. Regna, quæ fratres & nepotes tenuerunt, in Clotarii rediguntur poteſtatem. Poſt hæc etiam Clotarius ipſe moritur, & quatuor filii ejus regna inter ſe diviſerunt. Heresbertus, regnum Hildeberti: Gundrammus, regnum Clodomeri: Hilpricus, regnum Clotarii; Sigebertus, regnum Theodorici. Sigebertus ex Brunichilda regina filium nomine Hildebertum habuit. Hercebertus judicio Dei percuſſus, moritur. Regnum ejus Sigebertus arripuit. Hilpricus ex Audovera tres filios habuit, Theodebertum, Meroveum, & Clodoveum.

567.
568.
569.
570.
571.
572.
573.
574.
575. Tiberius Conſtantinus Imperator.

Gregorius ſub Tiberio Apocriſarius in Conſtantinopoli, libros expoſitionis in Job condit: Et Eutychium ejusdem urbis Epiſcopum, in fide noſtræ reſurrectionis erraſſe, Tiberio præſente convicit: ita ut ipſe Auguſtinus librum quem de reſurrectione idem Eutychius ſcripſerat, ſuis quoque Catholicis allegationibus deſtruens, deliberaret flammis cremari.

Tunc etiam gens Longobardorum Rege ſuo Aluvino comitante, fame & mortalitate omnem invadit Italiam, ipſamque Romanam obſidet urbem.

Theodebertus juſſu patris ſui Hilprici regis, trans Ligerim regionem, quam avunculus ejus Herecbertus tenuerat, occupavit: & ob dignitatem Flavium appellaverunt, quo prænomine Longobardorum Reges uſi ſunt. Childebertus ſororem ſuam Ingundam Hermingildo Levigildi Hiſpanorum Regis filio in matrimonium dedit: quem pater ipſius, eo quod ad prædicationem Leandri Epiſcopi Hiſpanienſis ad fidem converſus eſſet, in ipſo Paſchali die, ſecuri percuſſit: Pro quo Childebertus bellum adverſus Hiſpanos gerens, eorum acies ſuperavit.

Eo tempore fuit aquæ diluvium in finibus Venetiæ & Luguriæ, ſeu in cæteris regionibus Italiæ, quale poſt Noë tempus creditur non fuiſſe. Subſecuta eſt ſtatim peſtis inguinaria, quæ tanta ſtrage populum devaſtavit, ut de inæſtimabili multitudine pauci remanerent.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1167.

576.
577. Benedictus Papa Romanam rexit Ecclesiam.
578.
579.
580.
581. Pelagius, (II.) Romanam rexit Ecclesiam.
582. Mauritius Imperator. Hic primus de Græcis regnavit. Iste Hildeberto Regi Francorum quinquaginta millia solidos per suos legatos misit, ut Longobardos de Italia expelleret. Qui cum Francis Italiam intravit. Sed primò Longobardi munera ei tribuerunt, & pacem cum eo fecerunt. Postea verò idem à Mauritio pro eâdem causa exoratus, secundò exercitum in Italiam direxit, & commissa pugna cum Longobardis, quorum Rex tunc erat Otharius, cujus prænomen erat Flavius, sicut & reliquorum Regum Longobardorum, & Theodelindam Gerbaldi Bajoariorum Ducis filiam uxorem habuit, Francorum acies graviter attritæ sunt. Iterum Childebertus in Italiam exercitum Francorum cum 20. Ducibus, adversum Longobardos direxit: qui per tres menses Italiam pervagantes plurima castra depositerunt, & innumerabilem multitudinem captivorum inde deduxerunt. Per idem tempus Rex Otharius moritur, & Agilulphus Dux accepta Theodelinda regina in conjugium, pro eo regnavit super Longobardos. Quibus beatus Gregorius Papa de pace inter Longobardos & Romanos conservanda, multa scripsit. Prædictæ etiam reginæ quatuor libros, quos de vitis sanctorum composuit, quos Dialogorum codicem appellavit, transmisit. Per hanc reginam multum utilitatis Ecclesia consecuta est.
583.
584. His temporibus S. Ruodbertus Juvavensis Episcopus claruit.
585.
586.
587.
588.
589.
590.
591. Gregorius I. Papa Romanam rexit Ecclesiam.
592.
593.
594.
595.
596. Hoc anno B. Gregorius Papa Synodum Episcoporum 24. congregans, Indictione 13. ad corpus beati Apostoli Petri de necessariis Ecclesiæ decernit; & eorum consilio missis in Britanniam Augustino & Mellito & Joanne, & aliis pluribus monachis timentibus Deum, Anglorum gentem convertit.
597.
598.
599. Hoc anno Gregorius Papa scribens Augustino, Lundoniæ quoque & Eboraci Episcopis; accepto à sede Apostolica pallio, Metropolitanos esse debere decernit Indictione 4. quia jam Edelredus Rex Cantuariorum, & alii Reges Anglorum ipsum Augustinum Doctorem suum: sed & cæteros sacros Antistites, Episcopalibus sedibus donaverat & sublimaverat.

Per idem tempus Hilpricus Rex moritur, & Clotarius adhuc puer in regno sublimatur. Hildebertus etiam moritur, & Theobertus filius ejus regnum patris obtinuit. Theodericus etiam filius ejus, id est, Hildeberti, regnum Gundrammi, id est, Burgundiam possedit: hujus Regis Major domus fuit S. Arnulphus.

His temporibus venit sanctus Columbanus cum beato Gallo, & aliis probatis disciplinis ex Hibernia in Burgundiam; & ibi permittente Theodorico Rege, monasterium, quod Luxovium dicitur, ædificavit. Postea inde fugatus, Alemanniam ingressus, ubi sanctum Gallum reliquit; inde in Italiam transiens, monasterium, quod Bobium dicitur, construxit. Sanctus etiam Goar ex Aquitania veniens per idem tempus in territorio Treverensi Oratorium construxit. Tunc etiam cœnobium S. Benedicti Abbatis à Longobardis noctu invaditur: Monachi fugientes Romam petierunt.
600.
601. Mauritius Imperator cum filiis suis Theodosio, Tiberio, & Constantino à Phoca, qui fuit strator Prisci Patricii, occiditur, qui etiam pro eo regnat.
602.
603.

Digitized by Google

603. Phocas Imperator. SÆC. XII. ANNO 1167.

604. Hoc anno, id eſt, ſecundo anno Phocæ, præclariſſimus Papa B. Gregorius migravit ad Dominum indictione 8.

605. Sabinianus Papa.

Perſæ adverſum Romanos graviſſima gerunt bella, & Hieroſolymam intrantes, vexillum Dominicæ crucis aſportant cum rege eorum Coſdroë.

In Francia inter Theodericum & Theodebertum fratres graviſſimum bellum oritur. Theodebertus victus à fratre trucidatur, & duo filii ejus. Poſt hæc etiam Theodoricus cum duobus filiis occiditur. Regna quæ tenuerant, in poteſtatem Clotarii ceſſerunt. Agilulphus Rex Longobardorum moritur, & Rodoaldus filius ejus pro eo regnat.

606. Bonifacius Papa. Hic obtinuit apud Phocam, ut ſedes Apoſtolica eſſet ſedes & caput omnium Eccleſiarum. quia Eccleſia Conſtantinopolitana primam ſe omnium Eccleſiarum ſcribebat.

607. Bonifaciu (II.) Papa Romanam rexit Eccleſiam. Hic petiit Phocam Imperatorem, ut in veteri fano, quod Pantheon vocabatur, quod à * Domitiano Cæſare fuerat conſtructum, Eccleſiam ſibi liceret conſecrare, ablatis idololatriæ ſordibus, in honorem beatæ ſemper Virginis MARIÆ, & omnium Martyrum, ut ubi quondam omnium non deorum, ſed dæmoniorum cultus agebatur; ibi deinceps omnium fieret memoria Sanctorum: quæ ab illo tempore Kalendis Novembris, in urbe Roma celebris & generalis agitur.

* immò à Marco Agrippa.

608.

609.

610.

611. Heraclius Imperator. Hic adverſus Perſas bellum aggreſſus, occiſo Coſdroë eorum Rege, Perſas in deditionem accepit, & lignum ſanctæ Crucis Hieroſolymam, unde ablatum fuerat, cum magna veneratione reſtituit.

612. * Theodatus, vel Deus dedit Papa.

* aliis Theodotus.

613.

614.

615. Bonifacius III. Papa Romanam rexit Eccleſiam.

616.

617.

618. Honorius Papa Romanam rexit Eccleſiam. Hic Scotos in obſervatione Paſchæ errantes, per Epiſtolam coarguit.

619.

620. Per idem tempus Major domus in Palacio Clotarii regis Arnulphus, vir, ut poſtmodum claruit, Deo amabilis. Huic Dagobertus filius Clotarii in annis puerilibus poſitus, traditus eſt à genitore, ut eum ſecundum ſuam ſapientiam enutriret. Qui, poſtquam ad virilem ætatem pervenit, cum Pippino Duce in * Auſtria regnaturus à patre dirigitur. Hic Dagobertus poſtea cum Saxonibus dimicans, graviter ab eis vulneratur, patremque in auxilium vocat: Qui feſtinus cum exercitu veniens, Saxones ita armis perdomuit, occiſo eorum Duce, ut omnes virilis ſexus ejusdem terræ incolas, qui gladii, quem tunc fortè gerebat, longitudinem exceſſiſſent, peremerit.

* Neuſtria fortè.

621.

622.

623.

624.

625.

626. Rodoaldo Longobardorum rege mortuo, Rotharius ejus regno præficitur.

627.

628.

629.

630.

631. * Severinus Papa Romanam rexit Eccleſiam.

632. Joannes (IV.) Papa Romanam rexit Eccleſiam.

633.

634. Theodorus Papa Romanam rexit Eccleſiam.

Cyrus Alexandriæ, Sergius & Pyrrhus regiæ urbis Epiſcopus unam operationem & unam voluntatem in Chriſto dogmatizabant, & ob hoc ab Apoſtolica ſede, & aliis Epiſcopis damnati ſunt.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1167.

635.
636.
637. Heracleonas filius Heraclii cum matre ſua Martina Imperator.
Tunc etiam Synodus bis habita eſt in urbe Toletana, ubi plurima de fide Catholica & religione Chriſtiana promulgata ſunt, & ſcriptis roborata.
638.
639. Conſtantinus filius Heraclii, frater Heracleonæ Imperator menſibus ſex; poſt eum Conſtantinus filius ejus Imperator.
Hic Conſtantinus * ſecundus à Paulo ſucceſſore Pyrrhi hæretico; qui non tantum veſana doctrina, ſed etiam aperta perſecutione Catholicos cruciabat, deceptus, hæreticus efficitur; expoſuitque typum adverſus Catholicam fidem: nec unam, nec duas voluntates aut operationes in Chriſto eſſe confitendas: quaſi nihil velle, vel operari credendus ſit Chriſtus.
640. Martinus Papa Romanam rexit Eccleſiam.
641.
642.
643.
644. Rothario Longobardorum rege mortuo, Grimoaldus regnum obtinuit. Clotarius etiam Rex Francorum moritur; & Dagobertus monarchiam totius Imperii obtinuit cum fratre ſuo Heriberto.
645.
646.
647. Hoc anno, menſe Octobri, Indictione 8. Martinus Papa congregata Romæ Synodo centum quinque Epiſcoporum damnavit ſub anathemate Cyrum, Sergium, Pyrrhum & Paulum hæreticos. Et poſt hæc miſſus ab Imperatore Theodorus Exarchus, tulit Martinum Papam de Eccleſia Conſtantiniana, perduxitque Conſtantinopolim: & poſtea relegatus Cherſonam, ibidem vitam finivit, multis in eodem loco virtutum ſignis uſque hodie refulgens.
His diebus Conſtantinus Auguſtus Italiam à Longobardorum manu eripere cupiens, Conſtantinopoli egreſſus Athenas venit: Inde, Tarentum; inde, Beneventum intravit, omnesque penè civitates Longobardorum, per quas venerat, cœpit, Lucenariam uſque ad ſolum proſtravit. Inde Romam perrexit; cui Apoſtolicus cum ſacerdotibus & populo Romano occurrit. Qui obtulit B. Petro pallium auro textile: Et manens apud Romam duodecim diebus; omnia, quæ fuerant antiquitus inſtituta ex ære, in ornamentum civitatis diſpoſuit; in tantum, ut etiam Eccleſiam beatæ MARIÆ, quæ aliquando Pantheon vocabatur, diſcooperiret, tegulasque æreas inde auferret. Poſt hæc, Neapolim reverſus eſt, & ingreſſus Siciliam, habitavit in Siracuſa. Manſit autem in Sicilia annis ſex. Ibi poſt plurimas & inauditas deprædationes in balneo à ſuis exſtinctus eſt.
Hoc audiens gens Sarracenorum, ſubitò cum multis navibus veniens, Siciliam invadit; Siracuſas ingreditur, multamque ſtragem facit populorum; auferens quoque prædam nimiam, & omnem illum ornatum, quem Conſtantinus à Roma attulerat, reverſa eſt.
648.
649.
650.
651.
652.
653.
654. Eugenius Papa Romanam rexit Eccleſiam.
655.
656.
657. Vitilianus Papa Romanam rexit Eccleſiam.
658.
659.
660.
661.
662.
663.
664.
665.

666

Digitized by Google

666. SÆC.

997. Conſtantinus filius ſuperioris Conſtantini Imperator. Hic congregari fecit XII.
150. Epiſcopos in urbe regia. Inter quos etiam fuerunt miſſi ab Agathone Papa Le- ANNO
gati Romanæ Eccleſiæ, Joannes Diaconus, & Joannes Portuenſis Epiſcopus, 14. 1167.
anno Imperii ſui. Qui omnes hæreſin damnaverunt, quæ unam operationem & voluntatem in Domino noſtro aſſeverat. Et Georgius quidem Patriarcha Conſtantinopolitanus correctus eſt; cæteri in ſua defenſione perſiſtentes, anathematizati ſunt ultione Dei percuſſi.

Hæc eſt ſexta Synodus univerſalis Conſtantinopoli celebrata, & Græco ſermone conſcripta temporibus Papæ Agathonis & Conſtantini Principis, habita contra Macarium Antiochenum Epiſcopum & ſocios ejus. Ubi etiam ab iiſdem Patribus ſub Juſtiniano juniore filio ejusdem Conſtantini, quando ſecundò habita eſt eadem Synodus, 9. Canones conſcripti ſunt.

Recta autem fides eſt, & vera, ut in Domino noſtro ſicut duæ ſunt naturæ, Dei & hominis, ſic etiam credantur duæ eſſe voluntates & operationes.

668. Adeodatus Papa Romanam rexit Eccleſiam.

669.

670.

671. Domnus Papa Romanam rexit Eccleſiam.

672. Agatho Papa Romanam rexit Eccleſiam. His temporibus facta eſt eclipſis ſolis 5. nonas Maii, moxque ſubſecuta eſt graviſſima peſtis tribus menſibus, Julio, Auguſto, Septembri. Tunc viſibiliter multis apparuit; quia bonus & malus angelus noctu per civitatem pergens, & ex juſſu boni angeli malus angelus, qui videbatur venabulum manu ferre, quotiens de venabulo oſtium cujusque domus percuſſiſſet, tot de eadem domo ſequenti die homines interierunt. Eodem tempore Conſtantinus Auguſtus rogavit Dagobertum Regem Francorum, ut omnes Judæos regni ſui, ſecundum fidem Catholicam aut baptizari præciperet, aut de regno expelleret, ſi nollent. Et rex ſummo ſtudio hoc peregit.

673.

674.

675.

676.

677.

678.

679. Leo junior Papa Romanam rexit Eccleſiam. Hic eloquentiſſimus, & in divinis ſcripturis ſufficienter eruditus, Græca, Latinaque lingua inſtructus; hic etiam confirmavit ſanctam ſextam ſynodum; in qua damnati ſunt Cyrus, Sergius, Honorius, Pyrrhus, Paulus, Petrus, Macarius, Stephanus & Polycronius novus Simon; qui omnes unam voluntatem, & operationem unam in Domino Jeſu Chriſto prædicabant.

680. Benedictus Papa Romanam rexit Eccleſiam.

681. Joannes ( ) Papa Romanam rexit Eccleſiam.

Grimoaldus rex Longobardorum moritur: Et Betharius regnum ejus obtinuit; qui Cunibertum filium ſuum conſortem regni fecit.

682. Conon Papa Romanam rexit Eccleſiam.

683. Sergius Papa Romanam rexit Eccleſiam. Hic conſtituit, ut inter communicandum, Agnus Dei à Clero cantetur. Hic etiam, quia erraticæ ſynodo, quam Juſtinianus Conſtantinopoli fecerat, favere & ſubſcribere noluit, miſſo Zacharia Proſpathario ſuo, Conſtantinopolim portari juſſus eſt. Sed prævenit militia Ravennatis Urbis, vicinarumque partium juſſa Principis nefanda; & eundem Zachariam contumeliis & injuriis ab Urbe repulit.

684. Juſtinianus minor filius ſuperioris Conſtantini, Imperator. Hic conſtituit pacem cum Sarracenis decennio, terra, marique. Sed & provincia Africa ſubjugata eſt Romano Imperio, quæ fuerat tenta à Sarracenis.

685. Kilianus Epiſcopus Wirziburgenſis, & Arnualdus ejus diſcipulus clareſcunt.

686. Dagobertus Rex Metas veniens, cum conſilio Pontificum & procerum filium ſuum Sigebertum in regno Auſtriæ ſublimat, & ipſe non multo poſt moritur. Regnum ejus, ſicut ipſe vivus diſpoſuerat, filii ejus tenuerunt. Regnum *Neptricum & Burgundiæ Lodowicus filius ejus admodum parvus obtinuit.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1167.

687. Pippinus Anſgiſi filius obtinuit regnum Francorum cum regibus ſibi ſubjectis; ſub Conſtantino Papa.

688.

689. Cuniberto Rege Longobardorum mortuo, Heribertus Dux Taurinenſium regnum obtinuit.

690.

691. His temporibus Willibrordus cognomento Clemens de Britannia in Gallias tranſiens, à Sergio Papa in Epiſcopum * Freſonum conſecratur.

*Sic. M. S. & ritè.

692. Juſtinianus ob culpam perfidiæ regni gloria privatus à Leone, exul in Pontum ſecedit.

693.

694.

695. Leo Imperator. Hic Auguſtalem civitatem arripiens, Juſtinianum regno privavit, eumque exulem in Ponto ſervavit.

Sergius Papa in ſacrario S. Petri capſam argenteam in angulo obſcuriſſimo, & in ea crucem diverſis & precioſis lapidibus adornatam, Domino revelante, reperit; de qua tractis quatuor petalis, in quibus gemmæ incluſæ erant miræ magnitudinis, portionem ligni ſalutiferi Dominicæ crucis invenit interius repoſitam: quæ ex tempore illo, annis omnibus in baſilica Salvatoris, quæ appellatur Conſtantiniana, die exaltationis ejus, ab omni oſculatur, atque adoratur populo.

696. Cutbertus Lindisfarnenſis Eccleſiæ antiſtes, cujus vitam ac virtutes Beda proſa & hexametris verſibus conſcripſit, obiit.

697.

698.

699. Tiberius Imperator. Hic contra Leonem inſurgens regnum ejus invaſit, eumque toto, quo ipſe regnavit tempore, in eadem civitate in cuſtodia tenuit. Eo tempore Lambertus Tungrenſis Epiſcopus claruit.

700. Joannes Papa Romanam rexit Eccleſiam. Giſulphus Dux Beneventum & Campaniam igne & gladio, & captivitate vaſtavit. Joannes Papa univerſos, quos idem Giſulphus cœperat, redemit, atque Longobardos domum redire fecit.

Defuncto Giſulpho Duce Beneventano, Romaldus filius ejus locum ejus obtinuit.

701. Beda monachus in Anglia claruit.

702. Joannes Papa Romanam rexit Eccleſiam.

Herebertus Rex Longobardorum, multas curtas & patrimonia Alpium Cottiarum, quæ quondam ad jus pertinebant Apoſtolicæ ſedis, ſed à Longobardis tempore multo fuerant ablata, reſtituit juri ejusdem ſedis, & hanc donationem aureis ſcriptam literis Romam direxit.

703. Ansbrandus, qui apud Bajoariam ſeptem exulaverat annos, cum Bajoariis in Italiam venit; cum Hereberto Longobardorum rege pugnavit, eumque vicit; & poſt eum regnum obtinuit tres tantum menſes. Quo mortuo filius ejus Luitprandus pro eo regnavit. Hic donationem patrimonii Alpium Cottiarum, quam Herebertus rex fecerat, & ipſe repetierat, admonitione venerabilis Papæ Gregorii, ſedi Apoſtolicæ confirmavit.

704.

705.

706. Juſtinianus ſecundò cum Tiberio filio ſuo Imperator. Hic auxilio Terbelli regis * Bulgarorum regnum recipiens, eos, qui ſe expulerant, patricios occidit. Leonem & Tiberium Imperatores cœpit, & coram omni populo jugulari præcepit. Hunc Juſtinianum Leo in expulſione ejus naſo truncari fecerat. Qui, cum exercitum mitteret in Pontum, multum prohibente Apoſtolico Conſtantino, ad comprehendendum Philippicum, quem * ibi relegaverat; converſus omnis exercitus ad partem Philippici, fecit eum ibidem Imperatorem; reverſuſque cum eo Conſtantinopolim, pugnavit contra Juſtinianum ad duodecimum ab Urbe milliarium, & victo atque occiſo Juſtiniano, regnum obtinuit Philippicus.

*M.S. Vulgarorum.

*eò forìè.

707.

708. Conſtantinus Romanam rexit Eccleſiam. Hunc Juſtinianus Imperator ad ſe venire jubens, honorificè ſuſcepit ac remiſit, ita ut eum miſſas ſibi facere jubens, communionem de manu ejus acceperit, & eum, proſtratus in terram pro ſuis peccatis intercedere rogans, cuncta Eccleſiæ privilegia renovaverit.

709.

Digitized by Google

709.
710.
711.
712. Philippicus Imperator. Hic Conſtantino Papæ literas pravi dogmatis miſit; 1167.
quas ille ſprevit cum Apoſtolicæ ſedis concilio: Et hujus rei cauſa fecit picturas in Porticu S. Petri, quæ acta ſex ſanctarum ſynodorum univerſalium continerent. Nam & hujuſmodi picturas, cum haberentur in Urbe regia, Philippicus juſſerat auferri. Unde nec ejus effigies in Eccleſiam introducta eſt; nec nomen ejus ad Miſſarum ſolennia prolatum. Statuitque populus Romanus, ne hæretici Imperatoris nomen, aut chartas, aut figuram ſolidi ſuſciperent. Contra Philippicum Anaſtaſius, qui & Arthenius dictus eſt, inſurgens, eum de regno expulit, oculiſque privavit.
713.
714. Anaſtaſius Imperator. Hic Claſſem Alexandriam contra Sarracenos miſit: exercitus autem ejus de itinere reverſus, Theodoſium Imperatorem coactum in Imperio confirmaverunt. Qui etiam apud Niceam civitatem Anaſtaſium gravi prælio vicit, & pro eo regnavit: datoque ſibi ſacramento, Clericum eum fieri, ac Presbyterum fecit ordinari.

Hic etiam literas Conſtantino Papæ per Scholaſticum Patricium & Exarchum Italiæ direxit; quibus ſe fautorem Catholicæ fidei & ſexti Concilii prædicatorem declaravit.

715. Pippinus Major domus obiit: & Carolus filius ejus regnum Francorum obtinuit.

716. Gregorius Papa Romanam rexit Eccleſiam. Hic inſtituit in Canone à Sacerdote dicendum: *quorum ſolennitas hodie in conſpectu tuæ majeſtatis celebratur Domine Deus noſter toto Orbe terrarum, & omnium ſanctorum tuorum quorum meritis precibusque concedis, &c.*

Luitprandus Rex Longobardorum audiens, quod Sarraceni depopulata Sardinia etiam illa loca fœdarent, ubi oſſa S. Auguſtini Epiſcopi propter vaſtationem Barbarorum olim tranſlata, & honorifice fuerunt recondita, miſit, & dato magno precio accepit & tranſtulit ea in Ticinis; ibique cum debito tanto Patri honore recondidit.

717. Theodoſius Imperator. Theodoſius mox, ut regnum obtinuit, cùm eſſet Catholicus, imaginem illam venerandam, in qua ſanctæ ſex ſynodi erant depictæ, & à Philippico fuerant dejectæ, priſtino in loco reſtituit in Urbe regia.

718. Leo Imperator cum Conſtantino filio ſuo.
719.
720.
721.
722. S. Corbinianus Friſingenſis Epiſcopus claruit.
723.
724.
725.
726.
727. Conſtantinus filius Leonis cum Leone filio Imperator.
728.
729. Gregorius Papa Romanam rexit Eccleſiam.

Hic caſtus & in divinis ſcripturis eruditus fuit, & in Germania per Bonifacium Epiſcopum verbum ſalutis prædicavit.

Hic etiam quadrageſimali tempore, ut quinta feria jejunium, atque miſſarum celebratio fieret, quod non agebatur, inſtituit, & addidit in Canone, *intra quorum nos conſortium non æſtimator meriti, &c.*

730.
731.
732.
733.
734.
735.
736.
737.
738.
739. Zacharias Papa Romanam rexit Eccleſiam. Ad hunc miſit * Pippinus Rex * Caroli filius.
Francorum Legatos, ut interrogarent de regibus in Francia (qui illis tunc tempori-
bus

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1167. bus non habentes regiam poteſtatem, reges vocabantur) ſi bene eſſet, an non? Qui mandavit, melius ſibi videri, illum Regem vocari, qui poteſtatem haberet, ne Chriſtianitatis ordo turbaretur.

740.

741. Carolus filius Pippini Major domus, & bellicoſiſſimus Dux Francorum mortuus eſt, Pippinus & Carolomannus filii ejus, regnum Francorum inter ſe diviſerunt in loco, qui dicitur, Vetus Pictavis.

742.

743. Carolomannus & Pippinus contra Odilonem Ducem Bajoariorum duxerunt exercitum, & pugna commiſſa, ipſi victores extiterunt.

744. Pippinus & Carolomannus Saxoniam cum exercitu ingreſſi ſunt.

745.

* *Soracte, forte.* 746. Carolomannus frater Pippini Romam perrexit, ibique ſe totondit, & in * Serapte monte monaſterium ædificavit in honore S. Sylveſtri. Poſtea in montem Caſſinum tranſiens monachus factus eſt.

747.

* *M. S. Teſſilo.* 748. * Taſſilo Bajoariorum Dux conſtituitur. Gripho de Saxonia fugiens in Bajoariam venit, ipſumque ducatum ſibi ſubjugavit. Haltrudem cum Teſſilone cœpit, & ſuæ ditioni ſubjecit. Pippinus cum exercitu in Bajoariam venit, omnesque ſupra nominatos ſibi ſubjugavit. Griphonem in partes Neuſtriæ miſit, & ei duodecim comitatus dedit: & Taſſilonem Ducem Bajoariorum conſtituit.

749. Zacharias Papa per auctoritatem Apoſtolicam juſſit Pippinum Regem, Francorum Regem creati, & ſanctæ unctionis oleo injungi, quod ante non fiebat.

750. Stephanus Papa Romanam rexit Eccleſiam.

751. Stephanus Papa venit in Franciam ad Regem Pippinum, ſolatium & adjutorium quærens pro oppreſſione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quam faciebat * Aiſtulphus Rex Longobardorum: & pro requirendis juſtitiis ſancti Petri, * quas Eccleſiæ Rex contradicebat. Et ibidem inter oblationem ſacrificii unxit in Reges Francorum ſecundo Regem Pippinum, & duos filios ejus Carolum & Carlomannum, & Bertradam conjugem Pippini indutam cycladibus regiis. Et proceres Francorum obteſtatus eſt, ut nunquam de altera ſtirpe Regem ſuper ſe præſumant conſtituere, niſi de eorum progenie, quos Dominus dignatus ſit ad ſedem Apoſtolicam tuendam eligere. Pippinus Rex Italiam ingreſſus, Papiam obſedit; Aiſtulphum obſidione cinxit; qui rurſum, ut prius fecerat & fefellerat, de juſtitiis ſancti Petri firmitatem dedit, ut ſtabiles permanerent; & inſuper Ravennam cum Pentapoli, & omni Exarchatu conquiſivit, & ſancto Petro tradidit. Qui etiam poſtea judicio Dei percuſſus, ſubitò vitam finivit.

* *M. S. Haiſtulfus.* * *ob, forte.*

752. Bonifacius Epiſcopus à paganis in Freſia interfectus Martyr occubuit.

753.

754.

755.

756. Paulus Papa Romanam rexit Eccleſiam. Conſtantinus Imperator miſit Regi Pippino cum aliis donis regalibus organum unum. Eodem anno Taſſilo Dux Bajoariorum ſacramenta multa juravit Pippino & filiis ejus ſupra corpus ſancti Dionyſii, Martini, & ſancti Germani, & ſuus eſt effectus. Similiter ejus homines meliores fecerunt.

757. Pippinus rex iter fecit in Saxoniam, & multas ſtrages fecit de populo Saxonum. Et tunc promiſerunt ſe omnem voluntatem Regis facturos; tributum etiam præſentandum, equos ſcilicet 300. per ſingulos annos.

758.

759. Leo filius Conſtantini Imperator.

760.

761.

762. Pippinus Waſconiam cum filiis ſuis ſibi ſubjugavit.

763. Pippinus habuit placitum ſuum in Ninivernis; ibique Taſſilo Dux poſitis ſacramentis fraudulenter ſe inde ſubtraxit; omnia beneficia oblitus, quæ Rex avunculus ejus ſibi fecerat; & Bajoariam regreſſus, amplius noluit videre faciem Regis.

764. Conſtantinus filius Leonis cum matre Irene.

765.

766.

767.

Digitized by Google

767. Conſtantinus Papa Romanam rexit Eccleſiam. SÆC.
768. Pippinus Rex Francorum defunctus eſt. Et Carolus & Carlomannus filii ejus elevati ſunt in regnum. XII. ANNO
769. 1167.
770.
771, Adrianus Papa Romanam rexit Eccleſiam.
Carlomannus frater Caroli regis Francorum defunctus eſt; totumque regnum Francorum in Caroli ceſſit poteſtatem.
772.
773. Rex ad hiemandum pervenit in Theodonis villam, ubi eum adiit miſſus Adriani Papæ, invitans eum unà cum Francis, ut pro amore Dei, pro juſtitia S. Petri requirenda, ſuper Deſiderium Regem Longobardorum veniret.
Tunc Rex Principes conſuluit, utrum petitionibus Apoſtolicis aſſenſum præberet. Tunc omnibus collaudantibus, profectus eſt; Et cum ad Papiam perveniſſet, Deſiderium intrinſecus latitantem obſedit, & ipſam civitatem armis cepit. Inſuper Deſiderium regem cum uxore & filia, omnemque theſaurum Palatii comprehendit; (Adalgiſus filius Deſiderii regis fuga lapſus mare intravit, & Conſtantinopolim perrexit) etiam ſubjugata Italia, & ordinata, cuſtodiam Francorum dimittens in Papia, cum magno triumpho in Franciam reverſus eſt.
774. Circa hæc tempora corpus beati Valentini Ronfeſſoris Rhriſti & Epiſcopi, quod à Longobardorum gente de caſtro Magenſi, ubi primitus conditum fuerat, ablatum erat, & in Tredentinam Urbem deportatum, à venerando Taſſilone Duce, in Pataviam civitatem cum ſummo honore evectum & ibi tumulatum eſt.
775.
776.
777.
778.
779.
780.
781. Per idem tempus Legati Apoſtolici cum miſſis regis directi ſunt ad Taſſilonem Ducem, commonentes & conteſtantes eum ex auctoritate Apoſtolica, ut recordaretur priorum ſacramentorum, & non aliter faceret, niſi ſicut jurejurando jam dudum promiſerat Pippino Regi & filiis ejus. His admonitionibus conſenſit Taſſilo; & ſumptis obſidibus à Rege venit Wormatiam; ubi renovavit ſacramenta, & duodecim obſides dedit.
Carolus Romam venit orationis cauſa; & ibi baptizatus eſt filius ejus Pippinus ab Adriano Papa, qui & ipſe eum de ſacro fonte ſuſcepit. & duo filii ejus inuncti ſunt in Reges ab eodem Pontifice; Pippinus ſuper Italiam, Ludovicus ſuper Aquitaniam.
782.
783.
784.
785.
786.
787. Carolus Romam venit. Quod audiens Heregiſus Dux Beneventi, miſit Romaldum & Grimaldum filios ſuos, poſtulans pacem, & duodecim obſides dedit.
788. Carolus ad Radeſponam venit; ibique marchas, & fines Bajoariorum diſpoſuit. Et Rhenum tranſiit; & Coloniam venit, ibique duos pontes conſtruxit. Tunc etiam accuſatus eſt Taſſilo Dux à Bajoariis, eò quod fidem promiſſam Carolo violaſſet. Et cum objecta coram Carolo negare non poſſet, capitali ſententia damnatus eſt. Sed Rex miſericordia motus, eo quod conſanguineus ejus eſſet, obtinuit, ut non moreretur. Interrogatus igitur à Rege, quid agere vellet, terræ proſtratus, licentiam monaſterium intrandi expetiit, ut ibi peccata ſua pœnitendo emendaret. Similiter filius ejus Thiedo fecit. Igitur attonſi, & in monaſterium miſſi ſunt. Pauci Bajoariorum, qui cum Thaſſilone ſenſerant, in exilium miſſi ſunt. Eodem anno commiſſa eſt pugna inter Græcos & Longobardos, Ducibus Hiltbrando de Spoleto, & Grimaldo de Benevento; & fugati ſunt Græci.
789.
790.
791.
792.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1167.

793.
794.
795.
796. Adrianus Papa obiit, & Leo (III.) in Pontificatum ſucceſſit; ſtatimque miſit Regi legatos cum muneribus, & claves confeſſionis S. Petri, & vexillum Romanæ Urbis direxit.
797.
798. Irene Imperatrix Conſtantinopoli poſt Conſtantinum filium.
Hæc miſit Legatum ad Carolum jam Imperatorem, ut pacem cum ea faceret; quod & factum eſt.
799. Romani Leonem Papam captum excæcaverunt, ac linguam ejus radicitus exciderunt. Qui de cuſtodia per murum noctu evadens, & ad Legatos Regis veniens, ab eis Carolo adductus eſt, & ab eo cum honore ſuſceptus eſt.
800. Carolus Rex venit Romam, & à Leone Papa, & omni populo Romano honorificè ſuſceptus eſt. Et ſeptimo die prædictus Pontifex coram omni populo in domo ſancti Petri purgavit ſe jurejurando de objectis criminibus, præſente Rege. Et cùm idem Rex ipſo die Nativitatis Domini ante Confeſſionem ſancti Petri ab oratione ſurgeret, Leo Papa coronam capiti ejus impoſuit, & à cuncto populo Romano eſt ter acclamatum; *Carolo Auguſto a Deo coronato, Magno & Pacifico Imperatori Romanorum Vita & Victoria.* Et poſt laudes, more antiquorum Principum adoratus eſt. Et ablato Patricii nomine, Imperator & Auguſtus appellatus eſt. Et ordinatis Romanæ Urbis, totiusque Italiæ non tantum publicis, ſed etiam Eccleſiaſticis rebus, Papiam perrexit.
801.
802.
803. * Nicephorus Imperator Conſtantinopoli. Hic miſit Legatos ad Carolum Imperatorem, ut fœdus ſervandæ pacis ab eo ſuſciperet; quod & factum eſt.
804.
805.
806. Nicephorus Imperator poſt multas & inſignes victorias in Mœſia provincia, commiſſo cum Bulgaribus prælio, moritur. Et Michaël gener ejus Imperator factus, Legatos ad Carolum Imperatorem miſit, ut per eos pacem à Nicephoro cœptam confirmarent. Qui venientes, cum ſcriptum pacti ab eo in Epiſtola ſuſcepiſſent; more ſuo iidem Græca lingua laudes ei dixerunt, Imperatorem eum & Baſileum appellantes, & inde revertendo Romam venientes, in Baſilica ſancti Petri eundem pacti ſeu fœderis libellum à Leone Papa denuo ſuſceperunt.
807.
808.
809.
810.
811.
812. Michaël Imperator.
A Crimaldo Duce Beneventanorum 25. millia ſolidorum auri pro tributo Carolo ſoluta ſunt.
813. Concilia multa juſſu Caroli ſuper ſtatu Eccleſiarum per totam Galliam ab Epiſcopis celebrata ſunt. Quorum unam Mogontiæ: ſecundum Remis; tertium Turonis; quartum * Caballonis; quintum Arelati congregatum eſt.
Carolus magnus Imperator anno 76. vitæ ſuæ obiit; & Aquis in Baſilica S. Salvatoris & S. Mariæ, quam ipſe mirifico opere ædificavit, honorificè ſepultus eſt. Et Ludovicus Pius filius ejus Imperialia ſceptra ſuſcepit.
814. Stephanus Papa Romanam rexit Eccleſiam.
815. Paſchalis Papa Romanam rexit Eccleſiam.
816. Ludovicus pius poſt patrem in Aquis Grani Palatio generalem convocavit conventum; & ibi Canonicorum vitam regulis inſtituit, indictione 10.
817.
818.
819.
820.
821. Eugenius Papa Romanam rexit Eccleſiam.
822.
823.

Nicephorus, ut mox: quæ ſcriptura contemni non debet.

Cabilonis, forte.

824

Digitized by Google

824. SÆC.
825. Valentinus Papa Romanam rexit Eccleſiam. XII.
826. Gregorius Papa Romanam rexit Eccleſiam. Hic conſentiente Ludovico Pio Imperatore, cum omnibus regni & Imperii ſui Epiſcopis ſtatuit, ut ſecundum Romanam conſuetudinem, per totam Galliam ſolenniter feſtivitas omnium Sanctorum in Kal. Novemb. in perpetuum ageretur; quod antea non fiebat. Quam ſanctam conſtitutionem, & reverenti, & libenti animo ſuſcepit, & ſervat ab eo tempore omnis Eccleſia. ANNO 1167.
827.
828.
829.
830.
831.
832.
833.
834.
835.
836.
837.
838. Ludovicus Imperator filius Caroli à ſuis Imperio privatur, & cuſtodiæ traditur, regnique monarchia Lothario filiio ejus per electionem Francorum datur. Poſtea autem idem Imperator ab eodem filio ſuo de cuſtodia liberatus, in Imperiali ſede reſtituitur.
839.
840. Idem Ludovicus Imperator, dum filium ſuum Ludovicum trans Rhenum perſequitur, morbo gravatus, poſt paululum moritur. Regnum Lotharius filius ejus, qui & antea, arripuit, indignantibus fratribus ſuis Ludovico & Carolo. Qui & eum ſtatim bello aggrediuntur. In qua pugna Francorum vires attenuatæ ſunt, & famoſa virtus ita infirmata, ut non amplius ad amplificandos terminos regni, verùm nec ad tuendos in poſterum ſufficerent. Tandem duo fratres victores tertio anno poſt mortem Patris, Imperium Francorum inter ſe diviſerunt. Lothario, qui major natu erat, & Imperator appellabatur, ceſſit regnum, quod hactenus ex ejus vocabulo, Lotharium regnum nuncupatur; totaque provincia, & omnia regna Italiæ cum ipſa Romana Urbe.
841.
842.
843. Sergius Papa Romanam rexit Eccleſiam.
844.
845.
846. Leo (IV.) Romanam rexit Eccleſiam.
847.
848.
849.
850.
851.
852.
853. Northmanni primum per mare Britannicum venientes Andegavenſem Urbem; deinde Turoniam occupant, & templum ſancti Martini incendio cremant cum ipſa Urbe.
854.
855. Lotharius Imperator convocatis primoribus regni ſui, Imperium inter filios ſuos diviſit. Ludovico filio ſuo Italiam tradidit, eumque Imperatorem appellari fecit: ipſe autem comâ depoſitâ, habitum ſanctæ converſationis aſſumpſit, in monaſterio Prumia; ibique defunctus eſt.
856. Benedictus Papa Romanam rexit Eccleſiam.
Lotharius Rex filius Lotharii Imperatoris, Thietbergam reginam in matrimonium ſibi jungit.
857.
858. Carolus filius Lotharii moritur.
859.
860. Nicolaus Papa conſtituitur.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1167.

861.
862.
863.
864. Lotharius rex cœpit occaſiones quærere, qualiter Thietbergam reginam à ſe ſepararet, propter Waldradam concubinam.
865.
866.
867.
868.
869. Nicolaus Papa obiit, & Adrianus (II.) ei ſucceſſit.
870.
871.
873.
873.
874. Adrianus Papa obiit; & Joannes ei ſucceſſit.
875.
876. Ludovicus filius Lotharii, Imperator moritur. Carolus frater Lotharii Imperatoris Romam venit; & datis Apoſtolico & Romanis magnis muneribus, Imperator creatur.
877. Ludovicus etiam frater Lotharii & Caroli Imperatoris, moritur. Hic tres filios habuit; Carlomannum, Ludovicum, Carolum. Hi regnum paternum inter ſe diviſerunt.
878. Carolus Imperator jam factus; audito, quod frater ejus Ludovicus obiiſſet, cum exercitu in regnum ejus venit, cupiens illud ſibi adjungere. Sed Ludovicus filius hujus Ludovici, qui apud Francofurt Principalem ſedem Orientalis regni Franciæ tenebat, ei cum quinquaginta, & eò amplius millibus occurrens, Carolum vicit & fugavit.
879.
880.
881. Carlomannus Rex filius Ludovici, cui Bajoaria in diviſione regni ceſſerat, paralyſi diſſolutus obiit 7. non. April. ſepultusque eſt in Bajoaria, in loco, qui dicitur * Hodingas. Huic non eſt nata ſoboles ex legitimo matrimonio, ſed ex quadam nobili femina filium elegantiſſimæ ſpeciei ſuſcepit, quem Arnulphum vocari juſſit, ob recordationem Arnulphi Metenſis Epiſcopi.

* OEtinga, hodie.

Ludovicus Rex frater Carlomanni, cognita morte fratris Bajoariam ingreſſus, Radeſponam venit; ubi omnes optimates regni ad eum venerunt, & ſe ei ſubdiderunt.
882. Carolus filius Ludovici, frater Carlomanni de Alemannia egreſſus, Longobardorum fines occupavit, & in paucis diebus totam Italiam in deditionem accepit. Et Romam veniens à ſummo Præſule Joanne & Senatu Romanorum favorabiliter exceptus, cum magna gloria coronatus eſt.
883. Northmanni nobiliſſimam civitatem Galliarum Treverim, nonis Aprilis, ipſo ſacratiſſimo die Cœnæ Domini occupant. In qua usque ſancto die Paſchæ corpora recreantes, omne tentorium Urbis circumquaque usque ad ſolum demoliti ſunt. Deinde civitatem flammis combuſſerunt; Epiſcopum ejusdem civitatis occiderunt.
884. Martinus Papa Romanam Eccleſiam.
885. Adrianus Papa ſecundus Romanam rexit Eccleſiam.
886.
887.
888. Stephanus Papa Romanam rexit Eccleſiam.
889. Carolus Imperator tertius hujus nominis & dignitatis obiit 2. idus Jan. Sepultusque eſt in Augia inſula. Optimates regni poſt mortem Caroli; (quia legitimum hæredem non habebat) quædam pars Italici populi Berngarium filium Eberhardi, qui ducatum foro-Julianorum tenebat, regem ſibi ſtatuunt: quædam Widonem filium Lantberti Ducem Spoletanorum. Wido Berngarium regno expulit, & ſuo Dominio ſubdidit.
890. Gens Ungarorum ferociſſima, & omni bellua crudelior, retrò ante ſeculis ideo inaudita; quia nec nominata, à Scythicis regnis, & à paludibus, quas Tanais fluvius ſua refuſione in immenſum porrigit, egreſſa eſt; à finitiſſimis populis, qui * Petinaci vocantur, à propriis ſedibus expulſa. Hujus nefandiſſimæ gentis crudelitate primùm Pannoniorum & Avarum ſolitudines; deinde Carentinorum, Marahenſium ac * Bulgarorum fines, & regnum Italiæ ex maxima parte devaſtatum eſt.

* Petinates forte.

* M. S. Vulgarum.

891.

Digitized by Google

891.
892.
893. Formoſus Papa Romanam rexit Eccleſiam.
894.
895. Hoc anno Wido, qui Italiam regebat, & Imperatoris nomen tenebat, moritur. Lantbertus filius ejus ſucceſſit; & Romam venit, diadema Imperii ſibi à Præſule ſedis Apoſtolicæ imponi fecit.
896.
897. Lantbertus Imperator vita deceſſit; Et Luduvicus filius Boſonis à Longobardis in regnum Italiæ invitatus, Italiam intravit.

Arnulphus Romam venit, & Urbem Romanam cum conſenſu ſummi Pontificis armis cepit: & civitatem ingreſſus; à Formoſo Apoſtolicæ ſedis Præſule, cum magno honore ſuſceptus eſt: & ante confeſſionem ſancti Petri coronatus, Imperator creatus eſt.

898.
899. Bonifacius Papa Romanam rexit Eccleſiam.
900. Stephanus Papa Romanam rexit Eccleſiam.

Arnulphus Imperator migravit à ſæculo; 3. Kal. Decemb. ſepultusque eſt in Odingas, ubi & Pater ejus jacet. Principes & optimates in Foracheim in unum congregati, Luduvicum filium ejus Regem ſuper ſe creant: Et coronatum, regiisque ornamentis indutum, in regno ſublimant.

901.
902. Gens Ungarorum Longobardorum fines ingreſſa, cædibus, incendiis, rapinis crudeliter cuncta devaſtat. Quibus dum incolæ terræ in unum acti & conglobati reſiſtere conarentur, innumerabilis multitudo ictibus ſagittarum periit. Quàm plurimi Epiſcopi & Comites ab eis trucidati ſunt.
903.
904. Luduvicus filius Boſonis Berngarium; qui etiam regnum Italiæ tenebat, de Italia expulit; atque omne illud regnum ſuæ ditioni ſubegit; & Romam veniens à ſummo Pontifice coronatus, Imperator appellatus eſt. Cernens itaque nullum ſibi poſſe reſiſtere, cum pauois Veronam venit, ibi aliquandiu moraturus. Cives hoc Berngario, qui in Bajoaria exulabat, nunciaverunt. Qui, cum manu valida veniens, civitatem cepit facile; & Luduvicum captum oculis privavit: ſicque & ipſe regnum Italiæ obtinuit.
905. Romanus Papa Romanam rexit Eccleſiam.
906. Theodorus Papa Romanam rexit Eccleſiam.
907. Joannes Papa Romanam rexit Eccleſiam.
908.
909. Benedictus Papa Romanam rexit Eccleſiam.
910. Leo Papa quintus.
911. Chriſtophorus Papa.

Luduvicus Rex, filius Arnolphi, regnum obtinuit.

912. Sergius Papa Romanam rexit Eccleſiam.
913.
914. Chuonradus filius Chuonradi Comitis regnare cœpit.
915.
916.
917.
918.
919. Anaſtaſius Papa Romanam rexit Eccleſiam.
920. Ungari per Saxoniam uſque ad Rhenum pervenerunt.
921. Lando Papa.

Heinricus Comes regnum obtinuit.

922. Joannes Papa Romanus.
923.
924.
925.
926.
927.
928.
929.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1167.

930.
931.
932.
933.
934.
935.
936. Leo Papa ſextus.
937. Stephanus Papa Romanus.
938.
939. Joannes Papa.
Otto magnus Heinrici filius, Imperator Aquiſgrani electus & unctus.
940. Leo Papa VII.
941.
942. Martinus Papa.
943.
944.
945.
946. * Agapitus Papa.
947.
948.
949.
950.
951. Otto Rex Adelheidam de Longobardia uxorem duxit.
952. S. Udalricus Auguſtenſis Epiſcopus claruit.
953.
954.
955. Gens Ungarorum omni belua crudelior cum innumerabili multitudine erupit, omnemque Noricorum regionem à Danubio uſque ad nigram ſylvam, quæ ad montana pertinet, & partem Provinciæ Alamannorum uſque *Hilaram fluvium devaſtando occupavit. Inde Lycum tranſiens, Eccleſiam S. Afræ igni combuſſit, & civitatem Auguſtam obſidione cinxit. Ibi cognito adventu Ottonis Imperatoris magni, retracta obſidione, obviam ei pergunt; & inito prælio, Deo victoriam Chriſtiano populo dante, multa millia Ungarorum cæſa ſunt; & cæteris fugientibus, Principes eorum, cum multis aliis vivi capiuntur, & Ratiſponam perducti, in eculeis ſunt ſuſpenſi.
956. Joannes Papa.
957.
958.
959.
960.
961.
962. Otto magnus elevato filio ſuo Ottone in regnum, Cæſar factus eſt
963.
964.
965. Benedictus Papa.
966.
967.
968.
969.
970.
971. Leo Papa VIII.
Wolffgangus Ratiſponenſis Eccleſiæ Epiſcopus claruit.
972. Joannes Papa.
973. S. Oudalricus anno ætatis ſuæ octogeſimo tertio, in pace quievit.
974.
975.
976.
977. Benedictus Papa.
Otto, filius Ottonis magni Imperator.
978.
979. Domnus Papa.
980.

*Agapitus, forte.

*hodie Ilerus.

Digitized by Google

980. Bonifacius Papa.
981. Benedictus Papa.
982.
983. Joannes Papa.
984.
985.
986. Gregorius (VI.) Papa Teutonicus.
Otto filius Ottonis ſecundi Imperator.
987.
988.
989.
990. Joannes Papa.
991.
992.
993.
994.
995. Sylveſter II. Papa.
996.
997.
998. Joannes Papa.
999.
1000. Joannes Papa.
1001.
1002. Sergius, os porci, Papa.
1003.
1004. Benedictus Papa.
Henricus Dux Bavariæ Imperator II.
1005. Babenberc conſtruitur.
Ruſſi, Poloni, & Ungari facti ſunt Chriſtiani.
1006.
1007.
1008.
1009. Joannes Papa.
1010.
1011.
1012.
1013.
1014.
1015. Benedictus Papa.
1016.
1017.
1018.
1019.
1020.
1021. Terræmotus factus eſt magnus.
1022.
1023.
1024.
1025. Sylveſter Papa.
1026.
1027. Chuonradus Imperator Romæ ordinatur.
1028.
1029.
1030.
1031.
1032. Gregorius Papa VI.
1033.
1034.
1035.
1036.
1037.

1038.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1167.

1038.
1039.
1040.
1041.
1042. Clemens Papa Teutonicus.
Henricus pius filius Chuonradi Imperator III.
1043.
1044. Damasus Papa Teutonicus.
1045.
1046. Leo Papa IX. Teutonicus.
1047. Victor Papa Teutonicus.
*Heinricus Rex Imperator Romæ ordinatur.
1048.
1049. Stephanus Papa Teutonicus.
1050.
1051. Benedictus Papa.
1052.
1053.
1054.
1055.
1056.
1057. Heinricus filius Heinrici Pii Imperator IV.
1058.
1059. Nicolaus Papa II.
1060.
1061.
1062.
1063.
1064.
1065. Eigilbertus Patavienſis Epiſcopus & Altmannus conſtituitur.
Eodem anno Heinricus Rex accinctus eſt gladio in Paſcha anno regni ſui nono.
1066.
1067. Heinricus jam Imperator duxit Bertam filiam Ottonis Comitis.
1068.
1069. Alexander Papa II.
1070. Otto Dux Bavariæ regi Henrico rebellavit.
1071. Welfo factus eſt Dux Bavariæ, pulſo Ottone Duce.
1072. Gregorius Papa VII. ordinatus eſt. Hic Heinricum Imperatorem propter vitæ propriæ enormes exceſſus & alia, quæ agebat, poſt multas & fortes commonitiones, prius per Nuncios & literas directas, tandem excommunicavit. Tunc idem Imperator quendam * Wigbertum Gregorio ſuperpoſuit, eumque Clementem nominans, de Brixiana civitate, ubi natale fecerat, Romam tetendit. Indeque proturbato Gregorio Wigbertum in beati Petri ſede locavit. Gregorius verò exulans, in regnum Franciæ confugit. Imperator quoque Epiſcopos aliosque fideles Eccleſiæ, ſuæ parti non communicantes de ſedibus propriis proturbat, eisque alios, quos voluit, ſuperpoſuit; vixque in regno ſuo inveniebatur Epiſcopatus, in quo dualitatis hujus ſciſſura non eſſet. Hinc jam cædes fiebant; hinc membrorum in Laicos & Clericos truncationes, & oculorum effoſſiones: hinc publicæ civium contra cives congreſſiones; aliis, pro paſtoribus legitimis; aliis verò contra paſtores dimicantibus. Videntes verò fideles Eccleſiæ mala, quæ fiebant; & hæc in dies augeri, uſi conſilio Gregorii Papæ, in unum conveniunt; & unum ex Principibus Rudolphum nomine, ſibi Regem ſtatuunt. Quo comperto, Imperator copiis conſtructis, contra eundem Ruodolphum bello ſe parat. Cui & Rudolphus occurrit in manu valida, Saxonum maximè fretus auxiliis. Commiſſaque pugna prope fluvium Unſtruoth, in loco, qui Welfesholz dicitur, Imperatoris pars prævaluit. Ruodolphus Rex ibidem pro Eccleſi Chriſti occiditur. Quo mortuo, non multo poſt tempore, fideles Eccleſiæ alium ex principibus, nomine Hermannum in Regem eligunt; qui & ipſe non unius integri anni ſpatio regno potitus, à fautoribus Imperatoris ſimiliter pro Eccleſia Chriſti per inſidias occiſus eſt.

* *Guibertum, fortè.*

1073.
1074. Heinricus Imperator in Ungariam profectus adverſum Loitſconem patruelem

Digitized by Google

lem Samuelis incaſſum rediit. Ruodolphus Dux Alamanniæ & Welfo Dux Bavariæ conjurant adverſum Regem Heinricum. SÆC. XII.

1075. Erniſt Marchio in Saxonia occiſus eſt in publico bello, & Luitpoldus filius ejus Marchiam ſuſcepit. ANNO 1167.

1076.

1077. Diſcordia inter Papam & Regem oritur. Et Rex in Italiam proficiſcitur. Et Ruodolphus Dux in regem apud Vorchem eligitur.

1078. Bellum inter Heinricum & Ruodolphum Imperatorem in Saxonia committitur: in quo Dietpoldus Comes occiditur. Eodem anno Nivvenburch Caſtrum deſtructum eſt ab Imperatore.

1079.

1080. Papa Regem excommunicavit: Et Welfo Dux, Auguſtam invaſit & incendit.

Circa hæc tempora fuit in Caſtro Richerſpergenſi Werenherus Dominus ejusdem Caſtri, vir valdè nobilis & dives: Qui ſororem Archiepiſcopi Gebhardi Salzburgenſis in matrimonio ſibi junctam habebat, nomine Dietpergam. Hic poſt mortem filii ſui Gebhardi admodum juvenis & ejusdem Dietpergæ; cùm non haberet hæredem; & inter propinquos & conſanguineos ſuos eſſet concertatio propter hæreditatem ejus, ipſe magis elegit Deum & S. Michaëlem habere hæredes. Itaque depoſita omni munitione ejusdem caſtri, & ad ſerviendum Deo inibi, ut poterat, præparato; delegavit & contradit eundem locum cum prædiis adjacentibus, & aliis, quæ habebat, juri & ditioni & defenſioni Salzburgenſis Epiſcopii, præſente Archiepiſcopo Gebhardo, & ſuſcipiente traditionem, ita ut inde eodem loco ſpiritalia, & ea, quæ ad Deum ſpectant, provideantur: Et ut nullus in poſterum ejusdem loci ſit advocatus, niſi principalis ipſius Metropolis advocatus. Et ut nullus futuro tempore ſuccedentium Epiſcoporum, ſeu quilibet Principum, alicui eundem locum in beneficium accommodet. Ipſe verò Wernherus in eodem loco juxta Capellam, quam ibi habebat in honorem S. Sixti dedicatam, cum religioſis perſonis, quas ſibi ſociaverat, in ſervitio Dei vivens, habitu ſanctæ converſationis aſſumpto, poſt non multùm in pace quievit.

1081. Altemannus Patavienſis Epiſcopus, & Luipoldus Marchio, aliique Principes conjurant adverſum Heinricum Imperatorem.

1082.

1083. Chuonradus Dux Boëmiæ bellum geſſit cum Marchione Luipoldo in Morenberg; 4. idus Maii, 5. feria; & cum maximo excidio noſtratium finitum eſt.

1084. Victor Papa Romanam rexit Eccleſiam.

1085. Petrus Eremita, aliique plures Hieroſolymam tendunt.

1086. Luipoldus Marchio moritur: Et filius ejus Luipoldus ſucceſſit.

1087.

1088.

1089.

1090.

1091. Urbanus Papa II. Romanam rexit Eccleſiam. Altmannus Patavienſis Epiſcopus moritur; & Oudalricus ſubſtituitur: Et Welfo Dux Bavariæ profectus eſt Hieroſolymam.

1092. Hoc anno celebratum eſt illud magnum Concilium inter fines Galliæ in Alvernia, ſcilicet in civitate, quæ Clarus mons appellatur: Cui hic Urbanus Papa cum Romanis Epiſcopis & Cardinalibus præfuit. Fuit autem valdè celeberrimum idem Concilium conventu Gallorum ac Germanorum, tam Epiſcoporum, quàm etiam Principum. Ordinatis in eo rebus Eccleſiaſticis, Domnus Papa allocutus eſt omne Concilium, præcipuè Principes Francigenas, de via Sancti ſepulcri, quod pagani usque tunc ferè per annos 40. ſimul cum ipſa Urbe Hieroſolyma, & omni regione illa poſſederant. Et, Deo donante, ita Urbanus ſuo ore omnium corda emollivit, ut, plus quàm trecenta millia viam ſancti ſepulcri arriperent, ſicut hiſtoria de eadem glorioſa expeditione conſcripta plenariè docet.

Denique poſt captam Antiochiam, in cujus obſidione detenti ſunt octo menſibus & die uno; Et poſtea in ea incluſi fuerunt à gente Parthorum tribus hebdomadibus; Et illis mirabiliter ſuperatis, in ea quietaverunt quatuor menſibus & octo diebus, alternis ſemper bellorum conflictibus, ut in eadem hiſtoria legitur, Gallicana gens fines Orientis penetravit, & tandem poſt multos labores & inſignes victorias; poſt triumphos in ducentis caſtris & quadraginta civitatibus, ad ipſam regalem civitatem pervenerunt

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1167. nerunt anno ab Incarnatione Domini 1099. & in virtute nominis illius, qui in ea mortuus jacuit, & die tertia reſurrexit, caſtra circa eam poſuerunt quarta idus Junii, ſecunda feria; & fortiter eam oppugnantes; tandem in virtute illius, qui infernum confregit, eam ceperunt 14. Kal. Julii, ſexta feria, hora, qua Salvator omnium Crucem pro nobis ſubiit; & eam de ſuis, qui & Dei, inimicis, qui in Urbe poſiti erant, in ore gladii vindicaverunt. Et eliminatis ab ea omnibus immunditiis paganorum, nono die ab eo, quo expugnata erat, elegerunt omnium pari voto, generaliſque aſſenſu Godefridum Ducem Teutonicorum, qui in ea regnaret: qui & eam primus cum ſatellitibus ſuis in expugnatione intraverat.

Interea quàm plurimis, ex Principibus, aliisque viris Virtutis ſententiam excommunicationis formidantibus, & cum Eccleſia ſentientibus, Urbani quoque Papæ hortatu accedente, complacuit, quatenus Heinricum filium Imperatoris Heinrici levarent in regem; ſperantes, ſe per filium legitimè regnantem poſſe patri reſiſtere; quod & factum eſt. Levato itaque filio in regem, & in civitatem Ratiſponam tendenti, pater cum multitudine armatorum, Duce Boëmico & Marchione ſuperioris Pannoniæ ipſi auxilium ferentibus occurrit: ſed pugnæ congreſſus, fluvio, qui Regin dicitur, interceptus eſt. Dumque mora interponitur, Principes jam dicti quibusdam ſponſionibus acceptis de parte patris ad filium concedunt; ita ut pater Principum penitus auxilio deſtitutus, filio tandem preces atque ſupplicationes porrigeret; quatenus ei privatè vivendi ſecuritas concederetur. Factumque eſt, ut in celebri quoque Curia coronam Imperialem reſignaret, petens ab excommunicatione, qua tenebatur, abſolvi, & Eccleſiaſticæ communioni reſtitui; ſed petitionis effectum conſecutus non eſt. Interim dum hæc aguntur, deturbato & abjecto, ex conſenſu Heinrici junioris Wieberto, qui Clemens dicebatur, Urbanus Papa ad Urbem rediit.

1093.
1094.
1095.
1096.
1097. Oudalricus Comes de Ratilineſperg obiit.
1098. Heinricus Imperator Presburch obſedit.
1099.
1100.
1101. Thimo Archiepiſcopus Salzburgenſis, cui quidam Pertholdus Schiſmaticus ſuperpoſitus fuit, apud Paganos martyrizatur.
1102.
1103.
1104. Sighardus Comes Ratiſponæ occiditur.
1105.
1106. Heinricus filius Heinrici Imperator V.
1107. Cædes Pataviæ facta eſt; & milites Comitis Ekkeberti occiſi ſunt.
1108.
1109. Paſchalis II. Papa Romanam rexit Eccleſiam.
1110.
1111. Heinricus Rex Paſchalem Papam cepit. Poſtea pace facta, ab eo ordinatur Imperator.
1112. Rex Ungarorum egreſſus eſt terminos regni ſui, cum multo exercitu, & de provincia Luipoldi Marchionis abduxit prædam magnam.
1113.
1114. Heinricus jam Imperaror Saxones juxta Welfesholz hoſtiliter invaſit; à quibus victus, cum paucis vix evaſit.
1115.
1116.
1117. Gelaſius Papa II. Romanam rexit Eccleſiam.
Ruodbertus Abbas Tuitienſis claruit.
Ungari iterum juxta fluvium Litha, colonos terræ illius vaſtaverunt.
1118.
1119. Calliſtus II. Papa Romanam rexit Eccleſiam.
1120.
1121. Oudalricus Patavienſis Epiſcopus obiit.
Reginmarus ſubrogatur.
His temporibus pace Eccleſiæ reddita poſt ſchiſma, quod fuit ſub Heinrico Imperatore

Digitized by Google

ratore * juniore; & etiam Chuonrado Archiepiſcopo ad ſedem ſuam reverſo, cœpit idem Epiſcopus, Deo illi inſpirante, Richerſperg locum fundare novis ædificiis, & monaſterio, quod hodieque habetur, & aliis bonis augmentare, & regularem vitam, & priſtinam libertatem eidem loco renovare, poſt quædam gravamina, quæ illic facta fuerant. Nam tempore ſchiſmatis ſub Heinrico, Imperatore juniore, quidam Pertholdus ſchiſmaticus Thimoni Archiepiſcopo Salzburgenſi Catholico ſuperpoſitus, eundem locum laicis in beneficiando, & Canonicos Regulares inde fugando, multa gravamina illic ſuſcitaverat: quæ tunc idem Epiſcopus Chuonradus ſucceſſor Thimonis forti manu ſubmovit.

SÆC. XII. ANNO 1167.

* *forte ſeniore, &*

1122. Otachaa Marchio mortuus.
Hermannus Comes provincialis mortuus.
1123.
1124.
1125. Honorius Papa Romanam rexit Eccleſiam.
Lotharius Imperator.
1126. Dedicata eſt Eccleſia Richerſpergenſis & altare principale, à Chuonrado Salzburgenſi Archiepiſcopo in honore S. Michaëlis.
1127.
1128. Luipoldus Marchio de Stira mortuus.
1129.
1130. Innocentius Papa Romanam rexit Eccleſiam.
In hujus electione graviſſimum ſchiſma factum eſt, quod etiam duravit ferè per annos 8. Spira civitas à Lothario obſeſſa traditur.
1131. Bernhardus Abbas Claræ vallis claruit.
1132. Magiſter Gerhohus ſuſcepit præpoſituram & curiam Richerſpergenſis loci à Chuonrado Archiepiſcopo Salzburgenſi.
Lotharius, Imperator ordinatur ab Innocentio Papa cum uxore ſua Richiza in urbe Roma, in Eccleſia S. Bonifacii.
1133. Hoc anno fuit illa magna Eclipſis ſolis in 4. Non. Auguſti, circa medium diem, Luna 27. exiſtente, 13. anno decennovennalis cycli.
1134.
1135. Lotharius Imperator & Dux Fridericus inter ſe pacificantur Babenbergæ.
1136.
1137.
1138. Reginmarus Patavienſis Epiſcopus mortuus. Reginbertus ſubſtituitur.
Chuonradus nepos Imperatoris Heinrici, Romanorum Rex II.
1139. Otto frater Regis Chuonradi, Epiſcopus Friſingenſis conſtituitur.
1140.
1141. Luipoldus Dux Bavariorum obiit.
1142. Cæleſtinus Papa.
1143.
1144. Lucius Papa.
Ekkebertus Comes obiit.
1145. Eugenius Papa conſtituitur.
Maxima fames erat; & plures Eccleſiæ violatæ ſunt à Boëmis, qui tunc erant in obſidione Ratisbonæ cum Duce Bavvariæ Heinrico.
1146. Presburck capta eſt. Et Heinricus Dux Bavvariæ, frater regis Chuonradi cum Ungaris pugnavit, & victus eſt.
1147. Eberhardus Archiepiſcopus poſt Chuonradum * Salzburch conſtituitur. * *in; forte*
Fuit illa magna expeditio Hieroſolymitana.
1148.
1149.
1150. Chuonradus frater regis Chuonradi, Epiſcopus Pataviæ conſtituitur.
1151.
1152. Anaſtaſius Papa.
Fridericus Dux Suevorum fratruelis Chuonradi Regis, Imperator, filius Ducis Friderici.
1153. Adrianus Papa IV.
1154. Hoc anno Rex Fridericus ivit in Longobardiam cum exercitu, & Romam veniens, ab Adriano Papa Imperator creatus eſt, & coronatur.
1155.

Digitized by Google

SÆC. XII. 1156. Heinricus nepos Imperatoris Lotharii Dux Saxoniæ Bavvariam ſibi abdicatam, recepit honorifice Ratisbonæ in Curia Imperatoris.

ANNO 1157.

1167. 1158. Imperator Mediolanum obſedit. Ubi Ekkebertus Comes occiſus eſt: & Mediolanenſes ſe tunc Imperatori dediderunt.

1159. Dum eſſet Imperator in obſidione Cremæ, Dominus Adrianus Papa defunctus eſt apud Anagniam 11. Kalend. Septemb. Corpus ejus Romam allatum 11. non. Septemb. humatum. Poſt hunc, duo ſunt electi, qui ſe Papas dixerunt. Roulandus tunc Cancellarius S. R. E. qui fuit ab omnibus ferè Cardinalibus, præter duos, electus; & duodecimo die poſt electionem ſuam à legitimis ordinatoribus conſecratus; qui etiam dictus eſt Alexander. Et Octavianus Presbyter Cardinalis S. Cæciliæ, qui à duobus tantum fuit electus; Joanne videlicet de S. Martino, & Guidone Cremenſi; & in prima Dominicâ menſis Octobris à Tuſculano Epiſcopo Imaro Cardinali non legitimo, tamen ordinatore, non legitimè eſt conſecratus; qui etiam dictus eſt Victor. His ita promotis Imperator indixit generalem Curiam Papiæ celebrandam omnibus Imperii Principibus, tam Teutonicis, quam Longobardis; ad quam etiam ambos electos Pontifices vocavit, ut ibi ex ſententia & conſilio orthodoxorum inter eos lis & contentio decideretur.

1160. Crema capta, deſtructa & concremata eſt. Quo facto Imperator ſtatim venit Papiam cum Epiſcopis & Principibus, qui congregati erant: Et inde, nonis Febr. Curiæ & colloquii initium habetur. Per ſex dies in hoc demorantur. Et fuit diſſenſio inter ipſos: quibusdam hunc, quibusdam illum confirmare volentibus. Tertia itaque idus Februarii; quia nec Alexander Papa venerat; nec legati ejus, nec aliquis pro parte ejus firmiter ſtabat: Imperator omnes Epiſcopos convocans in hunc eos conſenſum deduxit, ut omnes Victorem Papam ſuſciperent: & ſtatim ſequenti die idem 4. Kal. Febr. ab ipſo Imperatore & Epiſcopis ſuſcipitur, & inthronizatur in monaſterio S. Siri, Imperatore frenum equi, & ſtivam ſellæ illius tenente, & eum de equo ſuſcipiente; & ad altare una cum Patriarcha Aquilejenſi inter manus eum deducente. Alexander autem cum omnibus Cardinalibus ſuis in Franciam deveniens, ibi morabatur.

1161. Imperator Mediolanenſes poſt primam deditionem ſecundò rebellantes & arma parantes, ſecundò cum exercitu obſedit. Heinricus Dux Bavariæ & Saxoniæ contra Ratisbonenſes, & Epiſcopum Hartuvicum pugnavit: Eberhardus Archiepiſcopus eos ad pacem revocavit.

1162. Mediolanenſes in idibus Martii menſis, expugnati ſunt ſecundò. Ipſe etiam locus, id eſt, Mediolanum, qui quarto nonas Aprilis deſtrui cœpit, funditus ſubverſus eſt præter monaſteria, impletis urbis vallibus, & ſubverſis turribus; emigrantibus etiam omnibus habitatoribus ejus. Ipſo anno in proximo Septembri menſe in 17. Kalend. Octobris, circa medium ferè noctis, aut aliquid ultra, ſplendor quidam, vel lux in modum auroræ paulatim aliquantum veniens, repente totam terram illuſtraſſe, latè à multis viſus eſt. Eodem quoque anno magna terræ fertilitas ubique erat, & abundantia omnium rerum, quas terra producere ſolet.

Eberhardus Epiſcopus Salzburgenſis, qui cum Alexandro Papa ſtabat, jam ſæpe vocatus ab Imperatore, venit Mediolanum; ubi tunc Imperator ipſe morabatur in deſtructione ejusdem civitatis; & honorificè ab eo ſuſceptus eſt ſimul cum Epiſcopo Hartmanno Brixinenſi, & cum pace ambo ab eo dimiſſi ſunt.

Circa finem etiam ipſius anni, Imperator ſecundam curiam generalem congregavit apud Biſantium.

Et quia Alexander Papa iterum illuc ab Imperatore vocatus non venit, nec legatum miſit, ipſe Victorem cum Epiſcopis & Principibus ſibi conſentientibus, ibidem ſecundo confirmavit.

1163. Alexander Papa Turonis Synodum celebravit cum quingentis Patribus ei conſentientibus. Imperator quoque ipſo anno magnam & juſtam vindictam exercuit apud Mogontiam, deſtructo penitus muro in circuitu urbis, ſubverſis etiam domibus quàm plurimis civium, propter interfectionem * Epiſcopi ejusdem loci; quem illi fugientem in monaſterium S. Jacobi, quod eſt foris muros urbis, inde abſtractum ignominioſiſſimè occiderunt, concremato prius poſt ipſum eodem monaſterio. Privavit etiam Imperator jure propriæ hæreditatis in perpetuum cum omni poſteritate ſua, & morti prædamnavit omnes, qui auctores erant in nece prædicti Epiſcopi. Eberhardus Archiepiſcopus Salzburgenſis iterum apud Mogontiam Imperatori occurrit, & honorificè ab eo ſuſceptus, & cum pace dimiſſus eſt.

* *Arnoldi. Vide Serar. Moguntiacar. rerum libro 5. ad hunc annum; pag. 817, 118. 119.*

1164.

Digitized by Google

1164. Victor defunctus est, & apud civitatem Lucam sepultus. In cujus locum successit Gvvido Cremensis Cardinalis ex consensu Imperatoris & Episcoporum & Principum, qui illi parti favebant. Hunc consecravit Leodicensis Episcopus sine Cardinalibus, & sine omnibus legitimis ordinatoribus, quem etiam Paschalem vocaverunt. Qui idem Episcopus Leodicensis, ipso anno, non longâ morâ interveniente, mortuus est. SÆC. XII. ANNO 1167.

Eodem quoque anno sanctæ memoriæ Eberhardus Salzburgensis Archiepiscopus migravit ad Dominum apud Ruona Cœnobium 10. Kalendas Julii; cui successit Chuonradus Patavienſis Episcopus, ab omni Clero & populo unanimiter electus, ea cautione, ut cum Alexandro Papa staret, sicut prædecessor suus. Qui bis eodem anno ad Imperatorem fratruelem suum veniens Papiam & Babinberch pro regalibus ab eo suscipiendis, utraque vice absque regalibus ab eo dimissus est, quia Paschalem recipere nolebat. Multi quoque Episcopi & Principes ipso anno mortui sunt. Hartmannus etiam beatæ memoriæ Brixinensis Episcopus, in fine ejusdem anni ad cœlestia migravit 10. Kal. Januarii.

1165. Otakar Marchio de Stira mortuus est 11. Kal. Jan. in Ungaria, in loco, qui quinque Ecclesiensis dicitur, dum esset in via, qua ad sepulcrum Domini ire disposuerat.

Ipso anno in diebus Martii mensis, tempore quadragesimali, allatum est pallium Chuonrado Archiepiscopo Salzburgensi ab Alexandro Papa adhuc in Francia manenti, per nuncios ejusdem Episcopi, & ejusdem Papæ. Non multo interposito tempore, Dominus Imperator Curiam celebravit in civitate Wirzburgensi, vel Herbipolensi in mense Majo, in diebus Pentecostes, quod evenerat tunc 10. Kalend. Junii; ubi Episcopi & electi numero ferè quadraginta de regno Teutonico, juraverunt obedientiam Paschali, & ejus successoribus, ipso Imperatore primum, & ante omnes, id ipsum jurante super Evangelia & reliquias. Postea Episcopis, & inde omnibus regni Principibus, qui aderant. Postea autem multi Principes & Episcopi, qui ibi non aderant, juraverunt. Tenor autem juramenti hic erat; ut videlicet decedente Paschali, nullum in Papam reciperent, nisi unum de ipsius fautoribus: Et, ut obeunte Imperatore, nullus in regem, aut Imperatorem levaretur, nisi qui illam partem defenderet & manu teneret, contra Romanam Ecclesiam: Et, ut Episcopi, qui jurarent, idem juramentum ab omnibus suis subditis & Prælatis exigerent: Et, quicunque non juraret, omni Ecclesiastico honore & beneficio, & potestate; postremò & omnibus bonis suis privaretur. Ibi etiam quidam electi, consecrati sunt in Episcopos à suis conjuratoribus Episcopis; & alii in Presbyteros, & alios ordines ordinati.

Electus Mogontiensis Dominus Chuonradus, frater Ottonis Palatini Comitis; qui antè obedientiam fecerat per se Alexandro Papæ, dum iret ad limina S. Jacobi solus nocte de Curis fugiens, venit in Franciam ad Alexandrum, & ibi exulabat. Non multò post Imperator venit in partes Bavvaricæ in diebus Julii mensis, & Pataviam venit 3. Kal. Julii, quando Episcopus ejusdem loci omnes suos subditos jurare coëgit: & à Patavia per Danubium navali itinere partes Orientis intrans, Wiennam venit; ubi fere 14. diebus mansit; ibi etiam electus Ratisponensis juravit obedientiam Paschali; & Dux Austriæ Henricus patruus Imperatoris, & alii Principes.

Eodem anno mortuus est Dominus Ruodbertus Presbyter & Decanus Patavienſis Ecclesiæ, in nonis Novembris. Hic post Episcopum Chuonradum electus fuit senex valdè; & in proxima Curia Domini Imperatoris, scilicet Wirzburgi simul cum aliis Episcopis juraverat, & suos Prælatos omnibus modis ad jurandum coëgerat. Hic etiam, qui sine licentia & absque voluntate & consensu Metropolitani sui, in eadem Curia in Episcopum à conjuratis consecratus erat: *

Post hunc Dominus Alben Diaconus ejusdem Ecclesiæ electus est 3. idus Novemb. Ipsa die, eodemque anno Alexander Papa à Francia navali itinere veniens, Romanam urbem primùm ingressus est cum omnibus Cardinalibus suis; & in sede B. Petri sedit; suscipientibus eum omnibus Romanis: Paschali Viterbii constituto.

Electus Moguntiensis in proximo Natale Domini in diebus quatuor temporum, id est, in 15. Kal. Januarii consecratus est Romæ, ab ipso Alexandro Papa in Presbyterum & Archiepiscopum ad Mogontiensem Ecclesiam.

1166. Imperator celebravit Curiam apud Nurrenberch 16. Kal. Martii; illucque venit Archiepiscopus Chuonradus post tertiam vocationem, & tertiam Curiam, quam dederat ei Imperator à festo sancti Michaëlis; 6. septimanis unicuique vocationi deputatis. Ibi ergo cùm constanter respondisset coram Principibus ad omnia, quæ ei Imperator objiciebat; quod scilicet per rapinam teneret Episcopatum Salzburgensem; cùm

* *manus audens, versiculum sequentem erasit: ut liturare darguis. Vide Hund. de sua Metropoli de hujus Episcopi morte.*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1167. cùm nec ab eo unquam regalia ejusdem Episcopatus; nec à Papa suo Paschali spiritalia suscepisset: Ipseque per prolocutorem suum Ducem Bavariæ respondisset; se non per rapinam, sed per legitimam & Canonicam electionem Cleri & ministerialium, & totius plebis eundem Episcopatum suscepisse. Se quoque justitiam suam, id est regalia tribus vicibus ab eo requisivisse eodem anno: hocque testibus probare voluisse; hancque sibi negatam fuisse tribus vicibus: pro eo, quòd nollet, cùm nec deberet, recipere Paschalem, qui non esset legitimus pastor Ecclesiæ. Tandem post multa hinc inde dicta, tunc primum sine gratia Imperatoris recessit.

Imperator rursum celebravit Curiam apud Louffen in partibus Bavvariæ 14. Kal. Aprilis in tertia hebdomada Quadragesimæ. Cumque iterum Archiepiscopus, qui in vicino erat, nullo modo posset inclinari per fratrem suum Ducem Austriæ Heinricum, & alios Principes, qui internuncii erant, ad partem & voluntatem Imperatoris; Imperator statim, quasi ex justa sententia & judicio Principum; inbeneficiavit Laicis omnes possessiones ejusdem Ecclesiæ. Proscripsit etiam & persecutioni exposuit omnia cœnobia, quæ erant in eodem Episcopatu; vel, quæ jure fundi eo pertinebant, simul cum prælatis & omnibus possessionibus suis, quasi qui sui essent proscripti & excommunicati Paschalis. Et initium malorum sequentium hæc.

Exinde toto illo anno incendiis ac rapinis, alternisque obsidionibus, quasi ex præcepto, aut pro volunte Imperatoris idem Episcopatus ex magna parte vastatus est: Militibus tamen Archiepiscopi, se contra violentias iniquorum hominum fortiter & viriliter opponentibus.

Eodem anno Kalen. Novemb. Imperator in Longobardiam perrexit cum exercitu.

1167. Marquardus Niuvenburgensis Præpositus obiit 3. non. Januarii. Locus Salzburgensis simul cum claustro & monasterio canonicorum combustus est nocturno igne, nonis Aprilis.

Heinricus filius Erchenberti de - - - - obiit.

Locus Richerspergensis, & vicina prædia ejusdem Ecclesiæ, nocturno igne devastata & concremata sunt hostiliter tribus vicibus, id est, 15. Kal. & 7. Kal. Maii, atque 8. Idus Maii.

Postea composita est pax utrinque per Episcopum Babenbergensem & Episcopum Patavienſem ad 4. Idus Julii usque ad proximum natale Domini.

Duringus Presbyter & Canonicus & custos Richerspergensis Ecclesiæ obiit 3. nonas Augusti.

FINIS.

MONU-

Digitized by Google

MONUMENTA

SALISBURGENSIA.

J A-

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

JACOBI BASNAGII DE MONUMENTIS SALISBURGENSIBUS, OBSERVATIO.

IN QUIBUS AGITUR

De Ætate Rudberti, de Vitali &c.

I. Ordo hic Servatus.

I. SEquitur congeries indigestaque moles *Monumentorum ad Ecclesiam Salisburgensem ipsiusque Præsules pertinentium*; Nullo servato ordine, prout ipsi occurrebant, ea ediderat *Canisius*: Secundo enim tomo vitas *Rudberti* & aliorum, tum *Arnonis* Catalogum donationum fuerat complexus; deinde vero sexto tomo *Antiquarum Lectionum* eorumdem vitas, à *Vitalis* Miraculis, qui *Rudberti* tantum discipulus & Successor fuit, exordium sumens, ediderat. Nos quatenus fieri potuit ordinem restituimus.

Primo igitur Descriptionem Urbis Salisburgensis ex Mabillonio præmisimus.

Secundò *Vitas Rudberti & Episcoporum Salisburgensium*, quæ tribuuntur à *Canisio Eberhardi* Archiepiscopi discipulo, edidimus.

Tertiò eorumdem Episcoporum *Vitas* ab alio vel plurimis authoribus scripto mandatas subjecimus.

Quartum locum *donationes Ecclesiæ Salisburgensi* factas, tum ab *Arnone* noni sæculi scriptore, tum ab alio multo recentiori, ut pote qui vixerit an. 1186. scripto traditas obtinebunt.

Quinto denique *Chronicon Salisburgense*, quamquam quinto decimo sæculo concinnatum a cæteris illis Monumentis divellere noluimus.

II. De authoribus vitæ S. Rudberti.

II. Diverso tempore scripta fuerunt illa Monumenta, ut unicuique legenti patet. Quatuor recensentur scriptores qui unius *Rudberti* facta retulerunt, omnes a *Canisio* editi. Prior, qui legebatur tomo secundo antiquarum Lectionum, cæteris antiquior videtur, quia multo brevior & simplicior. Credidit *Mabillonius*, authorem *Rudberto* fuisse coævum; incertâ tamen conjectura, cum nihil ipsius ætatem indicet. Alter multo recentior est, ut pote qui concionem habuerit in festo *Rudberti*: *Hodierna festivitas S. S. ac Beatissimi Patris nostri Rudberti, quæ ejus in Paradisum transitum nobis exultabilem reddidit, piis mentibus mystica gaudia exhibet.* Unde patet primo authorem fuisse vel Salisburgensem monachum, vel saltem illius Ecclesiæ Presbyterum: Secundo

non

Digitized by Google

non ſcripſiſſe niſi cum *Rudberto* feſtus dies jam fuiſſet conſecratus. Quamquam priorem *Rudberti* Biographum deſcribat, miracula tamen aliquot de ſuo adjecit. Tertius multo prolixior, ideoque recentior haberi debet; ea enim fuit indoles eorum qui vitas Sanctorum deſcripſerunt, ut nova miracula prioribus conſuerent. Sed quantum turpiter erravit, noverit quicunque hæc obſervare voluerit. 1°. *Rudbertum* Scotum fuiſſe aſſerit; quem è Gallorum regum proſapia natum dicunt alii. Verum quidem eſt, huic ſcriptori partim Gallum partim Scotum eſſe *Rudbertum*, ut pote qui, ſi ipſi credas, ex *Regali proſapia Francorum ducumque Scotiæ originem duxerit.* Sed quomodo hæc ſibi conſtare poſſint, nemo divinet. II. Narrat Rudbertum ab Hilderico Francorum rege ad Epiſcopalem ſedem Wormatiæ fuiſſe promotum, inde poſt mortem *Childeberti* ab ea ſede expulſum; quod ibidem factum anno regni *Chilberti* ſecundo refert. Silent priores illam ab Epiſcopali ſede expulſionem, nec conſtare poteſt an unquam *Rudbertus* fuerit Wormatienſis præſul; quippe quî tam facile ſedem ſuam deſerens ad alias regiones apud Noricos potuerit transferri nullo relicto ſucceſſore? id ſaltem canones vetant. Deinde, quî fieri potuit ut ab *Hilderico*, qui tunc non fuit, ſit promotus? quomodo à mortuo jam *Childeberdo* ſit in exilium miſſus, ſi hæc evenerint anno ipſius regni ſecundo? III. Quæ narrat de *Laureacenſi Eccleſia* fidem non habent; quis enim ſibi fingat Syrum quemdam temporibus Apoſtolicis ab Hermagora Petri diſcipulo ſedem ibi fixiſſe, Epiſcopatumque ab eo fuiſſe erectum? Quis autumet *Quirinum* illuſtrem *Philippi* ſenioris *Filium*, *qui primus Imperator fidem Catholicam ad prædicationem Origenis recepit*, ibi fuiſſe Epiſcopum? Meræ fabulæ. IV. Nec magis vera ſunt quæ de Martyrio *Maximiliani* Laureacenſis Epiſcopi narrat; contendit enim eum *ſub Varo Imperatore capite multatum anno* 280. *quod diis ſacrificare nollet.* Primo, nullus imperator *Varus* Hiſtoricis notus eſt, ideoque *Carus* reponi deberet. Secundo, nec hæc conciliare poſſis cum iis qui *Maximilianum* ſub *Diocletiano* paſſum tuentur. *Mezgerus* rem aliter habet; ait enim *Maximilianum*, qui olim ſub *Deciana* perſecutione Romam fugerat, quaſi ibi tutior quam in Pannonia; dum patrias oras iterum luſtraret, ab *Ejulaſio* Pannoniæ Præfecto, quem miſerat *Numerianus*, in carcerem dejectum & capite truncatum imperante *Diocletiano* 4. idus Octobr. an. 289. Differt *Mezgerus* a ſuperius memorato ſcriptore, eo quod *Ejulaſium* præfectum *Euſebii* loco, *Numerianum* pro *Varo* ſubjiciat, deinde *Diocletianum* imperantem, annumque 289. non 280. aſſignet. Sed quomodo ſibi conſtet ipſi *Mezgerus* non video; qua ratione enim fidem non adhibet vetuſtiſſimo ſcriptori, ſi traditionibus illis habenda eſt aliqua fides? Qua ratione captus ſub *Numeriano* Maximilianus per tot annos detinetur in carcere, ut non niſi ſub *Diocletiano* an. 289. diem ſupremum claudat? Cur tempora mutavit, cum anno 280. obiiſſe dicatur *Maximilianus?* Cur eo tempore aſſignatur ejus paſſio, quo nulla perſecutio vigebat & è contrario favebat Chriſtianis *Diocletianus?* Denique nullo fundamento *Cajum* Pontificem, *Diocletiani* fratrem fecit, quod alias à nobis jam refutatum. V. Unum addam de ſcriptore vitæ S. *Rudberti*, qui à *Diocletiano* ad *Rudpertum* uſque illas Eccleſias ſacerdotali honore privatas fatetur; cum tamen in illa provincia viginti duæ prius forent Eccleſiæ; brevis enim *Diocletiani* fuit perſecutio: mox ſubſecutum *Conſtantini Magni* imperium tot tantasque Eccleſias debuit reſtaurare, ſi fuiſſent. Sed vereor ne Laureacenſes, pro more, fabuloſe nimis fidei originem ad priora tempora referant. *Bucelinus* in Germania ſacra & profana *Maximiliani* nomen immutavit

Sæc. XII. Anno 1167.

Lorch. c. 10.

Mezge. Hiſt. Salis. l. 1. *c.* 15.

Bucelin. Germania p. 1. *p.* 42.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

asseritque Sanctum *Maximum* olim cum Presbyteris Martyrium passum esse; quia tamen non illic certa successione sedes firmata fuerit ante *Rupertum*, merito haberi Apostolum. Vides hic omnia de *Maxima* incerta, quin imo ætatem notare ausus non est *Bucelinus*. Quartus denique scriptor vitæ *Rudberti* dicitur discipulus *Eberhardi Episcopi* Salisburgensis. Tribuuntur eidem aliquot vitæ Præsulum Salisburgensium; cum autem vivere desierit *Eberhardus* anno 1164. debuit ipsius discipulus scribere ad finem duodecimi sæculi.

III. *De Donationibus ab Arnone conscriptis. Matth. Weiss. in Lycæo Benedictino.*

III. Donationum descriptiones diversis temporibus fuerunt concinnatæ; priores enim ab *Arnone* collectæ sunt. *Arno* fuit Episcopus Salisburgensis ævo *Caroli magni*, *Alcuini* frater, & ab eo *Aquila* dictus. Existimarunt plurimi *Joannem* Episcopum Salisburgensem ab *Alcuino Aquilam* fuisse dictum, ipsiusque esse fratrem germanum; sed differunt tempora; nam Episcopus fuit *Joannes* anno 740. at quindecim annos tantum aut circiter natus erat tunc temporis *Alcuinus*; nec ea ætate ad Episcopale fastigium potuit promoveri ipsius frater forsan junior. Deinde cum *Alcuino* procul dubio in Gallias transmigraverat frater germanus ille. Quidquid autem sit de tribus *Alcuini* itineribus, in Gallias non appulit ante annum 770. quo cum venerit *Arno*, potuit Elnonensem Abbatiam regere per aliquot annos, dein Episcopus fieri an. 786. Hæc autem convenire non possunt *Joanni*, qui ante primum *Alcuini* appulsum jam obierat an. 754. Denique cum *Alcuinus* mentionem fecerit in Epistolis hæreseos *Felicianæ*, ut pote jam damnatæ, quæ tamen non nisi an. 792. fuit rejecta, dirigi non potuerunt illæ Epistolæ *Joanni* jam dudum mortuo.

Fuit cum *Mabillonius* autumaret inter *Bertricum* & *Arnonem* interjici debere novum Episcopum, *Aquilam* nomine, fratrem *Alcuini*, omissum à priorum Sæculorum scriptoribus. Sed ipse sententiam immutavit & *Arnonem* esse *Alcuini* fratrem confessus est. Quare dicatur *Aquila*, non accuratius investigandum: tribuebantur illa fictitia nomina ob rationes nobis nunc incognitas, quæ divinari vix possunt. Quis noverit quis sit *Aries* ille Salisburgensis Episcopus de quo cecinit ignotus poëta:

Analect. T. IV. p. 730.

Nobilis hanc Aries cognomine dictus avito
Dignanter chartam perlegat ore sacro.

Nisi tamen Aries sit *Adalwinus* successor *Liuprammi* in Episcopatu Salisburgensi. Qua autem ratione *Adalvinus* referatur ut *Aries*, divinandum relinquimus. Celebravit *Gallum Alcuinus*; quis tamen indicare nobis potuerit virum sub hoc nomine latitantem? Sic *Carolus Magnus David* appellabatur. Potuisset *Alcuinus* temperare a fratris laudibus, aut modum sibi imponere; mira enim canit de fratre germano in versibus ad *Aquilam* Episcopum Salisburgensem.

Ibid. p. 722.

Per montes, campos aquilam mea chartula quære
Pontificem magni nominis & meriti.

Quidquid sit, Arno fuit *Alcuini* frater, Imperatori *Carolo Magno* charissimus, cujus autoritate sedes Salisburgensis in Metropoliticam fuit erecta.

In

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

In qua pontifices multos poſt rite ſedentes
Arn ſucceſſit ovans rector ovile regens
Quem Carolus princeps regni ſuperauxit honore
Archiſacerdotis, dignior ut fieret. *Ibid. p. 525.*

Ab Imperatore miſſus eſt Romam an. 799. *Leonem* III. interrogaturus de controverſiis quæ apud Gallos agitabantur circa ſacerdotes criminoſos & chorepiſcoporum autoritatem, ut patet ex Capitulari Aquisgranenſi an. 803. Unus fuit *Arno* inter amicos *Caroli*, quibus Theſauri diſtributionem a ſe triennio ante mortem conſtitutam executioni mandaret Imperator. Vixit ſub *Ludovico*, ut patet ex Epiſtola ad eum directa, quæ Helmſtadii habetur in codice M S. Bibliothecæ Juliæ, ex eo vero fuit a *Baluſio* vulgata. *Capit. Reg. Fr. p. 381.*

Hic *Arno*, donationes Eccleſiæ Saltsburgenſi conceſſas deſcripſit ſæculo nono.

IV. Alius eſt donationum cenſus a *Caniſio* editus, cujus binæ diſtingui debent partes; altera enim *Virgilii* eſt, altera vero ſcriptoris longe poſterioris. Negat *Mezgerus* priorem deſcriptionis partem eſſe *Virgilii*; quamquam enim Epiſcopus ille bona Eccleſiæ Salisburgenſi conſecrata recenſuerit, non potuit tamen inſtrumentum publicum confeciſſe. Nam 1°. inquit *Mezgerus*, illud inſtrumentum prædeceſſoris hic non ſiluiſſet *Arno*, qui donationum illarum Catalogum ideo contexuit, quia nullus erat antea. 2°. Ille donationum Catalogus ultra *Virgilii* tempora longe ſe protendit, quod argumento eſt firmiſſimo, *Virgilium* non eſſe ipſius autorem. 3°. In iis donationibus plurimi proferuntur teſtes iidem ac qui in *Arnonis* deſcriptione ſubſcripſerunt; cum tamen *Arno* nuſquam dixerit eſſe diſcipulos *Rudberti*, ut habet inſtrumentum illud, quod *Virgilii* nomen præfert. 4°. In eo legitur a Sclavis devaſtatam fuiſſe cellam S. Maximiliani plurimis temporibus, ignoraſſeque *Otilonem* cellam illam fuiſſe dono datam a *Theodone* & *Theodeberto*. Horum alterum evidenter falſum, cum Sclavi terras illas nonniſi an. 720. depopulari potuerint: Alterum ne quidem veriſimile, cum *Otilonem* lattere non potuerit donatio a Principe *Theodeberto* ante triginta annos conceſſa. IV. *De cæteris donationibus.* *Hiſt. Salisb. l. 2. c. 9. p. 194.*

Facile ruunt objectiones à *Mezgero* excogitatæ, præcipue ſi recipiatur operis diſtinctio a nobis ſuperius indicata, qua pars deſcriptionis reſtituitur *Virgilio*, altera vero diſcipulo *Eberhardi* conceditur: tunc enim mirum non erit, ſi totum opus ultra ætatem *Virgilii* protendatur, cum pars poſterior ab authore ſæculi duodecimi ſit conſcripta: deinde cum Sclavi ab anno 720. ad 760. *Virgilii* ſcilicet ætatem, *Maximiliani* cellam devaſtarint, dicere potuit *Virgilius*; Jam à *multis temporibus*, hoc eſt, annis, fuiſſe devaſtatam; quadraginta enim & ulterius effluxerant anni. Donationem illam obliteratam, quæque a plurimis annis nullius erat autoritatis, ut pote quam tenuerant Sclavi, potuit ignorare *Ottilo*. Quid ibi portenti, cum nulla ſupereſſent forſan inſtrumenta publica conceſſæ illius donationis, neque penderet a teſtimonio ſeniorum? Nec mirum ſi aliqui forent ſuſperſtites ex *Rudperti* diſcipulis, qui diem ſupremum non clauſit niſi anno 718. ut inferius probatum ibimus. Peccavit *Eberardi* diſcipulus, qui cum monumentum publicum *Virgilii* retineret, fidem ipſi non denegaturus, dixit tamen *Rudbertum* obiiſſe an. 823. Non vero *Virgilius* multo anterior, qui diſcipulos *Rudberti* ſe vidiſſe audiviſſeque aſſerit; id enim fieri poterat, ſi tantummodo quadraginta aut circi-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

ter anni ab obitu *Rudberti* præterierant. Denique Virgiliana deſcriptio non fuit ipſi peculiaris, ut vult *Mezgerus*, ſed ſcripto publice conſignata, teſtium ſigillo & ſubſcriptionibus firmata, ut hodierno die probatur ex editione Caniſiana.

Prima pars igitur illius deſcriptionis tribui debet *Virgilio*, cujus nomen præfert. Cenſum illum concinnaverat Sæculo octavo ante *Arnonem*, qui ea de re, neſcio qua ratione, ſiluit.

Secunda vero pars annum quo fuit exarata indicat. Fuit ille annus 1186. quo vixit *Eberhardi* Salisburgenſis Antiſtitis diſcipulus.

Tertium donationis Monumentum ſupereſt. *Philippus* enim ſecundus Romanorum Imperator conceſſa prius Eccleſiæ Salisburgenſi privilegia confirmavit omnia an. 1198. Irrepſit tantummodo leve mendum in inſcriptione. Conceſſa enim ibi legitur Confirmatio Præſuli *Eberhardo* II. attamen illam ſupplex poſtulaverat ab Imperatore *Adelbertus*, qui tunc Salisburgenſis Eccleſiæ clavum tenebat: & revera, ſi credas Chronico Salisburgenſi, *Adalbertus* ex hac vita non migravit ante annum 1200. quo promotus eſt *Eberhardus* II. ipſi igitur *Eberhardo* non potuit concedi Privilegiorum Confirmatio, quæ jam a *Philippo* ſecundo ante biennium firmata fuerat.

V. *De Chronicis Salisburgenſibus.*

V. De *Chronicis Salisburgenſibus*, quæ donationibus ſubjicientur, nihil habemus quod dicamus. Breviſſima ſunt illa Chronica ab anno 583. ad annum 1475. continuata. Eodem tempore deſinit Catalogus Epiſcoporum Chyemenſium; in eo enim poſtremus eſt Bernardus de Krayburg, qui cum an. 467. ſedere cœperit, poſt decennium tranſlatus eſt ad ſuperos. Catalogus Epiſcoporum Salisburgenſium multo brevior, ut pote quem claudat *Rudolphus*, qui anno 1284. quo obierat *Fredericus*, ad Salisburgenſem ſedem fuit promotus. Nos huic Catalago, ut nihil deeſſet, cæteros Antiſtites ad noſtra uſque tempora adjecimus. Mirari forſan poterit aliquis, cur tot monumenta diverſis annis imo ſæculis deſcripta anno potiſſimum 1190. aſſignentur. Binæ nobis fuerunt rationes: Primo inter tot ætate diverſos ſcriptores principem locum obtinet facile diſcipulus *Eberhardi*, qui plurimas Epiſcoporum Salisburgenſium vitas exaravit; ideoque cum monumenta illa divellere nefas duceremus, ætatem ſcriptoris inter cæteros inſignis elegimus; cumque deſinente ſæculo duodecimo vixerit annum 1190. indicavimus. Secundo, pleraque alia monumenta ad eam referuntur ætatem: alia quidem ſunt vetuſtiora, alia ſunt recentiora; inter tot diſcrimina medium tenuimus; alioquin ſi fuiſſent divulſa, ſingulas ſuo tempori, ut ſolemus, aſſignatis, nonniſi multo cum labore ea conferre & pervolvere potuiſſet lector, quæ ipſi uno conſpectu apparent.

VI. *De Salisburgo.*

VI. Antiquiſſimam originem *Salisburgo*, prout fieri ſolet, tribuunt ſcriptores. Primo, Cæſaris temporibus fuiſſe *Juvaviamque* dictam, quod Romanis propter arcem foret *Juvamen*. Non arridebit forſan Criticis etymon, præcipue cum nullum ſuperſit teſtimonium de illa arce Romanorum apud Noricos. Obſtat denique verſificator, qui illam *Adrianam* eo quod *Adrianus* Imperator ibi coloniam Romanam conſtituerit, appellatam vult.

Tunc Adriana vetus, quæ poſt Juvavia dicta,
Præſidialis erat Noricis & Epiſcopo digna.

Qui illam civium frequentia, ædium ſplendore, munitionum firmitate antiquitus celeberrimam aſſerunt, nihil in argumentum proferunt præter rudes

Digitized by Google

des impolitosque versus, qui infimæ ætatis scriptores sapiunt: deinde vero ab *Attila* vastatam & solo æquatam fingere coguntur. Excurrant illi quantum voluerint in *Attilæ* gesta, nihil tamen de *Juwavia* ex illius monumentis eruent. Deserta incultaque sedes erat cum ibi Ecclesiam urbemque condidit *Rutpertus* eamque *Saltsburgum* à *Salza* fluvio potius quam à Salinis in vicinia repertis dixit. Fuit forsan *Juvavia* vicus in proximo loco, sed Saltsburgum antea ignotum a fundamentis, ni fallor, erectum fuit sæculo quo vixit *Rudbertus* primus Monasterii fundator. SÆC. XII. ANNO 1190.

VII. Binæ sunt de *Rudberti* Bajoariæ Apostoli, ut vocant, Ecclesiæ Salisburgensis fundatoris ætate sententiæ. Altera omnium fere scriptorum *Bucelini*, *Schonlesben*, *Mezgeri*, &c. qua *Rudpertum* anno 580. aut circiter vixisse tuentur: Altera *Mabillonii* qui in sæculum sequens illum rejicit. Neque enim *Velserum* vel *Brunnerum* moramur, qui, dum *Rutpertum* an. 616. *Theodonem* Bajoariæ Ducem baptizasse confitentur, à cæteris tamen divertunt, ipsumque nonnisi an. 728. obiisse contendunt. Tertia dici possit hæc sententia; à priori tamen parum discrepat. VII. *Mabillonii sententia de ætate Rudberti.*

Tribus argumentis nititur potissimum sententia *Mabillonii:* Primo, quod nullus *Childeberti* secundi Francorum Regis ævo fuerit Dux Bajoariæ *Theodonis* nomine, quem tamen à *Rudberto* conversum, saltem baptizatum volunt cæteri. Singulos Bajoariæ Duces recenset *Paulus Warnefridus*, cui notissimi debuerunt esse; sic autem ille: *Post mortem Hilperici Childebertus ejus filius adhuc puerulus cum Brunichilde matre regnum suscepit. Evin Dux Tridentinorum accepit filiam Garibaldi Bajoariorum regis. Anno* 589. *Flavius Rex Austrasiæ*, inquit idem c. 31. *Legatos ad Bajoariam misit, qui Garibaldi eorum regis Filiam Theodelindam sibi in matrimonium peterent.* Unde constat a *Sigiberti* nece ad *Childeberti* annum XV. Christi 590. nullum esse in Norico *Theodonem*, sed illud rexisse Garibaldum. Paulo post *Tassilo* a *Childeberto* constitutus est Dux Bajoariæ. Obiit ille an. 610. Successit ipsi filius ejus *Garibaldus*, qui a Sclavis devictus est, teste *Paulo Warnefrido.* Nullus igitur tunc temporis *Theodo.*

Alterum argumentum ex *Arnolfo* ducitur. Scripsit ille vitam *Emerammi*, quam post *Canisium* edidimus; Is autem: *Fuit Theodo vir strenuus & alacer sub quo clarissimus Ruopertus Juvavium, hoc est, Salisburgum pervenit ibique cursum præsentis vitæ consummavit: is ergo duos filios habuit Successores Diotpertum atque Grimaldum, post quos ducatum huic genti præbuit Hucbertus---- hujus ducis temporibus beatissimus præsul Bonifacius ingressus Bajoariam &c.* Ergo vixit *Rupertus* sub eo *Theodone*, qui *Diotpertum* & *Grimaldum* filios habuit, quique ab ætate *Bonifacii* non longe distabat. Hæc autem assignari non possunt nisi an. 700. Notat denique *Mabillonius* se cum Germaniam peragraret, vidisse Cod. MS. ex Monast. Tegernseensi, ad cujus finem legitur hæc nota: *Quantum elici potest ex successione Regum Francorum, Rudpertus floruit an. DCCCIII.* Mabil. Anal. t. 14. l. 1. c. 1.

VIII. Plurima *Mezgerus* & cæteri proferunt argumenta oppositæ sententiæ fautores. Lapis marmoreus sepulchro *Rudberti* forsan a *Virgilio* appositus diserte loquitur *Rudbertum* obiisse an. 623. Illud confirmant Episcoporum Salisburgensium Catalogi, quin etiam Historici plerique, qui vitam *Rudberti* scripto mandarunt; inter quos primas fert *Eberhardi* discipulus. Consentiunt Monumenta Wormatiensia, quæ *Rudbertum* S. *Amando* post quinque Antistites intermedios successisse ferunt. Interfuit *Amandus* Concilio Colo- VIII. *Mezgeri sententia.*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

nienſi an. 346. tum & Sardicenſi cum *Servatio* Tungrenſuum præſule. Non potuit igitur *Rudbertus* Bajoariam petere an. 696. niſi ſex Epiſcoporum regimen apud Vangiones ultra 300. annos protendatur; quod veriſimile non fit. Eccleſiæ Salisburgenſis cæterarum mater vulgo dicitur & ejus abbas & fundator *Rudbertus* harum regionum Apoſtolus habetur. Concidit tamen honos ille non ſpernendus, ſi *Rudbertus* ad annum 700. rejiciatur: aliæ enim Eccleſiæ jam ibi fuerant erectæ, nec gentes jam tum temporis Chriſtiana fide imbutæ Rudbertum ut Apoſtolum ſuum venerari poſſent. Denique favet illi ſententiæ fama conſtans traditioque Seniorum illius loci, ſæpe tacentibus libris, unica rerum præteritarum nuncia.

IX. *Refutatio ſententiæ Mabillonii. p. 3. fol. 317.*

IX. Ut nodus à *Mabillonio* indicatus ſolveretur, multa protulit *Ludovicus Schonſleben* in Hiſtoria Carniolæ, quam an. 1680. edidit, ſatis intricata, quorum ſumma huc redit *Theodonem*, ſub quo *Rudbertus* docuit, fuiſſe *Garibaldi*, de quo *Paulus Warnefridus*, parentem, vel ſaltem alium Bajoariæ principem a *Garibaldo* diverſum, qui tamen eo tempore viveret. *Rudpertum* vero in Bajoariam adveniſſe circa annum 580. & *Theodonem* biennio poſt baptizare voluiſſe; conjicit *Rudpertum* multos ibi exantlaſſe labores triginta annorum ſpatio, tandem vero an. 612. ſed converſo *Theodone* ipſum baptizaſſe anno 616. eaque ratione *Theodonem Taſſilonis* filium, *Garibaldi* ſecundi fratrem dici poſſe.

Mezg. diſſ. de antiquit Eccleſ. Sal.

Mezgerus vero, ut ſe eadem difficultate extricet, ſupponit plures ea ætate in Bajoaria fuiſſe Duces, *Theodonem* ſcilicet cum *Garibaldo* & *Taſſilone*, imperabat ipſe in Auſtria ſuperiore, alii in Stiria & Carinthia. Baptizatus eſt à *Ruperto* anno 575. una cum *Theobaldo* & *Taſſilone* filiis. *Rupertus* in Franciam reverſus eſt ad ſedes ſuas, usque dum anno 580. Wormatienſi ſede fuerit ejectus: Tunc autem rurſus evocatus eſt in Bajoariam, quam integram regebat *Theodo*, mortuis *Garibaldo* & *Taſſilone*, ibique converſis plurimis qui ritus idololatricos adhuc profitebantur, ex Auſtria *Juvaviam* delatus eſt & Salisburgenſis Eccleſiæ fundamenta decit.

X. *Objectiones.*

X. Objicitur, & hæc difficultas *Mabillonium* potiſſimum urgere debuit, *Rupertum* ubique vocari Apoſtolum Bajoariorum, quaſi eos a Paganiſmo ad Chriſtianiſmum traduxiſſet: attamen longe antea converſos fuiſſe videtur. Quippe Reges Auſtraſiæ, qui Chriſtianam Religionem profitebantur, quique Duces Bajoariæ conſecrabant à longo tempore, non potuerunt Paganos Chriſtianis in hoc imperio præferre. Reſpondet *Mabillonius*, ſed ſine argumento probabili, illos idololatriæ ſemper addictos in Paganiſmum, quem coacti dejeraverant, iterum relapſos eſſe.

Objicitur ſecundo à *Mabillonio* ipſo: Nullum *Childeberti* ſecundi temporibus apparere *Theodonem* Bajoariæ Ducem, ſed tantum modo ſub *Childeberto* III. an. 696. Qui *Theodo*, ſecundum *Arnolfum*, duos habuit natos, quorum prior *Theodebertus*, qui anno 705. Rex, ut loquuntur, vel potius Dux creatus eſt & cum Patre *Theodone* Bajoariam rexit. Anno 716. in vivis adhuc erat *Theodo*, cum tunc temporis Romam voti cauſa petierit. Secundus filius recenſetur *Grimoldus*, deinde vero *Theobertus* Theodeberti filius.

Arno annotatio inter monumenta Salisburgenſia.

Objicitur tertio ipſius *Arnonis* non ita longe a ſæculo *Rudberti* diſſiti teſtimonium; aſſerit enim veniſſe *Robertum* ſub *Theodone*, cui ſucceſſit *Theodbertus filius*, cujus poſtea filius *Hucbertus*, poſt hunc *Ottilo*, cui ſucceſſit *Taſſilo* a *Carolo magno* victus. Nihil adverſus illam autoritatem poteſt objici. Vixit *Arno* ſæculo octavo ipſo quo in Noricum appulerat *Rudbertus*. Non facile

Digitized by Google

facile potuit errare aut decipi. *Theodonis* Succeſſores recenſens unum tantum numerat ad *Hucbertum* uſque, qui a *Carolo Martello* victus eſt an. 725. quatuor vero intermedios ad *Taſſilonem* uſque, quem toties debellavit *Carolus Magnus*. SÆC. XII. ANNO 1190.

Verum quidem eſt, ab *Arnolpho*, quem laudavimus, binos tribui *Theodoni* filios ſucceſſores, *Theodebertum* & *Grimoaldum*: hunc *Lazius* ſequitur, multa de *Grimoaldo* Duce Bajoariæ a ſuis cæſo referens. *Arno* vero de *Grimoaldo* plane ſilet, unum *Theodebertum* Theodonis filium & ſucceſſorem memorans. Sed facile iſta conciliantur: legerat *Arnolfus* binos Theodoni filios fuiſſe, hos utrumque patris vices in regimine ſubiiſſe exiſtimavit. *Arno* vero, harum rerum peritior, quamquam forſan geminos *Theodoni* filios fuiſſe calleret, ſiluit tamen de *Grimoaldo*, quia non imperaverat. Facilis error *Arnolfi*, qui longe diſtabat, imo & *Lazii* multo poſterioris. Denique cum *Hucbertum*, qui victus eſt anno 725. ſucceſſiſſe aſſerat, a leviſſimo inter ſcriptores illos diſcrimine cætera quæ diximus non poſſunt infirmari. Veritatis igitur potius quam antiquitatis neſcio cujus zelo adhærentes *Rupertum* primum Salisburgenſem Antiſtitem ſæculo ſeptimo collocamus.

Conſentit cum *Arnone Virgilius*, qui quadraginta poſt *Rudbertum* annis Eccleſiam Salisburgenſem regebat: hic enim in cenſu donationum, quem ipſi ſuperius vindicavimus, eadem plane cum *Arnone* habet: quippe ſub *Theodone* Bajoariam appuliſſe *Rudbertum* cum cæteris affirmat; huic *Theodoni* filium *Theodobertum* aſſignat, *Theodoberto Hucbertum*, Hucberto *Ottilonem* ſucceſſorem, Ottiloni *Taſſilonem* tribuit. Vixit *Hucbertus* filius & ſucceſſor Theodoberti ſub *Carolo Martello*. Scribit *Virgilius*, *Carlomannum* & *Pipinum* reges Francorum *Odilonem* Bajoariæ ducem rebellare conantem bello ſuperaſſe; fuiſſe autem cum *Pipino* rege multis annis in Francia, unde reverſus accepit ducatum, quin imo *Pipini* ſororem *Hilfrudis* nomine duxit in matrimonium. Quid evidentius? Inde concluditur hos omnes Bajoariæ duces vixiſſe ſæculo ſeptimo, *Rudbertumque*, qui a *Theodone* & *Theodoberto* tot munera juraque Eccleſiæ Salisburgenſi conceſſa acceperat, hoc ſæculo debere aſſignari. Nec ut ajunt falli potuit *Virgilius*, *Arnone* non modo vetuſtior, ſed qui ſub *Odilone* magnas lites habuit cum *Urſo* de quadam donatione *Theodoberti*. Rem igitur callere debuit & progeniem Ducum Bajoariæ à quadraginta tantum aut circiter annis non potuit ignorare. *Donationes facta Eccleſ. Salisburg. c. 3. 4. 5. & 6.*

Favet huic ſententiæ Chronicon *Alberici trium fontium*, quod vulgavit a biennio eruditiſſimus *Leibnitzius*. Ille enim, quamvis circa annorum numerum aliquatenus erraverit, ſæculo octavo reponit *Robertum*. *His temporis* inqui ad an. 752. *Robertus Juvavenſium præſul floruit* p. 195.

Hæc ſatis de ætate *Rudberti*. Illuſtrium virorum, qui fuerunt uterque ordinis Benedictini ornamenta, ſententias retulimus, alias in præfatione plura dicturi de Abbatia & Epiſcopatu Salisburgenſi ejusque privilegiis.

XI. Antequam Epiſcoporum Salisburgenſium ſeriem proſequamur, aliquid dicendum de *Erentrude*, cujus vita habetur inter Monumenta Salisburgenſia, ſcilicet hujus voluminis. Incertum an fuerit illa neptis vel ſoror *Rudberti*: Tertius *Rudberti* Biographus ſororem appellavit eique Fratrem *Trudbertum* adjunxit: Hunc ſequitur *Aventinus* immutato pauliſper nomine: *Soror quoque Sancti Rudberti Ariodruda virgo ſancta & cordata ad Bojos perrexit.* Sed neptis dicitur non modo apud *Arnonem* multo vetuſtiorem, ſed etiam à plerisque qui *Rudbertum* laudarunt. Et revera tot menda in tertio illo ſcriptore ani- XI. *De Erentrude virgine.* *Avent. Hiſt. Bojor. l. 3. f. 263.*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

animadvertimus, ut non mirum ſit circa neptem *Rudberti* peccaſſe. Miror in ejus vita, quomodo Abbatiſſa facile transvolaret ex Monaſterio ſibi credito, ob quædam jurgia, in Bajoariam; iſtas enim Tranſlationes leviſſimis de cauſis non probant Canones. Quò volitabat præceps, ſi pagani Noricum occupabant, cumque nullum illis in regionibus erectum fuerat Monaſterium? Non legitur apud Vangiones permanſiſſe, quamquam fortius aſſeratur ibi *Rudbertum* fuiſſe præſulem; ſed derelicta Gallia & cura Monaſterii, cujus erat Abbatiſſa, cum *Rudberto* transmigravit in Noricorum partes. Unde firmetur conjectura ſuperius allata, nusquam Wormatiæ præſulem fuiſſe *Rudbertum*, ſi tamen huic Monumento integra fides adhibenda. Quamquam brevis ſit illa vita, plura tamen reſecuit *Mabillonius* qui ipſam denuo edidit in ſæculo tertio Benedictino, quod ipſi contemnenda viſa ſint. Nos integram, prout erat a *Caniſio* edita, inſeruimus.

XII. *De Cæſario.*

XII. Vitam ſequitur Hiſtoria Miraculorum ab eadem Virgine confectorum. Scripſit illa *Cæſarius* Capellanus Numburgenſis, idque mandato Salisburgenſis Antiſtitis. Hic vixit ſæculo decimo quarto; nam eo tempore deſinit ipſius Hiſtorica narratio Miraculorum *Erendrudis*. Cum longe diſtaret ab *Henrico* II, non mirum ſi morbum cæteris incognitum tribuerit, Divinitusque ſanatum ſolus aſſeruerit. Incertus hæſit ipſe de morbo quo laborare debuit *Henricus*, ut ſanitati reſtitueretur. An Phreneſis an Epilepſia fuerit, dicere non eſt aulus: utrumque contra veterum omnium ſententiam, qui nihil tale de Henrico habent, ita ut plane ruat miraculum a quo narrationem ſuam exorſus eſt *Cæſarius*. Scriptor, qui vitam *Henrici* ſecundi litteris mandavit & qui ſuperius editus eſt an. 1145. *Henricum* calculo laboraſſe & *Benedicti* ope ſanatum refert. De Epilepſia vel phreneſi ne γϱὺ quidem habet, *Mezgerus* vult calculi dolores, quibus vehementer agitabatur *Henricus*, ab *Erentrude* ſedatos. Sed falſum: quippe miraculum illud *Benedicto*, qui calculum è renibus eduxit, vindicatur ab Hiſtorico ſuperius memorato. Ipſe ſibi aliquatenus contradicit author, qui Imperatorem *numquam* rabiem infirmitatis poſtea ſenſiſſe, ideoque duo calcaria aurea obtuliſſe affirmat; mox tamen, perditis in balneo *Erendrudis* Reliquiis, eodem Epilepſias aut phreneſeos morbo affectum refert, quæ plane ſunt adverſa.

XIII. *De Vitale.*

XIII. *Vitalem*, *Rudberti* in Epiſcopatu Salisburgenſi vices ſubiiſſe ferunt. Ejus vitam nemo veterum ſcripſit. Habentur hic tantummodo ipſius miracula, quorum diſquiſitio facta longe poſt *Vitalem* Pio ſecundo & Leone X. Pontificibus. Poſtea tamen ipſius elogium concinnavit *Amandus* Abbas S. Petri apud Salisburgenſes, deinde vero *Mezgerus*. Adhæſerat, ut ajunt, *Rudberto* à teneris annis: cum ipſo Wormatiâ venerat ſexaginta annos fere natus: à præceptore in ſucceſſorem fuit nominatus; ita ut octogeſimum annum ſit prætergreſſus, cum poſt annos regiminis 23. Octobris vigeſimo anni 646. obiit. Si quid ſentiam aperire licet, credam multo potius *Vitalem* eum eſſe qui cum *Emerammo* venit è Gallia, Teutonicam callens linguam, cujus ope Pannonios ad Chriſtum adducere tentabat. Vixit Emerammus an. 697. Adjicit *Mezgerus*, mira patrare *Vitali* minime difficile fuiſſe negotium, non longis *erat precibus*, *non jejuniis multis opus*, *uno edito ſigno crucis*, *imo ſuſpirio*, *uno in cœlos nictu & tacita ad numen prece*, *uno levi tactu*, *una*, *quod varius*, *familiari ſalutatione cæci videbant*, *paralytici ſurgebant*, *ſurdi audiebant*, *claudi exiliebant*, *ægri*, *languidi mox ſani*, *vegeti*, *incolumes exultabant*. Quæ de ætate *Vitalis* habet hic *Mezgerus*, ſuperius refutata; quippe qui non niſi an. 718. potuit Paſtorale pedum ſumere. Quis vero ferat, *Vitalem* iisdem lineamentis

Mezger. Hiſt. Salisb. l. 2. c. 2.

Digitized by Google

mentis eadem ille miraculorum poteſtate, ſi non majori ac olim Meſſiam Johannis Baptiſtæ diſcipulis armatum repræſentari. Sufficiebat ipſi *ictus oculi*, imo *ſalutatio*. Eo major in ſcriptore temeritas, cum omnia de *Vitali*, qui de nomine ſolo notus eſt, ſint incerta. Vix Epiſcopum aut hominem fuiſſe confitetur *Mabillonius: Ipſe facile Vitalem Rudberto ſucceſſiſſe crediderim*, inquit, *ſi tamen alius fuerit à Vitali, qui Arnonis indiculo ſubſcripſiſſe invenitur*. Nos miracula illa, ut nihil monumentis Salisburgenſibus deficeret, poſt vitam Erentrudis appoſuimus. Quamquam ſæculo decimo quinto fuerit edita illa miraculorum narratio; unde minimam meretur fidem, ſi quæ habenda eſt. Gaudeant fœminæ parturientes, quæ Sanctum *Vitalem* patronum ipſis ita faventem habent, ut ſi vota ad eum emiſerint, vel cingulum ipſius tetigerint, mox felix ſuccedat partus; forſan ideo quod a *vita* procedat *Vitalis* nomen. Sæc. XII. Anno 1190.

XIV. *Virgilii* vita hic dupliciter deſcribitur: eam primum ediderat *Caniſius* tomo ſecundo Antiquarum Actionum; poſtea eamdem quam recenſuerat, monumentis Salisburgenſibus inſeruit. Nos ejus veſtigiis inhærentes ne aliqua fidei ſuſpicione laboraremus apud aliquos, utramque edendam curavimus, monito prius Lectore unam ab altera vix differre: præcipuum diſcrimen occurrit in aſſignando *Virgilii* morte; ille anno 780. obiiſſe aſſerit, hic per quadriennium vitam ejus protraxit; immeritò ſane. XIV. *De Virgilio.*

Venerat *Virgilius* ex Hybernia apud Gallos; cum ibi appuliſſet, illum *Pipinus* apud Cariſiacum aliquandiu detinuit; transmigravit inde in Noricum ibique cum apud *Ottilonem* authoritate polleret *Bonifacius*, illis in Regionibus Pontificius Legatus, vir ſi quis unquam ſuperbus, ſive Zelotes, ipſi varia apud Pontificem intentavit crimina. Primo ipſum velut obſcurum hominem ipſique ignotum apud *Zachariam* traducit; quippe an *Virgilius* eſſet Presbyter nec ne, ignorare fingebat: Deinde *Virgilium immiſſiones facere ad Ottilonem & odium & jurgia inter Pontificem & Ducem ſeminare querebatur*. Tertio eo quod Presbyter aliquis apud Salisburgum vitiata latinitate uteretur vel neglecta forma vulgari Sacramenti baptizaret *Patria, filia & Spiritua Sancta*, *Bonifacius* omnes ab illo ſacerdote baptizatos denuo Sacramentalibus undis immergi imperabat: Poſtrema denique erat diſſidii cauſa *perverſa & iniqua doctrina qua in Deum & animam peccabat Virgilius*, cum doceret Antipodas. Aſſerebat ille eſſe homines qui adverſam mundi plagam & alterum Hemiſphærium habitarent. O ſcelus? Valuere tamen apud *Zachariam* tot tamque nefanda crimina; *Virgilium* Romam evocavit Pontifex & interea ipſum Sacerdotii honore privandum & ab Eccleſia pellendum judicavit. Mira alacritas in Pontifice ut in ipſius legato. Mandatis non obſecutus eſt *Virgilius*, etiamſi a Pontifice manarent; nec obſtabat mors *Zachariæ*; quippe delatus à *Bonifacio* fuerat *Virgilius* jam ab anno 747. obiit vero Pontifex an. 752. potuit ergo per quinquennium Romam petere *Virgilius* & cauſam dicere. Deinde cum ad Pontificale faſtigium mox evectus fuerit *Stephanus*, quid obſtaculo fuit quo minus ab eo lis jam intentata judicaretur? Dicendum potius *Virgilium* doctrinæ ſuæ ſecurum Romam petere noluiſſe; Bonifacio vero aliquot poſt annis occiſo, litem ejus morte fuiſſe diremptam.

Ajunt *Virgilium* fuiſſe ordinatum Epiſcopum Salisburgenſem a *Stephano*; quæ ſi vera forent, pedum Paſtorale ſumſiſſet an. 754. quod tuetur *Mezgerus*; fert tamen ejus vita anno tantum 766. aut 767. ordines Sacros ſuſcepiſſe; cum tamen ante biennium electus fuiſſet Epiſcopus, unde ipſius Epiſco- *Conſil. Salisb.* 2.19.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

patus non niſi ab anno 764. exordium ſumſit. Carinthiæ populos Chriſtiana fide imbuiſſe aſſerunt ii, qui Carentani dicuntur in ipſius vita. Magnas lites cum *Ottilone* de prædio poſtmodum habuit; ipſe vero obiit an. 780. Quamquam miracula ipſi tribuantur plurima, ipſius nomen non legitur in Martyrologiis ſed tantum faſtis Benedictinis, & in Canonibus Concilii Salisburgenſis ſæculo decimo tertio habiti; Præſules enim ibi congregati an. 1274. jubent Patres ſuos *Rudbertum*, *Virgilium*, & *Auguſtinum*, honorari diesque feſtorum eſſe celebres & ut ſub pœna *excommunicationis*, *ab opere ſervili abſtineatur*.

XV. *De Eberhardo.*

XV. Fuit nobiliſſima ſtirpe natus *Eberhardus*. Genus dederant comites Hilpolſtanii. Gallias adoleſcens peragravit ut litteris imbueretur. Miror Hiſtoricos omen è Gallina vel ſumpſiſſe vel memoriæ mandaviſſe. Ajunt enim Gallinam ſub ejus veſtimento recumbentem ovum poſuiſſe, ſequenti die alterum ſubdidiſſe magnam vocem cum ederet, tanquam inaugurale carmen foret dictura: quæ quam futilia ſint, nemo non videt. Alterum habet *Mezgerus*. *Eberhardus*, ut ajunt, Euchariſtiam leproſi ori ſumma cura admoverat; ille vero Sacramentum cum fœdo vomitu rejecit: Epiſcopus utramque manum cadenti Sacramento ſubjecit orique immiſſum deglutivit, cibum delicatiſſimum ſumpſiſſe teſtatus: cum affirmarent poſtea incolæ nullum ibi fuiſſe leproſum, cælitum quemdam fuiſſe qui charitatem *Eberhardi* tentaret ſibi finxit *Mezgerus*. Nos tantum obſervabimus *Eberhardum* jam 40. annos natum Monaſterii præfecturam ſuſcepiſſe, Sexagenarium vero in Epiſcopum Salisburgenſem fuiſſe creatum. Dum hanc regeret Eccleſiam diſſidia maxima orta ſunt inter Pontificem *Alexandrum* III. & Imperatorem *Fredericum Barbaroſſam*. *Victoris*, qui ſe Papam electum affirmabat partes tuebatur *Fridericus*. Ut lis dijudicaretur Papiæ, Concilium habuit: Convenere multi præſules, quorum ſi rata habita fuiſſet ſententia, cauſa cecidiſſet *Alexander*. Papiam properabat cum cæteris *Eberhardus*; ſed Vicentiæ morbo graviſſimo detentus ulterius non potuit progredi: ſcripſit ad cum *Eberhardus* Babergenſis Epiſcopus; ſcripſit etiam frater *Henricus* de Berthersgaden, quorum Epiſtolas geſtis *Friderici* primi inſeruit *Radevicus*. Eo tendebant illi, ut *Eberhardum* Salisburgenſem in partes Imperatoris, *Victoris* & Concilii Papienſis retraherent: fruſtra tentatum. *Eberhardus* enim *Alexandrum* III. a plurimis cum videret agnoſci, quamquam ſubditos Imperatoris à Sacramento ſolveret, non potuit a priori ſententia dimoveri. Iratus Imperator *Eberhardum* evocavit, mitiſſime tamen cum ipſo præſente egiſſe ferunt. Dum Eccleſiam Salisburgenſem regeret, floruit *Folmarus*, qui novam de Euchariſtia ferens ſententiam ab *Eberhardo* refutatus eſt. Habetur ipſius Epiſtola adverſus Folmarum in Bibliotheca Patrum. t. 4. Obiit anno 1164. ut fert non modo ejus Biographus, ſed & vetus ſcriptor in appendice quæ *Radewico* fuit affixa. Inde facile animadvertendus eſt error qui in Chronicis Saliburgenſibus irrepſit; ferunt enim illa Chronica obiiſſe *Eberhardum* an. 1156. nec dubium eſſe poteſt, quin mendum ſit amanuenſis, cum author Chronicorum aſſerat Eberhardum fuiſſe Epiſcopum an. 1147. & præfuiſſe an. 18. Deinde vero *Chunradum* Imperatoris *Friderici* Patruum *Eberhardi* proximum ſucceſſorem non niſi anno 1164. ad ſedem Juvavenſem ſeu Salisburgenſem tranſlatum narrat. Duplex hic legitur *Eberhardi* vita, utraque tamen ab eodem authore, Eberhardi ſcilicet diſcipulo, fuit conſcripta ſed utrasque *Caniſius* ediderat, priorem tomo ſecundo, poſteriorem, quæ aliquanto amplior eſt, tomo ſexto.

Vita Eberhardi. Mezgerus Hiſt. Salish. LIV. p. 388. & 392.

l. 2. c. 71. & 72. apud Urſtis. Hiſt. Germ. p. 554.

Nos

Nos aliquid ex editione Caniſiana detrahere metuentes utramque etiam apposuimus. SÆC. XII.

XVI. *Eberhardo* ætate ſuperior eſt *Hartwicus*, neſcio qua ratione, ordine poſtpoſito poſt illum in monumentis Salisburgenſibus memoratus. Dicitur in ejus vita. ANNO 1190. XVI. *De Hartwico.*

Regum de ſanguine divus.

Quamquam neutrum verum ſit. Licet enim e Comitum de Sponhaim & Artemburg ſtirpe fuerit oriundus, minime tamen a Regali proſapia duxit originem. Illam venerantur Salisburgenſes; ſed Eccleſiæ ſuffragiis & Pontificis Romani calculo nondum in numerum Sanctorum fuit relatus. Vixit *Ottonis* III. temporibus, qui jus cudendæ monetæ fertur contuliſſe Salisburgenſi Eccleſiæ. Diſcrimen non leviſſimum occurrit in ſcriptis ipſius vitam continentibus, dum legitur in illa an. 915. fuiſſe ordinatum; altera vero habet an. 990. facile tamen erroris convincitur prior amanuenſis, cum *Hartwicus* non niſi anno 1023. obierit.

XVII. *Gebehardus* in thronum Eccleſiæ Salisburgenſis Eccleſiæ inductus eſt anno 1060. pro more tunc temporis ſolito, ab Imperatore *Henrico* firmata eſt ipſius electio. Ipſum annuli traditione & *Pedi Paſtoralis*, jure Regalium inveſtivit Imperator; nondum enim ad Pontificale faſtigium promotus fuerat qui mox ea de re lites maximas imo & bella concitavit. Legitur inter laudes *Gebehardi*, quod Sclavos ad ſolvendas decimas primus adegerit. XVII. *De Gebehardo.*

Magnus vir proavis Gebehard, ingentior actis.
Qui primus decimas conſtrinxit reddere juſtas
Sclavorum Gentem.

Fuit quidem ex nobili Suevorum genere, Comites *Helfenſteinios* inter avos atavosque recenſens; unde *magnus vir proavis* merito dicatur. De tributo a Sclavis exacto non forſan eadem omnibus ſententia. Aliud illi honoris culmen fuit jus a Pontifice conceſſum, ut Romanæ Sedis *Legatus natus* foret in Germania.

Anno 1074. de Inveſtituris (a) ſumma contentione pugnatum eſt inter *Gregorium* VII. Pontificem & *Henricum* IV. Imperatorem. Quamquam ſtaret a Partibus Pontificis *Gebehardus*, eaque ſit indoles & conſuetudo Biographorum, non modo Heroas ſummis laudibus extollendi, ſed ipſos ab omni criminis ſuſpicione liberandi, dubius tamen hæret *Eberhardi* diſcipulus in cauſa Magiſtri. *Rarum* inquit & *novum in regem Anathema.* Ignorat unde *Gregorius* illius Anathematis cauſas deſumpſerit: ea, inquit, *ſit penes conſcios & Judices.* Denique litem ipſam dijudicare nolens confugit ad illud axioma: *ſententia Paſtoris ſive juſta ſive injuſta tenenda eſt.* Sic author vitæ *Gebehardi* omnino modeſte. Aliter *Mezgerus*, qui plane probat Pontificis in Imperatorem minas & iniquum animum, cum non modo ipſi dixerit Anathema ſed amovendum ab Imperiali Throno curaverit. Quamquam injuſta de cauſa *Rodolphus* Imperium uſurpaverit, probat tamen ejus contumaciam & illatam cœlitus *Mezgerus Hiſt. Salisb. l. 3. c. 30.*

(a) *Vide Germanic. ſcript. t. V. ſive Freheri t. 1. p. 215. ibi ex Apologia Henr. IV. plura habet contra Gebhardum.*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

cœlitus vindictam, dum miſere cæſus eſt, negat. *Incerta*, inquit, *hominum judicia; ſæpe cauſa infelicior ſuperis probatur. Peccaſſe potuit Rodolphus qui Henrico nondum ſententia Gregorii penitus abdicato delatum regnum præpropere ſuſcepit.* Peccat omnino *Mezgerus*. 1°. *Gregorius Henricum* Anathemate perculſum Imperio amoverat. 2°. Iniqua plane de cauſa, cum de Regalium jure, non veritatis cauſa adverſus Imperatorem contenderet. 3°. Eo magis iniquus *Hildebrandus*, qui ipſe inveſtituram Pontificatus ab Imperatore receperat. 4°. Imo & *Gebehardus* Salisburgenſis Epiſcopus, *annuli* & *baculi* receptione inveſtitus, non potuit contra fidem datam & morem receptum ſine crimine Imperatori rebellare; ideo ab Epiſcopis Germaniæ imo & Hungariæ derelictum ſe ſenſit; quatuor tantum, præter eum, in Regno Teutonico occurrebant Antiſtites *Gregorio* addicti, cæteri partes Imperatoris tuebantur; ideo *Gebehardus* a ſede ſua expulſus per plurimos annos exulavit: reverſus tandem, obiit anno 1088. XVI. Calendas Auguſti. Legitur enim in Paſſione *Thiemonis* eo die è ſæculo migraſſe. Qua ratione inter ſcriptores Eccleſiaſticos omittatur *Gebehardus* non video, cum ediderit *Libellum de diſſenſione quæ tunc in Eccleſia vigebat*, quemque *Hermanno* Metenſi Epiſcopo, ejusdem ſententiæ fautori, conſecravit.

Priorem *Gebehardi* Vitam ediderat *Caniſius* cum cæteris tomo ſecundo; ſed multo prolixiorem cum poſtea reperiſſet, eam denuo vulgavit, quippe poſterior illa Gebehardi geſta adverſus Imperatorem, exilium & mortem continet; ſed plura de *Thiemone*, *Conrado*, *Eberhardoque* ipſius ſucceſſoribus habet non omnino ſpernenda, & uſque ad annum 1177. protenditur. Hæc ſatis ſuperque de Monumentis Salisburgenſibus. Alia quædam notabimus ad marginem, ne hic tædio ſimus Lectori.

MONU-

Digitized by Google

MONUMENTORUM
SALISBURGENSIUM
PARS PRIMA.
SIVE
DESCRIPTIO URBIS
ET
MONASTERII SALISBURGENSIS
EX
Mabillonio Analect. Tom. IV. p. 63. seqq.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

MABILLONIUS

Analect. Tom. IV. p. 63. seqq.

DESCRIPTO URBIS

ET

MONASTERII SALISBURGENSIS.

Altzburgum civitas est ad Salam haud ignobile flumen, à quo nomen traxit, olim Juvavum appellata. Sita est in angulo Bajoariæ, accessu difficilis, nec minus valida prominentium montium excelsis jugis, quibus veluti muris cingitur. Ædes habet amplissimas & elegantes, quibus longè præcellit palatium Principis, id est Archiepiscopi. nam ab aliquot sæculis Saltzburgum est caput Principatus, cujus ditio milliaribus Germanicis fere viginti octo in longum, quatuordecim in latum porrigitur. Eximia est basilica sancti Rudperti (Domum appellant) marmore & lapidibus quadratis magnificè exstructa, ac tabulis cupreis cooperta. Insignis etiam Ecclesia Monasterii sancti Petri, quæ sancti Rudperti quondam sede ac tumulo illustrata est. Urbem vel suo situ validissimam munit arx in prærupto monte posita, ad quam calle nonnisi angusto & supino itur. Duplex murorum ambitus, munitissimæ turres, aliaque præsidia eam inexpugnabilem reddunt. Postridie quàm eo accessimus, Principem salutavimus, datis litteris ab excellentissimo Christianissimi Regis Legato Gravellio, cui is inter amicos est. Mirati sumus ingens Principis satellitium & aulicorum comitatum insignem. Nempe apud Germanos Principes, uti quondam, teste Tacito, sic etiam nunc *hæc dignitas, hæ vires, magno semper electorum juvenum globo circumdari; in pace decus, in bello præsidium.* Inde illustrissimum Guillelmum Furstembergensem, magni Fernandi Monasterienſis germanum fratrem, majorem Ecclesiæ Decanum convenimus, virum, in quo modestia & humanitas cum aliis virtutibus certant. Ille nos Latinè primùm, deinde Gallicè affatus, gratissimas habuit litteras, quas nomine illustrissimi D. Verjutii ipsi porreximus. De majoris Ecclesiæ monumentis & libris sciscitantibus respondit, nihil superasse à nuperis incendiis: si quid ex ea urbe sperandum, id in Monasterio sancti Petri reliquum esse. Et quidem ibi amplissimam novorum librorum copiam invenimus, & aliquot mss. quorum unus est Hieronymi expositionem in Proverbia, Ecclesiasten, aliosque sacros libros continens, ex dono Arnonis Archiepiscopi. Hoc Monasterium non minùs pietate, quam scriptis suis tunc ornabat D. Josephus Mezgerus Prior, & ipse Universitatis Saltzburgensis præcipuum ornamentum: quicum amicam disputationem habuimus de ætate sancti Rudperti Episcopi & Apostoli sui, quam integro sæculo seriùs retuli contra vulgatam opinionem. Sententiam hac de re meam exposui in tomo tertio de Actis sanctorum nostrorum, quam ille in Historia Salisburgensi, quæ sub prelo tunc versabatur, amicè impugnavit. Sunt ipsi trini fratres Mezgeri, omnes religiosi ad sanctum Petrum, hic quidem Prior & Universitatis Procancellarius (nam Cancellarii titulum Princeps retinet, Decani) tertius Prorectoris dignitatem habet.

Animæ quales neque candidiores
Terra tulit.

Sed ille triplex nodus nuper heu! solutus est, Josepho amico nostro sub finem Octobris mortuo ad sanctum Gallum, ubi ex pulmonis vitio decubuit, dum sacram Eremum, nempe Einsidlensem, voti causa peteret.

Pro-

Digitized by Google

Prorectoris visitatione præventi, atque in ædes Universitatis, ubi tres Theologiæ Doctores sæculares sollemni ritu admittendi erant, invitati, totum illius Universitatis splendorem non sine magna voluptate vidimus. Primus elegantem orationem habuit Procancellarius, alteram Decanus, tertiam unus ex candidatis, vir eloquens & bonus Orator. Anulus, epomis, fax, pileus sacer pro Doctoratus insignibus tradita fuere, dum interim buccinæ & tymbala ad singulos ritus concreparent. Peractis omnibus, solemni pompa Universitas, Magnifico Rectore primas obtinente, ad sancti Petri Ecclesiam processit, ubi canticum sacrum in gratiarum actionem musicis modulis, concinentibus organis decantatum est. Hoc officio Abbatiæ sancti Petri se gratam exhibet pia Universitas, quæ illam uti alteram parentem agnoscit. Præcipuum habet fundatorem Marcum Archiepiscopum. Hæc ab anno 1622. instituta jam tribus facultatibus constat. Theologiam, Jus Canonicum, Philosophiam artesque humaniores soli docent Benedictini, qui ex certis provinciis Saltzburgensi, Bavarica, Suevica, Austriaca & Stiriaca assumuntur. Jus civile docent Doctores sæculares: Medicinæ facultas ibi adhuc nulla. Sæc. XII. Anno 1190.

Pridie illius diei in parthenone Nunbergensi, quem beata Erentudis sancti Rudperti neptis in vicino colle instituit, sacra fecimus, ubi religiosissimæ virgines Benedictinæ degunt: deinde pretiosa quæque & reliquias sacras vidimus: à meridie profecti ad sacram ædem beatæ Mariæ in Plana, qui locus est in colle situs uno milliari germanico ab urbe, piorum concursu celebris, ubi ex concessu Principis Maximiliani modò Benedictini versantur. Montes ipsa die Augusti 29. recenti nive consperſi erant, cùm totis quinque diebus terra imbre continuo compluta fuisset.

Post tres dies cùm discedere gestiremus, Princeps nobis significavit optare se, ut sequenti interessemus publico spectaculo, in quo Nabuchodonosoris Historia versibus senariis in collegio exhibenda erat. Paruimus, interfuimus. Festiva omnia, theatrum elegans, machinæ sæpius mutatæ, tubicines, fidicines, multa spectantium frequentia, præmia studiosis in fine distributa. Interfuit spectaculo illustrissimus Princeps, cum magna nobilium virorum ac feminarum corona, ex quibus multi Viennæ atque Austriæ Proceres utriusque sexus, omnes fere Gallicano more induti, assistebant, Turcorum metu eò refugere coacti.

Septembris die 22, antequam ex urbe discederemus, mandavit iterum Princeps nos curru suo deduci in hortos suos Helbronenses, à claro fonte sic dictos, qui unius horæ spatio ab urbe distant. Vallis est angusta, fertilis, nec inamœna, inter horridos montes perpetuis nivibus tectos. Ædes Principis modestæ, horti sunt elegantissimi, floribus, arboribus, aquis irriguis ac subsilientibus instructi. Lacus exquisitis piscibus referti, aves diversi generis, speluncæ denique cavatæ, incrustatæ, conchyliatæ, & quid non ad voluptatem & usum? quæ omnia non sine aquæ superfusione spectavimus. Reversi in urbem, post prandium cum multa gratiarum actione à sancti Petri Monasterio discessimus, onusti libellis & munusculis, quæ nobis Mezgeri fratres contulerunt.

MONU-

Digitized by Google

Digitized by Google

MONUMENTORUM
SALISBURGENSIUM
PARS SECUNDA
DE EPISCOPIS SALISBURGENSIBUS.
AUCTORE
S. EBERHARDI
Archiepiſcopi Salisburgenſis Diſcipulo.
UBI

Præter aliorum Archiepiſcoporum Salisburgenſium geſta aliaque ſcitu digna, continentur

VITA ET MIRACULA

S. Ruperti ex progenie Regum Francorum, Apoſtoli Bavariæ,
S. Virgilii Apoſtoli Karinthiæ,
S. Eberhardi Norici, Biburgenſis Abbatis,
S. Hartwici,
S. Gebehardi Suevi, Legati Apoſtolicæ Sedis.

EPISCOPORUM SALISBURGENSIUM.

Omnia primum in lucem edita è Manuſcripto Codice & notis illuſtrata

AB
HENRICO CANISIO
NOVIOMAGO,
J. C. ET SS. CANONUM PROFESSORE ORDINARIO IN ACADEMIA INGOLSTADIENSI.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

DE EPISCOPIS SALISBURGENSIBUS

Auctore EBERHARDI Archiep. Salisburg. (*a*) Discipulo

I. DE VITA ET MIRACULIS S. RUPERTI,

EX

Progenie Regum Francorum, Bavariæ Apostoli.

S. Rupertus Bavariæ Apostolus.

TEMPORE igitur *Hildiberti* regis Francorum, anno scilicet regni ejus secundo, honorabilis Confessor Christi *Rudbertus* in *Wormacia* civitate Episcopus habebatur; qui ex Regali progenie Francorum ortus, Catholicæ fidei & Evangelicæ doctrinæ totius bonitatis nobilissimus refloruit Doctor. Erat enim vir simplex, pius, justus in judicio, providus in consilio, prudens, in sermone verax, strenuus in actu, conspicuus in charitate, in universa morum honestate præclarus. Ita innumerabiles ad ejus sanctissimam convenerunt doctrinam, & ab eo æternæ salutis documenta susceperunt. Cumque fama sanctæ conversationis illius, longè lateque crebresceret, pervenit ad notitiam cujusdam Ducis *Bavariæ* regionis, nomine *Theodo*, qui supra dictum DEI enixis precibus, prout potuit, libentissime rogare studuit per missos suos, ut *Noricam* provinciam visitando sacra illuminaret doctrina. Unde Prædicator veritatis divino compunctus amore, assensum præbuit: primo suos dirigens legatos; postea vero ad Christi gregem lucrandum, per semetipsum venire dignatus est. Hoc audiens præfatus Dux, magno perfusus est gaudio, obviamque illi cum suis pergens, sanctum virum, Evangelicumque doctorem cum omni honore & dignitate suscepit in *Ratispona* civitate. Quem vir domni cœpit de Christiana conversatione ammonere, & fide Catholica imbuere; ipsum non multo post, & multos alios istius gentis nobiles atque ignobiles viros ad veram Christi fidem convertit, sacroque baptismate regeneravit, & in sancta corroboravit religione. Præfatus itaque Dux sancto viro concessit licentiam, locum aptum eligendi sibi & suis, ubicunque ei placeret in hac provincia ad Episcopii sedem, & Ecclesias Dei constructe, & cætera ad Ecclesiasticum habitaculum perficere. Tunc supradictus vir domini accepta licentia per alveum *Danubii* usque ad fines *Pannoniæ* inferioris spargendo semina vitæ, navigando iter arripuit. Sicque tandem revertens ad *Laureacensem* pervenit civitatem, multosque infirmos variis languoribus oppressos, orando per virtutem domini sanavit, & veræ fidei plures inibi sociavit. Deinde arrepto itinere, pervenit ad quendam lacum qui vocatur *Walarium*, ubi exit *Vischaha* de eodem lacu, ibique Ecclesiam in honore sancti *Petri* principis

Rudberti Itinera varia.

(*a*) *Authorem posuimus S. Eberhardi discipulum quod in vita S. Eberhardi ipse testatur & in vita S. Ruperti c. 4. Constat vixisse an.* 1186. *si quis tamen velit hanc non esse unius sed plurium auctorum Collectionem, cum illo non contendo.* CAN.

Digitized by Google

principis Apoſtolorum conſtruxit & dedicavit. Hoc facto præfatus Dux *Theodo* tradidit ad ipſam Eccleſiam eundem locum, & primitus ibidem in circuitu aliquas proprietatis poſſeſſiones ei tribuit. Poſtea verò ad notitiam venit ſancto Pontifici *Rudberto* eſſe locum juxta fluvium *Warum*, antiquo vocabulo *Juvavenſem* vocatum, ubi antiquis temporibus multa fuerunt mirabiliter conſtructa ædificia, & cuncta pæne dilapſa ſilvisque cooperta. Hoc audiens vir Domini propriis cupiens proſpicere oculis, quid inde ipſius rei veritas haberet, propter fidelium animarum lucrum divina diſponente gratia, cœpit *Theodonem* rogare Ducem, ut iſtius poteſtatis locum tribueret, ad expurganda loca & Eccleſiaſticum, prout ei libitum foret, ordinaret officium, & Epiſcopii ibi ſedem ſtatueret. Quod ipſe Dux conſenſit, tribuens in longitudine & latitudine de territorio ſuper lengas poſſeſſiones, ut inde faceret, quid ei placeret, ad utilitatem iſtius ſanctæ Eccleſiæ. Tunc vir Domini iſta cœpit renovare loca, primo Deo formoſam ædificans Eccleſiam, quam in honore ſancti *Petri* principis Apoſtolorum dedicavit, ac demum clauſtra cum cæteris habitaculis Clericorum per omnia ordinabiliter conſtruxit. Poſtea verò delegato ſacerdotali officio omnem ibidem quotidie curſum congruo ordine fecit celebrari. Tunc prædictus doctor *Rudbertus* cupiens aliquos adipiſci ſocios ad doctrinam Evangelicæ veritatis, propriam repetivit patriam, iterumque cum duodecim revertens diſcipulis, ſecumque virginem Chriſti, nomine *Erndrudem* adducens, quam in ſuperiori caſtro *Juvavenſium* ſtatuens, ibidemque colligens congregationem ſanctimonialium, & earum converſationem racionabiliter, ſicut depoſcit ordo canonicus, per omnia diſpoſuit. Ipſe quoque aſſidue totum iſtius circuiens ſolum patriæ, confirmans animas Chriſtianorum admonenſque in fide fortiter permanere, quod verbis docuit, operibus adimplevit mirificis. Ubi conſtructis conſecratiſque Eccleſiis, ordinatiſque inferioribus & ſuperioribus gradibus, proprium ſibi ordinavit ſucceſſorem. Ipſe verò præſciens longè ante diem vocationis ſuæ, confirmatis diſcipulis, ad propriam remeavit ſedem aſtantibus, ammonitione divina peracta, fratribus, inter verba orationis reddidit ſpiritum in pace, die videlicet Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ad cujus ſepulchrum exuberant innumera beneficiorum beneficia curationum cunctis fideliter petentibus uſque in hodiernum diem, Per eum, qui vivit, & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

SÆC. XII. ANNO 1190.

Ab altero authore quæ ſequuntur ſcripta judicantur.

II. *De Vitale &c.*

GItur poſt diſceſſum beatiſſimi *Rudberti* pontificis, vir clarus omni populo, egregiuſque doctor & ſeminator verbi Dei (*a*) *Vitalis* Epiſcopus ſedem *Juvavenſem* regendam ſuſcepit. Poſt cujus tranſitum *Anzogolus* extitit abbas. Poſt cujus depoſitionem prædictæ ſedi adhæſit *Savolus* abbas. Cujus vitæ finito curſu *Exius* abbas ſucceſſit. Quo migrante de ſæculo, iterato illa ſedes honorata refulſit Epiſcopo *Flobargiſo*. Poſt quem *Joannes* paſtoralem geſſit in ſede præfata curam. Eiſdem igitur temporibus, ſcilicet *Otilonis* Ducis *Bavariæ*, qui tunc ſubjectus fuit regi primo Francorum, venit vir quidam ſapiens & bonus doctor, de *Hibernia* inſula, nomine *Virgilius* ad prædictum regem in *Franconia* loco vocato *Kariſiaco*. Qui propter Dei amorem retinuit eum ſecum ferè duobus annis: & comperto eo bene docto, miſit eum præfato Duci *Otiloni*, ac conceſſit ei Epiſcopatum *Salzburgenſem* rectore vacantem. Qui diſſimulata ordinatione ferme duorum annorum ſpaciis, habuit ſecum proprium Epiſcopum comitantem de patria nomine *Dobdagreum* ad perſolvendum Epiſcopale officium. Poſtea vero populis petentibus, & Epiſcopis regionis illius, conſenſit Virgilius conſecrationem accipere; ordinatuſque eſt à comprovincialibus præſulibus ad Epiſcopum, anno ſcilicet nativitatis domini DCC. LXVII. ſub die XVII. Kal. Julii.

De Vitale &c.
Vitalis Epiſc. Salisb. II.
III. *Ep. Salisb. Anzogolus.*
IV. *Savolus.*
V. *Exius.*
VI. *Flobargiſus.*
VII. *Joannes.*
VIII. *S. Virgilius.*

III.

PRimo igitur *Theodo* Dux *Bajoariorum*, Dei omnipotentis gratia inſtigante, & beato *Rudberto* Epiſcopo prædicante, de paganitate ad Chriſtianitatem converſus, & ab eodem Epiſcopo baptizatus eſt cum proceribus ſuis *Bajoariis*. Item *Theodo* Dux dedit ei poteſtatem circuire regionem *Wabarorum* & eligere ſibi locum ad Epiſcopii ſedem, & Eccleſias conſtruendas, & ipſos populos ad ſervitium Dei erudiendos, cum adjutorio Dei, & ſui ipſius ſupplemento. Præfatus igitur beatus *Rudbertus* multa circuiens loca pervenit tandem in pagum *Juvavenſem* juxta lacum vocabulo *Walarſe*, ubi exit *Fiſchaha* de eodem lacu; conſedit ibi & conſtruxit Eccleſiam, eamque

(*a*) *Is differt à Vitale qui Arnonis indiculo ſubſcripſit.* Mabill.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

eamque dedicavit in honore beati *Petri* Apostolorum principis. Hoc facto beatæ memoriæ *Theodo* dux tradidit ad ipsam Ecclesiam eundem locum cum confinio circumjacenti, in aquis quarumque decursibus, silvis, pratis, pascuis, & molendinis, atque piscationibus, curtem & casam, cum cæteris ædificiis, servos manentes in Coloniis quatuor & alios tributatos manentes in Coloniis decem.

IV. *Translatio Ruperti.*

OCTAVO Kal. Octobris, translatio sancti *Rudberti* Episcopi, quæ facta est ab Episcopo *Virgilio*, qui fuit octavus ab illo, cum quo transtulit & duos Presbyteros ejus, Sanctum *Chunialdum* & *Gisibarium*, quorum festivitas, quia nullo alio die in anno habetur, eodem die nominatim in ipsa ad quam translati Ecclesia, statutum est celebrari. Quorum translatio postea eodem die post ruinam, & reconsecrata Ecclesia mutatis altaribus à beato & sanctissimo *Hartwigo* XXII. Episcopo, XII. Archiepiscopo iterata est; eorumque corpora tunc posita sunt ad corpus sui quondam & compatriotæ sancti patris *Rudberti*. Cujus translationis dies eo ipso die, id est, octavo Kal. Octobris per totum Episcopatum illud *Sulzburgis* statutus est celebrari. Quæ dies officiis dedicationis Ecclesiæ, in qua corpus jacet, in tantum est occupata, ut huic celebrationi ejus plene nequeat deservire. Et dies transitus ejus VI. Kal. Aprilis, die resurrectionis Dominicæ propter officia quadragesimæ, vel ipsius paschæ raro sicut dignum est, contingit celebrari. Ideo postera dies, id est, 7. Kal. Octob. illi consuetudinaliter inofficiatur atque vacatur; sed intra urbem illam tantum. Ex qua consuetudine translationem ejus quidam causæ ignari in diem eundem transscripserunt, sicut in quibusdam Martyrologiis habetur. Et etiam congruum ac religiosum est, ut quidquid alia observatio illius celebrationis diebus dormitionis illius ob reverentiam Quadragesimalis officii, vel paschalis observantiam gaudii ademit, qui auctor sedis, & Apostolus extitit religionis, hoc saltem in domo requiei suæ, illa assumpta die translationis suppleatur.

V. *Temporum supputatio a Rudberto.* *Supra. cap. I.*

NUMERUM annorum (*a*) à transitu sancti Rudberti diffinite scriptum non reperimus; conjectura tamen horum potest fieri ex consideratione temporum, in quibus fuisse legitur. De temporibus ejus legitur sic: Temporibus igitur *Hildiberti* regis *Francorum*, Anno scilicet regni ejus secundo venerabilis Confessor Christi *Rudbertus* in *Wormacia* civitate Episcopus habebatur. De die obitus ejus, qui in VI. Kal. April. celebratur, sic legitur. Die orto resurrectionis Christi, missarum solemnia lætus persolvit, & munitus corporis & sanguinis sacramento, inter verba fratres confirmantia, tradidit spiritum. Et alibi. Sic suum contigit phase, sacro paschæ tempore. Invento autem tempore regis, invenire deceret tempora Episcopi. Temporibus igitur *Tiberii Constantini*, & *Mauritii* Imperatorum Romanorum, *Hildibertus* Rex Francorum, filius *Sigiberti* & *Brinhildis* extitisse legitur, anno Dominicæ incarnationis D. LXXV. *Tiberius Constantinus* regnavit incarnationis Dominicæ D. LXXXVIII. *Hildibertus*, XXII. *Mauritius* regnavit item anno incarnationis Dominicæ D. XXXVIII, *Hildibertus* filius *Sigiberti* super Francos regnavit anno incarnationis Dominicæ D. XXIII. *Fogas* regnavit, qui post Mauritium factus est Imperator. Circa hæc tempora sanctum Rudberdum vixisse patet. Requiret autem nunc qui vult, ubi ante annum, D. C. XXIV. Dominicæ incarnationis, aut post eundem annum Dominicus paschæ, in 6. Kal. Aprilis evenerit, ut habet nec ante nec post illum terminum longius, quam humanæ vitæ mensura, idem, si quis hoc ante invenerit, invenire poterit, quot anni sunt à transitu sancti Rudberti. Si autem alieno invento credulus esse maluerit, qui semet hujuscemodi indaginis labores desperet attingere, sciat, quod D. C. XXIII. dies, anno incarnationis Dominicæ, ante supra notatum annum, & post eundem D. C. XXIX. dies paschæ 6. Kalend. Aprilis; in quo è duobus anno, ipse de quo sermo est, sanctus obierit, non legi. Considerata tamen superiori temporum conscriptione, dubium non est, eum in uno eorum obiisse. Et quamvis certum non sit, si supervixerit, D. C. XXVIII. quo dies Dominicus paschæ in 6. Kal. April. venit, certum tamen est eum non supervixisse D. C. XXV. annum Dominicæ incarnationis, in quo similiter dies Dominicus in 6. Kalend. Aprilis evenerat. Si autem annum incarnationis in quo similiter dies Dominicus paschæ in 6. Kalend. Aprilis evenit, altius repetere voluerimus, ut videlicet sub primo *Hildiberto* Francorum rege *Chlodovei* seu *Ludowici* filio, qui temporibus *Justiniani* magni & primi regnabat, sanctum *Rudbertum* claruisse contendamus, tunc in altero subscriptorum anno eum obiisse

(*a*) Hæc verbatim describuntur in donationibus Ecclesiæ Salisburgensis ad finem. BAUM.

Digitized by Google

obiiſſe conſtat, ſive D. XXXIV. anno Dominicæ incarnat. ſive D. XLIV. anno, in quibus ambobus dies Dominicus paſchæ 6. Kal. Aprilis evenit. Ideo, quod inter duo dubia certius eſt eligamus, & computemus annos de tranſitu ſancti Rudberti ab anno D. C. XXIII, Dominicæ incarnat. Sunt autem à tranſitu ejus usque ad præſentem annum, qui eſt Dominicæ incarnationis annus milleſimus centeſ. octogeſ. ſextus; anni quingenti LXXIIII. Ipſe eſt annus XXXVI. 9. regni Friderici Imperatoris. Sæc. XII. Anno 1190. *Quo tempore vixerit Auctor.*

EX Orientali ſive Auſtrali parte juxta publicam viam, quæ tendit in *Talgor*, & ſic ad Eſelwanch/ deinde ad lacum qui vocatur *Labuſculo*, & ſic ad *Tinilbach*, & inde ad medium lacum qui vocatur *Parnſe*, & ſic a *Tinilbach*, de iſta parte laci meridiana pleniter per omnia in *Forſte* fieri deberent ad iſtam ſedem Juvavenſem. Item de iſto flumine quodam vocatur *Salzaha*, de illa petra quæ reſpicit contra Eccleſiam ſancti Martini, quæ ſita eſt in caſtro Juvavenſi, nulli liceret ſine licentia hujus ſedis Epiſcopi, piſcationem habere vel caſtores apprehendere, ſive ullam exercere venationem, niſi tantum uno piſcatori Dominico. Item de loco qui vocatur *Stratinpach* ex utraque parte ſupradicti fluminis in *Forſte* pleniter fieri ad iſtam Eccleſiam Dei ſanctam, ſurſum ubi Schwartzha exoritur, & ſic usque ad illum locum, qui vocatur Purch/ & ita fieri à poteſtativis viris, ad iſtam ſedem definitum eſt. *Madelhelmus* quidam vir nobilis cum cæteris rebus ſuis, portionem venationis ſuæ ad iſtam Dei Eccleſiam, juxta ripam, quæ vocatur *Albina*, hanc eſſe communem cum cohæredibus ſuis. Supradictus *Hudbertus* dux dedit in pago *Matahcenſi* manentes tributales IV. in loco *Itinga* dicto. VI.

In illis temporibus quoque *Otila* dux ab æmulis ſuis, *Hunis* * ..... cauſa, fratres duo *Karlomannus* & *Pipinus* reges Francorum *Udilonem* ducem Bavariæ rebellare conantem bello ſuperant. Fuit autem cum Domino *Pipino* rege in Francia multis diebus. Inde reverſo & accepto Ducatu ſuo, tradidit ad *Juvavenſem* ſedem villam quæ vocatur Metminhaim/ & manentes ſervos XX. cum territorio, & ſilva & molendinis cum omni appendicio ſuo. Dedit in heremo ejusdem loci appendente locellum, qui dicitur Eſelwanch/ & lacus duos & *Aparnſe*, & in his locis venationem & piſcationem.

Ottilo dux habuit ſororem *Pipini* regis, nomine Hiltrud/ ex quibus natus eſt *Thaſſilo* dux piiſſimus.

Digitized by Google

DE

VITA ET MIRACULIS

S. VIRGILII

APOSTOLI KARINTHIÆ,

EPISCOPI SALISBURGENSIS;

ET DE

KARINTHIÆ

Ad fidem Chriſti converſione.

AUCTORE

S. EBERHARDI *Epiſcopi Salisburgenſis Diſcipulo.*

PROLO-

Digitized by Google

PROLOGUS AUCTORIS

I.

AD præſentem beatiſſimi patris noſtri *Virgilii* memoriam, ſuperna beatorum ſpirituum curia, & cœleſtis mater noſtra congratuletur Eccleſia, quæ dum tantæ prolis fœlici fœliciter aſſumptione dominatur, multorum multo fœlicius, per eam filiorum quotidie acquiſitione multiplicatur. Exultet & ſupernæ civitatis filia, in hujus adhuc peregrinationis exercenda militia, quæ patronum jam ſibi videt in cœlis, quem paſtorem habebat in terris, quem ſicut in via ducem, ſociumque laboris acceperat, ſic per ejus ſuffragia particeps ipſius conſolationis in patria fieri non deſperat; præcipua vero ac ſingulari lætitia ad tanti viri præconia, noſtra ſpecialiter concurrat *Salzburgenſis* Eccleſia, quam ab idolatriæ nuper purgatam erroribus, primus ipſe in *Karinthia* verbo prædicationis excoluit, ſanctitatis exemplo fœcundavit, & miraculorum inſignibus mirabiliter adornavit. Ecce ſummi patris agricola, ſicut oliva in domo Domini fructifera, quod ſeminavit in lachrymis, in gaudio recepit, qui quot ſpiritales Domino filios, verbo ſalutis peperit, quaſi tot animarum manipulos veniens in Reſurrectionis exultatione portabit. Ecce fidelis Dominicæ pecuniæ diſpenſator & prudens, in gaudium Domini ſui intromiſſus fœliciter exultat, quia ſuſcepta verbi menſura familiam Domini fœliciter aluit, & ſapienter inſtruxit, qui collatum ſibi divinæ gratiæ talentum in aliorum ædificatione multiplicatum Domino reſtituit, ad cujus vitam temporalem inveſtigandam miracula, quæ per eum Dominus operatur, nos diligentius hortantur.

Pſalm. 51. Pſal. 115.

Luc. 12.

II. *Virgilius ex Hybernia.*

BEATISSIMUS igitur *Virgilius* in *Hibernia* inſula de nobili ortus proſapia, literarum ſtudiis ita animum applicavit, ut inter doctos ſui temporis atque climatis doctiſſimus haberi potuiſſet. Morum etiam honeſtate nihilominus clareſcere ſtuduit, & tamen non virtute relicta invidiam quorumlibet placando dictum illud exoptabile in ſe digne meruiſſet transferri, Dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione eſt, cujus nomen exquiretur à generatione in generationem. Ut itaque Dominus miſericordiam ſuam à progenie in progeniem oſtenderet, ſervum ſuum *Virgilium* ſtrenuum utique Dominicæ vineæ plantatorem, & futurum *Karinthiæ* Apoſtolum de natali ſolo *Hyberniæ* ad *Franciam* miſit. Ubi ab illuſtri Francorum rege *Pipino* qui Major domus dicebatur, apud *Kariſiacum* honeſtè exceptus fuit. Et quia literarum ſcientia cum morum honeſtate in ipſo exuberavit, rex eum ſicut tubam Evangelicæ prædicationis libenter audiendo, ſecum ferè duobus annis propter Dei amorem retinuit.

Ecclı. 45.

Virgil. in epiſcopus creatur.

Temporibus verò *Ottilonis* ducis *Bavariorum*, qui tunc cum tota *Norica* provincia ſubjectus fuit prædicto regi Francorum, *Salzburgenſis* Eccleſia, quæ ab antiquo vocabulo à juvando dicta fuit *Juvavia*, proprio carebat Epiſcopo. ſed rex Pipinus princeps per omnia Chriſtianiſſimus, ad incrementum Eccleſiæ non modico ſuſpirans deſiderio, Epiſcopatum Salzburgenſem pro debito regiæ magnificentiæ, ſancto conceſſit Virgilio, eumque prænominato duci *Noricorum*, utpote amico cariſſimo transmiſit ſummo cum honore excipiendum. Vir itaque Domini diſſimulata ordinatione fermè duorum annorum ſpaciis, habuit ſecum laboris & coronæ participem Epiſcopum comitantem de patria, nomine *Dobda*, ad perſolvendum Epiſcopale officium. Poſtea ad inſtantiam populi, nec non aſſidua coepiſcoporum ſuorum exhortatione inductus, ab ipſis unctionem Epiſcopalem ſuſcipere conſenſit, ordinatusque eſt à provincialibus Præſulibus anno nativitatis Domini ſeptingenteſimo, ſexageſimo (*a*) ſeptimo. XVII. Kal. Julii.

Virgilii geſta.

Deinde prout commiſſæ diſpenſationis auctoritas exigebat, quod ore dieque & noctu docuit, operis exhibitione implere non ceſſavit, in vigiliis, in jejuniis, & in caritate demum non ficta. Eas etiam quæ ad exterioris pertinebant utilitatem proviſionis, tanto ſollicitius ſtuduit promovere; quanto ſtatus Salzburgenſis Eccleſiæ, tunc

2. Cor. 6.

(*a*) Altera in vita à Caniſio edita legitur an. 766. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

tunc nuper initiatus, & exiguus, poſtea Deo cooperante, ut liquido apparet, religione & poſſeſſionibus famoſiſſimus, id expoſtulare videbatur. Quippe fabricam, monaſteria immenſo opere, & egregia diſpoſitione à fundamento conſtruxit, corpusque ſancti *Rudberti*, quod poſt obitum ſuum, in Eccleſia ſancti Petri principis Apoſtolorum requievit, una cum ſede Epiſcopali, quæ in prætaxata Eccleſia, ſimiliter per aliquot annos extiterat, divina communitus inſpiratione, tranſtulit in eum videlicet locum, in quo usque ad præſentia tempora perduravit.

Temporibus verò glorioſi regis Francorum *Dagoberti*, *Samo* nomine quidam *Sclavus* manens in *Quarantanis*, (*a*) fuit dux gentis illius. Qui venientes negociatores *Dagoberti* regis juſſit interficere, & regia exſpolivit pecunia. Quod dum comperit rex *Dagobertus*, miſſo exercitu ſuo damnum quod ei *Samo* contumaciter intulerat, juſta præcepit ultione puniri, & ſic demum regis ſervitio ſubacti ſunt.

Non multo tempore poſt cœperunt *Huni* eosdem *Quarantanos* hoſtili ſeditione graviter affligere, fuitque dux tunc eorum *Boruth* nomine, qui *Hunorum* exercitum contra eos interim *Bavaris* nunciare fecit, rogans eos ſibi in auxlium venire. At illi cum magna feſtinatione venientes expugnaverunt *Hunos*, & obfirmaverunt *Quarantanos*, ſervitutique eos regum ſubjecerunt, ſimiliter & confines eorum. Duxeruntque inde obſides ſecum in *Bavariam*, inter quos erat filius *Boruth* nomine * *Karaſtus*, quem Pater ejus more Chriſtiano nutriri & baptizari poſtulavit, quod ita factum eſt. Similiter de * *Chettunaro* filio fratris ſui fieri rogavit. Mortuo autem *Boruth* juſſu Francorum Bavari *Karaſtum* Chriſtianum factum, petentibus eisdem *Sclavis* remiſerunt, & illi eum ducem fecerunt, ſed poſtea ille tertio anno defunctus eſt. Iterum autem permiſſione Domini *Pipini* regis, populis idem petentibus *Chetimarus* Chriſtianus ducatum ſuſcepit. (*b*) Suggerente verò quodam Presbytero nomine *Majorano*, qui à ſancto *Virgilio*, in *Juvano* Monaſterio manus impoſitionem acceperat, quem ſecum propter doctrinam Chriſtianæ religionis detinuit, ad *Juvavenſe* Monaſterium ſpecialiter caput ſuum in ſervitium Dei declinavit, ſingulis annis quo dum vixit in ſignum ſubjectionis ſuæ aliquod obſequium illuc perſolvendo.

* *al. cacatius, ſic & poſtea ſemper.*

* *Al. Chetumaro, ut & poſtea.*

Plurimos ad fidem convertit.

Peractis autem aliquantis temporibus, prænominatus dux *Karantenorum* petiit, ſanctum *Virgilium* Epiſcopum viſitare populum gentis illius, eosque in fide firmiter confortare. Quod equidem ille implere minime valuit, ſed ſua vice miſſo ſuo Epiſcopo nomine *Modeſto*, ad docendam illam plebem, & cum eo *Wattonem Reginbertum*, *Gozarium* atque *Latinum* Presbyteros ſuos, & *Ekibardum* diaconum cum aliis clericis, dans ei licentiam conſecrare Eccleſias, ordinare juxta canonum diffinitionem, nihilque ſibi uſurpare, quod decretis ſanctorum Patrum contrairet. Qui venientes *Korantanis*, dedicaverunt ibi Eccleſiam ſanctæ *Mariæ* virginis glorioſæ, & aliam in *Liburnia* civitate ſua, *Adundrina* civitate & in aliis quàm plurimis locis, ibique *Modeſtus* Epiſcopus permanſit, usque ad finem vitæ ſuæ. Eo igitur defuncto Epiſcopo, poſtulavit iterum *Chetmar* Dux Virgilium Epiſcopum, ſi fieri potuiſſet, ad ſe veniret; quod ille renuit, orta ſeditione quod *Carinula* dicimus, ſed inito conſilio demiſit ibidem Latinum Presbyterum.

Et non multo poſt orta alia ſeditione, exivit inde ipſe Latinus Presbyter. Ea vero ſedata, miſit iterum Virgilius Epiſcopus *Madelhohum* Presbyterum & poſt eum *Wargiammum* Presbyterum. Mortuo autem *Ketmaro*, & orta tertia ſeditione, aliquot annis nullus Presbyter ibi erat, usque dum *Waltunc* dux eorum miſit iterum ad Virgilium Epiſcopum, & intentè poſtulavit, ut ad confortandam in fide prædictam terram aliquos deſtinaret Presbyteros, petitioni igitur memorati ducis, incremento & ſanctæ Eccleſiæ conſulens, miſit * *Hermonem* & *Reginbaldum* Presbyteros, atque Majoranum diaconum, cum aliis Clericis viris ubique religioſis & honeſtæ converſationis. Et non multo poſt miſit ibidem iterum eundem *Heimonem* & Dupliterum ac Majoranum Presbyteros, aliosque Clericos cum eis. Iterum miſit eis *Gozarium*, *Majoranum*, *Erkenbertum* & Auguſtinum Presbyteros, poſt eos Rembaldum, Reincharium Presbyteros. Item Remboldum, Gimcharium.

* *Luſt. Heimonem.*

His

(*a*) Hi ſunt Carinthiæ populi, quæ olim Carnia dicta fuit. BASN.

(*c*) *Al. add. Cui etiam Lupo presbyter, ordinatus Juvavenſi ſedi, dedit nepotem ſuum nomine Majoranum presbyterum jam ordinatum. Et quia compater ejus erat idem Lupo presbyter, docuit eum, ut ad Juvavenſe monaſterium ad Chriſtianitatis officium ſubderet. Quem ſuſcipientes iidem populi Ducatum illi dederunt. Ille vero ſecum habens Majoranum presbyterum in Juvavenſi monaſterio ordinatum presbyterum, qui admonuit ipſum ad illud monaſterium ſuum caput declinare in ſervitium Dei, ille ita fecit ac promiſit ſe ad ipſam ſedem ſerviturum, ſicut & fecit atque annis ſingulis ibidem ſuum ſervicium perſolvebat, & inde ſemper doctrinam & officium Chriſtianitatis percepit uſque dum vixit.* CAN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190. IV.

His ita gestis, ad extirpandam funditus & eliminandam, si qua in re visa est barbaricæ superstitionis idolatriam, atque ad confortandum penitus in fide, frequenti prædicatorum diligentia plantatam suæ diœcesis Ecclesiam providens, ac provida circumspecti pastoris vigilantia, per villas & provincias verbum vitæ ubertim seminando, diu desiderabiliter optatam ovibus suæ propriæ visitationis præsentiam exhibuit. O quanta principum cujuscunque religionis obviam illi cum pompa præcedentium exultatio, quam laudabilis spiritalium virorum vicissim stipatim, immo certatim Dominum & patrem suum invitantium devotio, quorum profecto petitionibus vir ille sanctitatis & gratiæ plenus, omnibus omnia factus, ut omnes lucri faceret, Zelo pietatis obediens Ecclesias consecravit & per *Karintiham* sensim transeundo ad fines Hunorum ubi Trabus influit Danubium, quo etiam postea tempore *Arnonis* primi Archiepiscopi territorii Saltzburg. termini chonicis ascentantibus extendebantur, saluberrimæ visitationis usus officio pertransiit, palmitesque cœlestis vineæ propagando Clericis ad sacros ordines promovendis, ut singulos arbitrabatur dignos, benedictionis suæ manum imposuit.

Virgil. Diœcesim visitat.

Inæstimabilis igitur sanctitatis & meriti, beatus Dei præsul Virglius fœliciter ac strenue sui laboris cursu consummato, post emersas pelagi mundani tempestates, ad metam hujus peregrinationis, & ad portum salutis Jesum Christum declinans, dissolutionem sui juxta necessitatem conditionis humanæ, imminentem divinitus sibi revelatam longe ante præscivit, (*a*) quam Evangelicæ Dominus vineæ sub persona patris familias ex conventione diurni denarii corona immortalitatis remuneraturus, pro temporalibus æterna, pro terrenis felici commercio tribuens cœlestia, de carnis ergastulo liberandus, hujusmodi vocibus creditur invitasse; Virgili servus meus es tu, quia in te complacuit animæ meæ, ingredere jam in l. e. & l. s. h. Quæ vero misericordia & ineffabilis divinæ dispensationis effulget providentia, quæ dum sanctum suum *Juvavensi* Cathedræ præficiendum, olim ab ultimis occidentalis *Hesperiæ* partibus advexerat, ibidem pariter depositionis ei mausoleum de mediis *Pannoniæ* finibus revertenti præparabat. Rediens itaque celerius & memoratam illam civitatem suam intuitus, amarissime fundendo lacrymas, hunc visus est decantare versiculum, hæc requies mea, &c. Celebrato denique divini Sacramenti mysterio, leni morbo correptus, anno Dominicæ incarnationis D. cclxxx. 4. Kalend. Decemb. obdormivit in Domino, cujus corpus in latere meridiano monasterii, cujus ipse xii. annis fabricator, & in tertio decimo consecrator extitit, prout tantum decuit pontificem, honorifice fuit repositum, sacer autem spiritus ejus, civium consortio gaudet supernorum.

Virgilii obitus an. 180.

V.

Anno vero (*b*) Dominicæ incarnationis M. Clxxxi. xiv. indictione, xiv. Kalen. Martii, sub *Alexandro* Papa III. Apostolatus ipsius xxi. & ultimo, regnante serenissimo principe *Friderico* Romanorum Imperatore Augusto, anno regni ejus 33. & conregnante sibi filio ejus Heinrico Romanorum rege glorioſissimo. *Otto* de Wittelinspach, inclyto Duce Bavariæ Ducatum tenente, supra memorati fabrica monasterii, quæ schismatis persecutione conflagrante ante aliquos annos diruta & diruenda deperierat, sumptibus & jussu pastoris Chunradi præclarissimi *Saltsburgensis* tunc Archiepiscopi, Apostolicæ sedis tunc in Allemannia legati, Cardinalis presbyteri sancti Marcelli Sabinensis Episcopi, modo autem Moguntinensis Archipræsulis, dum à fundamentis cœpere ædificari, sancti Spiritus cooperante gratia, & divinæ majestatis suffragante clementia, corpus beati *Virgilii* quidem ob immensi temporis antiquitatem ab omnibus ignorabatur, contigit revelari. Quadam die factum est, ut lapides è muro elapsi aliquantulum intro spectandi, aditum transeuntibus præbuissent; diligentius aliquibus licet ipsum considerantibus concavitatis patuerunt indicia & picturæ vetustioris deaurata illic visa sunt stemmata. Porro Canonicis hujus rei noviter perquirentibus, & latius ejusdem muri aperturas patefacientibus, inventa beati *Virgilii* octavi post sanctum *Rudbertum* Saltzburgensis Episcopi, tumba & depicta imago, ejusdemque imaginis hujuscemodi Epigramma:

De inventione S. Virgilii & miraculis & vita ipsius.

Chunradus Archiepiscopus Saltzburgensis.

Virgilius templum construxit scemate pulchro.

Et præterea dies obitus ejus, 5. Kalend. Decembris. Isdem vero dignus Deo pontifex,

(*a*) Hæc omisit Mabillonius in editione sua usque ad hæc verba: Rediens itaque. BASN.

(*b*) Plura subjecit Mabillonius, quæ leguntur hic in donationibus Ecclesiæ Salisburgensi concessis. Nos suo loco. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190. tifex, ut annalibus noſtris reperimus majoris Eccleſiæ, in qua & ſepultus fuit, primus extitit fundator; & beati Rudberti ac ſedis Epiſcopatus in ipſam Eccleſiam, qua nunc eſt, pius tranſlator. Tempus etiam, quo dictus pontifex obierat, anno incarnati Domini D. CCLXXX. in eisdem annalibus invenimus.

Ad tantæ igitur rei ſpectaculum plurimis novarum rerum cupidis, ut fieri ſolet, confluentibus, non pauci à doloribus diverſis ſunt allevati. Cunctis autem qui accurrerant viri Dei reliquias venerantibus, juvenis quidam diaconus & Eccleſiæ ejusdem Canonicus inter cæteros dictum locum * patefaciet, ille vana curioſitate magis quàm pia devotione accedens, præſumptuoſe effoſſa humo manum ſiniſtram venerandis oſſibus injecit, omnibus eum redarguentibus & prohibentibus, & in proſperum hoc ipſum, ſicut rei probavit eventus, ſucceſſurum non fore aſſerentibus.

*leg. parvifecit.

Verum ille hæc omnia corde obſtinato parvipendens, nihil de ſanctarum violatione reliquiarum, quæ tot annis intactæ, ac decenti veneratione abſconſæ latuerant, curabat. Interea fama inventionis ſancti Præſulis crebreſcente, mulier de civitate *Saltzburg.* cum in partu multis diebus laborans periclitaretur, per revelationem nocturnam admonita, candelam ad menſuram ſui corporis ſuper famuli Dei ſepulchrum transmiſit, candelaque incenſa, ſtatim puerum enixa convaluit. Quædam autem ipſius mulieris convicanea cum irremediabili, & diuturno viſcerum dolore torqueretur, fidem ejus ſecuta, eodem modo candelam transmiſit, & ſubito curata eſt.

Tertio quoque miraculo mulier quæ manuum contractione detinebatur, ad ſepulchrum viri Dei deferens, in itinere ſanata eſt. Poſt hæc infans cæcus quinque ab ortu habens hebdomadas à parentibus illius delatus, viſum recepit. Item mulier quædam à lippidine oculorum curata eſt ibi.

Sane diaconus ille quem præmiſimus, horum miraculorum incredulus, oblationes fidelium, quæ jam pia devotione à plurimis illuc deferebantur rapere, & uſibus ſuis attrahere non timuit, nec ea temeritate contentus, mulierculam ibidem orantem, ipſe ſanctas reliquias ſubſannans irreverenter præſumpſit repellere. Juſta igitur divina ultione ſtatim correptus à Dæmone, oculis terribilibus ore hianti circumquaque diſcurrens ſacrarium introivit, primamque vexationis ſuæ & veſaniæ notam in quodam Presbytero Eccleſiæ theſaurario, quem tunc forte ſolum illic repererat, oſtentans, ipſum Presbyterum pugnis alapis cæſum, unguibus quoque diutiſſimè laniavit.

Superveniente autem uno ex manſionariis Eccleſiæ, cum Presbyter præfatus è manibus arrepticii ſublatus, interius ſacrarii cubiculum, oſtio poſt ſe clauſo confugiſſet, ipſe arreptitius Dæmone plenus ad ſui ipſius internitionem cœpit armari, & cum jam alium non videret, in quem furorem ſuum effunderet, veſtibus exutus, utpote nullum vulneribus habens obſtaculum, raſorium corripuit, plurimisque ictibus valido conatu pectus cœpit transfodere, Presbytero & manſionario prædicto intuentibus, & præ pavore nimio, accedere aut inhibere eum non audentibus. Verum cum pectus & manus vulneribus multis cruentaſſet, nec tamen, usquequaque Deus ipſum ad majorem & evidentiorem famuli ſui *Virgilii* oſtentationem reſervavit, præcordia perforaſſet, collapſus ad terram toto conatu collum & guttur incidere temptabat.

Tunc itaque Presbyter & manſionarius, qui prius ab eo refugerant, collapſum & in terra volutantem videntes, audaciter erumpentes ſuper ipſum irruerunt, ferrumque de manu ejus eripiunt. Jam vero plurimi clamore excitati, ad ipſum juvenem concurrere cœperunt; ſed ipſe elapſus in tenebris, quia erat crepuſculum, curſu velociſſimo, turrim conſcendit, & negotio perambulante in tenebris, eum * ad alia necis ſuæ convertitur argumenta, funemque campanæ laquei vice collo circumdans, de feneſtra turris exilivit.

*fort. inſtigante.

Duo autem ex pueris è veſtigio ipſum inſecuti, ubi turrim aſcendebant, pendentem eum & palpitantem invenerunt, retractumque Dei gratia juvenem à laqueo abſolvunt, & inter manus trahentes ad inferiora deducunt. Porro cum ad vicinia ſepulchri beati Virgilii eſſet adductus, inter ſemetipſum frendens cœpit obniti, & retrorſum labi & corruere, manumque oculis, ne ſanctum videret ſepulchrum, admovere, Reportatum igitur ad ſacrarium, concurrit Clerus univerſus, pſalmi, exorcismi, Letaniæ ſine intermiſſione dicuntur. Cum in ipſis litaniæ precibus nomen ſancti *Virgilii* inculcaretur, malignus ille inhabitator, qui vas illud poſſederat, auditum nomen non ſuſtinens ſancti hominis, frendens, & dentibus horribiliter ſtridens, rugitum teterrimum emittebat, juvenemque miſerrimum crudeliter diſcerpebat. Evidenter itaque cunctis qui aderant, quod ob illatam ſanctis oſſibus injuriam ita vexaretur, conjicientibus ad tumulum præfati caput & membra terribiliter quatiens, ſpumamque ejectans refertur, ſonantibusque campanis plebs totius civitatis convenit.

Admo-

Digitized by Google

Admotus autem ſepulchro, ipſum ſepulchrum conſpuebat, dæmonque jam aperte incendium quo à ſancto *Virgilio* pateretur proclamans, ac manum ſepulchri violatricem temptans, & geſtiens dentibus corrodere, niſi ipſa manus abſcinderetur, ſe non exire teſtabatur. Tum verò tantus ab utroque ſexu clamor exortus eſt, ut vox continuata cum lachrymis, non poſſe ſiniri videretur. Effertur deinde ab Eccleſia, & in lecto reponitur; Ubi dæmon à ſacerdotibns per tremendum judicium, & his ſimilia adjuratus, cur vas Dei in ſuam redegiſſet poteſtatem, in hæc verba prorupit: Ego non ſponte, ſed coactus veni, candelas & alias oblationes à viri Dei ſepulchro ego abſtuli, & niſi quantotius eæ reſtituantur, magiſter meus cum ſeptem nequioribus intrabit ſpiritibus, & in perpetuum hic manebit. Cum verò candelæ diu quæſitæ rurſum ad dæmonis indicium inventæ eſſent & allatæ, addidit idem dæmon corpus miſerabile ſcopis munde purificatis candelarum cædendum, ipſique juveni, poſt redditam ſanitatem, diebus xx. jejunandum. Poterat autem in afflicto juvene, in quo regnabat & dominabatur iniquitas, videri miſera, & unde non præſentes ſed & abſentes non paruum potuiſſent percipere errorem. Scopis enim allatis, candelis etiam relatis, & incenſis, in Eccleſia juvenis præmemoratus ad ſepulchrum beati præſulis totius multitudinis precibus & lacrymis comitatus refertur. Ubi dum ſcopis, ſicut oſtenſum fuit, diutius cæderetur, aſtantesque univerſi auxilium & miſericordiam beatæ Dei genitricis *Mariæ*, nec non & ſanctorum *Nicolai*, *Rudberti*, *Virgilii* præcipue ſuſpiriis intimis expoſcerent, ſpiritus ille nequam cum ſtrepitu & ſibilo non modico aufugit, multis circum ſtantium diſceſſum ejus & impetum ſentientibus. Liberatus ille à dæmonio & refectus ſacramento vifivico, ad lectum ſemivivus reportatur. Ibi per triduum mutus permanens, indiciis manuum & ſcriptis intentionem animi expoſuit, quod lingua non potuit; quia taciturnitas hæc, ſicut poſtmodum patuit, incredulitatis pœna fuit. Admonitus verò à reverendis ſacerdotibus, ut fidem circa ſe geſtis adhiberet, & ſanctum *Virgilium* miraculis clareſcere crederet, manu & ſcripto renuit, & quamdiu renuit, uſum loquendi non recepit. Tandem cum mutus & animo & corpore deficiens in proximo moriturus crederetur, rurſusque Dominico ſacramento communicaſſet, & ſacerdos ſubintuliſſet, Si credis Virgilium Dei famulum, aperiat os tuum, qui aperuit os Zachariæ Prophetæ; ſubito gutture & lingua reſoluta, Credo, exclamavit, ſtatimque uſum loquendi, cum ſanitate priſtina recepit. Cum autem eo modo ſanatus reſpiraſſet, monaſteria etiam & Eccleſias ſingulas, gratias Deo & ſanctis agens circuiſſet, quia fex ejus nondum fuerat exinanita, ad priſtinum reverſus eſt reatum, ſanctique illius meritis ſine intermiſſione in vicinia ſepulchri, & in conſpectu populi exprobans interato meruit caſtigari, quia caſtigatus noluit emendari. Interrogatus enim, ſi circa ſe geſtorum meminiſſet, contumelioſe ſubjunxit ſe ſepulchrum ſancti pontificis, ſi non ab interrogatione quieſcerent prophanaturum, & omnimodis everſurum, hac in hora quaſi percuſſus ad terram decidit, & ab aſſiſtentibus elevatus aliquantulum convaluit. Nec contentus eo, cum unus ex canonicis infirmus, ad ſepulchrum ipſa nocte fuiſſet delatus, ipſe juvenis cum reliquis canonicis pro infirmi ſalute illo oraturus occurrit, virum temerariè & cum ſubſannatione ut infirmum ſanaret oravit. Alioquin ſe non crediturum aliquos meritis ipſius ſancti liberari. Sed & his ſimilia adjiciens non orando ſed ſubſannando, opem allato infirmo flagitabat. Confeſtim igitur tumulo ſupereminens tectum cum fragore maximo ita introivit, ut lapidibus grandinis concuſſum eſſe videretur. Juvenis etiam ille, qui à dæmonio liberatus, & pro ſua quoque frequenter præſumptione caſtigatus, adhuc in ſua pertinacia permanebat, jam denuo percuſſus coram omni plebis multitudine proſtratus, incendio ſe conflagrare & mori proclamabat. Deportatus itaque ab Eccleſia, tamdiu intollerabili dolore eſt detentus, donec ſe in ſanctum Dei peccaſſe confitens ad plenum credidit, & ad plenum liberatus eſt. Curatus autem demum ea quæ prius celaverat, vexationis ſcilicet ſuæ ordinem expoſuit; quod nimirum tempore illo, quo ſicut prædictum eſt, mulierem à ſepulchro ſancti repulit, ſpiritus ille immundus cum vento vehementi in ſpecie veſpertilionis os ejus introivit. Deinde cum tempus curationis ejus adeſſet, beatum *Nicolaum*, quem ipſe ſpecialiter venerabatur, & præterea ſanctum *Virgilium* adveniſſe, velumque nigerrimum & longiſſimum, & nigerrimum utrosque ab ore ejus protraxiſſe, ſanctumque Nicolaum ſubintuliſſe: In fratrem noſtrum graviter peccaſti, veruntamen pro tua apud Dominum interceſſimus ſanitate.

Iſtis admirandis & plura admiranda ſunt addita, quod mulier de *Lufen* cæca & clauda ad ſepulchrum viri Dei, & viſum recepit & greſſum.

Item mulier de civitate *Salzburg*. nervis crurium longo tempore contractis,

Sæc. XII. Anno 1190.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190. gressum retinere non valens, noctu divinitus admonita, ad tumbam sancti Præsulis venit, & curata est.

Alius quidam de ipsa civitate dorsum habens inclinatum & omnino sursum non valens respicere, manus etiam & pedes habens debiles, hoc quoque tormento annis XII. detentus, ad sepulchrum jam dictum repente sanatus est.

Item alius civis *Laffensis* ex quadam nervorum dissolutione carens gressu, ad tumulum reptans manibus devenit, & aliquandiu viri Dei auxilium implorans, plantis consolidatis sanus effectus est.

Item homo quidam de Pemmingen eodem morbo laborans ad sepulchrum prætextatum effectus est incolumis.

Mulier quædam de villa Gretich manibus & pedibus contracta, ad tumulum eundem, cum magno omnium gaudio & admiratione sana recessit.

al. Avena. Duæ præterea mulieres convenerunt, una de civitate *Salzburg*. altera de Mena villa, ambæ oculorum lumine privatæ, prior quidem annis xx. subsequens autem tribus, & ad sepulchrum cum magna devotione accedentes, visum repente utræque receperunt.

Alio item tempore mulier *Pongdonensis* tribus annis contracta, & plurimis infirmitatibus detenta, ad jam dictum locum magno labore deducta, sanata est. Ipso tempore quidam infans de *Halle* pedibus contractus erectus est. Item homo quidam Saltzburgensis natus persona, pluribus annis cæcus, ibidem illuminatus est, quatuor deinde mulieres cæcæ, singulæ plurimis astantium notissimæ, visum ibi receperunt, quarum una de civitate *Saltzburgensi*, reliquæ de viculis adjacentibus advenerant, de *Visschahe* & *Glæs* & *Alben*, inter quas quæ de Alben advenerat xx. annis cæca fuerat. Subsequenti igitur tempore duæ mulieres, una cæca, altera dorsum ad genua habens inclinata, curatæ sunt. Ipso tempore puella cruribus contracta, & mulier surda & muta, sanatæ sunt. Dehinc alia mulier cæca, visum ibi recepit.

Nec reticendum putamus, quæ Deus in remotis partibus per merita sancti *Virgilii*, eodem tempore operari dignatus est. Hæc enim ex veracium testimonio audivimus virorum; frater quidam apud Rottenhasslach amplius annis xl. in habitu monachico religiosissimè conversatus est, *hyrenosus & circa intestina ruptus, multo fuerat tempore, eaque passione vires suas excedente, humano auxilio destitutus defecerat; cum interim fama signorum beati Præsulis Virgilii, ad aures ipsius venit cœpitque Dominum intimis devotissimè suspiriis deprecari, ut per merita famuli sui Virgilii pristinæ sanitati mereretur restitui. Hæc eo orante, intestina cœperunt ad superiora ad locum antiquum paulatim relabi, ut triduo vix expleto totus factus incolumis, modum suæ curationis omnibus advenientibus prædicaret.

* leg. Herniosus.

Alio item tempore paralyticæ duæ ad tumulum sancti viri delatæ, mulier scilicet, ætatis provectæ de Sechtchn/ & puella duodennis de Walwes sanitatem pristinan receperunt. Quidam de pago Puemgau cæcus ad ipsum tumulum veniens, cum devotissimè viro sancto se commendasset, domum rediens in media itineris sui via visum recepit. Quædam etiam puella de *Matser* curvam à nativitate habens manum, ibidem in præsentia Cleri & totius multitudinis curata est. Item puella de Pemdoff manum habens aridam & curvam sanata est. Item puer de Tusendorff annos quatuor habens ab ortu, & adhuc prorsus incedere non valens, à patre delatus est ad tumulum, & pro debito naturæ & ætatis ambulare cœpit. Puer quinquennis, de Pochenburg/ mutus & cruribus contractus à nativitate, deportatus ad tumulum à matre, & usum recepit loquendi & gressum. Quidam puer de Puechten mutus & paralyticum habens brachium ut nec ori posset applicare ad comedendum, optabilem recepit utriusque mali curationem. Clericus quidam Diaconus de Plene/ meritis beati Virgilii derogare præsumens, dicebat, nulla Dominum pro eo vel propter eum operari miracula; statimque correptus à Dæmonio, tamdiu castigatus est, quousque ad sepulchrum viri Dei tractus, divina miseratione & instanti fidelium supplicatione meruit liberari.

Adolescens quidam filius *Henrici* de Lamming/ idemque Chunonis ex sorore nepos, à nativitate surdus, ad sepulchrum beati Virgilii auditum recepit. Item infans de Tusendorff contractus pedibus à matre sua sepulchro superpositus, gressu recuperato surrexit curatus. Puer quidam de Winheringen curvus, distantia locorum venire præpeditus, ad tumbam beati Virgilii per itinerantes misit candelam ad mensuram sui corporis factam, qua allata & incensa, sospitatis ille consecutus est beneficia.

Quidam civis *Hallensis* cambiendos ferens denarios, dum etiam vectus ad civitatem *Salzburg*. tenderet, sepulchrum sancti Virgilii visitare, & pro facultate sua oblationem

Digitized by Google

nem ponere ſecum tacitus propoſuit. Veniens autem vel negotii occupatione aut obli- SÆC.
vione diſtractus, inſalutatis reliquiis domum redire cœpit. Dum igitur ab urbe lon- XII.
gius proceſſiſſet, equus licet calcaribus urgeretur, non tantum progredi recuſavit, ANNO
ſed & reſtitit, quinimo ad civitatem regreſſus, hoſpitium unde exierat repetiit. Hoſpi- 1190.
ta vero domus qua nunc cauſa rediſſet interrogante, cujusdam negotii agendi gratia ſe reverſum confeſſus eſt. Rurſus iter arripiens, domumque tendens, non longe progreſſus ab urbe, ſicut antea factus retrogradus hoſpitium ſuum iterato petiit. Hoſpita iterum ſciſcitante cauſam tui reditus, & ſatis mirante, finxit aliud ſibi ſuperfuiſſe negocium, ſimili reditu diſpenſatione divina, in tertia vice indicavit denique rei veritatem, quo accepta via totiens, revocatus fuiſſet: quoniam juxta propoſitum ſuum beato Virgilio votivam hoſtiam offerre neglexiſſet, quo facto recto calle domum perrexit.

Item duo milites ſepulchrum beati Virgilii viſitaturi, clientulum quendam auditu carentem, * terras moderatorem & aurigam ducebant, quibus ad ſancti Virgilii tu- leg. per.
mulum oblationes ſuas præſentantibus, & preces Domino fundentibus, ille dictus miniſter eorum, ſimul cum illis aſtabat; & quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ipſe præ Dominis audiri meruit. Auditum enim ſine mora recepit. Quidam civis *Hallenſis* puerum habens calculoſum, medico advocato rogavit eum, ut ferro lapidem excideret, ſicque dolorem filii ſui finire temptaret. Qui dum cultrum & alia inſtrumenta cœpiſſet, dictus puer, utpote difficultatem medicinæ ſuſtinere non valens, ad fletus quoque patrem commovit. Miſeriæ igitur pueri dolentis, affectu paterno compatiens, amoto medico & infecto adhuc negotio ſanctum Virgilium obnixe & humiliter cœpit invocare, ut cujus meritis innumerabiles per Dei clementiam eſſent curati, ſuus quoque filius priſtinæ redderetur ſanitati. Nec mora, inter ipſa precantis verba, calculus à puero elapſus, in manibus patris apparuit.

Quidam puer de Strarburch à Dæmonio vexatus, & à matre ſua ad ſepulchrum beati Virgilii delatus, precibus fidelium, & maternis fletibus meruit liberari.

Serviens *Ratiſponenſis* Epiſcopi in die paſchali communione Dominici Corporis ſuſcepta, eadem die videlicet Dominica tabernam præſumpſit intrare, ubi potationibus & ebrietati deditus laſciviæ potatorum interfuit. Meritam pro factis pœnam recipiens, in tantam verſus amentiam ut octo continuis diebus nec cibum caperet, nec mentis veſaniam deponeret. In viſu denique noctis à beato Virgilio ſalubriter admonitus, modum reformandæ ſanitatis edidicit, eo videlicet tenore, quatenus tumbam jam dicti Præſulis humili prece viſitaret, ſicque aſpirante DEI clementia, ſanitati priſtinæ reſtitui non deſperaret. Qua viſione quibusdam expoſita, juſſu Domini ſui Ratiſponenſis Epiſcopi cuſtodibus ſibi deputatis, ad ſepulchrum beati ductus eſt Pontificis. Cui ſuperincumbens & preces quas poterat Domino effundens, ſimul etiam lachrymis fidelium aſtantium adjutus, omnimodæ ſoſpitati panem ibidem oblatum nihil hæſitans comedit, & ſenſus vigorem recepit.

Quædam mulier de *Selebuhen* graviſſimo dolore præventa, tanto languore præventa eſt, ut omnibus de vita ipſius deſperatis, in extremo mortis articulo agonizaret; Quæ dum pro ſe Deum implorare, utpote rationis & vocis beneficio deſtituta minimè ſuffeciſſet, aſtantium multitudo fidelium *Domini* ac ſalvatoris noſtri pro ipſa cœpit invocare auxilium, facta quoque commemoratione Virgilii cum ſumma devotione. Unde factum eſt, ut in ipſo momento mulier de lecto ſurgeret, & priſtina ſanitate recuperata, ſequenti ſtatim die ſepulchrum beati Virgilii cum laudibus & gratiarum actione viſitaret.

Cum infinita Chriſtianæ profeſſionis turba ad tumbam viri Dei de longinquis partibus confluerent, ut à variis animæ vel corporis curarentur languoribus, quidam homo de Wegelingen / dives & notiſſimus incolis de vicinia regionis ad ſepulchrum beati Virgilii tendentibus, ſolus ipſe neglexit venire, hoc videlicet in animo retractans, quod nullis premeretur adverſis, utpote ſuis rebus domeſticis in ſumma proſperitate compoſitis. Hæc eo cogitante, unicum quem habebat filium VIII. annorum, vis tanta paralyſis ſubito corripuit, ut ipſum voce & greſſu privaret. Vir ergo præfatus flebiles heu moeſtos cogitur inire modos, & licet nimio dolore pro inopinato malo pene deficeret, ex ratione ſibi conſulens, doctorem ſuum plebanum advocavit, & inter verba confeſſionis ei totam ſeriem rei geſtæ veraciter expoſuit, ut digna Deo ſatisfactione promiſſa, & ſuſcepta pœnitentia, conſilio plebani ad ſepulchrum beati Virgilii una cum puero iter arripuit, atque dum irent, languidus ille infirmitatis invenit remedium. Homo quidam de Otte paralyticum habens filium, vovit eum ad tumbam Virgilii perducendum, & continuo in eodem loco priſtinæ ſanitati meruit reſtitui.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

Quidam puer de Wohendorff quinquennis cæcus & contractus, ſecus tumulum viri Dei utriusque incommodi beneficium recepit. Quidam homo de Erlach curvus, invocato nomine Virgilii in eodem loco redditus eſt ſanitati.

His prædictis omnibus, & hoc memoratu dignum æſtimamus, qualiter homo quidam grandævus de villa ſancti *Hippolyti* ad viſitandum beati viri ſepulchrum iter arripuit, & voti compos effectus, dum inter verba ſacerdotis exhortationis ad populum aſſiſteret, habitu privationem ſecuto cæcitatis oculorum tenebras amiſit. Mulier quædam audiens quantas Dominus virtutes operatus ſit per famulum ſuum Virgilium, ſecus tumbam ejus divinum implorat auxilium, per interceſſionem viri Dei in redeundo domum viſus recuperavit beneficium. Item fœmina quædam de *Aquilegia* à viro ſuo minus cauto quacumque rei cauſa in cubito non mediocriter cultro ſauciata, ſectisque nervis manum habens curvam & contractam à multis ejusdem regionis incolis comitata, beati pontificis tumulum cum debita reverentia ſuppliciter acceſſit. ſed quia tempus miſerendi ejus nondum advenit, Omnipotens Deus admirationem diſtulit, infectoque negocio domum repedare cœpit. Iter autem cœptum peragens, dum in villa quadam ſecus *Thaurum* montem pernoctaret, devotiſſime nomen beati Virgilii cum fletu uberrimo invocavit, & in eodem loco curvitate manus depoſita, priſtinæ ſanitatis vigorem meruit conſequi.

Puer quidam de Lincehardt contractis cruribus officio greſſus deſtitutus, adminiculo parentum ad ſepulchrum beati pontificis deportatus eſt, cui etiam ſuperpoſitus in ſomnum ſalutiferæ dormitionis corruit, evigilans autem uſu greſſibilitatis reſtituto, cum magna admiratione aſtantium ambulavit. Item fœmina de Matſe dorſum habens incredibili curvitate tortuoſum, divinam clementiam flagitavit, quatinus meritis beati Virgilii, cujus tumbæ accumberet, ſperatæ curationis inveniret remedium, ſtatimque fidei ſuæ commodum ſortita eſt effectum. Quidam puer de Hoſpach crurium contractione ambulationis carens beneficio, communi more aptiſſime ſolidatis precibus fidelium pro ipſo beato Virgilio nomen invocantium perfectæ ſoſpitati reſtitutus eſt.

Et quoniam omnibus ſe invocantibus conſuetæ pietatis opem beatus Dei famulus ſingulis pro neceſſitatibus ſuis ſemper exhibuit, quiddam mirabile & ſatis memorabile ſubnectendum eſt, quod monachus quidam de Rotenhaſzlach diutino languore ſcapulæ laborans, dum in comitatu Abbatis ſui quodam tempore iter ageret, prætexata paſſione graviter correptus accepta via defecit, viribus corporis deſtitutus. Cæterum juxta monachicæ regulæ rigorem forte diem in quo flagella carnis monachi de more ſuſcipiunt, adeſſe contigit, & cum cæteris qui tunc aderant, etiam ille morbidus coram domino Abbate proſternitur caſtigandus, partemque dorſi videlicet ſaniorem plagis exponens, cum bene exaratam ſenſiſſet, alteram quoque cui pepercerat, in honore ſancti Virgilii flagellari ſuppliciter poſtulavit, poſt cujus petitionis effectum plenariæ ſalutis adeptus eſt præſidium. O prædicanda & laudanda Chriſti pietas, quæ tanta celebritate merita beati Virgilii longè lateque declaravit, ut ejus fama omnes cis marinas nationes impleverit. Si ergo fidei conſtantia vel recuperandæ ſalutis gratia *Saxones* atque *Bohemi* ad tumbam viri Dei de longe invitantur, mirari non oportet. Nam mulier quædam de Degernſe ſicut lumine corporis exterius orbata, ita piæ devotionis lampade cordetenus irradiata, longo itinere laborioſe conſummato, ſepulchro beati Præſulis humiliter advoluta eſt, & inter ipſas ſupplicationis lachrymas illuminata cæcitatem depoſuit. Plebanum de Thera3 ætate grandævum bonæ converſationis virum & honorabilem paralyticæ paſſionis morbus incurabilis adeo depreſſerat, ut dextri lateris jus atque manus corporis debitum non poſſent impendere ſervitium, imo quod erat gravius lingua continuum perurgebat ſilentium. Conſolationis igitur divinæ fiducia roboratus, reliquias beati Virgilii viſitavit, quibus decenti veneratione ſalutatis, pedis officium magnalia Dei prædicando recepit, manus quoque languorem in bona parte alleviatum, omnibus evidenti veritate innotuit.

Vir quidam de Fonſtorff parvum habens filium, tanta ægritudinis mole gravatum, ut ſine ſublevante nequaquam loco moveri poſſet, audito quanta Deus omnipotens per beatum Virgilium operatur miracula, votum vovit ut ad tumbam dicti Præſulis puerum deferret. Nec mora; iter arripiens inclinata jam die villam hoſpitandi gratia intravit, & parvulum præ nimia debilitate deficientem, & quaſi moribundum relinquere propoſuit. Eadem igitur nocte candelam ſtaturæ pueri comparem fecit, quatenus cœptam viam conſtanter emenſurus pro ſalute filii ſui viventis vel morituri ad tumbam beati Pontificis deportaret, quem mane facto diſceſſurus omnimodo ſpopondit, ſoſpitati reſtitutum invenit.

Sacer-

Digitized by Google

Sacerdos quidam cum inter ſacramenta Miſſæ plebem admoneret, ut in die placito ad viſitandas ſervorum Dei reliquias beati *Virgilii* & *Eberhardi* unanimiter convenirent, à voto conſentientis populi quædam & honorata mulier non ſolum diſſenſit, ſed etiam prorumpens ſe nullatenus ſepulchra famulorum Dei viſitaturam aperte proclamavit. Hujus præſumptionis contumaciam Dei patientia non ſtatim repreſſit, ſed poſtquam à liminibus excluſa eſt Eccleſiæ, in amentiam converſa, domum ſuam deducitur, ubi inuſitata & mirabili inſania correpta, facie humotenus bruti animalis inſtar, humillima geſtus & proprietates porci ſimillimas expreſſit, ut jam non humana ratione, ſed pecuali ſenſualitate uteretur. SÆC. XII. ANNO 1190.

Omnibus autem qui aderant vehementi ſtupore repletis, à quibuſdam altioris conſilii viris, Sacerdos nomine *Joſeph* advocatur, per cujus largas Pſalmorum lectiones, & efficaces benedictiones, quantulamcunque rationis partem recuperavit, ut & verba confeſſionis recitaret, & in ſanctum Dei Virgilium ſe peccaſſe recognoſceret, plenariam exinde ſatisfactionem Deo pollicens, tumbam memorati Præſulis viſitare celebri voto propoſuit, ſtatimque Dominica communione percepta, priſtinæ mentis redintegrato vigore, ſe cum omnibus ſuis, & præfatum ſacerdotem largis refecit epulis.

Quidam puer de Eccleſia ſanctæ *Mariæ* manum curvam habens, præſente magna frequentia hominum, ad tumulum beati Virgilii delatus, omnibus pro ſanitate ejus ad Dominum orantibus carne rupta & nervis crepantibus incolumitati eſt redditus.

Et quomodo ceſſet lingua carnis magnificentiam ſalvatoris extollere, qui de lapidibus procreavit filios Abrahæ? Innovando enim ſigna & immutando mirabilia, Prophetam nobis & Archiatrum divina bonitas ſuſcitavit, cujus virtutum potentia de lapidibus filios Abrahæ, id eſt, de incredulis fideles, de perverſis compunctos reformavit. Quis autem videntium prodigia, quæ fiunt in populo, veteris fermenti vitia non exuat? quis pœnitentiæ fructus dignos per fontem lachrymarum & contritionem cordis non faciat? *Matth.* 3.

Cum puero cuidam de Hardſpach / in articulis manuum contracto, interceſſio beati Virgilii in ipſa monumenti ſui præſentia ſoſpitatem priſtinam repenſat. Cæci ergo accedite ad eum & illuminamini, & qui in gradibus paralytici jacetis, ipſo confortante glutinamini. quia ne longe exempla petantur; Puerum quendam de Maulſtatt / decem annorum curvum & cæcum à nativitate: Nec non de *Celle* in *Cylarum* puellam quindecim annorum paralyticam, plenarie curatos oculata fide conſpexi-mus.

Quantus ergo noſtra opinione reputandus, quam thronis & dominationibus proximus eſt exiſtimandus, per cujus invocationem fœmina quædam de Aſpach manibus contracta & alia mulier de Suben in utroque brachiorum ſimili morbo debilitata, cœleſtis remedii ſenſerunt efficaciam. Nunc & omne genus humanum Domini noſtri Jeſu Chriſti prædicet clementiam, de cujus munere venit, ut beatus Pontifex *Virgilius* omnibus ſibi devotis aſſit propitius. Nam ex tumba ejus oleum ſanitatis cuidam puellæ manibus & pedibus contractæ largiter emanavit & ejusdem ſalutiferæ unctionis gratia, quidam parvulus de pago Rienko / mutus à nativitate vocis organum recuperavit. Adoleſcens quidam de Dirnſtein in vicinia *Frieſaci* manum habens aridam & inutilem, exoratam & optatam à ſancto Virgilio ſuſcepit valetudinem.

De civitate *Ratiſpona* inſtitores ad nundinas per alveum Danubii in loco qui dicitur *Ardagher* cum nave maxima mercibus onuſta deſcendentes in periculum illud excitatione fluctuum aſſidua vocatum Spilberg inciderunt; nec mora procellarum impetuoſiſſima vertigine involuti, multotiens girando aquarum violentia ſcopulum in medio gurgitis eminentem, à quo cauſa tempeſtatis illius procedit, vellent nollent ſtatim paſſuri naufragium acceſſerunt; ubi demum tanta fluminis importunitas æſtuantis, miſeris incubuit, ut turbo voraginis proram carinæ aqua ſemiplenæ ſorbendo puppim in ſublime attolleret, omnesque univerſaliter tam nautas quam cæteros adeò de vita deſperatos redderet, ut armamenta reintegrandi, tanquam nihil penitus conferentia projicerent, & quod ſolum reſtabat in articulo mortis conſtituti, Dominum redemptorem mundi pro ſalute animarum ſuarum intentiſſime flagitarent. Tum vero gens illa inter confuſos naufragii tumultus clementiſſima Domini ſalvatoris dignatione commonita mitiſſimi Confeſſoris & antiſtitis ſancti Virgilii, de cujus miraculis & virtutibus plurimis ante non pauca didicerant, omnes unanimi ore cordeque ſuppliciter invocabant auxilium, quatenus ille cœleſtis atque ſupremus humani generis inſtau-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

instaurator, qui omnium, Pontificis nomen implorantium, velox & copiosus est propiciator, per merita famuli sui, solitam & necessariam tribulatis exhibet suæ consolationis præsentiam. Ad hujus supplicationis suffragium memorata navis submersione sua mortis exitium breviter cunctis impositura, super undas altius elevata sustollitur, & contra ictum fluvii decurrentis veluti funibus alligata traheretur, sine detrimento rerum & hominum secreto quodam & potenti nauclero ad ripam usque perducitur.

Miles quidam de *Pilstein* ab alio milite captivatus filium suum bonæ indolis juvenem obsidem pro se deposuit, qui per xx. hebdomadas, & amplius durissimis vinculis in carcere compeditus, laboriosam & miserabilem vitam exegit. Memoratus autem juvenis videns se parentum adjutorio destitutum, in commemoratione beati Virgilii confessoris mitissimi cœpit Dominicum subnixius implorare præsidium, de cujus miseratione confestim post expletam orationem à vinculis absolutus, sine mora dilationis urbem *Salzburg* adiit, reliquias sanctorum visitaturus, & condignas Deo liberatori suo, sanctisque omnibus, præcipuas vero sancto Virgilio referens gratias. Rem gestam nobis exposuit veracius. Diffuso itaque rumore, hoc virtutum odore placantur audientes ut balsamo, accurrunt fide sitientes ad domum gratiæ, & secundum multitudinem dolorum suorum consolatione percepta, refecti sunt in saturitate. Regna multa provocant, quæ per sanctum Virgilium fiunt magnalia, & velut Bethsaidæ aquis, sic ejus beneficiis sanitatis causa se immergit multitudo copiosa.

Joann. 5.

Unde & quædam in *Ungariæ* finibus nobilis matrona, cum jam diu oculis obtenebrata non videret, duos filios suos ad sanctum direxit, ut viam complerent, quam ipsa non potuit, ut sub eorum oratione impetrarent, quod credidit. At illi continuo injunctum consummant obsequium; iter arripiunt, & itinere prosperantes *Juvavum* citius pervenerunt. O quàm commendabile miraculum? Quadam sexta feria cum jam opus fieret divinum, obtulerunt filii, & eadem hora lux reddita est matri. Mirum in modum una & eadem hora sanctus Dei præsentem suscepit hostiam, & absentem illuminavit cæcam. Hujus rei nescii discedunt confestim filii. At illis in obviam nunciatur, quod lux reddita sit matri. Hora vero inquisita & cognita, Deum laudant & benedicunt, mirabilem & glorioſum in virtute sua. Vere laude dignus in Domino constitit, qui ubique præsens adfuit, ut hic filiorum susciperet munera, & ibi matrem illuminaret à cæcitate sua. Sed quid referam?

In Austria per sanctum Dei patratum fuisse multorum relatione cognovi. Quidam à judicibus captus est patriæ, in quadriga ligatur, distenditur, & sic in civitatem quandam plectendus ducitur. At ille præ timore pœnitens infeliciter lamentatur, ad beatum *Virgilium* vertit suspiria, ab illo petit protegi, à cujus ope nullum credidit refutari. Vice igitur Jesu Christi latroni crucifixo miseretur & relevat, distentum solvit & liberat, fugientem, ne capiatur, confortat. Vere laudandus est Christi confessor, qui mortis reum à morte salvat. Noluit enim mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Qui taliter ovili Dominico hominem restaurat ne pereat. Quomodo etiam ovem suam esuriente lupo illæsam custodierit fidelis attendatur. In confinio quoque nostro in villa, quæ dicitur *Quantele*, populus inter se beato Virgilio collectam fecit, & ille, vitulum, ille agnum, quilibet prout potuit, attribuit. Ex quibus arietem quodam die lupus arripuit, & concito fugiens secum ad silvam famelicus provexit. Unde non modicum doluit, cujus animal fuit; hinc seipsum indignum judicat, se simul & sua sancto displicere formidat. A filio igitur suo agnum expetiit ut reddat. At ille patris damna subsannans negat. Sed ecce mirabile, cum jam crastina dies illuxit, coram oculis astantium in medio gregis lupum aries traxit. Quo relicto arripuit filium, qui sanctis oblata reprobans non condoluit patri. Patet ideo quod leviter ab hostili manu defendat hominem, qui sic eturienti lupo illæsam cohabitare fecit ovem. Huic miraculo concordat illa prophetia quæ dicit: Habitabit lupus cum agno &c. Item quidam homo de sancto *Hippolyto* per duos annos & fere dimidium cæcitate percussus, cum jam audisset quæ fiebant per sanctum, lumen petiturus accessit, sed quia adhuc forte indignus erat, quod volebat non obtinuit. Unde non modice dolens, pœnitentia ductus mente cœpit compungi, pœnam quam patitur suis commissis imputat, & confestim Deo & sacerdoti seipsum devotus accusat. Pœnitentem itaque infixit, pœnam indicens emeritam. At ille altius seipsum judicans ab esu carnium annilem petit abstinentiam, ut eo purior effectus meritis sancti salutem mereretur consequi optatam. Humanam verò fragilitatem confessor considerans vix rogatus concessit. At ille libens suscepit, inchoavit & fœliciter consummavit. Evo-

Esai. 11.

luto

luto ferme anno cæcus petit *Juvavum*, ſed ecce in via veniens, ſancto præſtante Virgilio, lumen recepit optatum. Sæc. XII.

Quidam miles de villa quæ dicitur Dienge / cum eſſet cæcus, audita fama viri Dei, ſpe ſimul & fide præventus, ſanctum petiit Virgilium, quo dum iter arripuit, ecce via veniens optabile lumen recepit. Cum itaque ſancti Virgilii longe lateque fama diffuſa crebreſceret, ex diverſis nationibus confluxerunt languidi, & ex ejus conſolatione finem dabant mœrori. Inter quos unus de Erpheſfort acceſſit, utraque contractus tibia, ſed ab ipſo quem fide portat, ut jam in via melius haberet veniendo portatur, & in die ſancti Virgilii adveniens, plene ſanatus eſt. Revertitur ſaliens qui claudicabat adveniens, & qui antea infirmus fuerat, jam ſanus glorificabat Deum, in omnibus quæ audierat & viderat. Sicut ille de occidente, ſic alter de *Auſtria*, quæ eſt in oriente cæcus advenit, ſed ſancti meritis illuminatus videns abſceſſit. Simile huic cito contigit, quia in inventione S. Virgilii quædam *Ratiſponenſis* cæca lumen recepit. Et pulchre in die inventionis Sancti illuminatur, ut quanta meritorum luce reſplendeat qui inventus eſt, in hoc miraculo teſtificetur. Item quidam civis *Friſacenſis Ruge* nomine miniſterialem quendam ducis de *Stire*, *Ottonem* ſcilicet de Gratzen / quatenus neſcio offenderat, à quo vindicta cauſa inſidiis circumventus, quid faceret neſciebat. Cum ecce humanum deſperat auxilium, velat ſe ſcuto fidei, & ad beatum Virgilium peregrinando confugiens, ſua petit virtute defenſari. Unde mirum in modum redeunti obviat adverſarius, ſed ecce per ſanctum compeſcitur, nudum pertimeſcit armatus, in tantum ut ita deficeret quaſi continuo moriturus. Vocato igitur ſacerdote, confeſſus pœnituit, pacis fœdus cum cive miles pepigit, & ſic S. Virgilium petens convaluit. Sicque contigit quod metuens ſecurus, & qui fortior factus eſt timidus, pauperi ſubdidit divitem, & principi præpoſuit impotentem. Anno 1190.

Digitized by Google

DE

VITA ET MIRACULIS

S. EBERHARDI

NORICI,

BIBURGENSIS ABBATIS

ET

ARCHIEPISCOPI SALISBURGENSIS

AUCTORE

S. EBERHARDI *Discipulo.*

PRO-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

PROLOGUS AUCTORIS

DUM vitas multorum (*a*) de popularibus ſeu privatis perſonis deſcriptas attendimus, ita ut non tam dignitas geſtorum, ſeu copia ſcriptorum benivolentia apicibus appareat in reſpectu horum in tam glorioſi *Eberhardi* ſanctæ Salzburg. Eccleſiæ Archiepiſcopi ſtilo ſatis ſuperque ſuppetere vidimus, & hanc ſub ignorantiæ modio linquere dedecus nobis, illi injuriam duximus. Unde omnium extremi, quibus aut proprie Epiſcopus aut notus tantum convictu, aut meritorum etiam & magiſter olim extitit, paganus patrem reponere aggredimur, non tam ſcientiæ quam dilectionis præſumptione inducti, minimæ res ab aliis obmitterentur, timentes. Caritas omnia non ſperat, de incertis veretur.

Igitur *Eberhardo* Patria *Norica*: clariſſimum genus: pater bene Chriſtianus, cæterum in ſæculi honoribus, mater vero in optimis operibus extitit, quæ eleemoſynis, orationibus, jejuniis pene continuis ſe tranſiens, ciboque præter legumina raro indulſerat ferrea virtus. Cujus bene geſta commendare hoc uno ſufficiat, quæ Eccleſiam in honore ſanctæ *Mariæ* perpetuæ virginis cum viro in civitate propria ſtatuens dimidio ferme miliario nudipes ad eam propriis humeris lapides ferre ſolebat. Hujusmodi actis jam nobilitatem illam ſæculi abdicaſſe totam videbatur, niſi quia ſumma ingenuitas in ſervitute Chriſti comprobatur. Trahebat ibi cum pediſſequis ſuis mulierum utriusque conditionis turbam non parvam, ſaxa portantium. Ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecerat cæteras. Ita ſe natura habet, juxta formam majorum, minores ſe gerunt. Cernere erat longius per circuitum unius imitatione fœmininum genus melioratum. Suum hoc opus fecit matrona. Hinc meruit filium de quo nunc agitur digna dignum, qui optimam provinciam ſortitus diſciplinis ſcholaribus conſecratur, & in *Babinbergenſi* Eccleſia liberalibus rudimentis traditur imbuendus, ubi docilis, attentus & benevolus auditor, quantum magiſtro Philoſophiæ impenditur, tribus ex ea patribus nactis, Phyſica, Ethica, Logica oſtenditur. Hic itaque ævo tener in tantum generis ſui nobilitatem morum virtute tranſcendit, ut jam non puer, ſed ſenex, non levis, ut in tali ætate aſſolet, ſed mox gravitate ſapiens diceretur & canus. Etſi aliquando carnalibus delitiis eſt temptatus, Dei mediante gratia, non eſt abſtractus neque illectus. In his enim artibus vel ſuis ſpeciebus nulli poſtmodum facilè inveniebatur ſecundus. Succeſſit deinde fœlix adoleſcentia, ubi Pythagoricæ literæ proportio à ſtipite indiſcretæ pueritiæ, ceream ætatem dextro ramo ad beatam vitam convertit, vel lævo ramo, qui & declivior ad terrena & decliva flectit. Hinc quia dignus conſpicitur, canonicam præbendam in eadem Epiſcopali ſede ſortitur. Ibi vero honeſtiſſimus juvenis in dextro ramo *Mariæ* optimam partem elegit, & clam Præpoſito qui *Turorum* eatenus fuerat ad monaſterium ſancti *Michaelis* convolans monachalem habitum petiit & accepit. Regnum cœlorum, &c. juvenes diripiunt. Major pars ad malum proni ſunt ab adoleſcentia ſua, ſed Eberhardus regno cœlorum vim fecit, & vim paſſus eſt. Quid enim præpoſitus ageret, ad nutum ejus campanæ omniſonum diſſonæ conſonant, procedit ipſe per ſemetipſum cum univerſo choro templi ad monaſterium, fratrem imperant reddi magis quam rogant, eripiunt magis quàm recipiunt. Quia vero chorum Clericalem monaſtice tonſus non decuit, ſumptibus datis in *Franciam* cum magiſtro ſuo directus eſt. Ubi in tantum profecit, quod ſeniores ſuos ſenſu creſcente ſubegit. O quam fœlix exivit, ſed multo fœlicior rediit, immo & futuræ fœlicitatis ſuæ ſignum jam reverſus videre meruit, & aliis præmonſtravit. Cum enim quadam die poſt reverſionem parentibus ſuis in domo conſedit, gallina adveniens, ſub veſtimento ipſius ovum magnum poſuit, quaſi quid in ipſo ſperari poſſet declarans, exeundo ut aſſolet vociferavit. Craſtina quoque die in conſpectu omnium indumento ipſius ovum, ſed priore groſſius repoſuit, in quo bis facto, quod primo Abbatis, & poſtea Epiſcopi vice fungeretur, ut credi poteſt, ſignificaverit. Veruntamen ſemper monaſticum poſtea in animo affectans ordinem, juxta illud Poëtæ: Naturam expellas furca, tamen usque recurret, animus

Eberhardi Patria, genus.

Matth. 11.

Gallina præſagium.

Horat. lib. 1. Epiſt. 10.

(*a*) Vide Obſerv. Baſn. Ibi plura de Eberhardo.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

animus adoleſcentis cum eſſet natura optimus à propoſito deſueſci non potuit, donec factus quadragenarius Epiſcopi ſui *Ottonis* & fratrum conniventia monaſterium ſubiit, & directus ſpiritus Domini in eum à die illa & deinceps, ut in omni religione fieret noviſſimus primus. Corpus ſuum jejuniis macerat, orationibus protractis invigilat, divinis officiis totus inhiat, non murmurare ſuperfluus, ſed potius cum paupere Chriſto, pauper eſſe deſudat. Appoſita cui imprimeretur forma, erat Abbas ſuus, *Erbo*, quem laudare ſatis niſi alterum penè Joannem vel Heliam æſtimando neſcimus. Per idem tempus germanos ſuos ſeculares genere, ſtatu, rebus æquè ſpectabiles, cum quibusdam propinquis unus ſpiritus invaſit, in proprio fundo monaſterium monachorum de ſuis hæreditariis rebus conſtruere. Delegatur id operis absque mora *Biburgenſis* locus *Mundiburdo* memorati reverendiſſimi Epiſcopi, quo validius res effectum, effectus firmitatem haberet, deſtinatur eo digniſſimus Abbas Eberhardus tàm nolens ut conſecrationem quinque annis refutaret. Sola enim cogitatio inhæſerat monachorum ordinem carere ædificia Eccleſiarum, moxque in heremum, ſive cœnobium ſemet privatum deponere, nunquam ſibi ſatisfacit humilitas, nec voto ſatiatur virtus, ſicut & vitium. Poſt quinquennium cum Epiſcopo ſuo *Babenbergenſi Romam* trahebatur, erat enim cui nil deerat, quod idoneum, quod clarum ad curiam. Sic fuit in illo ipſo comitatu ſereniſſimus *Eberhardus* tunc præpoſitus, poſt paulum vero in eadem Babenbergenſi Eccleſia ſucceſſor creatus. Hic Eberhardi noſtri fidiſſimus ſemper, & unum par fuerat. Qui diligit juſtum, in nomine juſti, non perdet mercedem. Hinc pergenti negotium *Biburgenſes* de conſecratione Abbatis injungunt magnopere: pollicetur operam ſuam, nec minus exequitur, donec ipſe per ſe Apoſtolicus *Innocentius* inveſtivit Abbatem & conſecravit dicens, confortare & eſto robuſtus: in omni tecum ſum.

Matth. 10.

Eberhardi charitas.

Alio tempore cum Romam pergeret *Appenninum* montem acceſſit, cujus altiſſimo dorſo, artiſſimo tramite vix tranſitus panditur. Ibi ſub ipſis radicibus mulierculam conſpicatur martyrem inopia, plusquam martyrem ægritudine, quem montem transmittere volens, volens voluntate, & difficultate cruciabatur. Vidit interius Abbas moribundam, fratremque comitantem appellat dicens, quid facimus pauperi Chriſto, ne in noviſſimo veniens fugillet nos? At ille idiota utpote idiota, minus urebatur & dixit. Nihil mulieribus & nobis in tali articulo. Sed enim philochriſtus rucino ſuo impoſitam innitens ipſe manu retrorſum cauda equi transnexit fœlix, qui diligit proximum plusquam ſeipſum. Cumque transduxiſſet onus, pietate adhuc urebatur & dixit fratri; Quid tandem agimus? Miratur ruſticitas & ait, Tempus tacendi pater. Tum ſuſpirans quod ſolum poterat eleemoſyna data afflictam ſibi dimiſit. Jam tunc multorum bonorum præconio futurum ſe audiebat Epiſcopum, quod in uno probatum iri ſat erit. Præfuit in vicino Abbas nomine *Eppo;* cujus vita magna, probitas major, familiaritas maxima cum patre noſtro pollebat. Hunc invenit Deus, cui de ſchiſmate futuro poſt multos annos contra Papam *Alexandrum* prædiceret, quamquam firma anchora ſolius tunc *Eberhardi* ex omnibus *Alemanniæ* Epiſcopis ſtaret. Ad horum formam vidit per ſomnium prædictus Abbas, & ecce vidua quædam, vidua videbatur, & viduam rex quidam impugnabat, & qui viduam adjuvaret non erat, niſi de *Juvavo* monachus quidam. Hic *Eberhardus* videbatur, hic obſtare ſolus videbatur pro vidua. Lucta hæc luctæ imago utrumque fervebat, donec mutatus eſt, & in chalibem mutatus eſt monachus, proportionaliter ferrum duritiam, duritia invincibilem ſignabat, furebat autem non minus in illum quam in viduam rex, donec & ipſe in canem verſus apparuit.

Matth. 11.

Qui habet aures audiendi audiat argumentum à ſimili. Quod intelligens vir, qui viderat, retulit in auribus Abbatis & dixit, In veritate *Juvavo* præſidebis & erit tempus, quo ſolus Eccleſiaſticis *Alpinam* ſuſtentes. Sufficit tempori illi malitia ſua. Inter hæc ille parvus erat in oculis ſuis, & extra carnem in carne apparebat. Cernere erat carnalibus & ſpiritualibus ac mediocribus fratrum ſororum, monachorum, quibus nihil deeſſet in ulla gratia & probitate ſubitum examen ſervere. Quid de converſationis altitudine dicam? De Abbatis dignitate hæc omnia veniebant. Hic charitate, prudentia, diſcretione, miſericordia, omnibusque virtutum charismatibus cunctis admirationi, ſed amori, ſed timori, ſed exemplo extabat. Detinebatur, ſed filiali timore; de ſervili metu, nihil ſciebatur; laboribus deliciabatur, non requie, intelligens jam illud Philoſophi; Generoſos animos labor nutrit, per ſe Pauperum frequentius domum viſitare nil præpediebatur. Illic inopum maxime languentium lavare capita & pectore in ſinu ſuo, pedes etiam abluere ac deoſculari, cibum ipſe potumque ad os mandare ſolebat. Deus & pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſcit, quod non mentior

Matth. 6. 1. *Reg.* 15.

quæ-

Digitized by Google

quæcunque conſcribo. Quin immo plura tranſiliens in dicendo & tacendo brevitati contendo. Dicam quod vidi, quod multorum atteſtatione, quod proprio experimento cognovi, prædicationis efficacia ei mira nimis aderat, cunctis auditoribus commotionem ſemper cordis, quam pluribus etiam fletum excutere, melius fabuloſo Orpheo; qui modulationis dulcedine ſaxa, ſilvas & feras attraxit, manes quoque inferni, mirum dictu, in lachrymas movit. Hoſpitalitatem namque ſectabatur, quantum oſtendit in milite, qui in cellam divertens, potum domino ſuo tranſeunti cum poſtulaſſet, monacho cuſtode hoſpicium magis Dominum interius vocante receſſit. Comperta culpa abbatis monachum peditem vini ciphum *Ratiſponam* ferre petitori præcepit. Quid ageret monachus? Grandævus erat, & nudius tertiano die venam minutus, fratrem ergo comitem petiit pro teſtimonio, ſi forte in via deficeret. Quo dato vinum per tres leugas *Scholaſtico Friſingenſi* miranti & lugenti, quod propter ſe accidit, jejunus *Imbripolim* detulit. Quis non obſtupeſceret miraculum in tertiana minutione? Plane obedientia ſignum feciſſe viſa eſt, & omnes qui audierant ſimiliter illi plaudebant gentili. * Quirere quid eſt virtus, & poſce exemplar honeſti. Et vocaverunt magiſtri in urbe potum illum *Potum obedientiæ*. Nemo autem hæc audiens, crudeliorem æſtimet, quàm miſericordiorem, nam miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus, ut pote quum jam labores, neceſſitates, frigora, famem, vigilias, magis experientia noverat: quum experientia in omnibus quoque rectoribus ad omnia maxime conduceret. nam bella, qui nunquam pugnaverunt; patientiam, qui pauca tulerunt; infœlicitatem, fœlices; quieti, labores, docere cum debent, *parva res agitur. Igitur ad ſummam, magiſterii, exempla; ſagittæ, experientia, ars eſt, juxta illud etiam Didonis apud Maronem: Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco. Hinc prædictum exemplum patris in milite, potius de miſericordia fuit. Alias implebat, quod ait *Chryſoſtomus:* Vis apparere ſanctus, circa tuam vitam eſto auſterus, circa aliorum autem benignus. Hinc quod etiam ipſe ſcribens admiror, non loci ſui novitatem conſiderabat, non antiqua & ditiora monaſteria quid poſſent, quid non facerent, ſed frumenta fratrum ad meſſem usque computari præcipiens, reliquam meſſuram pauperioribus monaſteriis in vicino ſolebat tranſmittere. Ita in omnibus aliis nequid nimis evitans, paupertatem tamen nimis amabat, adeo ut cogente ſancto Epiſcopo *Ottone*, decimas novalium in *Tanzutile* multas valde, ac neceſſaria fratrum nullatenus ſuſciperet. Quare hæc? ubi onus penuriæ, quanti vel quales victuri ſunt? Bona ergo ſufficientia propter plures ſalvandos. Si quo minus, teſte *Hieronymo*, ſicut divitiæ ita paupertas, ſæpe tentatio eſt, impatientiam aut ſolitudinem faciens. Hæc generaliter dicta ſunt.

Ann. Æt. XII. Anno 1190.

*leg. Quare

*Pſal. 144.

*l. prava.

*Æneid. 4.

POſt XIV. annos cum placuiſſet Deo dicere, Amice aſcende ſuperius, *Chunrado* Salzburgenſi Archiepiſcopo incomparabili de medio facto, unanimitate Prælatorum, Clericorumque cum populo, circa Paſchalem ſolemnitatem, *Biburgenſis* Abbas, matrici Eccleſiæ aſtat Epiſcopus. Specialis fœlicitas Juvavenſis matris, quod talibus nunquam viduatur Epiſcopis. Requiratur longe ſupra noſtram ætatem, & præſtantes ſuo tempore omnibus Germaniarum Epiſcopis in *Juvavo*, ut ſoles Epiſcoporum videbis. De motu Biburgenſium dicere non poſſum. Non erat quem non mulcet honor oblatus quin territus nuncio fugeret, & latere velle, ut non eſſet domnus, cœperit. Sed hæc fruſtra temptata, cum venientibus primis Eccleſiæ invenitur, tranſfertur, ungitur, & precioſa * cornua metropolitani fronte inſignitur. Quanto tunc magnus, humiliabat ſe in omnibus; Vigiliis, orationibus, aſtinentiæ operam dabat, ſcripturæ ſanctæ, præter in menſa & in equo, non diebus neque noctibus, ex oculis migrabat; & manibus fregit eſurienti panem ſuum, & egenos vagosque induxit in domum ſuam, nudos quos vidit operuit, & carnem ſuam non deſpexit. Pupillos enim ut pater aluit, & viduas de tribulatione eripuit, attendens illud Apoſtoli: Hæc eſt religio munda & immaculata apud Deum, viſitare pupillos & viduas in tribulationibus eorum. Pro iſtis & his ſimilibus, ſtabilita ſunt bona illius enarrabit omnis Eccleſia ſanctorum. Contra morem Phariſeorum omnia opera ſua facere ſtudebat, ne videretur ab hominibus. Perhibebant enim ſervientes ejus, poſtea monachi facti ſecretas venias in Eccleſia nudis cruribus eo terere ſolitum, ut defricata in pavimento cute & carne, genua ſanguine invenirent fluentia. Ita eis cum prælaſſitudine interdum obdormiſſet, ſors prodidit. Eleemoſynarum largitati virtutes omnes ceſſere. Secundum Matthæum, ſermo ejus erat quaſi poteſtatem habentis, ſuper ægros, vel etiam dæmones, ita ut verbum faciens in Eccleſia, cum ejulatus dæmoniacorum omnia repleret, terreret, confunderet, uno tantum indignationis

II. Fit Epiſcopus. Luc. 14.

*ſ corona Eccli. 3.

Eſai 58.

Jacobi. 1.

Eccli 31.

Matth. 6.

Matth. 7.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

dicto, ſtatim eis vocem, inſuper motum quoque omnem ibi auferret.

Hæc fuit noſtro Antiſtiti communis cum beatiſſimo Papa *Eugenio* virtus, in cujus moveri præſentia, vel ſe inſinuare præſentia non audebant dæmonia. Non minus obedire ægritudines, aliquando auctoritati Præſulis, & abire noverunt. Denique apud monaſterium *S. Petri*, quandam ſororum diutina ægritudo confecerat, ita ut curari à nullo valeret. Hanc in conſpectu ſuo cum multa ſpe & deſiderio oblata in nomine Domini benedixit, & recedenti extemplo perfecta incolumitas rediit. Quæ poſt aliquod tempus denuo venienti, ovanter ſe repreſentans, cum gratias agere pro ſanitate cœpiſſet, ad primam vocem refutata & lingua oppreſſa eſt. Profecto cum aſſerit beatus *Gregorius*, Prælatos à ſubditis, ſubditos à prælatis juvari vel lædi, fœlices manere diſcipulos hujus quondam abbatis manifeſtatum aliquando eſt. Adeo patris merita redundarunt in filios, ut morientes interdum ſui ſalvarentur, quoniam ſui fuerunt, quod minime monſtrari operæ pretium eſt.

Philip. 3. Cum adhuc monaſterio præeſſet, grandævus quidam, quaſi annorum C. cum uxore, & ſubſtantia non minima apud eum converſus cappam induit, quæque retro ſunt obliviſcens, jam nil pene præter Eccleſiam & orationes continuas noverat. Mirareris **unde decrepito.* *unum; decrepito eo alacritas in ſtudio, ad ſtudium ſenſus. Taliter ſub pio *Eberhardo* & ſucceſſore ejus, circiter annos XII. converſatus, menſe Januario ad matutinum ſignum, in ſtratu repertus eſt mortuus. Odioſum genus mortis, anceps, lubricum; attamen non poteſt male mori, qui bene vixit. Ipſa enim nocte & hora tranſitus prædicti fratris vidit per ſomnium quidam confratrum, dæmones grege cellam infirmorum ſuo more petentes & aliis ad fores operientibus, alios intro ad ſuſcipiendam animam ſenis irruentibus. Poſt paululum ad collegas egreſſi, horrendum elatrantes concrepabant: Ach dolor, virum amiſimus, frater *Eberhardi* Epiſcopi erat. Tum infœlix acies ejulans, & blaſphemans diſparuit. Quidni ergo fœlices Eberhardi, Benedicti, Antonii diſcipuli?

Schisma Alexandri III. & Victoris. Procedente tempore juxta dictum gentilis: Omnina mala ex rebus bonis orta ſunt, cum ortum de Apoſtolica electione ſchiſma ineffabile ex bono malum fecit, divina & humana confudit. Væ quos involvit illud contagium. Ubi unctus legitimus? Ecce hic, ecce illic. Novit Petrus qui ſunt ejus: Imperator refutato *Alexandro*, quem conjuraſſe prius contra ſuam rempublicam querebatur, alii æmulo totis viribus cum adhæreret ex majori parte *Italiam*, poſt & *Alemanniam* traxit, reliqua Eccleſia in obedientiam Papæ *Alexandri* conceſſit; fuerunt quam plurimi aliquot annis neutrum ſuſcipientes, tum odio partium, tum quod neuter ſincere per omnia, & ſimpliciter intraſſe videretur. Inter hæc erat videre triſte, juſtitiam & miſeriam latè ſimulari, intrudi, expelli, nec pacem nec bellum ex jure, & Apoſtolicus noſter interim fuit quaſi non eſſet. At qui *Juvavenſem* & *Brixinenſem* Epiſcopos cunctorum mortalium, quos tunc novimus ſanctiſſimos, nemo cum neſciat in tanta partium caligine, quæſtione & conqueſtione, in tanta omnium dubitatione, tantorum veſtigia patrum tuto ſequi nos poſſe credimus. Poſt longam nempe conſiderationem Metropolites noſter, ſolus ex omnibus Epiſcopis *Alamanniæ* præfatum *Brixinenſem* Epiſcopum Hardmannum reverendiſſimum poſt ſe trahens, Papam Alexandrum laudavit. Unde nobis poſtmodum inter multos audientibus, aliam rationem non dedit, niſi quem tota Eccleſia cum his, & his regnis in Alexandrum conſenſit, juſtiorem hunc æſtimamus. Quod quaſi præſagus futurorum dixit, exitus poſt multos annos probavit. Sic Auguſti tunc ſolus fata impediens, non tamen Auguſti in ſe manus commovit. Quam diverſe, quantis adverſis prædeceſſores ſui rem tantam in Cæſares *Heinricos* præſumpſerant? Et ecce plus *Heinricis* hic. Furebat bilem & nunc in noſtrum *Eberhardum*. Auguſtus & ſuam ipſius animam pertranſivit gladius: ſed ubi in præſentiam veniſſet, reverentia ſanctitatis ejus ſpiritum reprimebat. Dignitas quædam angelica in vultu, & pondus tale oculos ac mentem obibat, ut niſi timere plusquam mortalem, & contremere, & parcere, & venerari non poſſent. Hæc de ſemetipſo confiteri princeps ſolebat. Oderat nimis ſemper ſanctiſſima anima proſperitatem ſuam & temporalem gloriam, ardebatque prædicta vel qualibet occaſione, quælibet adverſa, ſive exilium, ſive etiam mortem ſuſtinere pro Domino; ſed ſic eum volebat manere donec veniret. Interea more ſuo pacem reficere in *Ratiſpona* laborabat, populoſiſſima urbe, neque enim apud *Germanos* populoſiorem urbem, tametſi latiorem teſtantur qui norunt.

** Bavaria.* Dux autem * Barbariæ perſpecta ſimplicitae *Imbripolenſis* Epiſcopi, qui per ſubreptionem tunc præfuit, inſatiabili avaritia, maximum fiſcum Epiſcopii, id eſt caſtrum quoddam, cum omnibus pertinentiis ſuis uſurpavit. Epiſcopus primo furere, obſtrepere, cœlum turbare, nil penſi habere, ab utroque totus plene Epiſcopatus cœpit incen-

Digitized by Google

incendiis & rapinis vastari. Urbani inter alterutros divisi abierant. Hæc pater patriæ anxius cum animo suo trahens, tum pro pace, tum maxime pro urbe, ne læderetur satagebat, quomodo quidem hæc mater provinciæ, & aspectus ejus in universam terram, & omnium fructus foret in ea. Dux obedientiam promittebat, in omnibus, Episcopi stultitiam pigram exponere, quomodo damnum maximum & confusionem quam utilitatem maluerit. Pater cum à Duce vitam captivis, remissionem urbi, memoriam æternam labori suo obtinuit. Postmodum divinæ revelationis gratia obitum suum longe ante præscivit, sicut subjecta declarant. Sæc. XII. Anno 1190.

In *Frisiensi* civitate mulier degebat inclusa. Quæ ante annum transitus Episcopi, orationibus solito cum incumberet, rapta in spiritu, ad contemplanda illa æterna & invisibilia mortalibus viventibus est. Vidit itaque supplicia reproborum varia & horrenda, quæ in cor hominis ascendere non possunt, vidit deinde mansiones beatorum & gaudia, quæ impossibile homini loqui. Super hæc omnia contemplabatur apud superos glorioſam sedem, cujus opus & species omni famine mirabiliora, sedique hujusmodi sanctum *Petrum* & sanctum *Rubertum* altrinsecus superstantes custodes. Cum miraretur super magnitudine horum, à sanctis illis responsum audivit: Hæc est sedes *Eberhardi* Archiepiscopi, quam ad ejus usque custodimus adventum; propè est ut veniat tempus ejus, &: dies ejus non elongabatur. Hæc mulier per familiarem nuncium mandat, & usque ad mortem Pontificis in ore trium res latet.

Appropinquante igitur vocationis suæ tempore, cum jam pridem viribus corporis cœpisset destitui, de pace itidem negotium habuit, bonam hanc virtutum suarum consummationem existimans, si pacem Ecclesiæ redditam reliquisset. Dissidebant more suo, dum inter se Dux orientalis *Bavariæ*, nec non & frater suus valdè excellentissimus, tunc *Patavienſis* præsul, mox autem Eberhardi nostri successor *Juvavum* translatus est metropolim. Consulto, ni fallimus, hanc translationem arbiter ille temporum Deus indulsit, ita ut congruum magis & dignum, in quo solo tota procella temporis consumeretur, finis docuerit. Hinc concordare fratrem in visu beatus præsul non leviter, utpote in mortis vicinia laborabat. Quid frater? Quàm infraterne, quàm procul à constituto colloquio aberat? Sed adhuc longius sequens Dominus homini suo deferebat, unum humiliter submonitus à suis, cum magna dulcedine allegabat dicens: Scio charissimi, qui de cœlo descendit ad terras. Quid nos? Et ad hæc quis idoneus? Adjiciensque ajebat suis: Fateor spem in hoc maximam habeo, si mori in nogotio pacis, vel ante capere tanti boni salutem initium quivero. Beati enim pacifici, & quid sequitur? Quoniam filii Dei vocabuntur. Desiderium vero suum justo dato, juxta Salomonem, est inter pacis attentiones, ad æternam est pacem translatus. Unde omnium puncto notatus est *Martino* similis, pro eo vel maximè quod castrum Episcopii vir clarissimus *Otacher* Marchio, eadem tempestate obsederat, ministerialem Ecclesiæ præfectum oppido persequens. Aliena res. Quàm diutinum Ecclesiæ, vel etiam perpetuum capto oppido malum veniret! tragœdia more omnium erat. Vix opus compulit advenire Antistitem: sine operæ precio * tridie rex agitur, cum demùm confirmatus pater proloquitur, Jam ecce in castrum meum ascendam, quis obstet videbo? Occupat sereniſſimus Marchio necessarios consulit, obsidionem sine omni pacatione solvit, dignum honorem cedit Episcopo. Reddidit hæc pater, ut ministerialem conditionibus satisfacere tandem persuaderet. Erant hæc opera ejus noviſſima, cum jam morbo decurrens migraretur, quatuor equis intrahere faciebat, aut hæc aut se jam palam omnibus diceret, pacem relinquo vobis. Perducitur in hæc ad *Runense* monasterium, ubi synodocho, ut cœperat aliquandiù laborans post tertium diem sudore exundato magis defecit.

Eberhardus paci conficiendæ studet.

Matth. 5.

Prov. 24.

**f. triduo res.*

Joan. 14.

Hinc paululum sustinens ait, Modo auditum amisi. Quo sensu scilicet auditus, ut ita dicam, supra naturam hominis semper viguerat, sic ut procul susurrantes audiret & proderet. Sequenti die dominica ad vesperam vocante Domino x. Kal. Julii, naturæ concessit, anno Episcopatus sui xviii. mense secundo. Anno ab incarnatione Domini m. c. lxiv. ab ordinatione Papæ Alexandri VI. (*a*) & Imperatoris Friderici tertio decimo. Mors ejus pro tempore lamentabilior fuit. Languebat mater Ecclesia in omnibus membris, & cum hic caput totius extaret imperii, sanctitate & gloria sanum caput interim infirma curabat. Quæ spes temporis? Quæ futuri? Melius est habere quod cupias, quam desiderare quod nescias. Quid plura? Transferebatur defunctus longo & aspero itinere ad matricem Ecclesiam, & exequias mire pauperes celebrabant, genus illud Deo propinquum. Quid de cæteris dicam? Istud novum, hunc

Eberhardi mors.

(*a*) Cave ne credas Alexandrum sextum Papam hic indicari; fuit Alexander III. cujus anno sexto Pontificatus obiit Eberhardus. Bass.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190. hunc beatum gementes dixerim concoiſſe leproſos, & planctu, oblationibus, eleemoſynis, orationibus ſuprema juſta ei feciſſe. Rarum genus. Inopes in cœlum reboabant: Patrem amiſimus. O perniciem noſtram. Ipſi potentes, alius Dominum, pars amicum vel patrem amiſiſſe dolebant, exemplo præcellentiſſimi & noſtris temporibus eruditiſſimi.

III. *Epiſtola Babenbergenſis Epiſ.* Babenbergenſis Eccleſiæ qualiſcumque miniſter venerabilibus, & in Chriſto plurimum dilectis fratribus & amicis *Hugoni Salzburg. Udalrico Kinnſenſi* præpoſitis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis, pro ſpiritu mœroris. Incommemoratione beatiſſimi patris noſtri ac Domini Archiepiſcopi jugiter in mentem venit, imo à memoria noſtra non recedit, quod diviſo à ſe Domino ſuo, & curru igneo ſubvecto, vernaculus & individuus ille comes Prophetæ poſt eum clamavit dicens, Pater mi, pater mi, currus ille Iſrahel & auriga ejus. Nunquid enim magnus iſte ſacerdos noſter, qui in diebus ſuis placuit Deo, & inventus eſt juſtus? Currus enim fuit, dum neceſſitates & infirmitates alienas, præſertim onera peccatorum & inopiam pauperum paterna conſolatione & compaſſione ſublevavit. Quaſi diceret: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Vel, Nunquid auriga non fuit, qui creditos ſibi, rexit, & direxit in viam veritatis exemplis pariter & documentis? Oculus fuit cæco, & pes claudo. Manus ejus non eſt averſa ab ullo paupere, cum quo cordi erat jocari, conrixari, & tandem ab invalida manu exſuperari. Inſuper ut omnibus omnia fieret, etiam ſupra legem, non contra legem, habitum leproſi & tactum lepræ non abhorruit. Raptus ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam ejus. Sed conſummatus in brevi, explevit tempora multa. Equidem ſicut ſcriptum eſt: malitia remanentium meretur, ut hi qui prodeſſe poterant, feſtine ſubtrahantur. Atqui memorabilis ille aſſecla Prophetæ magnificam duplicis ſpiritus habuit conſolationem, nobis autem in tranſitu viri ſanctiſſimi, præter luctum nihil amplius derelictum eſt, niſi forte digni eſſemus apud Deum, tanto ſublevari patrocinio. Talis decebat, ut nobis eſſet pontifex, cui vivere Chriſtus & mori erat lucrum: propoſitum quidem nobis erat feſtinandum eum videre; ſed proh dolor peccatis noſtris exigentibus, extremum hoc beneficium percipiendæ ab eo benedictionis nobis divinitus denegatum eſſe lamentabiliter & inconſolabiliter conquerimur. *Et infra:* Conſolemur invicem, pater noſter piiſſimus intravit in gaudium Domini ſui. Ipſe autem pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis conſoletur vos, & abſtergat omnem lachrymam ab oculis veſtris. Hæc ſereniſſimus *Babenbergenſis* Epiſcopus.

4. Reg. 13. Eccli. 44. 2. Cor. 11. Job. 29. 1. Cor. 9. Sap. 4. Philip. 1. 2. Cor. 1.

IV. *Miracula ad ſepulchrum S. Eberhardi.* Sed redeamus ad propria, ſepulti enim merita Dominus declarare non diſtulit. Mulier Hydropica, quam ſuo more beatus vivens abluerat, ad ſepulchrum defuncti tanto afflictior, quanto coactior fuſa cœlos vexare lamentis non deſiit. Ut quid me pater, ait, deſolatam relinquis? Aut cui amantiſſimum gregem pauperum commiſiſti paſtor? An potius quaſi orphanos dereliquiſti, & dixiſti, Quod moritur moriatur, & quod ſuccliditur ſuccidatur? Sed nunc peto per illum qui te aſſumpſit, ut miſeriis meis quomodo hactenus corpore, ita modo per ſpiritum digneris ſuccurrere. Hæc deprecata, exaudita, ſanata egreſſa eſt. Præterea reverendi cujusdam de cœnobio *Juvavenſi* memoratu digna viſio exiſtimata eſt. Videbatur hic ſibi per ſomnum, dum ſiti urenti circumageretur, Eccleſiam, miri decoris, errabundus intrare; illic beatam Dei genitricem *Mariam*, vultu ut eſt digniſſimo eminus conſediſſe, & velut puerum in gremio caris amplexibus conſpicatur tenentem. Agnovit dominam de pueri perſona & gloria hæſitans erat atque admirans. Cui mater miſericordiæ paucis dignata eſt hæc ad verbum proferre: Hic eſt filius meus Eberhardus, qui nihil mihi unquam negavit. Hujus rei tot teſtes, quot decuriones Antiſtitis ſunt. Omni petenti tribuere ſolebat, quod ſanctæ Mariæ nomine petitus fuiſſet. Ecce qualis mater, talis filius, ſibi fieri, quæ propter ſe fieri teſtantur. Poſt hæc videbam ſeniorem, & pincerna calicem myſticum poculum geniminis cœleſtis propinans ingrediebatur. Libavit regina, deinde puer, qui videbatur puer, domina præbente, ut vino indulſit; ultimus ſenior; dum ad ſe ventum, fallitur; proprie ſubiens ut acciperet, Dei genitricis audivit ſententiam. Non poteris adhuc interim de tali poculo accipere. Videtis quam diſtricta vox. Beatiores ergo mortui, qui in Domino moriuntur. Poſt id locorum excitatus ſomno, ſenior tam ipſe, quam omnes qui audierunt congratulari viſioni cœperunt.

Zach. 11. Apoc. 14.

Plura hujusmodi memorare copia non deerat, ſed commendationi patris noſtri pauca hæc non erunt. Breviloquium ſemper amavimus, & modum in rebus. Si cui ad notitiam ſaltem beatiſſimi Domini noſtri hæc ſuavia erunt, hoc eſt totum pro quo laboravimus. ſi quis exſufflat, fortaſſe illi aut omnia ſcripturarum inſuavia erunt, aut ſcripto-

Digitized by Google

ſcriptoris indignitas acceptatione hic caruit. Atque ſicut ſcriptum eſt, cognationem inter ſe maximam habent amor & poteſtas. Utraque enim principaliter præſunt, utraque per auctoritatem ſemper loquuntur. Non poteſtate, verum amore peculiari, cum venia potentium iſtud ſcribendi miniſterium forſitan merito, utpote ex diſcipulis ejus antiquis cariſſimi, licet infimi, vendicaverimus. Quid plura? Reſtat ſuſpirare poſt tantum cœlitem & convictores ſuos poſt eum jam minus velle hanc vitam. Hi nempe vel ſola ejus* forma ſciunt, quid bonum ſit, & cœlum & virtus, & in terra ambulans converſari in cœlis, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, & regnans per omnia ſæcula ſæculorum Amen. Sæc. XII. Anno 1190. *Philip. 3. Coloſſ. 3.*

V. *De Miraculis quæ Eberhardus operatus eſt poſt mortem.*

POst obitum igitur Deo dilecti Antiſtitis *Eberhardi* tot miraculorum Chriſti Eccleſia clarere cœpit inſignibus, quot ſanctus adhuc vivens, virtutum abundabat operibus. Et qui mundo tunc latere diſpoſuit, ſignis quæ jam per ipſum fiunt, approbatur quis fuerit. Qui enim tunc dixit cum Iſaia: Secretum meum mihi, Secretum meum mihi, niſi ne elatione temptaretur; quæ ſunt latibulum, ad angelorum ecce & hominum deductus commune ſpectaculum. Quod dum etiam in occulto mentis ſecretario factum eſt, jam ſuper tecta prædicatum eſt. Huic ſancto acclamat ipſa veritas in Evangelio: Nihil opertum quod non reveletur, & occultum quod non ſciatur. Qui enim tunc abſcondit eleemoſynam in ſinu pauperis, nunc per ipſam habetur excuſatus in conſpectu ſummi judicis. Decebat ideo, ut quem honore ditavit in cœlis, ſignorum, vel magis beneficiorum claritate Dominus magnificaret in terris. Quænam vivens fecerit, nonne hæc ſcripta ſunt in notitia ſingulorum? Niſi tamen præteritorum ſcriptura commemoraret, non eſt in futuro, qui Deum in ſanctis ſuis glorificet. Unde eſt illud. Cito fecerunt & obliti ſunt Quæ enim ſcripſerunt ſcimus, & quæ prætermiſerunt neſcimus. Non equidem legimus in tota veteris teſtamenti ſerie, quis fuerit ille Zacharias, qui occiſus eſt inter templum & altare. Si ſciretur quis eſſet, Deum in ipſo plebs glorificaret. Neceſſarium eſt ergo, ut ab initio propoſitiones loquamur, quanta audivimus & cognovimus ea, & fideles narraverunt nobis. Signis quidem fides populi fundatur. Unde eſt illud. Signa noſtra non vidimus, jam non eſt Propheta, & nos non cognoſcet amplius. Ut ergo ſciant omnes quia beatus *Eberhardus* cum Chriſto regnat, beneficio declarat in mortuo, in quo ſic complacuit adhuc vivo. *Iſai. 24. 1. Cor. 1. Luc. 12. Matth. 10. Luc. 12. Pſalm. 77. Pſalm. 73.*

Igitur ô lector, quia in ore duorum vel trium ſtat omne verbum, humanum negaveritis teſtimonium, miraculis ſaltem quæ fiunt, fidelem præbeas aſſenſum. Probant quidem ſanctum miracula, & populo ſanctitatem ejus revelant Domini beneficia. In primis enim manifeſtavit eum Dominus ſic. *Matth. 18.*

Homo quidam Diabolo inſtigante Eccleſiæ majoris feras temerario furore irrupit, & deteſtabile furtum in ea commiſſurus intravit, & ſcrinium cujusdam Canonici ſecuri violenter confregit. Ex qua duas caſulas cum reliquis ſacerdotalibus, cæterisque bonis ſubripuit, ſaccoque delaturus impoſuit, ſed exiturus virum ætate canum, veſte candida circumamictum ſibi cominus aſſiſtere conſpexit. Unde quidem non mediocriter territus, ſed nequitiam ſuam, nec dum perſolvere veritus, cum onere proceſſiſſet in medium, ſed propè ſepulchrum beati *Eberhardi* duobus paſſibus diſtans immobilem fixit ſtatum. Sanctus enim creditur qui Eccleſiaſtica protexit vivus, jam cum Chriſto melius valens, Eccleſiæ damna non paſſus eſt mortuus. Tam diu igitur nutu Dei ſtetit inconcuſſus, donec à populo cum ſarcina captus, rem geſtam publicè profiteretur confuſus.

Accidit autem ut quidam puer de *Matheſe* nutu divinæ prædeſtinationis à nativitate cæcus ad limina beati *Rudberti* deferretur, ſed beati Eberhardi tumbæ ſuperpoſitus, prece omnium qui aderant oculorum perfuſus eſt luce. Puella quoque quædam de Gruſcharm duodennis ſurdum & mutum habens ſpiritum, beati viri ſepulchro advolvitur; ſed fidelium interpellatione auditu ſimiliter & voce reparatur. Item miles quidam Domini Archiepiſcopi nomine *Rudignus*, filiam habuit paralyſis uno brachio deſtitutam, immo præmortuam. Pro ejus ſanitate mater ſæpè fruſtrabatur in medicis; ſed ecce ad melius converſa, beati Pontificis gratiam experitur & dona; Chriſtum compuncta petit, & ſanctum luminare parans metitur ut brachium, tumbæ ſancti præponit, ut ardeat, domumque reverſa ſoſpitam filiam invenit, Deumque in ſancto ſuo glorificat. Mirum in modum, mulier in templo, ſanctus in domo, illa accendit candelam, iſte ſanat filiam, cera liquendo decreſcit, ſed virgo meliorans invaleſcit.

Similiter & quædam ſanctimonialis fœmina, ex calculorum longa ægritudine fere conſumpta, ante ſepulchrum ſancti viri proſtrata compungitur, & dum pie ſupplicat,

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

meritis ſancti, calculus dilabitur, & ipſa ſanitate percepta gratulatur. Dignum quippe erat, ut qui duros hominum actus emollivit ut ſaxa, ſic quoque in proſperum ſupplex ipſe ſupplicum commutaret adverſa. In Cœna quoque, Dæmoniaca jam diu obſeſſa adducitur, ſupra quam cum exorcismus legeretur, ſpiritus nequam qui inerat, variis linguis fabulabatur. Dum vero fit illi comminatio à Clero, per beatum *Virgilium*, Dæmon clerum ſubſannat, & ſe *Virgilium* magiſtrum ſuum jam tertia die in inferno reliquiſſe clamat. Quæritur ergo, quis vel cujas ille *Virgilius* ſit; at ille *Mantuanum* poëtam fuiſſe reſpondit. Tunc interrogatur, ubi vel per quem ſit exiturus, dixit, quod cum ad * pauperem venerit, jam amplius illi remanendi locus non ſit. Tunc ſummo diluculo cum Antiphona: *Traditor* autem, diceretur, ſub ſpecie veſpertilionis egredi viſus eſt. O miræ virtutis, vel potius piæ paternitatis indicium, die qua ſeipſum panem ſalutarem diſcipulis propoſuit, tunc beatus *Eberhardus* mortem effugans, vitam condonat ovibus ſuis. Sed ex Dæmonis fœtore, Archiepiſcopus noſter ſimul cum *Ratiſponenſi* Epiſcopo de ſede ſua propulſi ſunt.

* *Patrem.*

Non diu hic miles quidam de nemore ſancti *Leonhardi*, uxorem ſuam ſepulchro pii patris applicuit, quam nutu Dei & Sancti meritis, licet diu contractam, cito erectam lætus obtinuit. Simili quoque modo mulier quædam de Straßpraſſen humorum ariditate ſeu nervorum contractione, manuum officio deſtituta, invocatione ſancti, priſtinam ſanitatem eſt adepta. Subſequenti tempore puella quædam de Nuwenburch Marchion. cæca patre comitante advenit, ſed ſancti ſepulchro advoluta adſtantium ſupplicatione, viſum fœlix obtinuit. Item fœmina quædam de Engelbrechtsheim/ pluribus annis obſeſſa, à devotis fidelibus monumento præſulis adjutur gitur, & ipſe mutus, ſanctum confitetur corde quem non potuit ore; ſed virtute ſancti inſtruitur, quid loquatur voce. Miles quidam calculoſus diu languens & pallidus, tamen patris nomine invocato, ſic calculum digerit, quod nullam moleſtiam ſenſit. Similiter & mulier de Rimeſe arreptitia adducitur, ſed meritis ſupradicti Pontificis de poteſtate Dæmonis celeriter emancipatur. Poſt hæc paucis menſibus decurſis in præſentia Archiepiſcopi *Chunradi* Brixinenſis Epiſcopi Heinrici, marchio minor, *Dietboldus* de Vohenburch/ ſancti Eberhardi aliquando nutritius, mulierem per decem & octo annos energumenam adduxit, pro ipſa tota nocte vigilans, quam ſanandam in ſancti ſui glorificatione usque adhuc Deus diſtulit, à Domino ſuo curatam obtinuit. Mulier quædam de Mauldorff à ſpiritu nequam vexata adducta eſt, ſed ſanitatis gratiam quum quæſivit, fidelium prece ab ipſo patre citius nacta eſt. Audita igitur fama miraculorum beati Eberhardi, cæterorumque *Juvavenſium* ſanctorum velut ex vehementi tonitruo ab incredulitatis ſomno citius, velut excitatur charitate tepentium multitudo. A remotis accedunt provinciis, & ab alienis adveniunt regnis, miraculorum ſurgunt fulgura, hic *Juvavum* quærere, quod fides non obtinuit apud ſe. Inter illos videlicet quædam mulier venit de Wirtzburg/ luminis cauſa, cæco petit merita pii patris expediri. Dum ergo *Juvavum* jam diutius moratur ſalutis cupida, tandem ex improbitate pietatis ei aperitur janua triplicis fidei, percepit alimenta, ſic paſcitur per fidem, quod corporis & animæ recepit ſanitatem. Mirum in modum oculis carnis experitur ut videat, & oculis cordis experitur quod credat. Dixit quidem, vidi eum in carne manentem, ſed nunc experiar in cœlo regnantis virtutem, fœliciter experta eſt, quia quod petiit adepta eſt. Acceſſit enim ducta per alterum, ſed ecce regreditur ſibi præmonſtrans iter ſuum, & quæ acceſſit contriſtans, læta revertitur Deum in ſanctis ſuis glorificans.

locus vitioſus.

Poſt hæc non diu duo venerunt milites ducentes contractum per ſingula, cupientes ſi B. Eberhardi virtus eſſet, ut fama. Æger itaque ille jam pridem miles & prædo nequiſſimus, & ex inceſtu cum uxore ſcilicet fratris ſui fornicando, per prædictum Antiſtitem erat excommunicatus. Cum ergo usque poſt mortem ita perſeverante inpœnitens, qui potuit voluntarius infirmitate pœnitere, coactus eſt nolens. Corpus quidem ſuum usquequaque contrahitur, & velut ex lepra ſicca quadam ſcabie ſordidatur. Audita igitur pii patris virtute, acceſſit confiteri mortuo, fide tactus ut placeat, cui noluit vivo. Cum ecce jam tumbæ appoſitus devotionis offert precium; at ſanctus ſolvit peccati vinculum, & contractum erigens reddidit ſanum. Vox ecce populi in laude ſuſtollitur, Chriſtus in ſancto, & ſanctus in Chriſto benedicitur, qui ægre peccanti tam mirifice propiciatur. Socii vero ſui ſanato applaudunt, ſed ab ejus menſa, quia adhuc livida ſcabie, maculoſo ſe ſubtrahunt, ipſi tamen memoriam S. Eberhardi celebrando commendare non ſinunt. At ille infœliciter inquit, mallem ut primo contrahi, quàm ſic à vobis erectus deſpici, quoniam ſi plene ſanaſſet, applauderem, ſed jam deſpectus doleo propter hanc erectionem. O quam terribile, inquit, dictu;

Digitized by Google

dictu; in craſtino mentum contrahitur usque ad genu, ut qui ſanari doluit, jam ſolito infirmior fit. O miranda paſtoris ſententia, mortuus mortalia ſolvit, vincula ſolvit; anima nexum corporis, virtutem paſtoris experitur ovis. Paſtorem igitur non irritare diſcat ſubjecta conditio, diſcat non irretiri peccati vinculo, ne ſi mors præmineat abſit omnis propitiatio. SÆC. XII. ANNO 1190.

Mulier quædam de Enſe virum relinquens legitimum, joculatori ſe jungit ad victum, inſaciabilem fovere cupiens appetitum. *Juvavum* igitur veniens laſciviter, ut ſtolida garrit, & joculatur ut ganea, legitimi fœderis adulteratur oblita. Tandem ad ſepulchrum beati Eberhardi accedit, ut compoſita, cum chirothecis offert elata; ſed ultione divina percutitur, & fit arrepticia. Solita rimatur ludicra juſtitiæ, blaſphemat ut garrula, huc & illuc ſe volvit in aëra, quomodo ſic à dæmone vexabatur obſeſſa. Educitur ergo & trahitur in templum, & à clero circumſtante exorzizatur dæmonium, & mulier delicta confitetur ne pereat, & emendare promittens Deum liberata glorificat. Laudetur ergo Chriſtus in Sancto, laudetur Sanctus in Chriſto, qui ſic diſpenſat, ut laborent infirmi, ut ſanitatem eis redditam ſanctorum ſuorum aſſcribant meritis & ſuæ virtuti. Quidquid enim fit per ſanctos, Deus facit in ipſis. *Joan. 15.* Unde eſt illud: Sine me nihil poteſtis facere. *1. Cor. 12.* Operatur enim omnia in omnibus, dividens ſingulis prout vult. omnium enim potens eſt Dominus; & hæc facit, ut Sanctum glorificet, & notam faciat nobis potentiam ſuam, dicens per Prophetam: Videte quod ego ſim ſolus, & non eſt alius Deus præter me. *Eſai. 47.* Excutit enim Pharaonem & virtutem ejus in mari rubro. Quis eſt Pharao niſi diabolus? qui eſt Ægypti, id eſt tenebrarum rex. Ipſe quidem quos poteſt exterminat, id eſt, extra terminos patriæ ducit & necat. Quid eſt mare rubrum, niſi martyrium, vel Chriſti paſſionis ſacramentum. Quaſi enim Pharao cum exercitu ſuo in mari rubro ſubmergitur, cum diabolus & vitia ſua Chriſti & ſanctorum ſuorum paſſione convincuntur. Ideoque glorioſus Deus in ſanctis ſuis, mirabilis in majeſtate ſua, terribilis & laudabilis, & faciens mirabilia ſolus. *Pſalm. 67. & 71.* Et hæc facit ad laudem & gloriam nominis ſui: Qui eſt Deus benedictus in ſæcula. Amen.

Digitized by Google

DE

VITA ET MIRACULIS

S. HARTWICI

ARCHIEPISCOPI SALISBURGENSIS

AUCTORE

S. EBERHARDI *Discipulo.*

PRO-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

PROLOGUS AUCTORIS

COnsideranti mihi lilia agri, quo honore, quove decore candidata vestiantur, & pullulent, multa virtutum varietate purpurati rosarum flores apparent. Hinc in lilio miror, quod est niveum; hinc in rosa colorem intendo purpureum. Tria tamen amplius in ipsis intendo, colorem scilicet & odorem, & utriusque allectionem. Flos est anima justi, color religio Catholicæ fidei, odor amor Dei & proximi, allectio promissio est cœlestis regni. Unde est illud in Canticis canticorum, Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, & inspicerem si floruissent mala punica. Et de eodem in subsequenti. Vineæ florentes odorem dederunt. Et illud. Odor inæstimabilis erat nimis. Hortus est sancta Ecclesia, de quo Sapientia clamat. Rigabo hortum meum. Nuces sunt animæ Justorum; testa nucis, vas humani corporis; corium, mundani livoris amaritudo, & nucleo justitiæ designatur habitudo. Tunc ergo in hortum nucum Sapientia Dei descendit, quando quid in nucibus, id est in justis, quid in convallibus, id est humilibus speciosius sit considerandum. Quæ sunt vineæ nisi oves Dominicæ? Quid sunt earum flores, nisi passionum meritis purpuratæ virtutum varietates? Unde est illud sapientiæ: Flores mei fructus honoris & honestatis. Floret enim vinea Dominica per opus bonum, sed odorem dat aliis, bene vivendi proponens exempla. Floret vitis, decoratur in se, sed odore fructificat in aliis. Hinc simile est quod legitur: Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris. In agro igitur rosa vel lilium, in horto nux & in convalle lignum pomiferum, & in vinea palmes, B. *Hartwicus*. Hinc enim est castitate candidus, hinc diverso virtutum colore purpureus, hinc licet in carne, divinitatis satiatus nucleo, hinc ut lignum fructiferum imbre roratur temporaneo. Palmes est in vite non aridus, non ad ignem ut comburatur excidendus, sed flore cum fructu germinans, ut doctrinæ vina ministret in Christo, qui est vera vitis exuberans. Unde est illud in Evangelio: Omnem palmitem in me ferentem fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat. Palmes vero iste non sterilis sed fœcundus, satis in Christo tulit sibi, sed purgatus, id est, carne solutus, plus attulit & plus recepit. Hic quidem collegit, sed ibi cum exultatione manipulos reportavit. Super pauca fidelis humanitus, super multa cœlitus constitutus est. Hinc ut paterfamilias pervigil furi comminatur. Hinc ut pastor bonus lupum confundit & fugat. Hinc etiam oves pascit & potat, jejunantes non spernit & manducantes non judicat. O quantum lux in carne positus, qui nihil remisse prætermittens fuit in omni bona actione strenuus, ad docendum egregius, & in omni morum claritate fuit conspicuus. Orphanorum adjutor, viduarum defensor, mœstorum consolator, in & regenerandis animabus magnus erat propagator.

1. *Matth.* 6.

Cant. 6.

Cant. 2.

Eccli. 24.

Hic itaque post obitum bonæ memoriæ *Friderici* antistitis Ecclesiæ *Juvavensis* suscepit Kathedram anno incarnationis Domini (*a*) DCCCC. XV. VI. Idus Novembris. Sed ecce cum prædecessore suo, gaudet regnum sortis & gloriam. Ex regali legitur oriundus prosapia, unde ampliori virtute, vitam in se nobilitavit & opera.

Fridericus Archiepiscopus Salisburg.

Hartwicus Epist. an. 915.

Ut radius sole prodit, de flumine rivus,
Hic stetit & fluxit regum de sanguine rivus.

Iste ergo participat in eo, quod scriptum est. Fecit nos Deus sibi regnum & Sacerdotes. Recte quidem agenti se ipsum & actus suos regenti bene convenit hoc nomen rex, quia de regali secundum carnem egressus linea, cum rege Christo decorabitur in gratia, ut recte dicatur per Prophetam: Regem in decore suo videbit. Et illud in Psalmo: Domine in virtute tua lætabitur rex, & super salutare tuum exultabit vehementer. Fuit enim ad opera misericordiæ vehemens, in tribulatione patiens, pronus ad indulgentiam, & tardus ad iram, fide firmus ut impetret; spe certus, ut capiat; charitate perfectus, ut sine fine permaneat. Ut etiam ordo docendi postulat, multo

Apoc. 1.

Esa. 33.

Psalm. 20.

(*a*) Emendandus procul dubio hic locus; nam anno 1013. obiit Hartwicus. Ottonis III. temporibus vixerat & revera legitur in alia ejusdem vita an. 990. fuisse ordinatum, quod multo rectius est. Basn.

Digitized by Google

SÆC. XII. multa erubuit docere, quæ tamen ſtuduit facere; viam monſtravit digito, quam ipſe præceſſit opere ſuo.

ANNO 1190. Cogitavit enim non eſſe ſicut æs ſonans, aut cymbalum tinniens; nunc autem aliis prædicaret, ipſe reprobus fieret. Detractionibus aures non adhibuit. Aliud in corde
1. Cor. 13. non habuit; munera ſuper innocentes non accepit. Pœnitentes hortabatur ad melius,
1. Cor. 9. Pſalm. 14. juſtos fovebat ut juſtus, minores tuebatur ut fortis; & omnibus exhibuit opera pietatis. In meridie quippe charitatis, cum ſole juſtitiæ ſtatum fixit, ut luceat ſicut mundus ſolari radio, ſic credentium populus ſuo reſpondeat beneficio. Interim enim ejus virtutum fama percrebuit, quod ad ipſum cauſa doctrinæ ſugendæ vice apum circumquaque omnis turba confluxit. Eja quantos nube infidelitatis obductos, mente cæcos, fidei luce perfudit, quantis etiam malitia ſurdis verbi Dei auditum inſeruit, & ex inſolentia mitius per confeſſionem Chriſtum laudare fecit? Omnes corporis & animæ curavit ægritudines, verbi gratia, errore contractos veritatis cognitione fecit erectos. Hinc peccati mundavit lepram, & de facie gregis ſui omnem abſterſit maculam. Hinc gaudio prævaricationis occiſos, vipereoque temptationum veneno præ-
Ezech. 48. mortuos ad virtutum opera reſtituit vivos. Bene igitur convenit illi quod de Heliſeo, ſapientia clamat: In vita ſua fecit monſtra. Quod enim melius monſtrum, quam de peccatore juſtum, de ægro ſanum, de obſtinato credulum, vel de mortuo reddere vivum? Sed nec hoc ſilere dignum video, quod plurimorum fidelium didici teſtimonio. Contigit enim quod ad Eccleſiam quæ *Tale* dicitur, in feſto ſancti *Andreæ* ipſam dedicaturus exierit, ſilvamque pertranſiens, ramuſculum ex arbore frangens arripuit, quem cum non diu manu tuliſſet, flores peperit & in ſignum ſanctitatis ejus, à quibusdam fidelibus, diu cuſtoditus fuit. O ſignum mirabile, & pluſquam dici poſſit,
Exod. 7. commendabile. O novitas ab antiquo non diſcrepans. O Hartwici virga, virgæ Aaron ſub figura concordans. Sed illa in archa, & hæc in manu floruit, nec tamen inter ſe diſſentiunt, quia utriuſque poſſeſſor, archam Domini rexit, & archa Domini fuit. Quod tamen in ipſo materialiter fuiſſe, ſi quis obſtinate contradixerit, ſpiritualiter tamen completum, ut credat ratum ſit. Quid enim ſignat ejus via qua vadit ut Eccleſiam dedicet, niſi Chriſtum in quo moraliter graditur, ut in mente ſua Deo ſacrificium paretur? Quid eſt arbor, de qua ramum fregit, niſi quilibet legis doctor,
Pſalm. 22. Pſalm. 17. de quo diſciplinæ formam ſumpſit? Ex hac virga ſcriptum eſt: Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Vel aliter, Diſciplina tua, ipſa me docebit. Vel & hæc virga paſtoralis eſt, quæ in medio ſub typo diſciplinæ eſt rigida; ſubtus cauſa ſervitutis, ferrea; ſuperius quaſi floret, quia pœnitentes attrahit cum miſericordia. De
Pſalm. 8. parte ferrea ſcriptum eſt: In virga ferrea confringes eos. De medio virgæ dicit
Pſalm. 17. Pſalmiſta: Diſciplina tua correxit me in finem. Superior pars virgæ typum tenet miſericordiæ. Tria quidem doctori conveniunt, ut ſcilicet impios diſtrictius feriat, in bono ſtabiles non facti moneat; compungentibus miſercorditer conſulat.

Hanc virgam beatus *Hartwicus* habuit, & ipſa virga æquitatis fuit. Ut de ipſo dici
Pſal. 109. poſſit Eccleſiæ per Prophetam: Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Syon. Quid
Pſalm. 20. enim non extitit virtutis in quo omnium virtutum ſchola fuit? Quomodo etiam non ſit plenus omni virtute, quem ecce prævenit Dominus in dulcedinis benedictione? Ipſe autem Eccleſiaſticæ virtutis eſt virga, cujus doctrina vel fide legalium mandatorum in populo connectuntur laquearia. Ex Syon vero vel emittitur, dum ſpeculo fidei Eccleſiæ adminiſtratur. Omnia autem opera ſua, quæ fecit, fuerunt ſignifera, quia virtutum quas Deus in ipſo fecit, fuerunt ſignativa. Conſummato igitur fœlici vitæ ſuæ curſu, exuta humanitatis tunica, indutus eſt immortalitatis ſtola. Migravit autem ſanctus Hartwicus ad Dominum anno ab incarnat. Dn. M. XXIII. Epiſcopatus autem ſui, XXXIV. Heinrico imperatore II. hujus nominis regnante, Domino noſtro Jeſu Chriſto rege: Qui vivit & regnat cum Deo patre & ſpiritu ſancto unus Deus per omnia ſæculorum, Amen.

II. *Miraculæ ad ſepulchrum S. Hartwici.* Ad laudem & gloriam nominis, cum quadam die populus in capella ſanctæ Dei genitricis devotus adſtaret, cereus in altari extinguitur, ſed ut accendatur à quodam juvene quantotius accurritur, cereum feſtinus arripuit, & ad tumbam beati Hartwici accenſurus accedit, ſed cum jam tumbæ appropiat, jam cereum ſancti virtus inflammat. Mirum in modum, per ſe luminare ſuccenditur, ut lucerna Eccleſiæ fuiſſe beatus Hartwicus approbetur. Flamma etenim rubedine apparebat, ut ſanguis, ſed in illo reor aliquid myſtice fuiſſe ſignificatum. Veruntamen populus in admiratione vertitur, & flammam huic ſimilem nunquam vidiſſe profitetur. O mirabile, ex ejus virtute illuſtratur fidelium populus. Fama igitur tantæ rei univerſam patriam transvolat, ſanctumque Dei in populo virtus patrata magnificat. Accurrunt ſubitò debiles, ſed ſanitati

Digitized by Google

sanitati citius fiunt efficaces. Sani currunt & languidi, & in sancto glorificant nomen Domini, signis ad fidem provocantur increduli, spem concipiunt desperati, caritate solidantur qui fuerant odiosi. Accedit interea puella quædam paralytica, quæ dum sepulchro advolvitur, optatæ sanitati restituitur lætabunda. Quidam etiam juvenis transenum genitus, annos circiter xxx. agens cæcus adducitur, sed sancti provolutus sepulchro, visu perfunditur desiderato. Item quædam puella decennis ad præfatum sanctum defertur, sed illico ad plenum erigitur, ut eo miraculo sancti virtus commendatur. Simili quoque modo mulier quædam jam diu omnium membrorum virtute privata, per alios adducitur, statimque sanitati restituta, cum gaudio sola revertitur.

Puer itaque de *Pinzgau* eatenus infirmans ut mulier, pari modo fertur ad sanctum, parique vice Dei gratiam salutarem experitur & fructum. Nec non & puer quidam de *Olhusen* affertur contractus, sed Deo operante, sanctique meritis, refertur erectus. Similiter & puer in tantum manibus contractus fuit, quod jam amplius posse sanari populus desperavit, beati Hartwici allatus tumbæ plenissima restauratur sanitate. Quidam homo de Ettingen/ puerum suum cæcum reliquiis sancti superposuit, genuque flexo largissime lachrymans visum puero fœlix obtinuit. Vir quidam de Julbach miserabiliter flexis reptans poplitibus, sed sancti nomine sæpius invocato, plantis & basibus solidatis donum recepit optatæ sanitatis.

Sæc. XII. Anno 1190.

De Ottone Imperatore.

Accepimus à patribus nostris, quod *Otto* Imperator (*a*) *Hispaniam* cum multo apparatu profectus in civitatem *Turoniorum* hospitandi gratia ingressus est. Ubi per aliquot dies cum magnatibus suis moram faciens, mansionarios simul & custodem pretio corrupit, & sic corpus beati *Martini* auro & argento comparavit. Datis ergo quæ pepigit, recepit quæ voluit, regreditur festinus ad patriam, furtim deferens tanti corporis glebam. Quia vero tam preciosum thesaurum suo vectigali contineri duxit indignum, Archiepiscopo *Juvavensi Herolfo*, (*b*) sibi ut credidit, fidelissimo tradidit conservandum, sibique ubi vel quando præciperet perferendum. At ille gaudenter suscepit, & in suam Ecclesiam piè transvexit. Cryptam in qua eum abscondit, nomini suo consecravit. Sociosque sibi adjurat, ut lateat; titulo literali consignat, ut pateat; ut quod lingua nesciret, hoc intitulato (*c*) posteris propalaret. Decedente itaque aliquo tempore citatus ad curiam venit, ubi à rege de supradictis inquisitus respondit: Sanctum quem quæritis, in sanctuario permanendum reposui. Unde amodo nullatenus debet removeri. Tunc Imperator se defraudatum considerans irascitur. At ille fugam iniit, ne si expectet, in aliquo periclitetur. Tunc *Hainricus* dux frater Imperatoris, (*d*) & quidam milites *Plangenses* scilicet regi placere volentes, quia & ipsi *Salzburgenses* Ecclesiæ inimici fuerunt, ipsum persequuntur, ut feriant; quem sævientes arripiunt & excæcant. Sic nec ille reddidit, nec Imperator rehabuit. Sed vir bonæ memoriæ *Herolfus* reposuit, & usque ad tempus beati *Hartwici* latuit, nescio quo casu hoc inveniens, sed ut erat (*e*) cœlitus inspiratus, vel titulo edoctus invenit,

III. *Martini corpus subreptum.*

(*a*) Hunc locum *Mezgerus* emendat in Historia Salisburgensi & *Galliam* reponit; & revera scriptores omnes qui de *Ottone* egerunt, de itinere in Hispaniam, quod tanto cum *apparatu* debuit confici, filuerunt. Quid *Ottoni* tunc temporis cum Hispania? petiit ille Gallias. Attamen omnes *Canisii* Codices, apud quem eadem bis leguntur, habent *Hispaniam* & mutato pro cujuslibet arbitrio textu, hac arte fraudes impostorum obvelatæ nequaquam paterent. Falsitas Historiæ ex itinere falso patet. Aliunde nutat hujus narrationis fides, quippe *Johannes* XIII. Romanæ sedis clavum tenens *Ottonis* temporibus, diversas excæcationis *Herulfi* causas refert; ut patet ex ipsius Pontificis Epistolis; cujus major esse debet his in rebus autoritas quam discipuli *Eberhardi*, nec reperitur ullum Concilium Ratisponense ab *Henrico quarto* habitum; in quo tamen *Adalbertus Bremensis*, in propria commoda peccans, Imperatoris Patrumque testimonio Translationem *Martini* debuit firmare: nec desunt etiam inter Annalistas Bajoarienses, qui authori nostro dicam falsitatis impingant illamque Translationem negent: inter quos recensendus est *Brennerus*. De ea filuerunt veteres Historici, quamquam varias Translationes *Ottonis* jussu confectas non omiserint.

Verum est tamen Henricum fuisse *Ottonis* Imperatoris fratrem; illum *Henrico* genuerat *Mathildis* jam ad Imperatoriam dignitatem evecto. Fuit ille Henricus Imperatoris natus: „ facetia satis * ornatus; Consiliis providus vultus nitore „ gratioso oculorum vigilantia placidus. *Ottoni* sæpius iratus rebellavit cum Moguntino præsule; manus cum ipso conseruit, victus in necem fratris conspiravit. Detentus est aliquandiu in carcere, donec inveteratis pristinis odiis factus est Bajoariorum dux ab ipso *Ottone*. Sic enim de Gestis *Oddonum* cecinit *HRosuitha*.

* *Luitprand. l. 4. c. 7. p. 132.*

Post † hac Henricus *frater Regis generosus*
Christi gratiola tactus sub corde secreto,
Secum tractavit summoque dolore revolvit
Contra Justitiam quidquid fecerat unquam
Nec non post aliquot spatii tempuscula parvi
Ipsius juri proceres subjunxerat omnes
Famosa nimium gentis Bajoariorum
Ipsum nempe ducem merito faciendo potentem
Et post hac ultra fuerat discordia nulla
Inter eos animis fraterno fœdere junctis.

† *HRosuitha. p. 170.*

Eodem tempore rexit Ecclesiam *Juvavensem Heroldus* vel potius *Herulfus*, ut patet ex serie Episcoporum Salisburgensim, electus scilicet anno 940. obiit an. 956. post *Henricum* Imperatoris fratrem qui an. 955. è vivis excesserat. Basn.

(*b*) Herolfus Archiep. Salisb. & Heroldus. Basn.

(*c*) L. Intitulatio. Basn.

(*d*) Bavariæ imperabat: de illo vide multa apud Luitprandum a quo laudatur quantumvis in fratrem rebellaverit. Basn.

(*e*) Leg. reor. Basn.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

invenit, & ſolenniter & eminentius tranſtulit, & hoſpitatum hoſpiti *Martinum* ſcilicet, B. *Ruperto* conſepelivit & dignè Apoſtolis parem *Bavaricæ* gentis ſociavit Apoſtolo, quorum uterque ſicut in una continentur tumba, ſic invicem conſociantur gloria. Sepulturam quoque eorum argento ſimul veſtivit & auro, ut dum in theſauro decus appenditur, quam ſplendida, vel potius quam precioſa ſit eorum virtus ſignificetur. Quod vero corpus beati *Martini* beato *Rudberto* conſepultum ſit, miraculis, quæ per ipſos fiunt, creditur, & ut nulli dubium ſit, antiquorum patrum legimus teſtimonio fuiſſe approbatum. Cum etenim aliquando *Ratiſponæ* Imperator *Hainricus*, quartus rexit Concilium inter duos Archiepiſcopos *Gebehardum Juvavenſem* ſcilicet & *Adelbertum Bremenſem*, coram omni curia altercatio facta eſt. Qui, ut verum fatear, omni virtute commendabiles, & honore invicem prævenientes, in die ſancti *Martini* coram rege officium celebrare, Juvavenſis Bremenſem monuit. At ille indigniorem ſe judicans reſtitit, & in hæc verba prorupit, Conſtat ô Gebharde, quod mihi inſtanter præmineas cum vel cum Apoſtolicæ ſedis legatione recenſeas, vel quia in ſolennitate ſancti, cujus corpus in Juvavum continetur, pallio indui debeas. Hoc tam à progenitoribus meis, quam ab ipſo Imperatore percepi, Martinum in veſtra Eccleſia contineri. Celebravit igitur Gebehardus Juvavenſis indutus pallio; ceſſit alter, & utriusque commendatio, noſtræ ſit veritatis atteſtatio. Hujus itaque rei non incertus bonæ memoriæ Hartwicus Epiſcopus abſconſum in obſcuro ſuſtulit, & ſupplicantium fidelium aſpectibus honorifice repoſuit. Hæc ideo hujus patris noſtri Hartwici geſtis inſcripſimus, ut dum bona, quæ fecit attendimus, cum utrisque Martino ſcilicet & Hartwico terrenis ad cœleſtia meritorum vice transferri curemus.

DE

Digitized by Google

DE

VITA ET MIRACULIS

S. GEBEHARDI

SUEVI,

ARCHIEPISCOPI SALISBURGENSIS

ET

APOSTOLICÆ SEDIS LEGATI.

AUCTORE

S. EBERHARDI *Discipulo.*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

DE S. GEBEHARDO ARCHIEPISCOPO.

GLoriosus igitur *Gebehardus* alto *Suevorum* ſtemmate, patre *Chadolde* matre *Azala* progenitus, in primæva ætate ſua liberalibus ſtudiis traditur imbuendus. Ubi cum docilis puer non tam ætatis incremento, quàm liberalis ſcientiæ ſucreſceret faſtigio. Emenſa igitur pueritia partimque adoleſcentia, ingenuitatem generis, morum nobilitate, ac ſapientiæ jubare tranſcendit. Evacuatis enim quæ erant parvuli divinis ſe mancipat obſequiis, & ſectionibus, quamvis in ſæculari pompoſo ſtemmate, forinſecus ſplenderet ornatus. Per ſingulos itaque gradus ſacris ordinibus inſignitus, ad ſacerdotii denique gradum, quia dignus eſt inventus, IV. nonas Martii anno incarnationis Domini M. LV. à venerabilibus *Saltwino*, ſanctæ Salzburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, ſub ſancto *Leone* Papa eſt promotus, prædicti Deo digni Archiepiſcopi futurus Epiſcopus ſucceſſor, ac Chriſti & Eccleſiæ indefeſſus propugnator. Hujus ergo celebri fama illectus Imperator *Heinricus III.* cognomento pius, *Heinrici Babenbergenſis* ſucceſſor, eum ad ſe aſcitum, regiæ aulæ ſummum præfecit Capellanum. Quo poſt paucos annos rebus humanis exempto, & *Heinrico IV.* filio prioris in ſceptra regni ſuccedente, *Gebehardus* item primus inter primos palatii habebatur. Et quamvis in terreno converſaretur palatio, cœleſtis tamen regis famulatui ſummopere inhærebat. Anno deinde incarnati Domini M. LX. qui ſextus ſacerdotii ipſius *Gebehardi* fuerat annus, poſt dormitionem præſcripti venerabilis *Badwini* Archiepiſcopi, concordi & alacri totius Cleri, ac miniſtralium electione in Salzburgenſem Metropolitanum divino nutu eſt ſublimatus, utpote virtutum omnium gratia adornatus.

1. *Cor.* 13.

Saltwinus Archiepiſcopus Salisburg.

Supra Saltwinus dictus.

Igitur Deo dignus metropolita *Gebhardus*, III. Idus Junii, in loco Eſchinwanch dicto, accepto à rege *Heinrico*, & caſtæ deſponſationis ſacroſanctæ matris Eccleſiæ annulo, & reverendæ paſtoralitatis baculo ſanctæ *Juvavenſis* Eccleſiæ ſedi, ab *Adelberone Wurzburgenſi* Epiſcopo, XII. Kalend. Auguſt: intra ſanctita canonum inthroniſatur. Nec longe poſt, convenientibus *Ratiſponæ Gebehardo* ejusdem urbis Epiſcopo, *Engelberto Patavienſi* præſule, *Ellinhardo Friſingenſi* Epiſcopo, *Altwino Sabionenſi* antiſtite, *Adelberone Wirzburgenſi* Præſide, *Gunzone Eichſtetenſi* Epiſcopo, in gradum Epiſcopalis honoris per læta popularium ſuffragia, III. Kalend. Auguſt. fœliciter eſt provectus. Ab hinc uno & ſemis anno pallii inſignibus & privilegio ſingularis præ cæteris coëpiſcopis principatus ab *Alexandro* Romanæ ſedis Epiſcopo per *Wezilinum* præpoſitum, VIII. Kalend. Martii glorioſiſſime perſplenduit honoratus. His ille honoribus neſciebat ſuperbire. Sed magis humilia de ſe ipſo noverat ſentire. Divitiis etiam affluentibus cor non appoſuit, his tripliciter uſus, aut in augmentum & proficuum Eccleſiæ ſuæ expendit, aut monaſteria & baſilicas ex eis conſtruxit, vel pauperibus erogavit.

Pſalm. 61.

Præterea tàm regno quàm Romanæ ſedi accommodatiſſimus exiſtens, dilatavit gloriam populo ſuo & Eccleſiæ, quousque inimicus ſuperveniens zizaniam diſcordiæ inter regnum & ſacerdotium, proch dolor, ſeminavit.

Præſul ergo egregius cum inſtar lucernæ candelabro ſuperpoſitæ omnibus, qui in domo Dei erant, ſcientiæ & vitæ merito luceret, cum ſancta Romana Eccleſia, quaſi ſpecialem filium ſuum, quaſi verum Catholicum judicavit eſſe dignum, cui legationem ſuam ſuper omnes *Teutonici* regni Eccleſias committeret. Sic itaque ex archicapellano regni Archiepiſcopus *Juvavenſis*, & legatus Apoſtolicæ ſedis provectus eſt, immobilis Eccleſiæ columna enituit.

Salisburg. Archiepiſc. ſit legatus Apoſtolicæ ſedis.

Operæ precium eſt hic inſerere, qualiter præfatus & ſæpe nominandus pater & Dominus

Digitized by Google

Dominus *Gebehardus* Archiepiſcopus ab ineunte ætate in propoſito habuerit, ut ſi ex voluntate Dei facultas ſibi poſthac ſuppeteret, monaſterium aliquod, ubi divinæ laudes jugiter hymnizarentur, conſtruere, quod ex ſubſequenti relatione poteſt perpendi, Dum enim aliquando in pueritiæ flore conſtitutus cum collegis ſuis *Altmanno*, poſtea Patavienſi Epiſcopo & *Adilberone*, poſtea *Wirzburgenſi* Epiſcopo, ſtudiis liberalibus imbueretur, contigit ut cum his, quos prædiximus fidiſſimis ſodalibus timore puerili fugam iniret. SÆC. XII. ANNO 1190.

In via igitur ad quendam fontem diverterunt, & ibi de ſiſtarciolis ſuis panem quantulumcumque proferentes corpuſcula recreabant. Et licet puerili affectione, Dei tamen magis, ut poſt patuit, inſpiratione, præſagio virtutis ſuæ ſpiritu inter cætera, quæ confabulabantur, Epiſcopos ſe futuros prædixerunt, & monaſteria ſe ad Dei ſervitium fundaturos voverunt, quod poſtea efficaciter compleverunt.

Primus igitur *Altmannus* ſubintulit ſe Patavienſis Eccleſiæ præſulatum velle conſcendere, quo adepto, monaſterium ſe conſtructurum, ibique noviſſimam tubam ad refurgendum expectaturum. Tum *Adilbero*, Ego vero Wirzburgenſi Eccleſiæ pontificatum ſuſcipiam & cœnobium Chriſti ſervorum inſtituam, ubi & ego recondar, communem omnium præſtolaturus reſurrectionem. At tunc *Gebehardus*, ego veſtrum amborum magiſter futurus ero, quia volente Deo Salzburgenſi Eccleſiæ Metropolita, ſublimabor, monaſterio, quod regulari inſtitutioni ordinavero, ultimum examinis diem præſtolabor.

Hæc ideo hîc interſerere dignum duximus, ut oſtenderemus, quam grata Deo ſimplicitas fuerit iſtorum, & cordis mundicia, quorum puerili quodammodo joco prolata, tam mirabiliter ad effectum perduxit. Nam *Gebehardus* in Saltzburg. metropoli poſtea ſublimatus *Admuntenſe* cœnobium conſtruxit in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ virginis, ſanctique *Blaſii* Epiſcopi & martyris. *Altmannus* Patavienſis Epiſcopus factus, *Tothuviſenſe* monaſterium inſtituit. *Adilbero* ſimiliter ante ambos Wirzburgenſem ſedem adeptus, *Lambacenſe* cœnobium conſtruxit, &c.

Videntur quædam deeſſe quia in MS. eſt, &c.

Digitized by Google

Digitized by Google

MONUMENTORUM
SALISBURGENSIUM
PARS TERTIA
SIVE
HISTORIA
S. RUDBERTI
EPISCOPI SALISBURGENSIS.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

IN HISTORIAM S. RUDBERTI, PRIMI SALISBURGENSIUM ANTISTITIS.

CANISIUS.

Hæc S. Ruperti Bojariorum Apoſtoli hiſtoriæ ſive vitæ deſcriptio ex perantiquo Salisburgenſi Monaſterio D. Petro Apoſtolorum Principi dicato prodit, ubi manuſcripta extat. Præter fortaſſis alia dubia, quæ diligenti poſſent Lectori occurrere, & hoc eſt, quod expreſſiſſime, S. Erendrudis, illi S. Ruperto videlicet, ſoror fuerit, aſſeratur: cum multi alias neptim tantum fuiſſe exiſtiment. Verum ego toties aut ſæpius etiam illam ejus ſororem, quam neptim legi, ut ex teſtimoniis ad ſanctæ illius vitam allatis, inferius patet. Hæc tamen omnia virorum graviſſimorum judicio ſubjaceant.

Testimonia de S. Rudberto.

Ejus vitam plures conſcripſere & veteres & moderni Auctores. Petrus de Natalibus in catalogo ſuo ſanctorum lib. 12. cap. 5. Fr. Jacobus Januenſis Ord. Prædic. in ſua ſanctorum legenda, quam Lombardicam dicit. Trith. de viris illuſt. Ord. S. Benedicti. Et inter recentiores Laurentius Surius tom. 2. & ex illo alii. Aventinus Annal. lib. 3. Wiguleus Hundius in Metropoli ſtatim in principio. Manuſcripta Chronica Præſulum Salisburgenſium, quæ in S. Petri Monaſterio extant. Noviſſime illuſtriſſimus Cardinalis Cæſar Baronius, tomo Annal. Eccleſiaſt. 7, in fine: quemadmodum & in Romano Martyrologio ad VI. Cal. Aprit. in Notis, ubi pluribus etiam id agit. Nobiliſſimus denique & ampliſſimus Dom. Marcus Velſer, Rerum Boicarum lib. 4.

De S. Rudberto agit etiam Democharis de ſacrificio Miſſæ tom. 2. p. 35. & 65. in catalogo Epiſcoporum Vangionum. Item Democharis tom. 2. cap. 40. pag. 79. Arnoldus Wion in ligno vitæ, parte 2. XXVII. Martii. Molanus in additionibus ad Uſuardum. Galeſinius & Felicianus Cratepol. de Epiſcopis Germaniæ.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIA S. RUDBERTI EPISCOPI SALISBURGENSIS.

CAPUT I.

De fratre ſancti Rudberti Trudberto, & ſorore Erindrude.

SANCTUS Rudbertus, ſanctæ Salisburgenſis Eccleſiæ Antiſtes, ex regali proſapia Francorum, Ducumque Scotiæ originem duxiſſe, antiqua tradit hiſtoria. Hic una cum fratre Trudberto & ſorore Erindrude, (quidam autumant neptem fuiſſe) in Scotia à ſancto Patricio baptizatus, nec non litteris Eccleſiaſticis imbutus eſt. Ac ubi adolevit, in Deum mentem omnem convertit, & non ſibi ſed utilitati hominum, & honori divino conſulere ſtatuit, Aſſumpto, inquam, Trudberto fratre ſuo, necnon Erindrude ſorore ſua, tantis fratribus non indigna, ejusdem videlicet deſiderii & amoris in Deum, ſpretis opibus, poſthabitis voluptatibus, pari voto, parilique conſenſu, patrem relinquentes & patriam, exules eſſe decreverunt in terris, ut cives ſanctorum, & domeſtici Dei fieri mererentur in cœlis.

CAPUT II.

De peregrinatione eorum.

QUIS autem æſtimare valeat quanti fervoris id fuerit, in tot tantisque deliciis educatos, laborioſo ſe credere inter ignotos exilio, aſperitates tolerare viarum, irrideri non cognitum idioma, & nominari, ut aſſolet, deceptores, gyrovagi & curſores, quæ frequenter obveniunt peregrinis. Hæc omnia forti animo ſufferentes, abnegantesque ſeipſos, ac improperium Chriſti portantes & crucem, relicta Hybernia, cum totius mundi deliciis, tanquam ab ardenti Pentapoli fugiendo, montem perfectionis aſcendere feſtinabant, uxorisque Loth non immemores, oculos deſiderii ad ea quæ reliquerant, nequaquam reflexerunt, juxta Pauli doctrinam, eorum quæ retro ſunt prorſus obliti, in anteriora ſe extenderunt. Natalis ſiquidem ſoli blanditias & honores, & præclari ſanguinis ſeriem generoſam, ſicut corpore deſeruerant, ſic & abjecerunt ex mente, diſſimiles illis omnino, qui redarguente ſcriptura, Moyſe imo DEO ducente contempto, corde reverſi ſunt in Ægyptum.

CAPUT III.

Quomodo Romam pervenerint.

CÆTERUM hi terram promiſſionis æternæ interno ſuſpirio ac continuo deſiderio requirentes, ne nubis ignisque ductu carerent, quo regimine ſalutari ad curſum ſanctitatis optatæ dirigerentur principalium columnarum ac ducum Eccleſiæ beatorum ſcilicet Petri & Pauli primo omnium viſitare limina decreverunt, Romam usque perigrinantes, quatenus Apoſtolico interventu Deus à quo ſancta deſideria inſpirantur, recta conſilia ſuggeruntur, juſta opera inchoantur, continuantur & conſummantur, qui etiam jam ſanctæ converſationis illis deſiderium inſpiraverat, ſuggereret, oſtenderetque, ubi locorum ſuis obſequiis mancipati, quove vivendi genere juxta ſuæ placitum majeſtatis ſibi ſervire deberent. ſui Spiritus eos adfirmaret auxilio, ſine quo bonum nec

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

nec incipitur nec completur. Et quoniam oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum, non ſunt fraudati à deſiderio ſuo: Nam quia veri erant adoratores, in Spiritu Patrem adorantes & veritate, reſpexit Dominus in orationem humilium, & pauperes ſuos, ut ſcriptum eſt, non deſpexit, indubitata ipſos inſinuatione certificans, quæ loca requirere, ubive ducere dies præſentis vitæ deberent, non ſibi ſolummodo, ſed & plurimis profuturi. Igitur qui jampridem parentes, famulos, cognatos, patriamque reliquerant, quique ſibi unius fidei tenaciſſimo nexu cohæſerant & affectu, ac tanto ſe invicem amplexabantur aſtrictius, quanto ex omnibus antehabitis ſibi ſoli remanſerant, ne non per omnia tentarentur, ſeſe quoque alter alterum deſerere Spiritus ſancti jubentur imperio, ac per loca ſejungi diſtantia, ulterius ſe in hoc corpore non viſuri. Nam non longe poſt idem Trudberus ſecuri interemptus migravit ad Dominum. Sed de his poſtmodum, nunc ad propoſitum revertamur.

CAPUT IV.

De converſatione & morte ſancti Trudberti.

Trudberti mors.

VALEDICENTES Itaque ſibi germani non ſine ſingultibus lachrymarum gladio eos Domini vulnerante atque ſcindente, quem mittere venit in terram, loca divinitus aſſignata requirunt. Trudbertus dimiſſo jam fratre Dominoque commiſſo Italiæ finibus peragratis iter ſuum ad flumen usque Rheni direxit. Et partes aliquas Alemanniæ tranſiens certo curſu, quoniam Dominus ſolus dux ejus fuit, vallem quandam in pago Prysgaugiæ non longe à Rheno cœpit inquirere, tanquam aſſignatam ſibi divinitus manſionem. Hanc vallem prorſus incultam propriis manibus cœpit excolere, extirpare virgulta, frutecta purgare, coæquare ſolo tumores, aptare planitiem, ac tanquam non principis, ſed agricolæ filius genitus ad labores, populum ſuum & domum patris oblitus, omnino nihil otii, nihil ſibi quietis indulgens, noctibus ſecus pedes Domini ſedens cum Maria rigabat illos fletuum ac lachrymarum ſingultibus, diebus vero cum Martha circa frequens miniſterium irremiſſibilis ſatagebat. Fatigatus igitur ex labore meridiano, cum per triennium fere poſt ipſius adventum portaſſet pondus diei & æſtus, & ejus hora veniſſet, ut tranſiret ex hoc mundo ad Patrem, recepturusque à vero patre familias mercedis æternæ denarium, ſuper ſcamnum ſe quoddam, ut ſomno reficeretur, aliquantiſper ex nimimia laſſitudine reclinavit. Sicque unus lictorum ſecuri capiti ejus injecta, ipſe ultimum ſpiritum exalavit. Hæc ex geſtis antiquioribus & ſcriptis utcumque dicta ſufficiant, cum in propriis hiſtoriis ſint plenius annotata: ad S. Rudbertum deinceps revertamur.

CAPUT V.

Qualiter S. Rudbertus Wormatiam devenerit.

VENERABILIS nempe Rudbertus, aſſumpta ſorore ſanctiſſima Erndrude ſecus alveum fluminis Rheni deſcendens Wormatiæ fines, futurus Antiſtes & Paſtor, ingreditur. Ubi non multo poſt, ne lateret lucerna ſub modio, ſuper candelabrum cathedræ per Hyldericum Francorum Regem ſublimatus, exigente hoc præminentia meritorum, anno ætatis ſuæ quadrageſimo. Is ſtatim ut Epiſcopus decerneretur, ad tuendam libertatem Eccleſiæ ſuæ animum adjicit, & ſeſe omnibus hoſtibus objiciens, non armis, non potentia, non minis cujuſpiam è gradu conſtantiæ ſuæ decidit, ſed ea, quæ ad honorem ſummi DEI pertinere arbitrabatur, diligenter ut bonum paſtorem decebat, circumſpiciebat, verbis, exemplo, auctoritateve, tum ſua, tum ſuorum, unumquemque ad bene vivendum cohortatus eſt. Tamen quia non bene conveniunt, nec in una ſede morantur iniquitas & juſtitia, virtus & vitium, lumen & tenebræ, poſt duorum annorum curricula verus Iſraëlita fœtere cœpit Ægyptiis, & Chriſti bonus odor, qui de palmite in vera vite manente fragrabat, qui piis fuiſſet in vitam, factus eſt illis odor mortis in mortem. Princeps namque tenebrarum, qui regnabat in ipſis, ſanctitatis & innocentiæ claritatem quæ in Chriſti famulo radiabat, ferre non valens, convertit cor eorum in odium, ut odirent ipſum, ſenſimque illi recalcitrare cœperunt. At ille licet ipſorum multifariæ multisque modis inſaniam agnoſceret, ad defenſionem tamen orthodoxæ fidei in eorum libidinem & laſciviam (ade erant eorum ingenia ad malum prona) invehere minime deſtitit, quod & illis invidiæ crudelioris odiique majoris fomitem miniſtrabat.

CA-

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

CAPUT VI.

Qualiter ejectus fuerit ab Episcopatu.

INter alios post mortem Chyldeberti Regis Francorum quidam Dux paganus, Berharius nomine, sævissimus persecutor Cleri, destructorque Ecclesiarum, contra regnum Franciæ insurrexit. Hic viro Dei vehementer cœpit esse infensus, eo quod eum persæpe tyrannidis argueret, multis eum injuriis affectum & virgis cæsum circa annum Domini DLXXX. à civitate Wormatiensi ejecit. Hoc nimirum tempus fuit annus secundus Chyldeberti Regis memorati, sic enim legitur in antiquis monimentis: Tempore Chyldeberti Regis Francorum, anno ejus secundo, venerabilis Christi Rudbertus in Wormatia habebatur Episcopus. Quod nimirum tempus cum supputatione eorum annorum Dominicæ nativitatis, ut supra, concordat. At vir sanctus injuriam hanc patienter & æquo animo tulit, ut diceret etiam majora & pejora meritum, si digna pro peccatis pœna irrogaretur.

CAPUT VII.

De secunda ejus profectione ad urbem Romanam.

SIcque deinceps prædicare, docere, & alia pietatis opera, ut ejus poscebat officium, & ut cœperat, perficere non valens, ab urbe Wormatiensi tristis abscessit, & inde duobus annis exulat: Intereaque temporis Romam tempore Pelagii Papæ secundi religionis gratia jam secundario profectum fuisse, quidam astruere videntur; verum ne sit an secus, Deo committatur. Tandem Deo volente, Germaniam felix doctor intravit, cujus celeberrima fama longe lateque spargi cœpit, pervenit tandem ad notitiam Dietonis sive Theodonis Ducis Bavariæ tertii hujus nominis. Is salutari motus instinctu, virum sanctum & litteris & nunciis solennibus ferventer invitat, ut ad se Ratisponæ commorantem proficisceretur, & regionem illam idololatriæ erroribus involutam ad meliorem cultum Christianitatis redigeret. Quo nuncio almus Pater Rudbertus admodum gavisus salutem certe desiderans multorum, maturandum ratus, cognoscens in hoc Domini voluntatem esse, quod eum ad gentes illas illuminandas Apostolorum supparem destinaret: Primo tamen illuc suos dirigens legatos, qui Ducem cum optimatibus suis promptiorem ad optime de fide orthodoxa sentiendum redderent: Postea vero brevi interlabente tempore, ad præfatum Ducem veritatis cognoscendæ cupidum, per semetipsum venire dignatus est.

CAPUT VIII.

Qualiter Ratisbonam ad Ducem pervenerit invitatus.

AT ubi Dux virum sanctum adventare cognovit, honoris gratia, obviam illi cum suis prodiit, urbem Ratisponensem ingredienti, omnia certe, & quidem merito, honoris genera exhibita sunt, eumque Dux in cubiculo aulæ suæ, ubi vir sanctus diversaturus esset, honorifice collocavit. Habitis dehinc simul colloquiis, facili ductu in sententiam deduxit, ejusque opera, populus omnis regionis illius prorsus, processu temporis integram fidem Christi recepit, baptismique charactere notatus est, exultant universi Deum magnificantes, qui eos de tenebris infidelitatis in admirabile lumen suum vocare dignatus est. Exinde vir sanctus liberam prædicandi facultatem à Duce obtinens, navi ascensa fines Noricorum per alveum Danubii usque ad inferiorem Pannoniam, id est, Ungariam transiens, populum hunc ad bene de Deo promerendum exemplo & vita instruxit, vicis & castellis Evangelium prædicans, velut tuba insonat salutaris.

CAPUT IX.

Quare Bavari Norici dicantur.

TErtia enim ætate mundi sub Gedeone Duce Judæorum, Norix vir magnificus & strenuus de stirpe Herculis de Troja easdem gentes devicit & civitatem extruens, Noricum tam urbem quam regionem appellavit, id est, Ratisponam: Hæc vero civitas postea à Tyberio reparata, vel potius instaurata Tyburtina est vocata,

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

quæ nunc Latine Imbripolis, vel vulgariter Regenſpurg / à fluvio Regen / qui ibi Danubium influit, vel Ratiſpona à ponendo vel figendo rates cum mercibus venientes generaliter appellatur. Sed de his ſatis, ad Rudbertum veniamus.

CAPUT X.

Qualiter ſanctus Rudbertus pervenerit ad Laureacenſem civitatem.

IS ubi ex ſententia populum Pannoniorum ad fidem Chriſti reduxiſſet, inde abiens terreſtri itinere, ut ſemper ſolitus erat incedere, ad Laureacenſem civitatem pervenit, quæ quoque à fide noſtra aliena erat, monitis tamen viri Dei characterem baptiſmi recepit.

Legitur enim quod poſt glorioſam Domini noſtri Jeſu Chriſti aſcenſionem, miſſis in orbem terrarum Apoſtolis, aliisque Chriſti diſcipulis, ad prædicandum Evangelium Dei, beatus Marcus Evangeliſta, à ſanctiſſimo Apoſtolo Petro magiſtro ſuo Aquilegiam miſſus eſt, qui ſua prædicatione Aquileienſes ad fidem convertit, ubi Hermagoras civis Aquileienſis vir doctiſſimus Epiſcopus creatur: Hic Syrum Papienſem Epiſcopum diſcipulum ſuum intimo loco fidem Chriſti denunciando deſtinavit, cujus doctrina Laureacenſium civitas fidem orthodoxam recepit, & ſedem Metropolitanam meruit habere, in qua per vices ſederunt Eutherius Archiepiſcopus & Quirinus illuſtris Philippi ſenioris filius, qui primus Imperator fidem Catholicam ad prædicationem Origenis recepit. Quirino tandem in Primatum Aquileienſem ſublimato, ſanctus Maximilianus ex Celcia civitate nobilibus parentibus ortus Laureacenſem Eccleſiam optime rexit, qui poſt multos agones in vinea Domini habitos locum nativum adiit, ubi ab Euſebio Præfecto, cum nollet Diis ſacrificare, capite mulctatur ſub Varo (a) Imperatore, Anno Domini 280. Tunc etiam ſanctus Florianus in Laureaco, ſaxo ad collum ejus ligato in Anaſum flumen eſt projectus. Hinc Diocletianus omnes libros & privilegia Chriſtianorum igni comburi & Eccleſias demoliri fecit. Tunc Laureacenſium Eccleſia, in cujus provincia 22. famoſæ civitates, puta Patavia, Norix, &c. cum ſuis ſuffragraneis, ad ducentos & eò amplius annos ſine Sacerdotii honore manſit. Sed Chriſtiani eo tempore ibidem & in aliis oppidis morantes occulte in latebris divinum cultum & ritum Chriſtianum obſervabant, & cœpit fere Chriſtiana religio in pluribus locis omnino deficere uſque ad hæc fœliciſſima tempora, dum ſanctiſſimus Epiſcopus Rudbertus velut ſplendidum ſydus fidei inter caligines Noricales emicuit, ut merito de ipſo cantet Eccleſia: *Quaſi Sol refulgens, ſic ille refulſit in templo Dei.*

CAPUT XI.

De ordinatione quorundam, quos ſibi in collegas aſcivit.

VErum quia pluribus intentus eſſe non poterat, quosdam ad ſacros Ordines aſcivit, quique populum verbis & exemplis ad juſtitiam, pietatem, cæteraque Chriſtianitatis opera adhortarentur. Sed ne hoc verbo tantum & cohortatione populos moviſſe arbitremur, liquido conſtat, eosdem omnia quæ exemplo movere poſſunt, ita aſſidue obiſſe, ut diſcernere difficile ſit promptioresne lingua quam opere habiti ſint, & ob eam rem Chriſtiana religio quotidie magnum incrementum habuit.

CAPUT XII.

Quomodo in pagum Juvavenſem venerit, ibidemque Eccleſiam conſtruxerit.

LAureaco hinc deceſſo & multa circuiens loca devenit tandem in pagum Juvavenſem, id eſt, Seekirchen / (ita enim accolæ vocant) juxta lacum Wallerſee. Inſtructus ab incolis locum hunc Theodoni Duci Bavariæ hæreditatis titulo attinere. Hoc in loco vir ſanctus impenſis (ut reor) Theodonis Eccleſiam extruens, eamque in honore S. Petri principis Apoſtolorum dedicavit tradiditque ad eandem Eccleſiam præfatus Theodo eundem locum cum confinio circumjacenti, in aquis, piſcationibus, ſylvis, pratis, paſcuis, molendinis, &c.

CA-

(a) Quis ille ſit Varus Imperator ignoratur; forſan dicere voluit Carum. Basn.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

CAPUT XIII.

De urbe Juvavia ejusque ortu & excidio, ac reſtauratione ejusdem per ſanctum Rudbertum.

VErum non longe poſt proſpiciens, idem Rudbertus locum præfatum aptum non eſſe ad Epiſcopii ſedem, cœpit aptiorem ad hoc opus, in pago Lobaocenſium ſuper fluvium Igonta, qui alio nomine Saltzaha vocatur, quærere locum, venit tandem anno à nativitate Chriſti 580. pridie Cal. Septembris ad fluvium Juvarum, qui alio nomine Saltzaha dicitur in loco vocato Juvavo, reperiens ibi urbem dilapſam & virgultis coopertam, quæ quondam inter Bajoariæ urbes eminebat nobiliſſima. Quam Julius Cæſar, cum contra Alemannos pugnaret, condidiſſe, & Juvavum vel Juvaviam nuncupaſſe, tum à ſuo partim nomine, tum à juvamine auri vel munitionis traditur. Ubi quondam Carolus Imperator fœdus iniit cum Nicephoro Conſtantinopolitano Imperatore, & Imperiale palatium ibidem fecit, quemadmodum inter antiquæ urbis ruinas in lapide 17. pedum reperta eſt hæc ſcriptura ſculpta: Tempore Auguſti Cæſaris fuit Fabianus Rex Romanorum Juvavenſium & totius Germaniæ, poſt hunc Antonius, deinde Severus. De quo hi habentur verſus:

Urbs Juvavenſis fuit olim ſplendida muris.
Aggeribus magnis, munitaque turribus altis,
Sedes hic regum fuerant, ac templa deorum,
Gente ſub antiqua, fulgenti marmore ſtructa.
Sed veluti legimus, multis inculta diebus
Culmine de ſummo, cecidit prolapſa Juvavo,
Ac tegitur ſylvis, tegitur luſtriſque ferinis,
Urbeque detenta, remanent vix ultima ſigna,
Hæc loca Rudbertus ſibi delegit Pater almus.
Primus & hic ſedem conſtruxit Pontificalem,
Ac ſedis primæ regimen ſuſceperat ipſe,
Conducens late populos ad paſcua vitæ.
Nos meritis hujus clementer ducat ad æthra
Sanctus ſanctorum, noceant ne crimina tetra.

Quæ cum multo tempore floruerat, inde circa annos Domini 400. ſub Martiano Imperatore ab Attila Rege Hunnorum, qui flagellum Dei ſe aſſeruit, incurſiones, vaſtationes, incendiaque ſuſtinuit, & cum ingenti hominum cæde imminuta, deſolata, ac penitus diruta eſt. Legitur enim quod Attila Rex Hunnorum cum quingentis millibus armatorum Italiam aggreditur, cui Ethitius patricius Romanus in campis Cathalaniæ haud impari comitatu occurrit, & facta congreſſione, Attilæ exercitus declinat, & centum octoginta millia virorum corruunt, tantusque cruor effunditur, tum ex hominibus tum ex equis, ut rivus ſanguinis fluendo adeo excreſceret, quod etiam ſecum traheret cadavera occiſorum. Attila denuo adunatis copiis Aquilejam, Mediolanum cæterasque Italiæ civitates deſtruit. Leo Papa ei juxta Padum occurrens ne ulterius progrediatur hortatur. Tyrannus reveritus Pontificem, vel potius ſenem quendam in ſomnis evaginato gladio mortem ſibi minantem, niſi Papam in omnibus exaudiret, à cœpto deſtitit, ſtatimque in Pannoniam revertitur, ubi protinus proprio ſanguine ſuffocatur. Martianus Imperator Conſtantinopoli dormiens, in ſomno vidit arcum Attilæ fractum. Reſpirat mundus tanta peſte liberatus. Quo mortuo regnante Zenone Imperatore anno Domini 477. Odoacer natione Ruthenus, Rex Rugorum, cum Herulis Italiam veniens Romam violenter obtinuit, Auguſtum exilio damnavit & per annos 14. Latinos opprimit. Interea Gepidæ, Gothi, Ungari & Heruli Noricorum provinciam atroci prælio perturbant, civitates Iſtro, id eſt, Danubio adjacentes depopulando, etiam contra Juvaviam dolo machinantur, quod ſervus Dei Severinus Epiſcopus Ravennenſis, qui tunc in Norico riparum inferiorum, id eſt, Viennæ, verbum Dei prædicans, in ſpiritu cognovit, & per Moderatum diſcipulum ſuum Juvavenſes, præcipue B. Maximum Presbyterum diſcipulum ejus, qui tunc cum aliis devotis viris ibidem vitam eremiticam agebat, protinus locum ut deſererent inſtanter admonuit. Illis vero tardantibus eadem nocte Barbari inſperato civitatem obſidentes, diripiunt univerſa, & præfatos venerabiles viros in ſpeluncis &

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190. cavernis montis ex latere præeminentis eremisantes cœperunt, quorum plurimos captivos ducentes, Presbyterum vero memoratum patibulo suspendentes, cæteris vero circiter quinquaginta in speluncis latitantibus, variis tormentis affectos & de monte præcipitatos corona martyrii dignos effecerunt. Quorum corpora ab aliis fidelibus, qui evaserant, eo in loco sunt sepulta, ubi postea per sanctum Rudbertum Episcopum Capella fuit constructa, & sub honore sancti Amandi, nec non sacræ virginis & Martyris Margarethæ ab eodem consecrata, quam Polyandrium, id est, cœmiterium sancti Amandi vocari voluit. Et de hoc infrascripti extant versus:

Hæc æquata solo viluit domus inclita quondam,
Non tulit hanc speciem Christi devotus honore
Arnonus Præsul humilis renovare jacentem,
Incipit, & melius totam construxerat ædem
Consecrans summis intercessoribus illam,
Principis egregii primo Michaëlis honore,
Principis Ecclesiæ necnon sub nomine Petri
Principis, & fratrum præclari Patris Amandi;
Et Margarethæ Christi fidelis athletæ,
Ut sanctum voluit Polyandrum fratribus esset.
Vos in pace Dei chari requiescite fratres,
Donec ab ætherea clamet pius Angelus arce:
Surgite nunc promptim terræ de pulvere fratres,
Vos vocat adveniens judex è culmine cœli:
Cum meritis animas propriis assumite vestras,
Ante Dei Christi magnum modo state tribunal,
Ut condigna suis capiat quis præmia factis.
Nam quod quisque serit præsentis tempore vitæ,
Hoc sibi messis erit, cum dicitur Ite, Venite.

Et de his satis, longius enim quam putabam ab incepto digressus sum, sed stylus ad orbitam redeat destinatam.

CAPUT XIV.

De ædificatione Ecclesiæ & Monasterii sancti Petri Apostoli.

IS locus viro sancto ad Episcopii sedem permaxime accommodus videbatur, quippe inter montana à populari tumultu semotus, devotioni & contemplationi foret idoneus.

Hunc locum cœpit renovare, extirpare videlicet arbores & vepres: Quo purgato, Deo formosam ædificans Ecclesiam, quam in honore Divi Petri principis Apostolorum dedicavit, ac processu temporis demum claustra Monasterii cum cæteris habitaculis Clericorum per omnia ordinabiliter construxit eodem in loco, ubi postea Sacellum in honorem sanctæ Crucis extructum est, & usque hodie spelunca sancti Rudberti appellatur, inibique non paucos dispositos Monachos, qui die ac nocte laudes Deo canerent, instituit, addita Regula S. Benedicti, qua Monachi integre & sancte viverent. Verum fueritne hic sanctissimus Pater Monachus, haud satis constat, utcunque est, constat eum in quovis genere vitæ probatissimum fuisse, cujusque nomen omnium laudibus merito celebretur.

CAPUT XV.

De pietate Theodonis Ducis Bajoariæ ac liberalitate, qua usus est erga sanctum Rudbertum. Et de religiosa sanctissimi viri conversatione, vita & moribus.

TANDEM annis aliquot evolutis, Theodo Dux ad DEI famulum visitandum personaliter perrexit, tribuensque illi & in ipso loco in DEI servitio successuris in proprietatem sempiternam possessiones & fundos, unde Monachi viverent, donationemque ipsam cum hæredum suorum favore atque consensu, nec non litterarum suarum firmo robore communivit. Suscepit hæc vir sanctus non sibi sed posteris profutura, & ut meritum piæ devotionis Theodonis non impediret, & necessaria sustentatio

Digitized by Google

tatio ſucceſſuræ familiæ pararetur. Nullo tamen eorum eſt abuſus ad voluptatem, quin potius ſibi frugalis, pauperibus & peregrinis valde liberalis, quos frequenter ad convivium adhibebat, cum quibus de ſtudiis bonarum artium & de rebus divinis loqui ſolitus erat, adeoque humanum & pium omnibus ſe exhibebat, ut ab omnibus unice diligeretur, paterque pauperum diceretur & eſſet. SÆC. XII. ANNO 1190.

Fuêre revera in hoc homine multæ & præclaræ corporis & animæ dotes, ac tam plures quod * moroſitas earundem menſuram ſtyli transgreditur. In ſumma, vir erat omnis religionis & miſericordiæ unicum exemplar, qui non minori modeſtia & humilitate Epiſcopatu utens quam antea fecerat, imò humilior effectus, procul omni pompa & ambitione vitam exegit, & (ut altius repetam) tantæ humilitatis & parvitatis extitiſſe refertur, ut cum duobus & eo amplius tribus Sacerdotibus, viris quidem doctiſſimis & religioſis tanquam ſuæ modeſtiæ teſtibus in publicum procederet, diſſimilis omnino modernis Epiſcopis. Ii enim Epiſcopatus quærunt, non quomodo communi utilitati, ut eorum expoſcit officium & nomen, conſulant, ſed ut vel ſuam vel conſanguineorum (ut pace bonorum dixerim) ingluviem & avaritiam expleant. Quanta denique ſit ambitio noſtrorum Epiſcoporum, quanta pompa, quam demum parva religio, & ſimulata potius quam vera & ſincera, non attinet dicere: Non certè quod oves & qua ratione paſcendæ ſint quærentes, quemadmodum officium boni paſtoris depoſcit, ſed quantum ſingulis inde annis excerpi poſſit ſciſcitantes, de cura animarum parva aut nulla fit mentio, de augendis proventibus quam maxima, quam multa jumenta & plures ſervos & eos quidem ignavos & ſtolidos domi alant, &c. Quid vero ex hac intemperantia naſcatur, dicere prætermittam, ne os (ut ipſi ajunt) in cœlum ponam. Sed certe hæc infœliciſſima tempora eſſe arbitror, cum, auctoritate Platonis, tales eſſe ſoleant reliqui cives, quales ſunt in republica rectores, & ob eam rem religio Chriſtiana quotidie in pejus labitur. Hæc idcirco incidentaliter nec inutiliter quidem hic inſerere volui, ut quantum inter ſe boni & mali diſſideant, à legentibus cognoſci poſſit, quo malorum exemplo à vitiis deterreantur, & bonorum ad virtutem impulſi, vitam ut S. Rudbertus ducant in terris fœlicem ac exemplarem, unde & poſtea in ſanctos referri meruit comprobata ejus vita & miraculis poſt mortem editis. Ad ſepulchrum enim ejus multi valetudinarii delati, multi cæci perducti, muti & claudi priſtinam valetudinem beati viri ſuffragantibus meritis à Domino Deo receperunt, ſicuti diffuſe hiſtoriam ejusdem perluſtrantibus liquet intueri.

* leg. numeroſitas.

CAPUT XVI.

De fundatione Monaſterii ſancti Maximiliani in Bongau.

POSTHAC modici temporis interlabente decurſu Monaſterium ſancti Maximiliani in Bongau ab eo conſtructum eſt. Huic Theodobertus Dux Bavariæ, filius Theodonis præmemorati fundos adjecit, quorum proventibus Monachi, quos S. Rudbertus inibi collocaverat, uterentur. Verum poſt obitum viri Dei annis aliquot tranſactis Sclavi ex Carinthia venientes, qui nondum baptiſmi characterem ſuſceperant, Monaſterium præfatum deſpoliaverunt, ejectis etiam atque diſturbatis fratribus. Sicque locus ille usque ad tempora ſancti Virgilii Epiſcopi manſit deſolatus. Is divino compunctus honore & amore, cœpit cellam ſancti Maximiliani diligere, & in amorem Dei renovare & ampliare, congregarique iterum inibi fecit Clericos & Deo ſervientes. Quonam autem modo evenerit, ut jam ſecundario deſolatus exiſtat, compertum non habemus.

CAPUT XVII.

De obitu Theodonis Ducis Bojorum.

INTEREA Theodo Dux ſenio confectus in valetudinem adverſam incidit, ac ſe paulo poſt moriturum cognovit. Aſcivit ad ſe Theodobertum filium ſuum & hunc Ducem Noricorum conſtituit, ei præcipiens, ut ſancto Rudberto inſtantius cooperaretur in omnibus Dei laudem præſertim contingentibus, ſanctumque locum Juvavenſis Eccleſiæ amaret, foveret & honoribus ſublimaret. At Theodo, quem dixi annis gravem fuiſſe, non ita multo poſt, hoc eſt anno ab incarnatione Domini..... moritur migrans ad Dominum. Theodobertus autem memor mandatorum patris ad facienda ea, nihil præſertim quod ad divinum pertineret cultum, omittens, ac omnem quam

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

poterat viro Dei humanitatem & benevolentiam exhibere instantissime satagebat. Sicque processu temporis, Deo auxiliante, ex donatione Ducum Bavariæ, nec non aliorum fidelium utriusque sexus hominum loci res accrescere cœperunt.

CAPUT XVIII.

De profectione sancti Rudberti in patriam suam.

VIdens demum sanctus Pater Bojoaricæ dignitatis culmen jugo Christi sese subdidisse, sed gentilitatis errore plures involutos supersesse, delegato sacerdotali officio alio, qui vices ejus, quantum ad rem sacram spectabat, Juvaviæ gereret (rem namque divinam aut ipse quotidie faciebat, aut dum fieret observatis de more ceremoniis omnibus astabat.) Ipse vero ad lares patrios proficisci instituit, cupiens aliquos adipisci socios ad doctrinam Evangelicæ veritatis promulgandam. Negotio dehinc in patria ex sententia peracto, inde cum duodecim discipulis electis, inter quos erant eximii Chunialdus & Gislarius, ambo Presbyteri, secumque virginem Christi Erendrudem sororem, vel ut quidam asserere videntur, neptem suam, adducens, quasi cum tot luminaribus ad urbem Juvavensem regreditur.

CAPUT XIX.

Constructio Monasterii in Nunberga.

POsthæc in superiori castro Juvavensis oppidi, impensis Theodoberti Ducis Bojorum, Monasterium sanctimonialium sub beati Benedicti ducatu, ibique Erindrudem virginem sacris virginibus Abbatissam præfecit, additis à Duce Theodoberto magnis proventibus ad usum sanctimonialium & commoditatem. Tandem vir sanctus incœptum prædicationis opus ad perfectum ducere cupiens, Norica regna, discipulorum suorum comitante caterva circuire instituit, ut eos è tenebris infidelitatis educeret, proposita veritatis luce. Cumque sic Bajoariorum terminos peragraret, ac magnis sudoribus fere omnes ad Catholicam fidem convertisset, ingravescente jam ætate ac tædio laborum & diutina peregrinatione fessus, ad urbem Juvavensem remeare instituit: Quia spiritu prophetico repletus diem vocationis suæ instare præscivit prædicensque discipulis. Illi tali & tam tristi nuncio consternati, cur eos & tam novellæ Christianitatis plebem desereret, lachrymati sunt. Ille spe erecta ad Christum, urbem Juvavensem & populum Noricorum omnipotenti Deo committens, & commendans, Vitalem virum sanctum & omni populo acceptum sibi fieri successorem delegit.

CAPUT XX.

De fœlici sancti Rudberti ex hoc sæculo emigratione, deque ejus pia & paterna ad fratres exhortatione.

QUo facto dum dies Quadragesimalis observantiæ agerentur, febrium ardore vir Dei fatigari cœpit, qua durante per dies aliquot, tandem cum sanctissima resurrectionis *Christi* dies illuxisset, fratres ad se accersivit, quos de corpore suo commonens & paterna instructione corroborans constanter ac miserabiliter talia prosecutus ajebat:

FIlii in CHRISTO charissimi, scitis quod beatus Jacob conditione mortis instante filios adesse præcipiens prophetiæ benedictionis affatibus, singulos quoque remunerari mysteriorum arcanis prodidit futurorum. Nos vero infirmi ac tepidi tantæque impares pietati, hanc prærogativam nostris usurpare viribus non jubemus, tamen quod humilitati congruit non tacebo, mittens vos ad exempla majorum, quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem. Abraham namque vocatus à Domino fide obedivit, ut exiret in locum quem accepturus erat in possessionem, & exiens nescit quo venturus esset. Hujus igitur Patriarchæ imitamini fidem, imitamini sanctitatem, terrenam despicite patriam, cœlestem semper inquirite. Confido autem in Domino, quod mihi de vobis æterna lucra provenient. Video enim vos gaudium meum fervore Spiritus ampliasse, amare justitiam, fraternæ charitatis vincula

Digitized by Google

cula diligere, caſtitatis operam, humilitatis regulam cuſtodire, hoc quantum ad hominis ſpectat intuitum laudo & approbo. Sed orate, ut quæ humanis aſpectibus digna ſunt, æternæ diſcretionis examinatione firmentur. Quia non ſicut videt homo, videt Deus. Ille ſiquidem, ſicut divinus ſermo denunciat, omnia corda ſcrutatur, & omnium mentium cogitationes antevenit. Aſſiduis ergo precibus hoc orate, ut oculos cordis veſtri Dominus illuminet, eosque ſicut Heliſæus oravit, aperiat, quò poſſitis cognoſcere, quanta nos circumſtent adjumenta ſanctorum, quanta fidelibus auxilia præparentur? Deus enim noſter ſupplicibus appropinquat. Non deſit militantibus jugis oratio, non pigeat agere pœnitentiam, ſi non puduit facinus perpetrare, non pigeat lugere peccantes, ſi quo modo offenſa divini judicii lachrymarum inundatione placetur, quia ſpiritum tribulatum ſuum dignatus eſt vocare ſacrificium. Simus igitur dilectiſſimi filii corde humiles, mente tranquilli, dilecta omnia præcaventes ac divinorum ſemper memores mandatorum, ſcientes non prodeſſe vobis cum humilitate veſtis, nomen Monachi, vocabulum religionis, ſpecies pietatis, ſi circa obſervantiam degeneres inveniamini & reprobi. Mores igitur filii mei chariſſimi propoſito ſuſcepto conſentiant. Grande nefas eſt peccata ſectari hominem ſæcularem, quanto magis Monachos, qui blandimenta ſæculi quaſi atrocem beſtiam fugientes, Chriſtum cunctis affectibus prætulerunt, quorum inceſſus & habitus creditur eſſe documentum. Sed quid vos ultra demoror filii chariſſimi longi ſermonis affatu? Supereſt ut beati Apoſtoli Judæ oratione vos proſequar ita dicentis: Et nunc commendo vos Deo & veræ gratiæ ejus, qui potens eſt conſervare vos & dare hæreditatem in ſanctificationibus. Cunctosque dehinc per ordinem ad oſculum ſuum acceſſiſſe piè credendum eſt. Hæc enim vulgo feruntur, quæ ideo inſerere breviter inſtitui, ne obſtinate nimium & pertinaciter omiſiſſe videar, quod ferè omnes affirmant, erremus etiam nos hac in re cum vulgo, quanquam appareat ea quæ dixi ex his eſſe quæ fieri poſſe creduntur, cum ſecundum Hieronymum illorum ſcriptorum ſcriptis & dictis fidem adhibere convenit, quorum relatio fidei moribus non præjudicat, nec agnitæ veritati contradicit. SÆC. XII. ANNO 1190.

Poſt hujusmodi ædificationis alloquium die prænotato, reſurrectionis videlicet Dominicæ, hoc eſt, anno à nativitate Chriſti 623. ſexto Calend. Aprilis, poſtquam Eccleſiæ Juvavenſi cum magna gloria præfuiſſet annis XLIV. vocante DEO eadem die poſt ſolemnia à ſe celebrata Miſſarum exivit hominem & lætus in ſui Domini gaudium intravit, ſuaque ſponte ad ſepulchrum à ſe dum viveret conditum decurriſſe refertur, & illud Salvatoris verbum ægrè protuliſſe: Domine in manus tuas commendo ſpiritum meum, ſtatimque ſic exhalaſſe ſpiritum.

Lætetur Juvavia tanti Præſulis corporali præſentia, religioſorum jocundetur devotio, complaudat Clerus, univerſi incolæ concrepent orantes: Adjuva nos Pater alme, terreat Theucer Mahomet, ne tuam diſperdat hæreditatem. Ejus autem ſanctiſſimum corpus in Eccleſia ſancti Petri in ſepulchro, quod nunc hodie cernitur quievit annis 150. usque ad tempora ſancti Virgilii, qui eum una cum ſuis Capellanis Chunialdo & Giſilario veluti honeſtiori ac celebratiori loco ad Metropolitanam tranſtulit Eccleſiam, ubi tubam præſtolantur noviſſimam.

VITA

Digitized by Google

VITA
S. ERENDRUDIS
ABBATISSÆ
NUBERGENSIS SALISBURGI.

IN

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190

IN VITAM S. ERENDRUDIS ABBATISSÆ MONASTERII NUNBERGENSIS SALISBURGI.

CANISIUS.

Vitam hanc ex membranis vetuſti admodum characteris exſcripſi: De miraculo in ſancto Heinrico Imp. difficultas oriri poſſet, cum illum lepra aut epilepſia laboraſſe, nullibi legatur. Verum iſta non his tantum ſcriptis, ſed & tabulis Eccleſiaſticis, imò perantiqua figura in Altari ſanctæ Erendrudis expreſſa confirmantur, ita ut, num in dubium hæc de S. Imperatore hiſtoria revocari poſſit, ipſe dubitem. Omnium animis hæc jam fixa hærent: quare aliorum ſit de his judicium.

TESTIMONIA DE S. ERENDRUDE.

OMnes illi, qui D. Rudberti acta litteris conſignarunt, hujus ſuæ ſororis, aut ſi magis placet, neptis meminerunt.

Avent. lib. 3. fol. 263.

Soror quoque ſancti Rudberti Ariodruda, virgo ſancta & cordata ad Bojos perrexit.

Idem dict. lib. 3. fol. 266.

Principes Bojorum, Juvaviam, Romanorum olim coloniam, denuò ædificari jubent, à ſalis proventu Saleburgium vocant. Ubi templa duo viris & ſacratis fœminis dedicarunt. Virginum maxima dicta Ariodruda fuit, ſoror D. Ruperti.

Petrus de Natalib. in Catalogo SS. lib. 12. cap. 5.

Poſtquam (S. Rupertus) plura circumierat loca, ad urbem Juvavenſem, ubi Epiſcopalem firmaverat ſedem, remeavit, vocationis diem non ignorans, ubi conſtructo Erendrudi virgini nepti ſuæ Monaſterio &c.

Illuſtriſſ. Baron. in Martyrol. Rom. ad VI. Cal. April. in Not.

Fuit & ſanctitate conſpicua ejus neptis nomine Erendrudis Abbatiſſa, de

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

qua Trithem. de vir. illuſt. Ord. S. Bened. lib. 3. cap. 206. cujus dies natalis agitur Prid. Calend. Julii.

Et in tom. 7. Annal. Eccleſiaſt. prope finem.

Ubi & ſanctæ ſorori Erendrudæ (S. Rupertus de quo illi ſermo eſt) Monaſterium Ducis munificentia ædificavit ſub nomine ſanctiſſimæ Virginis Mariæ Deiparæ.

Wigul. Hund. in metrop. Salisburg. ſub S. Rudberto.

Sed cum D. Rupertus Juvavium Cathedrali ſedi magis idoneum judicaret, Theodo Dux oppidum illud cum caſtro ſuperiori, terminis ac finibus ſuis gratitudinis ergò libere donavit, Pontificia ſede translata, duo ibi templa dedicata ſunt. Alterum B. Petro Apoſtolorum Principi pro viris: alterum in editiore parte montis ſubtus arcem, pro ſacratis virginibus, quod Nunberg vocant, à Ducibus liberaliſſime dotata, collegio virginum præfecit S. Rudbertus Erendrudem ſororem ſuam, quæ in monumentis Salisburgenſibus alias ipſius neptis vocatur.

Illius ut & Monaſterii Nunbergenſis facit etiam mentionem in eadem metropoli dictus Hundius, ubi de Bojariæ Monaſteriis agit.

Nobiliſſ. & clariſſ. Dn. M. Velſer, rerum Boicarum lib. 4. pag. 217.

Ubi Erendrudem neptem (S. Rudbertus videlicet) nam perperam quibusdam ſoror credita, numeroſo ſacrarum virginum collegio, ædificato à Reginodrude ad urbem Monaſterio, anno poſt Chriſtum natum ſexcenteſimo vigeſimo tertio, Nonnarum montem etiam nunc appellant, vocabulo ex ultima Chriſtianorum antiquitate repetito, in quo liberaliter ornando Theodobertus patris pietatem adæquavit.

Videatur Caſpar Bruſchius in Monaſteriis Germ. fol. 77.

Arnoldus Wion in ligno vitæ, ad pridie Cal. Julii.

Salzburgi Natalis S. Erendrudis virginis & Abbatiſſæ, neptis S. Rudberti, ejusdem civitatis Epiſcopi, miraculorum magnitudine celebris.

Idem tertio Nonas Septemb. hujus translationis meminit.

IN-

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

INCIPIT VITA S. ERENDRUDIS* VIRGINIS.

MISERICORDIA Domini per climata orbis diffusa, & prophetica fervens olla, dum circumquaque de multis cordibus esset exclusa, contigit beatum Rudbertum Episcopum divinitus fieri Noricæ gentis, Pannoniæque satorem Evangelicæ doctrinæ, quatenus idolorum cultores, de abysso infidelitatis erutos, sacramentis fidei imbutos, liberos faceret antiquæ ruinæ. Hic quasi fructifera arbor, radices atque propagines lato germine ramosque extendens, seminarium multis in locis cœpit serere salutis, atque studiose laborando ad effectum bonorum operum clare perducere virtutis.

Ut autem ex utroque sexu hac in regione Ecclesiæ clarescerent luminaria, idoneos Doctores atque Erendrudem neptem suam, sacram virginem advexit de proprio solo ac patria. Francigena igitur ex nobili stirpe extitit progenita, cujus ingenuitas nobiliorem eam reddidit, juxta sacræ utriusque legis scita. Nam universarum virtutum incrementis nitens procedere ab infantia, humilitatem, obedientiam, patientiam, castitatem, charitatem, & in bonis operibus perseverantiam, semper observabat omni instantia.

Primitus enim Abbatissæ officium eadem sacra virgo religiose administrabat in Francia. Ubi subditas virgines regebat cum omni suavitate & sapientia, quia in domo Dei laboravit cum consensu & concordia maxima, nec usura, nec dolus, nec ibi colebatur avaritia, quamvis minuta. Sed omnium bonorum inimicus graviter ferens unitarum mentium unanimitatem, superseminavit zizaniam, & prævaluit iniquitas & labor in medio earum & injustitia.

At vero virgo perfectissima jurgia, discordias, simultates declinans, cum sancto Patre Rudberto, Noricorum venit in partes, & apud Juvaviam in Monasterio, quod ipse construxit in proximo monte in honore sanctæ DEI genitricis Mariæ, constituit eam matrem virginum, ut doceret eas spirituales artes. Quæ & qualis esset in hoc regimine, stylus & manus exarare valent minime. Mons enim vere ille, in quo beneplacitum est DEO inhabitare, & in quo lapis ille sine manibus abscisus, qui est CHRISTUS, vult laudari, quotidieque ab omnibus se invocantibus, non solum voce & ore, sed & intimo cordis affectu ardentissime cupit amari. Laudent illum Sol & Luna, & omnis cum contremiscit creatura, quanto magis homines spiritu & ratione fruentes, quibus promittuntur gaudia futura.

In hoc igitur Monasterio pie vivendo, orando, jejunando, vigilando, sensus quoque suos ab omni pravitate avertendo, in omnibus actibus ita composuit suos mores, ut cunctarum virtutum instantia præcelleret subditas sorores, ut stellas Luna minores. Pocula vero de calice Babylonis studiose respuens, cunctis videlicet mundialibus pompis calcatis. Orationibus, vigiliis, jejuniis, corpus macerabat, quæ Domini sunt, & quæ de scripturarum fonte potuit haurire, ut in illa fructificarent, medullitus DEUM exorabat. Creverunt in ea de virtute in virtutem spiritualia dona, ita sane, ut semper inter epulas non cessaret loqui de cœlesti corona. Ab omni vero pravitate & elatione erat munda, eleemosynarum & epularum largitate in modum Sareptanæ viduæ, cui lecythus olei non est imminutus, extitit, fœcunda, quia hilariter tribuit habita, ut ejus merces fieret in vita secunda.

Sancta (a) vero Erendrudis sex operibus Evangelicis insudabat devotissime, pauperum

* Vide observat. prævias n. XI. BASN.

(a) Mabillonius qui vitam illam edidit Sæc. Benedict III. p. 348. hæc resecuit usque ad illa verba: *cum autem sibi.* BASN.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

perum & puerorum purulenta propriis manibus purgando inſtabat diligentiſſime. Exemplo enim Christi, qui diſcipulis pedes lavit, ſolita eſt pedes pauperum humili devotione lavare. Benedictionem victus ſtuduit omnibus diebus vitæ ſuæ adminiſtrare. Fervens erat magnificentia ſermonis corda duræ cervicis emollire, & ex ſale ſapientiæ & charitatis melle condire. Reclinatorium aureum facta eſt Christi ancillarum, & quaſi Debora ſedens ſub palma, id eſt, ſub tuitione crucifixi providens ſalutem animarum. Egreſſa ergo eſt Regem Salomonem videre, ut Syon filia, deſpiciens cuncta vilia, non quaſi vagabunda Dyna, quam ſtatim invenit diaboli ruina. Accepit propheticum librum de manu porrigentis, ſcriptum intus & foris, intus ſenſum obſcuræ intelligentiæ, foris apertum multis myſteriis noſtri Salvatoris. Quo libro ſancta virgo erat cibata, quia intus & exterius omni ſcientia ſcripturarum erat illuminata. Ad pedes Domini ſedens cum Maria, audiebat verbum illius in contemplatione, foris autem cum Martha ſatagebat circa frequens miniſterium in pauperum ratione.

Eadem vero fidelis & devota, Lyæ & Rachelis myſtica obtinuit dota, in Lya fœcunda, fœcunditate Christi ancillarum ſibi commiſſarum, in Rachele formoſa, formoſitate contemplationis animarum ſanctarum. Bona enim quæcunque geſſit voluit eſſe ſecreta, ut caperet mercedem in fine à Domino læta, ut ſpiritus carni potuiſſet dominari, & caro ſpiritui famulari. Delectabatur in Domino, & dedit illi delectabiles cordis petitiones, ſcilicet ut poſt terminum vitæ, aufugeret æternos labores.

Cum autem ſibi finem hujus flebilis vitæ appropinquare intelligeret, corde & ore ſæpe ruminabat verba Pſalmiſtæ dicens: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Deo ſpem meam. Et in manus tuas commendo ſpiritum & animam meam.* Reſpondit ei quaſi invocatio ſponſi: Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni, inclina aurem tuam, audi & vide filia, quia poſt clare lucebis inter lilia ſanctarum virginum, & ſicut inter infinitos herbarum flores lilium.

Sancta itaque Deo digniſſima virgo Erendrudis certa de præmio æternæ remunerationis, caute ſe munivit deifico viatico & dono perfectæ confeſſionis, virginum catervas ſibi commiſſas cœleſti ſponſo commendans, accenſisque lampadibus, cum prudentibus virginibus obviam ſponſo proceſſit, plena operibus bonis & eleemoſynis, liberata de hujus vitæ ergaſtulo, II. Calend. Julii, gaudium Domini intravit, maximumque luctum & fletum cum lachrymoſis ſuſpiriis, cunctis non ſolum virginibus, ſed & aliis advenientibus pie Deum colentibus dereliquit. Aderant ſine dubio in illius vocatione ſpiritus Angelici, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginumque chori, laudantes & benedicentes Dominum, qui eam liberavit de hujus mundi voragine & incerta habitatione hominum, & perduxit in æterna tabernacula, ubi cum omnibus ſanctis gaudet per cuncta ſæcula.

Sepulta eſt autem in crypta ejusdem Monaſterii cum decenti honore, ibique colitur maxime a virginibus in virginali decore. Miraculorum autem ſigna quæ per ejus merita Dominus dignatus eſt facere diverſis corporibus, in multis hominibus, præ multitudine non poſſumus ſcriptis commendare, ſed neque viſa neque audita præſentes valent enumerare, ſed in omnibus beneficiis ſuis dator omnium bonorum laudetur & glorificetur Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

SEQUUN-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

SEQUUNTUR MIRACULA S. ERENDRUDIS VIRGINIS.

CUM in his quæ ad cultum divinum, gloriam & laudem Sanctorum pertinere dignoſcuntur, non maligna ſed potius benigna & devota interpretatio ac diligentia ſit adhibenda: Unde Pater & Domine reverende, ego Cæſarius, Capellanus veſter in Nunburga, veſtris piis ac ſanctiſſimis medullitus congaudens deſideriis, non auſu temerario, ſed pietatis veſtræ juſſu armatus benigno, miracula ſanctæ Erendrudis virginis glorioſæ, quantum parvitas ingenii mei ſufficit, ſcribere viſus ſum, prout ex relatione antiquorum didici non ſolum ſanctimonialium, ſed etiam extraneorum fide dignorum, ſicut etiam jam viginti octo annorum, quibus in officio divino, in dicto Monaſterio deſudavi, certa comperi experientia, infra ſcripta ſtudui comportare. *Erentrudis miracula.*

PRIMO & principaliter de curatione ſancti Heinrici Imperatoris cognomento pii, qui ut dicitur, permittente ſive diſponente Deo morbum incidit phreneſis ſive epilepſiæ, & multa medicorum ſolicitudine curari non poterat, multorum etiam ſanctorum liminibus viſitatis, tandem ad tumbam ſanctæ Erendrudis pervenit, & optatæ ſanitatis ſortitus effectum, reliquias ejusdem glorioſæ virginis impertiri ſibi petivit, & easdem annulo aureo recludi fecit, collo ſuo jugiter portavit, & interim motum ſive rabiem dictæ infirmitatis nunquam ſenſit, & ad tumbam prædictam duo calcaria aurea obtulit, pro quibus curia quædam in Auſtria, dicta Vladniz comparata, adhuc ipſi Monaſterio deſervit. *Henricus Imperator ſanatur.*

Accidit quoque non longo temporis intervallo interpoſito, ut Monaſterium Nunbergenſe cum clauſtro adhærente, quod beatus Rudbertus una cum Duce Theodoberto fundavit, quod tunc ſitum fuit in loco, ubi nunc eſt cella Sacerdotum, ut patet in ruina murorum & fundamentis ipſorum, per ignem penitus deſtrueretur, & eodem tempore præfatus Imperator balneum quoddam intravit, & reliquiis perditis in infirmitatem ſæpe dictam recidivavit, prædicti Monaſterii exuſtionem in ſpiritu cognovit, & quod beata virgo Maria ſanctaque Erendrudis per eum ruinam Monaſterii ſupradicti vellent reparari, & ad meliorem ſtatum & ſitum reduci. Unde factum eſt, ut pius Imperator urgente eum infirmitate ad tumbam ſanctæ Erendrudis devote remearet, vidensque locum deſolatum & igne deformatum, vovit DEO omnipotenti, beatæ & glorioſæ virgini Mariæ, ſanctæque Erendrudi, ut ſi ab ante memorata relevaretur ægritudine, Monaſterium à fundamento vellet reædificare, & ſtatim ad tumbam ſanctæ Erendrudis cum lachrymis & oratione ferventi provolutus, ſanitati priſtinæ eſt reſtitutus, & ſicut voverat Monaſterium cum adhærente clauſtro, ubi nunc ſitum eſt, pulchro ſchemate, ut liquido apparet, conſtruxit: & donavit Ehrnprechtſtorff ſitum in Longee/ ſive Lungaw/ cum omnibus ſuis attinentiis ad honorem DEI omnipotentis & dictarum patronarum ſanctæ Mariæ virginis & ſanctæ Erndrudis, ſanctimonialibus ibidem Deo ſervientibus.

Peracta quoque & ædificata ſtructura, tam Monaſterii quam aliarum officinarum, & dedicata Eccleſia in honore ſæpedictarum patronarum, ipſo Imperatore præſente, per beatum Hartwicum Archiepiſcopum, corpus ſanctæ Erndrudis de antiquo tumulo, in crypta, ubi nunc requieſcit, ſummo cum honore tranſlatum fuit, ſcilicet in altaris medio collocatum, licet antea per beatum Virgilium miraculis plurimis atteſtantibus fuerit canonizatum & tranſlatum.

Cujus tranſlationi ultimæ etiam interfuit Mazalinus Abbas ſancti Petri, frater Wiradis Abbatiſſæ, qui præſumptuoſe rapuit os pectoris ſanctæ Erndrudis, quapropter cæcitate ſtatim percuſſus, omnesque qui aderant, perterriti & obumbrati quibusdam tenebris quaſi eclipſi ſtabant compuncti. Ipſe vero Mazalinus reatum ſuum agnoſcens cum lachrymis & ſuſpiriis beatæ Erndrudi ſupplicavit ut ſibi ignoſceret, quod venerandas

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190. randas reliquias ipsius ausu temerario præsumsissет attrectare. Promittens Deo sanctæque Erendrudi, si visum pristinum ejus meritis atque suffragiis impetraret, Abbatiam vellet resignare, & vitam eremiticam eligere. Qui statim illuminatus Abbatiam resignavit, & in monte caprarum usque ad obitum suum vitam solitariam duxit, & in Monasterio memorato circa cryptam sanctæ Erendrudis ad januam Aquilonarem est honorifice tumulatus, qui etiam sanctus reputatur, quia multa beneficia ad sepulchrum ejus languidis & tribulatis misericordia divina patrare dignatur.

LEGITUR etiam de ipso Mazalino, quod cum jam obiisset, rustici ipsum currui imposuerunt, & ad Ecclesiam sancti Petri volentes eum vehere, quantumcunque boves stimularentur ad viam directam, tamen concito gradu ad Monasterium sanctæ Erendrudis properabant, quia vivens ibidem sibi elegerat sepulturam.

FERTUR siquidem de prædicto viro Mazalino, quod cum soror sua Wiradis Abbatissa subditas sibi Moniales rigide gubernaret, easdem ipsa via laudabili & honesta conversatione semper præiret, quædam ex Monialibus concepit, & cum jam tempus parturiendi instaret, anxia & nimis turbata, nesciens qua via tegeret scelus commissum, & qualiter evaderet Abbatissæ acerbitatem, pœnamque sibi infligendam, & in oratione se prosternens in Capella sancti Viti, uberrimasque lachrymas effundens, angustiis & tribulationibus undique convoluta, non solum de sua pressura & dolore imminente, verum etiam de partu quid esset factura, & sic in oratione posita obdormivit. Cumque evigilasset, & nihil consolationis humanæ nec divinæ inveniret, in desperationem ducta invocato spiritu maligno dixit: O diabole fer mihi auxilium in hac maxima tribulatione, & dabo tibi hunc fœtum quem producam cum corpore & anima in damnationem sempiternam. Interea dæmones gaudentes transibant cellam viri Dei Mazalini in eremo pernoctantis in oratione. Et quærens ab eis quo irent? Qui responderunt: Grande negotium habemus. Qui ait: Ite, & peracto negotio per Deum viventem vobis præcipio ad me redeatis. Qui euntes invenerunt puerum jam natum, quem rapuerunt, reversi sunt ad virum Dei, narrantes ei quæ gesta sunt, quomodo mulier infœlix & desperata, eis puerum cum corpore & anima tradidit in potestatem. Hoc audiens Mazalinus confisus in Domino præcepit eis per Deum vivum & verum, ut puerum sibi relinquerent. Qui statim puerum in cella viri sancti projicientes, volantes per viam suam abierunt. Eadem autem nocte vir Dei surrexit puerum accipiens, & mane ante diluculum venit ad portam Monasterii exspectans quando veniret Abbatissa & januas referaret, quod per se singulis diebus & noctibus faciebat, qua veniente & vidente fratrem suum, multum attonita mirabatur, dicens ei: Ad quid venisti frater? Qui respondens dixit Abbatissæ: Propter austeritatem & malitiam vestram quam exercetis in subditas vestras (ostendens ei puerum dicens) hæc anima in damnationem & potestatem diaboli fuerat tradita, sed mediante gratia & misericordia DEI eam eripui de manibus spirituum malignorum, narrans ei omnia per ordinem gestæ rei, præcepitque ei in virtute DEI & sanctæ obedientiæ, ut de cætero misericordius, exemplo beati Benedicti, cum subditis sibi ageret, & misericordiam judicio superexaltaret. Fecitque puerum statim baptizari & tradi nutrici ad alendum, quousque in fide Catholica instrui posset, ac plenius informari. Vir autem Dei in eremum ad cellam suam cum gaudio remeavit, gratesque Deo omnipotenti referens de ereptione animæ pueri à diabolica servitute.

PRÆTEREUNDUM etiam silentio non est, qualiter patronæ gloriosæ, beata virgo & sancta Erendrudis locum & possessiones sui Monasterii suffragiis defensare jugiter, & à sævientium luporum fraudibus sæpius eripere curarint.

TEMPORIBUS Domini Friderici de Walchen Archiepiscopi Salzburgensis memoriæ venerandæ, accidit ut de terminis sive metis mineræ salium, & de fodina salis intra & extra in monte Nunnberg/ inter Dominam Diemudum de Velben/ Abbatissam in Nunberg/ ex una, & fratrum conversorum de Salem ex parte altera, lis maxima esset suborta, quæ lites ad jussum prædicti Archiepiscopi, & consilium sapientum ordinatum est, ut magistri montium suis particis & mensuris fideliter experirentur, quæ pars alteri præjudicaret. Quod cum factum esset, quidam frater Albertus, salutis suæ immemor, dictos magistros montium fraudis suæ malitia corrupit, ut particas de fodina extractas indirecte collocarent in præjudicium Ecclesiæ Nunbergensis. Quibus peractis, prætaxatus Archiepiscopus cum suis optimatibus & nobi-

Digitized by Google

nobilibus montem aſcendens, terminum partibus præfixit, ad litis diſcordiam decidendam. Nocte vero præcedenti, præfata Abbatiſſa Diemudis cum antiquioribus ſanctimonialibus de conventu accedentes ad altare S. Erndrudis, & lychnis ipſum altare per quadrum menſuraverunt, & exinde candelas formaverunt, quibus accenſis in oratione proſtratæ, usque ad conſummationem luminum in devotione perſeverarunt. Mane autem facto, iter arripientes, dictum montem aſcenderunt Epiſcopus ſæpedictus perſonaliter judicio præſidens, aſſantibus nobilibus & univerſis qui aderant, primum vocavit fratrem Albertum ante dictum, & ab eo requiſivit, ſi bene & fideliter & ſine fraude, tam in fodina quam in agro per terram, particæ ſive menſuræ eſſent collocatæ. Ipſe frater flexis genibus coram Archiepiſcopo erecta manu, & indicto ſibi juramento dixit. Sic me Deus adjuvet, & beata virgo & ſancta Erndrudis. Hoc dicto & juramento imperfecto, procidit ad pedes Archiepiſcopi ſæpedicti, & mortuus eſt cunctis ſtupentibus & mirantibus cum luctu deportabatur, mercedem ſuæ fraudis recepturus juſto judicio Dei. SÆC. XII. ANNO 1190.

QUIDAM lepra infectus pluribus videntibus, & à multis reprehenſus clara luce cryptam S. Erendrudis intravit, & ad tumbam ejus proſtratus in oratione, multo ſpacio diei ibidem peroravit, ſanus corpore & vultu hilari coram omnibus Eccleſiam exivit, pruritus etiam in loco, ubi ſanatus fuit, tanquam ſquamæ inventus eſt à pluribus miraculum volentibus indagare, omnipotentis Dei miſericordiam & ſanctæ Erendrudis merita dignis laudibus excolendo.

MULIER quædam de Halaberck, uxor Conradi dicti Taurſtapn/ civis Hallenſis, puſtulis circa lumbos ſauciata in tantum quod ambulare non poterat, ſed tantum portabatur hinc inde in grabato. Item eadem mulier valde elata, etiam lepra elephantia percuſſa, nulla arte medicorum, quia dives erat, nec per medicos de ſtudiis generalibus vocatos, nec per magiſtrum Simonem Monachum de Raptenhaſzlach/ cujus nomen adhuc ibidem clarum habetur, liberari poterat. Sed conſilio quorundam inducta, in Tetingam in curru quodam vecta, pervenit ad quandam fœminam ſanctam, quæ habebat gratiam curationum, & operibus miſericordiæ plenam, quæ plurimos diverſis infirmitatibus preſſos curavit. A pauperibus nullam mercedem recepit, ſed gratis eos pavit, & medicinam quam potuit impendit. Prædicta vero mulier leproſa cum ad domum ſanctæ fœminæ veniſſet, in cathedra eam præ foribus coram ſe locavit, & non multum eam conſiderans, præmiſſa oratione, ſicut ſemper facere ſolebat, mulieri præſente Magiſtro Simone & alia familia ſua dixit: Domina, omnes medicinæ de mundo pro vobis impenſæ, vobis prodeſſe non poſſunt. Sed conſulo ut eatis Salzburgam ad ſanctam virginem Erndrudem, ibi ſanitatem conſequi poteſtis, divina gratia cooperante: Quia dicta fœmina omnes infirmos ad ſe confluentes, quos curare non poterat, ad limina ſanctorum direxit. Memorata ſiquidem leproſa aptatis curribus, ad conſilium beatæ fœminæ, ad ſanctam Erndrudem perrexit, & ibidem tribus diebus in oratione & lachrymis devote perſiſtens, ſanata eſt à puſtulis & lepra, mediante Salvatoris gratia & miſericordia, ſuffragantibus ſibi meritis ſanctæ Erndrudis, virginis glorioſæ. Quæ quidem cum gaudio ad propria remeavit, & poſt mortem mariti ſui multis annis ſupervixit, ſed depauperata nimis, licet antea divitiis abundaret, noſtris temporibus viſa eſt & cognita à multis, inter homines & ſuos concives, ſana & incolumis uſque ad mortem eſt converſata.

ERAT quidam mercator de domo & familia ſanctæ Erendrudis, nomine Martinus, qui voverat Deo & beatæ Mariæ ſanctæque Erendrudi, quod non contraheret cum aliqua, niſi cum ea quæ eſſet de patrocinio Eccleſiæ Nunbergenſis. Qui tamen oblitus voti cum aliena contraxit, & modicum poſt tempus percuſſus lepra, quam plagam quidem in ſe recognoſcens compunctus rediit ad cor, cogitavit quod Deus propter voti fractionem hoc in eo fieri permiſit. Et veniens ad altare ſanctæ Erendrudis cum fletu & gemitibus intimis ſupplicans beatæ Erendrudi devote de recuperanda ſanitate. Vocata etiam Domina Maria Abbatiſſa, piæ memoriæ, de transgreſſione commiſſa veniam poſtulavit. Quæ compaſſione mota, preces devotas ſuper eum fudit, & à Deo & beata virgine Maria, ſanctaque Erndrude veniam eidem poſtulavit, qui in domum ſuam abiit, & veſtigium lepræ amplius in eo non apparebat.

QUIDAM colonus Monaſterii ſæpedicti de familia Eccleſiæ nomine Fridericus de Alchaming de territorio Titmaning cum aliis ſeptem volens viſitare limina Apoſto-

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190. Apoſtolorum Petri & Pauli, tranſiens Salzburgam venit ad altare ſanctæ Erendrudis, ubi ſacra oſſa ipſius ſunt recondita, ſe & ſua devote recommittens beatæ Erndrudi, & profectus venit in terram Latinam cum aliis ſibi aſſociatis. Qui dum prope Ferrariam in quodam hoſpitio pernoctaſſent, venerunt latrones, domum vallabant, de morte peregrinorum cogitantes. Quod audientes peregrini, intra ſe gementes & flentes nimis anguſtiati, nec quisquam eorum audebat verbum etiam minimum loqui, & ſic per totam noctem anxii & perturbati. Appropinquante vero die prædictus Fridericus captus ſomno, venit ad eum quædam Domina pulcherrima in veſte religioſa dicens: Surge: Quid dormis? Qui dixit: Quæ eſtis vos? Quæ reſpondit: Ego ſum illa, cui te Salzburgæ devote commiſiſti, vade ſecurus tu & comites tui & non timeatis. Quam viſionem narrans fratribus, qui ſurgentes per cancellas & rimas proſpiciebant, neminem viderunt nec audierunt, in viam ſuam læti & incolumes abierunt, Deo & beatæ Erendrudi grates debitas referentes.

Vidua quædam, dicta Burenlacherin/ juvenis & pulchra, de favore Ducum Bajoariæ, poſſeſſiones Monaſteriorum ſancti Petri, & Nunberg, in ſylva quæ dicitur Weylhart, per ſtrepitum judicii ſæcularis, indebite contra Deum & juſtitiam occupavit, ad forum Eccleſiaſticum auctoritate Papali citata venire contempſit, ſed tandem per judicem ſpiritualem excommunicata & denunciata perſtitit in malitia ſua. Et cum quadam die mitteret nuncium ſive præconem ad quendam colonum Monaſterii Nunbergenſis pro ſervitio extorquendo, equulum ruſtici volens ſibi pro pignore violenter educere, ruſticus clamans poſt eum dixit: Dimittas hic equum usque poſt culturam agrorum, quod te Deus adjuvet & ſancta Erendrudis: Et præco reſpondit: Quid dicis de tua Erndrude? Equum pauperis eduxit, & cum tranſiret portam curiæ, de equo ſuo cecidit, judicio Dei percuſſus expiravit. Mulier vero ſupra notata nec ſic compuncta, poſtmodum licet juvenis in contumacia ſua perſiſtens, in brevi vitam finivit.

Faber quidam Chunradus dictus Holtſchmidt/ civitatis Salzburgenſis, in dextro latere percuſſus apoplexia, & tredecim hebdomadibus officio manus & pedis deſtitutus, auxilium divinum & multorum ſanctorum jugiter implorando. Finaliter cum dolor & moleſtia & compunctiones acutiſſimæ nimium ipſum urgerent, ad beatam Erendrudem currebat, ejus ſuffragia fiducialiter expetendo. Et quo corporaliter ire non poterat, mentis devotione ferebatur. Nocte veſpere igitur quadam, finitis veſperis, cum dolores infirmorum plus ſolito acuuntur, candelam ſuæ ſtaturæ per matrem & uxorem ſuam ad S. Erndrudem direxit. Quibus cum introitus Monaſterii non pateret, ſed ad januam in oratione ſe proſternentes, B. Erndrudem ſuppliciter invocando, lumine accenſo non multum morando, quia nox inſtabat, ſed inde recedentes, antequam ad hoſpitium redirent, dolor viri ſenſibiliter fuit mitigatus, & eadem nocte ac die ſequenti ſanitas rediit, & officio manus & pedis, necnon totius lateris, de miſericordia Dei & meritis S. Erndrudis eſt integraliter reſtitutus, beneficium quoque ſibi impenſum plusquam novem annis occultavit, & ſanctam Erndrudem frequentius viſitando, pro modulo ſuo ipſam venerando.

Anno Domini milleſimo trecenteſimo (*a*) decimo octavo. Magiſter Joannes Pariſienſis, artis medicinæ competenter inſtructus, per annum dimidium & ultra in brachio dextro dolore vehementi & continuo cruciabatur. Cum nec aliquo remedio per propriam ſolicitudinem, nec aliorum conſilio poſſet relevari, tandem conſilio inductus devotorum, Altare S. Erendrudis virginis, ubi corporaliter quieſcit, præſentialiter accedens, ſe in orationem, ſicut devotius potuit, proſtravit. Primo & ſecundo ſanitatem peroptatam non conſecutus, quia plerumque ſpes differtur, ut deſiderium

(*a*) Dubitabat *Mabillonius*, an *Joannes Pariſienſis* is foret qui circa Euchariſtiam lites movit an. 1304. Sed præterquam plurimi fuerunt tunc temporis *Joannes*, hæc *Joanni Pariſienſi* non poſſunt convenire. Tranſubſtantiationem impugnarat *Johannes* an. 1304. damnatus ideo ab Epiſcopis ad *curiam Romanam appellavit*; de Roma, quam petierit, id intelligit vir doctus; male, nam curia Romana tunc Burdigalis degebat; cumque hanc petiiſſet obiit an. 1306. Argumento ſunt primo continuatoris Nangii Teſtimonium quod legas Spicilegii Dacheriani t. XI. p. 618. *Verum cum ob hæc ad ſedem Apoſtolicam appellaſſet, auditoribus ſibi datis in curia; ſed infecto negotio de medio ſublatus eſt.* Diſertius multo Bernardus Guidonus in additionibus ad Librum Stephani de Salagnaco de exordiis Ordinis Prædicatorum: *Frater Johannes Pariſienſis Licentiatus anno Dom.* 1304. *hic obiit in Curia Romana Burdegalis, ubi diffinitivam Sententiam expectabat anno* 1306. *in feſto S. Mauritii.* Non potuit ad Altare Erentrudis in Germaniam accedere an. 1318. qui Burdegalis obierat jam an. 1306. Alter Theologiæ Licentiatus hic medicinam profiteri videbatur. Id confirmat alter *Joannes Pariſienſis* coævus, qui vitam Clementis V. edidit. Sic enim de Joanne Pariſienſi ſibi cognomine: Ipſe ad curiam appellavit & *ivit & poſtea ibidem obiit.* Basn.

Digitized by Google

derium creſcat. Tertio rediens ſpe ampliori permotus, pio propoſito Altare acce- SÆC.
dens, talibus verbis ſanctam Dei allocutus: O beata Erndrudis virgo glorioſa, ſi XII.
verum eſt, quod de vobis dicitur, cantatur & legitur, quæſo à languore & dolore ANNO
hujusmodi me dignemini liberare, & cum brachio tangens Altare ſanatus eſt, & cum 1190.
gaudio ad propria remeavit.

ITEM anno Domini M. CCCV. Quædam mulier nomine Haylbirg, lotrix & pau-percula, in die depoſitionis ſanctæ Erndrudis, quia tunc etiam eſt dedicatio cryptæ in Nunburga, finitis Miſſarum ſolemniis accedens ad Altare, ſanctam Erendrudem ſic eſt allocuta: Tu noſti virgo ſacratiſſima, quod ego multum indigens ſum, & pau-percula, & habeo multas veſtes hodie abluendas, unde deprecor te in Domino, ut mihi non iraſcaris, quia vacare non poſſum. Quæ recedens poſt prandium cœpit la-vare veſtes ſicut aliis diebus facere ſolebat. Et cum ultimam veſtem extergeret, in-curvata eſt ejus manus dextera. Quæ anxia & turbata nimis flevit amare, neſciens quid eſſet factura. Mane vero ſequenti ſpe divinæ miſericordiæ armata, acceſſit Altare S. Erendrudis ſic oravit: O ſancta Erndrudis, propter gaudium quo tu frueris coram DEO cum omnibus ſanctis & Angelis Dei, lætifica me miſerrimam peccatricem, quia gra-viter deliqui & offendi te. Unde deprecor te ignoſce mihi, & reſtitue mihi manus meæ priſtinam ſanitatem. Et hoc dicto manum curvam ponens ſuper Altare, & ſanata eſt: & in ſignum hujus ſanationis infra juncturam ipſius manus ſtatim apparuit quidam nodus ſubter cutem ad magnitudinem nucis magnæ per duos annos, & decreſcebat & augmentabatur ſecundum curſum Lunæ. Mulier vero prædicta ſanitatis avida, iterum recurrens ad ſanctam Erendrudem ſupplicavit, ut ejus meritis & ſuffragiis conſequi mereretur integram & optatam ſanitatem, quod & factum eſt, nodus diſparuit, & hæc mulier adhuc ſuperſtes cicatricem omnibus volentibus videre ad oculum oſtendit.

ITEM anno Domini M. CCCIX. Quædam mulier de Salzburga, peccatis ſuis exi-gentibus viſu privata per annos quatuor, licet homines & alias creaturas hujus mun-di plene videret, corpus Chriſti nec procurandis infirmis in Altari, in manu Sacerdotis videre non potuit quocunque ſe diverteret. Tandem anno quinto Spiritu DEI ducta, quandocunque capta hora & die quotieſcunque & ipſa celebrantur divina apud ſan-ctam Erendrudem per integrum annum devotabatur: Sanctæ Dei devote ſupplicando, ut apud Deum pro ipſa intercedere dignaretur. Cumque devotionem ſuam continua-ret, Miſſas audiendo, anno ſexto in manu Sacerdotis celebrantis quadam die Domi-nica circa Altare ſæpedictum corpus Chriſti vidit, & poſtmodum ſemper ſuffragante ſibi gratia Dei & meritis ſanctæ Erndrudis ob beneficium ſibi impenſum Deo & beatæ Erndrudi grates quas poterat referens, locum frequentius viſitavit, miraculum etiam in eadem factum, quantum potuit, occultando.

ITEM Attavus Radekariorum dictus Gerhohus juvenis exiſtens, vovit beatæ Frn-drudi ſingulis annis pro cenſu quinque denarios ſe daturum, quod aliquibus annis fecit, videlicet quinque, ſed poſtmodum tepeſcere cœpit. Unde factum eſt, ut una ſanctimonialis dicta Harſchicherin / eidem familiaris una noctium audiret vocem ſibi di-centem. Dic Gerhoho ut ſolvat ſanctæ Erndrudi quod promiſit, aut male habebit. Quæ de mane vocavit dictum Radekarium, quærens ab eo quæ promiſerit ſanctæ Erndrudi, qui confeſſus eſt de quinque denariis cenſualibus usque in finem vitæ ſuæ. Tunc monialis quod audivit eidem narravit, qui recedens verba hujus non advertit. Altera vice venit vox, & eidem Moniali dixit: Dic Gerhoho, quod beatæ Erndrudi exſolvat quod promiſit, aut damnum maximum ſuſtinebit. Quæ ut prius ipſum præ-monuit, ſed minime curavit. Tertio advenit vox ad eandem: Dic Gerhoho, qui jam admonitus bis, promiſſum ſuum adimplere neglexit, & votum transgreſſus eſt, jam tempus adimpletum eſt, & beata Erendrudis dilationem ampliorem ſibi non dabit, quod ipſe recipiet damnum quod ipſe & omnis parentela ſua nunquam recuperabit, quod & factum eſt. In brevi quidem poſtmodum caſtrum Matſee perdidit, & omni-bus bonis ſpoliatus eſt, nec non poſſeſſionibus, equis, pecoribus, & aliis mobilibus & immobilibus quibuſcunque. Hæc tempore Dominæ Diemudis (*a*) de Welben Ab-batiſſæ inchoata ſunt. Sed tempore Dominæ (*b*) Eliſabeth Abbatiſſæ, nepotes dicti Gerhohi, redeuntes ad cor, unam puellam militarem, dictam Dymudem Tuntinge-rin, ſuper Altare ſanctæ Erendrudis libere obtulerunt, ob dicti cenſus refuſionem.

VITA

(*a*) Regebat illud Monaſterium anno 1265. obiit anno 1270. dicebatur autem Diemudis III. BASN.
(*b*) Fuit Comitiſſa de Sonnenberg & obiit illa anno 1307. Circa hæc tempora videtur ſcripta illa miraculorum narratio; non enim ultra an. 1309. protenditur. BASN.

Digitized by Google

VITA
S. RUDBERTI
PRIMI,
EPISCOPI SALISBURGENSIS.

AUCTORE

S. EBERHARDI

Archiepiſcopi Salisburgenſis Diſcipulo.

IN

Digitized by Google

IN DISCIPULUM S. EBERHARDI ARCHIEPISCOPI DE EPISCOPIS SALISBURGENSIBUS. CANISIUS.

Sæc. XII. Anno 1190.

AUCTORIS istius apographum, altero, quod in secundo Antiquæ lectionis tomo continetur, multò est correctius, & in quibusdam locis auctius, ut legenti facilè patebit: in fine præsertim vitæ sancti Gebehardi continetur fundatio integra Monasterii Admontensis. Fuit autem casu repertus iste Codex manuscriptus in Monasterio sancti Petri, quem ante ducentos amplius annos conscriptum omnes dijudicant, & fortassis ipsius Auctoris tempore scriptum.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

INCIPIT VITA S. RUDBERTI PRIMI EPISCOPI SALISBURGENSIS. AUCTORE S. EBERHARDI

Archiepiscopi Salisburgensis Discipulo.

TEMPORE igitur Hildiberti Regis Francorum, anno scilicet regni ejus secundo, honorabilis Confessor CHRISTI Rudbertus in Wormatia civitate Episcopus habebatur, qui ex regali progenie Francorum ortus, Catholicæ fidei & Evangelicæ doctrinæ, totius bonitatis nobilissimus refloruit doctor. Erat enim vir simplex, pius & prudens, in sermone verax, justus in judicio, & providus in consilio, strenuus in actu, conspicuus in charitate, in universa morum honestate præclarus. Ita innumerabiles ad ejus sacratissimam convenerunt doctrinam, & ab eo æternæ salutis documenta susceperunt. Cumque fama sanctæ conversationis illius longe lateque crebresceret, pervenit ad notitiam cujusdam Ducis Bajoariæ regionis nomine * Dieto, qui supradictum † virum Dei enixis precibus, prout potuit, libentissime rogare studuit, per missos * nuncios suos, ut Noricam provinciam, visitando sacra illuminaret doctrina. Unde prædicator veritatis divino compunctus amore, assensum præbuit, primo suos dirigens legatos, postea vero ad Christi gregem lucrandum, per semetipsum venire dignatus est. Hoc audiens præfatus Dux, magno perfusus est gaudio, obviamque illi cum suis pergens, sanctum virum Evangelicumque doctorem, cum omni honore & dignitate suscepit in Ratispona civitate. Quem vir Domini cœpit de Christiana conversatione ammonere & fide Catholica imbuere ipsum non multo post, & multos alios istius gentis nobiles atque ignobiles viros ad veram Christi fidem convertit, sacroque baptismate regeneravit, & in sancta corroboravit religione. Præfatus itaque Dux sancto viro concessit licentiam locum aptum eligendi sibi & suis, ubicumque ei placeret in hac provincia, ad Episcopii sedem, & Ecclesias Dei construere, & cætera ad Ecclesiasticum habitaculum perficere.

Tunc supradictus vir Domini accepta licentia per alveum Danubii usque ad fines Pannoniæ inferioris spargendo semina vitæ, navigando iter arripuit. Sicque tandem revertens, ad Laureacensem pervenit civitatem, multosque * ibi infirmos, variis languoribus oppressos orando per virtutem Domini sanavit, & veræ fidei plures inibi sociavit. Deinde arrepto itinere pervenit ad quendam lacum qui vocatur Walarium, ubi exit Vischaha de eodem lacu, ibique Ecclesiam in honore S. Petri principis Apostolorum construxit & dedicavit. Hoc facto præfatus Dux Theodo tradidit ad ipsam Ecclesiam eundem locum, & primitus ibidem in circuitu aliquas proprietatis possessiones ei tribuit. Postea vero ad notitiam venit sancto Pontifici Rudberto, esse locum juxta fluvium * Juvarum, antiquo vocabulo, Juvavensem vocatum, uqi antiquis

* *Theodo.*
† *virum, deest.*
* *nuncios, deest.*
* *ibi, deest.*
* *Vuarum.*

Digitized by Google

quis temporibus multa fuerunt mirabiliter conſtructa ædificia, & * tunc pene dilapſa ſylvisque cooperta. Hoc audiens vir Domini, propriis cupiens proſpicere oculis quid inde ipſius rei veritas haberet, propter fidelium animarum lucrum, divina diſponente gratia, cœpit Theodonem rogare Ducem, ut iſtius * poteſtatem loci tribueret ad expurganda loca, & Eccleſiaſticum, prout ei libitum foret, ordinaret officium, & Epiſcopii ibi ſedem ſtatueret. Quod ipſe Dux conſentit, tribuens in longitudine de territorio ſuper duas * leucas poſſeſſiones, ut inde faceret quod ei placeret ad utilitatem ſanctæ Eccleſiæ.

SÆC. XII. ANNO 1190.

* cuncta.
* poteſtatis locum.
* lengas.

Tunc vir Domini iſta cœpit renovare loca, primo Deo formoſam ædificans Eccleſiam, quam in honore S. Petri principis Apoſtolorum dedicavit, ac demum clauſtra cum cæteris habitaculis Clericorum per omnia ordinabiliter conſtruxit. Poſtea vero delegato ſacerdotali officio omnem ibidem cottidie curſum congruo ordine fecit celebrari. Tunc prædictus doctor Rudbertus cupiens aliquos adipiſci ſocios, ad doctrinam Evangelicæ veritatis, propriam repetivit patriam: iterumque cum duodecim revertens beatis diſcipulis, ſecumque virginem Chriſti nomine Erndrudam adducens, quam in ſuperiori caſtro Juvavenſium ſtatuens, ibidemque colligens congregationem ſanctimonialium, & earum converſationem rationabiliter, ſicut depoſcit ordo Canonicus, per omnia diſpoſuit.

Ipſe quoque aſſidue totum iſtius ſolum patriæ circuiens, confirmans animas Chriſtianorum, ammonensque in fide fortiter permanere, quod verbis docuit, operibus adimplevit mirificis. Ubi conſtructis conſecratisque Eccleſiis, ordinatisque inferioribus & ſuperioribus gradibus, proprium ſibi ordinavit ſucceſſorem. Ipſe vero præſciens longe ante diem vocationis ſuæ, confirmatis diſcipulis, ad propriam remeavit ſedem, * ibique aſtantibus ammonitione divina peracta fratribus, inter verba orationis reddidit ſpiritum in pace, die videlicet reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Ad cujus ſepulchrum exuberant innumera beneficia curationum cunctis fideliter petentibus usque in hodiernum diem, qui vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, AMEN.

* ibique, deeſt.

IGITUR poſt * exceſſum beatiſſimi Rudberti Pontificis, vir clarus omni populo, egregiusque doctor & ſeminator verbi Dei Vitalis Epiſcopus ſedem Juvavenſem regendam ſuſcepit. Poſt cujus tranſitum Anzologus extitit Abbas. Poſt cujus depoſitionem prædictæ ſedi adhæſit Savolus Abbas. Cujus vitæ finito curſu Ezius Abbas ſucceſſit. Quo migrante de ſæculo, iterato illa ſedes honorata refulſit Epiſcopo Flobargiſo. Poſt quem Joannes paſtoralem geſſit in ſede curam.

* diſceſſum.

EISDEM igitur temporibus, ſcilicet Otilonis Ducis Bajoariæ, qui tunc ſubjectus fuit Regi * Pipino Francorum: Venit vir quidam ſapiens & bonus doctor, de Hybernia inſula, nomine Virgilius ad prædictum Regem in * Francia, loco vocato Kariſiaco: Qui propter Dei amorem retinuit eum ſecum fere duobus annis, & comperto eo bene docto, miſit eum præfato Duci Otiloni, ac conceſſit ei Epiſcopatum Salzburgenſem, rectore vacantem. Qui diſſimulata ordinatione ferme duorum annorum ſpaciis, habuit ſecum proprium Epiſcopum comitantem de patria nomine * Dobdagrecum, ad perſolvendum Epiſcopale officium. Poſtea vero populis petentibus: ordinatusque eſt à comprovincialibus Præſulibus ad Epiſcopum anno ſcilicet nativitatis Domini DCCLXVII. die 17. Calend. Julii.

* primo.
* Francorum.
* Dobdagreum.

HACTENUS prænotatum eſt qualiter Bajoari facti ſunt Chriſtiani, ſeu numerus Epiſcoporum & Abbatum conſcriptus in ſede Juvavenſi: nunc adjiciendum eſt, qualiter (a) Sclavi, qui dicuntur Karinthiani & confines eorum, fide ſancta inſtructi Chriſtianique effecti ſint: ſeu quomodo Huni Romanos & Gothos atque Gepidos de inferiori Pannonia expulerunt & illam poſſederunt regionem, quoſque Franci ac Bajoari cum Karinthianis, continuis affligendo bellis eos ſuperaverunt. Eos autem qui obediebant fidei & baptiſmum ſunt conſecuti, tributarios fecerunt Regum, & terram quam poſſident reſidui adhuc pro tributo retinent Regis uſque in hodiernum diem.

Nunc igitur recapitulandum eſt de Karinthianis.

TEMPORIBUS glorioſi Regis Francorum Dagoberti, Samo nomine quidam Sclavus, manens in Quarantanis, fuit Dux gentis illus. Qui venientes negociatores Dago-

(a) *Crudeliſſimi Pagani Scriver. not. M.S. in* CAN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

Dagoberti Regis interficere juſſit, & regia expoliavit pecunia. Quod tum comperit Dagobertus Rex, miſit exercitum ſuum, & damnum, quod ei idem Samo fecit, vindicare juſſit, ſicuti fecerunt qui ab eo miſſi ſunt, & Regis ſervitio ſubdiderunt Sclavos. Non multo poſt tempore cœperunt Huni eosdem Karinthianos hoſtili ſeditione graviter affligere, fuitque tunc Dux eorum Boruth nomine, qui Hunorum exercitum contra eos iturum, Bojoaris nunciari fecit, rogavitque eos ſibi in auxilium venire. Illi quoque feſtinando venientes expugnaverunt Hunos, & obfirmaverunt Quarantanos, ſervitutique Regum eos ſubjecerunt, ſimiliterque confines eorum. Duxeruntque inde ſecum obſides in Bajoariam, inter quos erat filius Boruth nomine Cacatius, quem pater ejus more Chriſtiano nutriri rogavit & Chriſtianum facere, ſicut & factum eſt. Et de Cheitmaro filio fratris ſui ſimiliter poſtulavit. Mortuo autem Boruth, per juſſionem Francorum Bajoari Cacatium jam Chriſtianum factum, petentibus eisdem Slavis remiſerunt, & illi eum Ducem fecerunt. Sed ille poſtea tertio anno defunctus eſt. Iterum autem permiſſione Domini Pipini Regis, ipſis populis petentibus redditus eſt eis Cheitmar Chriſtianus factus. Cui etiam Lupo Presbyter ordinatus de Juvavenſe ſede in Inſulam Chemingi lacus, quæ & Avva vocatur, dedit ei nepotem ſuum nomine Majoranum, ad Presbyterum jam ordinatum, quia compater ejus erat iſdem Lupo Presbyter. Suggerente vero Majorano Presbytero, qui à ſancto Virgilio in Juvavenſi Monaſterio, manus impoſitionem acceperat, quem ſecum propter doctrinam Chriſtianæ religionis detinuit, ad Juvavenſe Monaſterium ſpecialiter caput ſuum in ſervitium Dei declinavit, ſingulis annis, quo dum vixit, in ſignum ſubjectionis ſuæ, aliquod obſequium illuc perſolvendo.

Peractis autem aliquantis temporibus, prænominatus Dux Karinthianorum petiit S. Virgilium Epiſcopum, viſitare populum gentis illius, eosque in fide firmiter confortare. Quod tunc ille minime implere valuit, ſed ſua vice miſſo ſuo Epiſcopo, nomine Modeſto, ad docendam illam plebem, & cum eo Watonem, Reginbertum, Gozarium atque Latinum Presbyteros ſuos, & Ekihardum Diaconum, cum aliis Clericis, dansque ei licentiam Eccleſias conſecrare, Clericos ordinare juxta Canonum definitionem, nihilque ſibi uſurpare, quod decretis ſanctorum Patrum contrairet: Qui venientes Karinthianis dedicaverunt ibi Eccleſiam ſanctæ Dei genitricis Mariæ, & aliam in Liburnia civitate ſeu Adandrimas, & in aliis quamplurimis locis: ibique Modeſtus Epiſcopus permanſit usque ad finem vitæ ſuæ. Eo igitur defuncto Epiſcopo, poſtulavit iterum idem Cheitmar Dux Virgilium Epiſcopum, ſi fieri potuiſſet, ut ad ſe veniret: quod ille renuit, orta ſeditione, quam Carinula (*a*) dicimus, ſed inito conſilio, dimiſit ibi Latinum Presbyterum. Et non multo poſt, orta alia ſeditione, exivit inde Latinus Presbyter. Ea vero ſedata, miſit iterum Virgilius Epiſcopus Madelohum, & poſt eum Warmannum Presbyteros. Mortuo autem Cheitmaro, & orta tertia ſeditione, aliquot annis nullus Presbyter ibi erat, usque dum Waltunc Dux eorum miſit iterum ad Virgilium Epiſcopum, & intente poſtulavit, ut ad confortandam in fide prædictam terram aliquos deſtinaret Presbyteros. Petitioni igitur memorati Ducis, incremento etiam ſanctæ Eccleſiæ conſulens, miſit Heimonem & Reginbaldum Presbyteros, atque Majoranum Diaconum cum aliis Clericis viris utique religioſis & honeſtæ converſationis. Et non multo poſt miſit iterum ibidem Heimonem & Reginbaldum Presbyteros, aliosque Clericos cum eis. Iterum miſit eis Gazarium, Majoranum, Erchenbertum Presbyteros. Poſt eos Reginbaldum & Reinhardum & Auguſtinum Presbyteros, itemque alium Reinhardum & Guntharium.

Anno autem incarnationis Domini DCCLXVII. Virgilius Epiſcopus cœpit ædificare Eccleſiam miræ magnitudinis apud Salzburck, Indictione VII. Anno incarnationis Domini DCCLXXIII. dedicata eſt primo Eccleſia S. Rudberti, à S. Virgilio Epiſcopo, anno XXVI. regni Thaſſilonis Ducis. Eodem anno tranſtulit idem Epiſcopus ſanctum Rudbertum, & duos ejus Capellanos, beatum Kunialdum atque Giſilarium. Antiquis enim temporibus ex meridiana parte Danubii in plagis Pannoniæ inferioris, & circa confines, regiones Romani poſſederunt. Ipſique ibi civitatem & munitionem ad defenſionem ſui fecerunt, aliaque ædificia multa, ſicut adhuc apparet. Qui etiam Gothos & Gepidos ſuæ ditioni ſubdiderunt. Sed poſt annos nativitatis Domini trecentos ſeptuaginta ſeptem & amplius Huni ex ſedibus ſuis in Aquilonari parte Danubii in deſertis locis habitantes, transfretantes Danubium, expulerunt Roma-

(*a*) *Vel Carniula; fuit autem factio qualis olim Bagaudorum forſan à Carinthiis ſeu Carinthianis, quorum meminit, appellata. apud Gallos. Vide vitam S. Virgilii: ibi eadem ſeditio indicatur, Scriverius not. MS. in* CAN.

Digitized by Google

Romanos & Gothos atque Gepidos. De Gepidis autem quidam adhuc ibi reſident. Tunc vero Sclavi poſt Hunos inde expulſos venientes cœperunt iſtis partibus Danubii diverſas regiones habitare. Sed nunc qualiter Huni inde expulſi ſunt, & Sclavi inhabitare cœperunt, & illa pars Pannoniæ ad diœceſim Juvavenſem converſa eſt, edicendum putamus. SÆC. XII. ANNO 1190.

IGITUR Carolus Imperator, anno nativitatis Domini ſeptingentiſimo nonageſimo ſexto Æricum Comitem deſtinavit, & cum eo immenſam multitudinem, Hunos exterminare. Qui minime reſiſtentes reddiderunt ſe per præfatum Comitem Carolo Imperatori. Eodem igitur anno miſit Carolus Pipinum filium ſuum in Hunos cum exercitu multo, qui perveniens usque celebrem illorum locum, qui dicitur Rinch, ubi iterum omnes eorum Principes ſe dederunt Pipino: Qui inde revertens partem Pannoniæ, circa lacum Peliſſa inferioris, ultra fluvium qui dicitur Rapa, & ſic usque ad Dravum fluvium, & eo usque Dravus fluit in Danubium, prout poteſtatem habuit, prænominavit cum doctrina & Eccleſiaſtico officio procurare populum, qui remanſit de Hunis & Sclavis de illis partibus, Arnoni Juvavenſi Epiſcopo usque ad præſentiam genitoris ſui Caroli Imperatoris.

Poſtmodum ergo, anno Domini octingenteſimo tertio, Carolus Imperator Bajoariam intravit, & in menſe Octobrio in Salzburg venit, & præfatam conceſſionem filii ſui iterans poteſtative multis aſtantibus fidelibus ſuis affirmavit, & in ævum inconvulſam fieri conceſſit. Simili modo etiam Arno Epiſcopus, ſucceſſor Virgilii, ſedis Juvavenſis deinceps curam geſſit paſtoralem, undique ordinans Presbyteros, & mittens in Sclaviniam, in partes videlicet Karinthianas atque inferioris Pannoniæ illis Ducibus atque Comitibus, ſicut pridem Virgilius fecit, quorum unus Ingo vocabatur, multum charus populis & amabilis propter ſuam prudentiam. Cui tam obediens fuit omnis populus, ut ſi cuique vel charta ſine litteris ab illo directa fuit, nullus auſus eſt ſuum negligere præceptum, quod etiam mirabiliter fecit. Vere ſervos credentes ſecum vocavit ad menſam, & eos qui eis dominabantur infideles, foris quaſi canes ſedere fecit, ponendo ante illos panem & carnem, & fuſca vaſa cum vino, ut ſic ſumerent victus. Servis autem ſtaupis deauratis propinare juſſit. Tunc interrogantes primi deforis dixerunt: Cur facis nobis ſic? At ille. Non eſtis digni, non ablutis corporibus cum ſacro fonte renatis communicare, ſed foris domum ut canes ſumere victus. Hoc facto fide ſancta inſtructi, certatim cucurrerunt baptizari, & ſic deinceps religio Chriſtiana ſuccreſcit. Interim contigit anno videlicet nativitatis Domini DCCXCVIII. Arnonem jam Archiepiſcopum, à Leone Papa, accepto pallio, remeando de Roma veniſſe ultra Padum, eique obviaſſe Miſſum Caroli, cum Epiſtola ſua, mandans illi ipſo itinere in partes Sclavorum ire, & exquirere voluntatem populi illius, & prædicare ibi verbum Dei. Sed quia hoc facere nequivit antequam reſponſum redderet ſuæ legationis, feſtine perrexit ad Imperatorem, & retulit ei, quicquid per eum Dominus Leo Papa mandavit. Poſt expletam legationem ipſe Imperator præcepit Arnoni Archiepiſcopo pergere in partes Sclavorum & providere omnem illam regionem, & Eccleſiaſticum officium more Epiſcopali colere, populosque in fide & Chriſtianitate prædicando confortare, ſicuti ille fecit, illuc veniendo conſecravit Eccleſias, ordinavit Presbyteros, populumque prædicando docuit, & inde rediens nunciavit Imperatori, quod magna ibi potuiſſent effici, ſi quis inde habuiſſet certamen. Tunc interrogavit illum Imperator: Si aliquem Eccleſiaſticum virum, qui ibi lucrum potuiſſet agere Deo. Et ille dixit ſe habere talem, ut Deo placuiſſet, & illi populo paſtor fieri potuiſſet. Tunc juſſu Imperatoris ordinatus eſt Theodoricus Epiſcopis ab Arnone Archiepiſcopo Juvavenſium, quem ipſe Arno & Geroldus Comes perducentes in Sclaviniam dederunt in manus principium, commendantesque illi Epiſcopo regionem Karinthianorum & confines eorum Occidentali parte Dravi fluminis, usque dum Dravus fluit in amne Danubii, ut poteſtative populum regeret ſua prædicatione & Evangelica doctrina doceret ſervire Deo, & ut Eccleſias conſtructas dedicaſſet, Presbyteros ordinando conſtituiſſet, totumque Eccleſiaſticum officium, in illis partibus, prout Canonicus Ordo expoſcit, perficeret. Dominationem & ſubjectionem habens Juvavenſium rectorum, ſicuti ille fecit quamdiu vixit.

POST diem vero tranſitus de hoc ſæculo, Arnonis Archiepiſcopi, Nono Calend. Februarii, Anno Domini DCCCXXI. cum minus dimidio anno, Ammilonius Abbas eidem ſedi præſediſſet: Adalramus piiſſimus doctor, prius Archidiaconus ejus-

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

ejusdem Ecclesiæ, sedem Juvavensem susceptit regendam Calend. Decemb. Qui inter cætera beneficiorum opera, finito cursu Theodorici Episcopi, prout Arno Archiepiscopus antea Theodorico Episcopo Sclavos commisit, ita & iste Ottonem constituit Episcopum. Ipse enim Adalramus anno nativitatis Domini DCCCXXIV. pallium accepit ab Eugenio Papa, Idibus Novembris, præsente Lothario filio Caroli magni, rexitque gregem sibi commissum quindecim annis. Eoque superna clementia vocante, à nexibus corporis absoluto secundo nonas Januarii, Liupramus venerabilis prædictæ sedis Pontificatum accepit, anno Christi DCCCXXXVI. quem Gregorius Papa eodem anno pallio honoravit. Hujus præsulatus anno decimo, Ecclesia S. Rudberti in Salzburg igne periit. Anno denique nativitatis Domini DCCCLI. Liuprammus Archiepiscopus Romam perrexit, & à Leone Papa quarto, sanctum Hermetem obtinuit & Salzburg honorifice transtulit. Luiprammus innumerabilibus Deo placitis operibus peractis, sidereas conscendit sedes, anno Christi DCCCLIX. secundo Calend. Octobris. Cui successit, quem ipse nutrivit, Adalwinus venerabilis Præsul, pallio honoratus à Nicolao Papa, enituit cum omni regens diligentia gregem divinitus sibi commissum: quorum temporibus, Liuprammi videlicet ac Adalwini Archiepiscoporum, Oswaldus Episcopus Sclavorum regebat gentem, prout jam priscis temporibus jam dicti Episcopi fecerunt, subjecti Episcopis Juvavensibus. Ejus anno tertio Ludovicus Rex festum sancti Martini celebravit apud Juvavum.

MONU-

Digitized by Google

MONUMENTORUM
SALISBURGENSIUM
PARS QUARTA:
HISTORIA
DE
MIRACULIS
S. VITALIS.

Ex antiquo Codice descripta

A

JOHANNE STEINHAUSERO
SENATORE SALISBURGENSI.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

CANISIUS

Ad Lectorem.

CUI monumentum hoc debeatur, agnoscis, puto, Lector, ex ipsa inscriptione. Nimirum nobilis Dominus Joannes Stainhauser satis non habet in Republica præclarè versari: partem quoque temporis ad Bibliothecas transfert, & in illis excutiendis insumit: & inde nobis profert hæc aurea Sanctorum dicta & facta: Aurea, perpetua super digniſſima vita: *quorum nonnulla jam antea in secundo Tomo Antiquæ lectionis ediderámus, sed hic omnia pleniora & integriora damus, studio & opera prædicti Domini* STAINHAUSERI *& diligentia admodum Reverendi in* CHRISTO *Patris, Domini* MARTINI *Monasterii sancti Petri Salisburgi, Abbatis vigilantissimi, qui editionem nostram cum manuscriptis Codicibus Bibliothecæ suæ studiosè conferens, variantem Scripturam enotavit, enotatamque perbenigne ad nos misit. Reperimus quoque in Bibliotheca Magnifici Domini Doctoris* ALBERTI HUNGERI, *Academiæ nostræ Procancellarii, qui hoc anno mortalitatem explens ad immortalitatem migravit, Chronicon quoddam Salisburgense, quod his adjungere visum, ut Salisburgensia ista monumenta absolutiora redderentur. Testimonia porro, quæ singulis præfixa cernes, collegit accuratè ex variis Auctoribus Dominus* STAINHAUSER: *quod te, mi Lector, nescire noluimus, ut unicuique sua constet gratia.*

IN

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

IN PRODUCTIONEM MIRACULORUM S. VITALIS ABBATIS PRIMI (a) MONASTERII S. PETRI *Salisburgi, & ſecundi Epiſcopi ibidem.*

(a) Vide Obſ. n. XIII. BASN.

HANC B. Vitalis miraculorum productionem ex manuſcripto Codice Anno 1462. collecto, deſcribendam curavi, quæ in Monaſterio ſancti Petri aſſervatur. Cauſa vero quod iſte Beatus in Sanctorum numerum non fuerit cooptatus, ipſa Pontificis mors exſtitit, quem ſecutus etiam eſt exiguo temporis intervallo Cardinalis & Salisburgenſis Archiepiſcopus Burckhardus de Weiſpriach, quo defuncto, tanquam auctore, res effectum non amplius habuit.

Demum, ob inſignem miraculorum hujus Beati coruſcationem, fratres Monaſterii ſancti Petri, pro cultu & veneratione ejusdem à Leone decimo Brevè ſive Privilegium ſubſequens, quod ipſe deſcripſi, impetrârunt.

LEO PAPA DECIMUS,

Dilectis filiis Abbati & Conventui ac Monachis, & Religioſis Monaſterii ſancti Petri Salisburgenſis, Ordinis ſancti Benedicti. *Leonis X. decretum.*

DILECTI Filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Licet dum militans in terris Eccleſia triumphantem in cœlis, filioli, & devoto veneratur affectu, ac virtutes, laudes, præconiaque Sanctorum DEI digniſſimis attollit titulis & illuſtrat: devotis quoque precibus, & ſolenni ritu ſacrificia laudum offert & decus & venerationem civium ſupernorum, nihil eis accreſcat novæ perfectionis & gloriæ: Nihilominus felicis recordationis Pius Papa ſecundus, prædeceſſor noſter, provide conſiderans, & attenta meditatione perſpiciens, quod Rex cœleſtis Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ut corda fidelium in ſui amorem accenderet, & incredulos converteret ad fidem, ſanctos ſuos miraculis magnificaverat glorioſis, volens de meritorum excellentia & miraculorum coruſcatione felicis memoriæ Vitalis olim Monaſterii veſtri Abbatis, & in Eccleſia Salisburgenſi, quæ inſignis Metropolitana exiſtit, poſt B. Rupertum immediate ſucceſſoris, cum piè vixiſſet in ſæculo, viam ſalutis docendo, ac moribus & exemplo proficiendo, plurimisque miraculis coruſcare paſſim aſſereretur, veridico, (prout tantæ rei moles exigebat) informati, certis tunc Epiſcopis per ſuas litteras dedit in mandatis, quatenus ſi ſuper hoc publica fama in partibus illis invaluiſſet, quod de ipſius Vitalis, (cujus corpus in Eccleſia veſtri Monaſterii requieſcit) vita & miraculis requirendum videretur, de virtute morum & veritate ſignorum, operibus ſcilicet & miraculis diligentius inquirentes, quod ſuper præmiſſis invenirent conſcriptum, fideliter ſub eorum ſigillis, & cum ſuarum litterarum ſerie & teſtimonio permitterent, prout in iiſdem litteris plenius continetur. Cum autem nuper pro parte veſtra expoſitum nobis fuiſſet, quod propter dicti Papæ prædeceſſoris noſtri *Hæ littera extant in Actis.*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

obitum, licet quamplures teſtes ſuper vita, ſignis & miraculis ipſius Vitalis, qui ab hinc ferme milleſimo anno jam elapſo, mortalitatis noſtræ reliquit exuvias, religioſiſſime ſanctiſſimeque antea in humanis agens, gratia divina ſibi aſſiſtente vivens, ac Deo gratas & acceptas operationes peragens, ita ut cœlitum numero piè exiſtimetur eſſe relatus, ad ulteriora proceſſum non fuerit: cupitis tamen ob ſingularem devotionem, quam ad eum geritis, tum ob crebra, quæ ſuis interceſſionibus Deus noſter operatur miracula, & ut devotionis fervor augeatur, & bonorum operum ſectatores efficiamini, pro veſtra & populi devotione in Eccleſia veſtra Miſſas de uno Confeſſore & Pontifice ad honorem præfati Vitalis, quoties devotio veſtra ad id vos moverit, celebrare, ac in die depoſitionis ſuæ, quæ eſt vigeſima Octobris, ad ipſius ſimiliter honorem, & laudem, horas Canonicas in veſtra Eccleſia de uno Confeſſore & Pontifice (non tamen omiſſis horis per eundem diem occurrentibus) libere & licite decantare poſſe, vobis indulgeri. Quare nobis humiliter ſupplicari feciſtis, ut tam pio tamque ferventi deſiderio veſtro in hac parte annuere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui fideles ſingulos & præſertim ſub ſuavi religionis jugo Domino famulantes, ad devotionem & venerationem Sanctorum Dei, quantum poſſumus, libenter excitamus, & ut imitatores illorum exiſtere valeant, eorum piis deſideriis ex magno devotionis fervore prodeuntibus libenter annuimus, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, intellectaque relatione nobis per dilectos filios noſtros Achillem ſanctæ Mariæ trans Tiberim, & Dominicum S. Clementis, titulorum S. E. R. Presbyteros & Cardinales nobis ſuper examinatione vitæ, miraculorum & operum ejusdem Vitalis, olim per certos ſubdelegatos à dictis Epiſcopis vigore litterarum Pii Prædeceſſoris hujusmodi facta, vobis & pro tempore exiſtentibus dicti Monaſterii Religioſis, quod pro veſtra & populi ſpirituali conſolatione & devotione in Eccleſia dicti veſtri Monaſterii, Miſſas de uno Confeſſore & Pontifice ad honorem dicti Vitalis, quoties vos aut veſtrum aliquem ad id devotio moverit, atque in die dictæ depoſitionis ad honorem ejus, horas Canonicas in Eccleſia veſtri Monaſterii, ſimiliter de uno Confeſſore atque Pontifice (non tamen omiſſis horis per eundem diem occurrentibus) cum Orationibus, Reſponſoriis & Antiphonis ad id congruentibus decantare, donec dictus Vitalis per nos aut ſucceſſores noſtros Romanos Pontifices, aliorum Sanctorum catalogo aſcriptus fuerit, liberè & licitè poſſitis & valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, ex noſtra certa ſcientia perpetuò concedimus, pariterque indulgemus, non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, dictique Monaſterii veſtri juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 4. Novemb. Anno M. D XIX. Pontificatus noſtri anno ſeptimo.

TESTIMONIA DE B. VITALE.

Ex Chronicis Salisburgenſium Antiſtitum manuſcriptis Monaſterii ſancti Petri ibidem.

Vitalis vita.

DIvo Ruperto ſucceſſit B. Vitalis, primus cœnobii S. Petri Abbas, qui ceu amborum vitæ conſuetudinisque commertio conjectari poteſt, à pueritiæ prætexta ſanctiſſimi Pontificis Rudberti, non tantum itineris ſocius fuit ſed alumnus, & laborum atque vigiliarum æmulus, quin imo primarius ex diſcipulis & Jeſu Chriſti digniſſimis Præconibus. Qui ſane chariſſimi & eruditiſſimi præceptoris Rudberti doctrinæ prædicationis & ſanctitatis veſtigiis innixus, non minimam operam converſioni & illuminationi Pinsgaudienſium & nonnullorum aliorum generum hominum, providè, ſolerter & hilariter impendit. Unde propter inſignem ejus vitæ ſanctitatem, honeſtatem, modeſtiam, temperantiam, ſapientiam, exactiſſimum quoque religionis acumen, vita nondum functo pientiſſimo Pontifice Rudberto, ab eodem in ſuum ſucceſſorem ſuffectus eſt. Fuit ſane erga omnes mortales adeo pius benignus & manſuetus, ut hoc regii Pſalmographi eulogium in ejus manſuetudine continuo compleri potuerit: *Manſueti hæreditabunt terram & delectabuntur in multitudine pacis:* adeo in egenos & inopes miſericors, ac etiam liberalis, ut petentium eleemoſynam ſine munere è conſpectu beati Præſulis abſceſſerit penitus nemo: Totus, inquam, bonus, benevolus, affabilis, incorrupta fide. Quicquid aliena largitione in teſtamentis collatum habuit, in animarum perpetuam ſalutem expendens, inopum viduarum anguſtiam, afflictorum orphanorum oppreſſiones publicè & privatim alicujus largitionis ſubſidio

Pſalm. 36.

Digitized by Google

ſubſidio ſublevavit: cæteris quibuſcunque calamitatibus laborantibus patrocinia ſemper accommodavit, ut eæ ſententiæ de ejus liberalitate proclamari poſſent: *Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.* Et iterum: *Cornu ejus exaltabitur in gloria:* quia jurejurando Conſiliariis Principum adactis, quicquid inter illos diſſenſionis, factionis, diſcordiæ aut ſimultatis comperit, idipſum ſedula ratione compoſuit: ſed providus etiam Pontifex diſſidentes & diſcordes in plebe animos tumultuariosque motus pro virili ſemper ſedare ſtuduit: tanta enim affluxit ſermonis facilitate, lenitate, libertate & elegantia, tanta affabilitatis dulcedine, ut nedum publica concione populos, ſed privatim ferociſſimas beluas ad humanitatis officium concitare potuerit. Unde ab omnibus tanquam alter Bojariorum Apoſtolus cultus, & ſummis laudum, reverentiæ, & obſervantiæ præconiis cumulatiſſime affectus eſt. Quare nihil tunc temporis incompoſitum, nihil adverſum, in omnibus prope Noricorum tractibus accidit: ſed omnia recta, honeſta, religioſa & juſta in pretio fuêre. Quis igitur tam rudis virtutum & morum cenſor eſſe potuiſſet, qui non ſummo laudis concentu virum tam admirabilem ad ſidera usque attolleret? cujus ſobrietatem, caſtitatem, juſtitiam & omnes ingenuas virtutes, non ſolum homines mortales admirabantur, dæmones contremiſcebant, ſed ſtellæ & elementa ultra omnes cœlos efferebant maximo laudum cumulo? Ab æterno equidem creaturæ laudant Deum in ſanctis ſuis, quia gladii in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus & increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis judicium conſcriptum, quæ gloria eſt omnibus ſanctis Dei. Et huic beato Vitali tanto major, ſplendidior & uberior ab immortali Deo ſiderea in ſede præparata, quanto formæ dignitate, animi nobilitate, ſapientiæ ubertate, doctrinæ excellentia, fidei firmitudine, & generis amplitudine inter mortales plus claruit. Quis, inquam, ambigere poterit, quin illuſtri proſapia aut Regum aut Principum beatiſſimus Vitalis progenitus ſit, cum à S. Rudberto, tantopere excultus, veneratus, dilectus, prælatus, & in ſecundum Epiſcopum Salisburgi electus fuerit? Quantis certè miraculis in vitâ floruerit, ex hoc quilibet animadvertere poteſt, quod provolutis in terram cæcis viſum ſolo cœli intuitu, claudis greſſum uno ſolo ſuſpirio, paralyticis membrorum ſanitatem unica familiari ſalutatione reddidit. Sed & quantus apud æternum Patrem poſt mortem extiterit, miraculorum iſta portenta clariſſimè indicant, quæ per invocationem ſui ſancti nominis patrata, cunctorum mortalium animos præſentem usque in diem ingenti & admiratione & ſtupore concutiunt. Inter quæ hoc memoratu digniſſimum exiſtit, quod lilium ſanctiſſimi ex Confeſſoris corde per marmoris ſummam duritiem ita excrevit, ut nec æſtatis, nec hyemis, nec æſtus, nec frigiditatis vi à viriditatis flore dejici potuerit. Volens autem feliciſſimus Pater divina vocatione ad æterna ex hac lachrymarum colluvione commigrare, fratres convocatos longa orationis ſerie ad DEI altiſſimi cultum, novæ ſedis conſervationem atque mutuam charitatem, concordiæ, pacis & unitatis vincula ſeduló adhortatus eſt: atque inde poſtquam Euchariſtiæ ſacramento religioſe perfungitur, inter fratrum lucubrantes manus ſpiritum remittit in cœlum, Anno regiminis ſui ſecundo ſuper vigeſimum.

SÆC. XII. ANNO 1190.

Pſal. 111. Ibidem.

Miraculum hoc de lilio exſtat pulchre in Actis ipſius Canonizationis.

Inſcriptio ſepulchrali marmori inciſa hæc eſt:

Præſul Vitalis cubat hîc ægrisque medetur. Anno 646.

DE EODEM.

Arnold. Wion in ligno vitæ lib. 2. cap. 53. pag. 352.

S. Vitalis Monachus & Abbas Monaſterii S. Petri de Salisburgo vitæ ſanctitate ac doctrina clarus, S. Ruperto magiſtro ſuo in regimine Epiſcopatus ſuccedit, præfuit annis 23. & obiit anno 646. Belforeſtius in catalogo Epiſcoporum Salisburgenſium in Coſmogr. ſua, & Democharis de ſacrificio Miſſæ tom. 2. c. 40.

Nobiliſſ. M. Vel. Duumvir. Aug. rerum Boicar. lib. 4. pag. 219.

SAnctus Rupertus erecto Chriſti fiducia animo, Salisburgenſem ſedem & univerſam Boicam Deo precibus commendat, ſimul oſtendit, quem ex Sacerdotum numero ſibi ſucceſſorem ſubſtitui cupiat, Vitalem videlicet, notæ ſanctitatis, & apud omnes ordines gratioſum hominem.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

Avent. lib. 3. fol. 276.

Beatum Vitalem inter Epiſcopos Bavariæ ponit hoc elogio:

Vitalis vir eruditus, admodum populo acceptus.

Caſpar. Bruſch. in Monaſt. Germ. fol. 131.

BEatus Vitalis ſucceſſit S. Ruperto in utraque gubernatione, Epiſcopatus videlicet & Abbatiæ: vir vitæ innocentia & ſanctimonia eximiè clarus. Præfuit annos 23. Obiit anno Domini 646. Sepelitur in cœnobio S. Petri.

Wigul. Hund. in metropol. Salisburg. in principio.

BEatus Vitalis unus ex ſociis S. Ruperti, ejusque ſucceſſor, quem ſibi moriens ille ſuffecerat, primus Abbas cœnobii S. Petri, factus eſt Epiſcopus Javavienſis. Nam legitima ſedes Epiſcopalis diu permanſit apud Monaſterium S. Petri. Fuit Vitalis homo ſanctiſſimus, qui multis claruit miraculis, & Epiſcopatui magna cum laude præfuit annos 22. ſepultus apud S. Petrum. Ex hujus corde dicunt excreviſſe lilium per lapidem marmoreum tumulo impoſitum, per quod cordis ipſius puritas, ab omni terrena pollutione libera, proculdubio fuit ſignificata.

Prodiit in lucem anno elapſo libellus Germanice conſcriptus de vita & miraculis S. Vitalis, ex productione miraculorum ejus ut plurimum congeſtus, Salisburgi excuſus.

S. VITA:

Digitized by Google

S. VITALIS

SÆC. XII. ANNO 1190.

MIRACULORUM PRODUCTIO.

SANCTISSIMO in Christo Patri & Domino nostro Domino Pio, divina providentia Sacrosanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ summo Pontifici Domino nostro clementissimo. Ulricus Chiemensis, & Georgius Seccovienſis Ecclesiarum Episcopi, ejusdem vestræ sanctitatis humiles creaturæ: Executores ad infrascripta à vestra sanctitate delegati. Petrus permissione divina sancti Petri Salisburgi, Georgius sancti Michaëlis in Peûrn Monasteriorum, Ordinis sancti Benedicti, Salzburgensis diœcesis Abbates: & Benedictus Præpositus in Heglwert, Ordinis sancti Augustini Canonicorum regularium ejusdem diœcesis, per Reverendum in Christo Patrem & Dominum Dominum Joannem Episcopum Frisingensem una cum dictis Dominis Episcopis per beatitudinem vestram ad subscripta delegatum. Subdelegati ejusdem vestræ sanctitatis oratores humiles & devoti, obedientiam & devotissima pedum oscula beatorum. *Vitalis miracula.*

Beatissime Pater, nos Ulricus & Georgius Episcopi delegati prædicti, binas vestræ sanctitatis literas, nos vero Abbates & Præpositus subdelegati litteras subdelegationis præfati Domini Episcopi Frisingensis, una cum litteris Apostolicis prædictis nobis pro parte Reverendissimi in Christo Patris & Domini, D. Burchardi sanctæ Salzburgensis Ecclesiæ electi & confirmati Apostolicæ Sedis Legati, per providum virum Magistrum Caspar Westndorffer ejusdem Domini electi & confirmati procuratorem legitimum, prout de hujusmodi suæ procurationis mandato nobis facta est plena fides coram Notariis publicis & testibus infrascriptis præsentatas, nos cum ea qua decuit reverentia recepimus, hujusmodi sub tenore.

PIUS Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Frisingensi, & Seccovienſi, ac Chiemensi Episcopis, salutem & Apostolicam benedictionem. Ut corda fidelium in sui amorem Rex cœlestis accendat & incredulos convertat ad fidem, sanctos suos miraculis magnificat glorioſis. Devotiores enim fideles ipsi redduntur Altissimo, dum vident electos ipsius post exitum hujus vitæ fœlicem virtutibus coruscare, ac reliqui eum sequi desiderant, cum se sequentibus æterna præmia largiatur. Sane de meritorum excellentia quibus sanctus Rudbertus, quondam Salzeburgensis Antistes & Confessor Domini glorioſus, sub nostræ mortalitatis habitu, vitam duxit sanctissimam, processit quod ipsum post obitum suum crebris coruscantem miraculis, Apostolica sedes catalogo sescripsit beatorum, & sicut dilectus filius Burchardus Præpositus & Archidiaconus Salzburgensis nobis exposuit, fœlicis memoriæ, Vitalis, quem Deus, qui Ecclesiam suam semper nova prole fœcundat, in Ecclesia Salzburgensi prædicta, fecit immediate succedere, cum pie vixisset in hoc sæculo, viam salutis docendo verbis pariter & exemplo, tandem præsentis vitæ cursu fœliciter consummato, multis ab eo tempore miraculis Deus decoravit, ac in præmium sanctitatis ejus Episcopi fidelibus usque in præsentem diem monstrare dignatus est. Ita quod remanentibus etiam adhuc tam scriptis suis, quam operum suorum vestigiis, *Christi* fideles ipsi reliquias suas devota & assidua visitatione frequentant, ac si catalogo prædicto jam haberetur descriptus.

Cum itaque non deceat eum apud homines sine veneratione relinqui, quem merita sanctum ostendunt & miracula: Nos quos providentia docet, festinos in certis, & lentos in dubiis inveniri, dicti Burchardi devotis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati vestræ, de qua gerimus in Domino fiduciam pleniorem, præsentium auctoritate committimus, quatenus si adeo super hoc publica fama in partibus illis invaluit, quod de ipsius Vitalis, cujus corpus in Ecclesia Monasterii sancti Petri Salisburgi requiescit, vita & miraculis inquirendum videatur, de virtute morum & veritate signorum, operibus scilicet & miraculis secundum interrogatoria, quæ vobis sub bulla nostra intercluſa mittimus diligenter inquirentes, quod super præmissis invenietis

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

venietis conſcriptis fideliter, ſub veſtris ſigillis, & cum veſtrarum litterarum ſerie teſtimonio remittatis. Datum Senis: Anno incarnationis Dominicæ, milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo nono, duodecimo Calend. Maii, Pontificatus noſtri, anno primo.

PIUS Epiſcopus, ſervus ſervorum DEI, Venerabilibus fratribus N. Friſingenſi, & N. Seccovienſi, ac N. Chiemenſi Epiſcopis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Hodie per vos accepto, quod fœlicis recordationis Vitalis quondam Salzburgenſis Antiſtes, cujus corpus in Eccleſia Monaſterii ſancti Petri Salzburgæ requieſcit, tot & tanta miracula jugiter operaretur, quod Epiſcopi fideles illarum partium ejusdem Vitalis invocarent ſuffragia, ac devota veneratione ipſius viſitarent reliquias, ac ſi de catalogo Sanctorum haberetur aſſcriptus. Nos tunc volentes ſuper hoc ad plenum certiorari, vobis per alias noſtras litteras commiſimus & dedimus in mandatis, quatenus de vita & meritis Vitalis, ac miraculis hujusmodi, & cæteris circumſtantiis juxta interrogatoria vobis ſub bulla noſtra tranſmittenda, veritate per vos diligentius inquiſita, nobis quæ inveneritis, per litteras veſtras fideliter intimare ſtuderetis.

Teſtes igitur legitimos quos ſuper præmiſſis debetis recipere, prius ab eis præſtito juramento diligenter examinare procuretis, & de omnibus quæ dixerint interrogetis eos, quomodo ſciunt, quo die, quibus præſentibus, quo loco, ad cujus invocationem, & quibus verbis interpoſitis, & de nominibus illorum circa quos miracula facta dicuntur, & ſi eos antea cognoſcebat, & quot diebus ante viderunt eos infirmos, & quot diebus fuerint infirmi, & quanto tempore viſi ſunt ſani, & de quo loco ſunt oriundi, & interrogentur de omnibus circumſtantiis diligenter & circa ſingula capitula fiant ut expedit, præmiſſæ quæſtiones & ſeries teſtimonii, & verba teſtium fideliter redigantur in ſcriptis. Datum Senis, Anno incarnationis Dominicæ milleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimo nono, duodecimo Calendas Maii, Pontificatus noſtri anno primo.

JOANNES Dei gratia, Epiſcopus Friſingenſis, Judex & Commiſſarius cauſæ infraſcriptæ à Sede Apoſtolica una cum collegis noſtris ſpecialiter delegatus. Venerabilibus & religioſis N. ſancti Petri Salisburgæ, & N. in Peürn Ordinis S. Benedicti Abbatibus, nec non in Hegelwert Ordinis S. Auguſtini Præpoſito, Salzburgenſis diœceſis, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.

Litteras ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Pii, divina providentia Papæ ſecundi, ejus vero bulla plumbea in cordula Canapi, more Romanæ curiæ, impendens, bullatas, ſanas & integras non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes, nobis præſentatas, nos cum ea qua decuit reverentia noveritis recepiſſe, hujusmodi ſub tenore:

Pius Epiſcopus ſervus ſervorum DEI, venerabilibus fratribus N. Friſingenſi, & N. Seccovienſi, ac N. Chiemenſi Epiſcopis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ut corda fidelium in ſui amorem Rex cœleſtis accendat, & incredulos convertat ad fidem, ſanctos ſuos miraculis magnificat glorioſis, devotiores enim fideles ipſi reddimur altiſſimo, &c. *Tota hæc bulla prius ſcripta eſt de verbo ad verbum.* Sed quia nos tam noſtris quam Eccleſiæ noſtræ negotiis cauſisque variis legitime impediti cognitioni hujusmodi cauſæ & negotii ad præſens vacare & utiliter intendere commode non valemus: Idcirco de omnium veſtrum legalitate ac religioſitate plene confiſi, vobis in hac parte plenariè committimus vices noſtras, volentes nihilominus, ut in negotio hujusmodi ſecundum traditam à Sede Apoſtolica formam, ac alias ut de jure fuerit procedendum, procedatis. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras noſtri ſigilli juſſimus & fecimus à tergo impreſſione communiri. Datum in caſtro noſtro Friſingenſi, die octava Menſis Martii, Anno Domini M. CCCCLXII.

POST quarum quidem litterarum præſentationem & receptionem, fuimus per ſupradictum Magiſtrum Caſpar procuratorem nomine quo ſupra procuratorio, debita cum inſtantia requiſiti, quatenus ad executionem earundem litterarum procedere dignaremur.

Nos itaque Ulricus & Georgius Epiſcopi delegati, Petrus & Georgius Abbates, & Benedictus Præpoſitus ſubdelegati ſupradicti, adjunctis nobis viris doctis & juriſperitis, ſuper prædictis mature deliberavimus, & quia requiſitionem antedicti procuratoris juſtam & rationi conſonam cognovimus: Idcirco ad procedendum ad executionem

Digitized by Google

nem prædictam, quantum in ſufficientia noſtra, pro tam grandi & ſancto opere ſup- SÆC.
peteret, nos obtulimus gratis animis paratos. Quo facto, Magiſter Caſpar procura- XII.
tor ſupradictus, quosdam articulos & petitiones negotium inquiſitionis præſcriptum ANNO
tangentes, coram nobis exhibuit atque produxit, quorum articulorum tenor de ver- 1190.
bo ad verbum ſequitur, & eſt talis.

CORAM vobis Reverendis ac venerabilibus in Chriſto patribus & Dominis, Domino Ulrico Chiemenſi, & Domino Georgio Seccovienſi Eccleſiarum Epiſcopis, per ſanctiſſimum Dominum noſtrum D. Pium divina providentia Papam ſecundum, una cum Reverendo in Chriſto Patre & Domino, Domino Joanne Epiſcopo Eccleſiæ Friſingenſis delegato, nec non Domino Petro ſancti Petri Salzeburgæ, Domino Georgio in Peûrn Ordinis S. Benedicti Abbatibus, & Benedicto in Hegelwert Canonicorum regularium Ordinis S. Auguſtini, civitatis & diœceſis Salzburgenſis Præpoſito, per præfatum Dominum Joannem Epiſcopum Friſingenſem ſubdelegatis & deputatis, procurator & procuratorio nomine Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini, Domini Burchardi Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia electi & confirmati ſanctæ Eccleſiæ Salzeburgenſis, pro inquiſitione famæ & veritatis, ſanctitatis & miraculorum beati Confeſſoris Chriſti Vitalis olim ejusdem Salzburgenſis Eccleſiæ Antiſtis, dat, exhibet, & in medium proponit capitula & articulos infraſcriptos, ad quorum probationem neceſſariam, non ſuperfluam, ſe offert & admitti petit.

Et priusquam ſubmittantur articuli famæ ſanctitatis & miraculorum hujusmodi, proteſtatur procurator nomine procuratorio quo ſupra, quod præfatus Reverendiſſimus Dominus Electus & Confirmatus, in ea re canonizationis, dicti quondam Salzburgenſis Eccleſiæ Præſulis beati Vitalis, quam ſua Reverendiſſima paternitas admodum cordi habet atque proſequitur, nulla unquam avaritiæ atque temporalis commodi ſive ambitionis, honoris aut quavis alia fuerit vel ſit motus ſiniſtra intentione. Quinimo pro etiam, ſi opus foret, jurejurando confirmare poſſet, hæc omnia duntaxat pro Dei ſanctorumque ejus laude, gloria & honore, populorum devotione, animarum ſalute, meritorum quoque cumulatione, atque inſtantium adverſitatum, & ineffabilium undique perſecutionum, ejusdem beati Vitalis meritis, diminutione & propulſione, & non aliter, quam ut præmiſſum eſt, fieri, facere, ac proſequi vult atque cupit.

Hac igitur proteſtatione præmiſſa ponit primo, & probare, ut ſupra, intendit dictus procurator: Quod Eccleſia Salzburgenſis à ſui primordio & fundatione, multos & diverſos pro tempore Antiſtites ſanctoſque Patres habuit & paſtores. Quorum aliqui jam dudum, utpote Rudpertus primus & Virgilius octavus catalogo Sanctorum aſſcripti habentur & canonizati, quorum etiam præcellentia ſanctitatum floruit atque floret hodie, atque etiam Salzburgenſis Eccleſia præ aliis Eccleſiis dicta eſt & hodie acclamatur ſancta.

Item quod hi ſanctiſſimi duo Patres Rudbertus & Virgilius inter alia ſua magnalia, etiam Bavariam & Carinthiam prædicatione ſua & doctrina ad fidem reduxerunt. Gentes primum baptizarunt, primas earundem partium Eccleſias fundarunt, ac Clericos inſtituerunt, unde etiam à cunctis Apoſtoli earundem partium nominantur & exiſtunt. Item quod de præmiſſis fuit & eſt tanta fama, quod nec puer, nec alterius ætatis homo rationis utens hæc ignoret.

PRIMUM igitur ſanctitas beati Vitalis conſtat & ſumitur ex præficientis ſanctitate. *Secundo* ex vitæ & meritorum puritate. *Tertio* ex proximorum fructu & ædificatione. *Quarto* ex divina tam in vita, quam poſt mortem per multorum operationem miraculorum approbatione. *Quinto* ex continua ſine intermiſſione populi adoratione, ipſiusque tumuli viſitatione, nec non cereorum aliarumque rerum ac munerum inſignioruмque oblatione, imo & certiſſima fide nullis unquam temporibus à fidelium cordibus evellenda.

Dicitur primo quod ex præficientis ſanctitate. Teſtantur namque libri antiqui, & veteres ſcripturæ Eſtque de hoc vox & fama, quod imminente ſanctiſſimi Patris Rudberti de hoc ſæculo emigratione, in die videlicet ſancto Paſchæ, divinis prius ab ipſo peractis, dum ſpiritus ejus fœliciſſimus jam cœlos penetrare deberet, inter plures ſuæ congregationis perfectos, ſingulariter beatum Vitalem ſibi ſtatuit ſucceſſorem juxta continentiam vitæ ejus ſic dicentis: *Urbem Juvavenſem & populum Noricorum omnipotenti Deo commendavit, & Vitalem virum ſanctum & omni populo acceptum, ſibi fieri Succeſſorem elegit.*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

Secundo & tertio ſanctitas beati Vitalis dicitur conſtare ex meritorum & vitæ puritate, nec non proximorum fructu & ædificatione. Certum namque habetur, beatum Vitalem coætaneum atque diſcipulum ſanctiſſimi Rudberti extitiſſe. Et quid indè certius concludi valet, niſi quod Patris inclyta merita præclaraque vita ac ſalutaris doctrina redundaverit atque effulſerit in tam capaci diſcipulo. Tanta enim magiſtri ſanctitas ſola ſtare ſine redundantia nullis modis credi debet, dum enim fidem Chriſti usque ad metas Ungariæ diſcurrendo ſanctiſſimus vir Rudbertus diſſeminaret, nulla admittit veri ſimilitudo, quod hunc ſuum dilectum diſcipulum reliquerit abſentem, ſed magis ſodalem & fidelem creditur inter cæteros habuiſſe coadjutorem.

Quarto ſanctitas beati Vitalis reluxit & relucet divina approbatione, ex miraculorum ſcilicet tam in vita quam poſt mortem oſtenſione. Tradit enim antiquitas & idem veteribus libris, codicibus, multis etiam variis regiſtris, tabulis, figuris, & picturis deſcriptum habetur, quod poſt tranſitum beati Pontificis Vitalis, multi & varii arrepticii, cæci, claudi, contracti, variis etiam aliis languoribus dentium & aliorum membrorum depreſſi, etiam de longe advenientes per invocationem ejusdem, & apud tumbam ſuam provoluti, ſubito ſunt & ad integrum atque perfectum reſtituti. Et quod hæc in ſpecie per ſingula deſcribere nimis proteloſum foret & extenſum, idcirco ad libros veteresque & approbatas ſcripturas producens ipſe ſe remiſit, unicum tamen præſentibus deſignans.

MIRACULUM DE LILIO ALBO.

Vitalis miraculum de Liliô albo.

QUOD cum quidam poſt ejusdem Patris obitum de miraculis ſuis diffiſus, atque dixiſſet, ſe hæc non crediturum, niſi lilium ex tumba ejusdem creſcere conſpiceret. Quadam vice, dum proximus tumbæ accederet, oculis ſuis lilium unum album de corde ſancti viri aſcendere reſpexit & credidit.

Item quod in hujus ſpectaculi memoriam à vetuſtiſſimis temporibus usque modo ſanctus Vitalis, cum diademate ad inſtar aliorum Sanctorum, & cum lilio albo ex corde ſuo creſcenti depictus reperitur, & hodie depingitur forma ſub eadem. Quod autem S. Vitalis ex continua adoratione & populorum confluxu atque indubitata fide eorundem, quinto modo præſcripto, ſanctus habeatur, nemo civitatis Salzburgenſis & omnium vicinarum civitatum & partium ratione utens, ignorat, atque conſpicientium oculis ſubjicitur, ſine intermiſſione provolvuntur paſſim ibidem, cum & ſuper tumba ejus, viri & mulieres, juvenes & ſenes, omnisque ætatis & conditionis homines, imo procunbentes deoſculantur tumbam: Nunc cereos offerunt & accendunt, jam imagines ferreas, jam cereas, jam ligneas, pedes, manus ſeu aliorum membrorum figuras ibi offerunt & relinquunt. Trunco quoque ſuæ tumbæ contiguo pecunias imponunt, atque ipſius nomine humiliter invocato conſolati diſcedunt, prout hæc & alia magis conſpicientium teſtimonio, quam quovis ſcripto apparent.

Ad idem quoque exteri pro certis anni temporibus ibi pro veneratione ſancti Vitalis accedunt, proceſſiones faciunt, Miſſas & Officia in ipſius honorem atque ſuffragii impetrationem, legi & cantari diſponunt, atque votis ſuis perſolutis & finitis, ad propria ſua redeunt conſolati.

Item quod à vetuſtiſſimis temporibus omnium hominum memoriam longe excedentibus atque à ſæculo in ſæculum, nec non generatione in generationem, de beato Vitale à Clero & populo civitatis Salzburgenſis imo & à circumjacentium partium plebibus hoc ſemper dictum, creditum, relatum, habitum, prædicatum & recognitum fuit, erat & eſt dictum, beatum Vitalem fore ſanctum atque canoniſandum & catalogo ſanctorum aſcribendum. Fuitque de ipſius ſanctitate publica vox & fama.

Item ad tumbam beati Vitalis paſſim ab hominibus utriusque ſexus fiunt adorationes, candelarumque & luminum aliarumque rerum oblationes.

Proponitur præterea coram paternitatibus veſtris, quod quia prælibati Vitalis veneratio ſine intermiſſione usque ad præſentia tempora duravit & hodie non ceſſat: Quod etiam non ſolum vetera & dudum deſcripta miracula effe erit, quinimo ſine intermiſſione hodie pro meritis & diſpoſitione petentium operetur. Licet ex negligentia modernorum non advertantur, neque de his inquiſitio fiat, neque ſcripto memoriæ commendetur. Niſi enim ſancti hujusmodi ſuffragia & ſuccurſus à diverſis ſentiretur, nulla veri ſimilitudo, aut cauſa ſubeſſet venerationis & adorationis ejusdem, pro quorum etiam veritate producens teſtes, petit examinari juratos

Item

Digitized by Google

Item quod de omnibus & ſingulis præſcriptum eſt, & eſt hodie commune & vulgare verbum veraque reputatio, ac credulitas firma, etiam fides atque ubilibet publica vox & fama. Petiit igitur producens præſcriptus, vice & nomine Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini, Domini Burchardi Electi & Confirmati Salzburgenſis, &c. memorati, per vos Reverendos ac venerabiles in Chriſto Patres & Dominos, à Sede Apoſtolica delegatos & ſubdelegatos ſeu commiſſarios, de omnibus & ſingulis præſcriptis eorumque connexis emergendis, incidendis & dependendis fieri diligentem & exactam inquiſitionem, nec non libros & codices veteres atque quascunque deſuper confectas ſcripturas, regiſtra & tabulas, picturas veteres, univerſaque ad hæc deſervientia diligenter conſpici & luſtrari. Teſtes quoque nominandos, citari, examinari, & ad exhibendum libros ac quævis monimenta deſervientia, perſonas ſimiliter nominandas compelli, omnia quoque alia fieri in bullis & litteris Apoſtolicis transmiſſis contenta, atque poſt plenam omnium cognitionem inquiſita & debita in forma authentica clauſa, ſub veſtris litteris & ſigillis, memorato Domino noſtro Pio, divina providentia Papæ ſecundo, delegati transmitti, ut ſanctiſſimum opus ſalubriter inchoatum, pro gloria & laude Dei ac Sanctorum ſaluteque populorum feliciſſime terminetur. De & ſuper quibus omnibus & ſingulis præmiſſis, dictus producens, vos & quemlibet veſtrum requirit cum proteſtatione de addendo, ſupplendo, & extendendo, ſi neceſſe fuerit, præmiſſa nec non corrigendo, immutando ſeu minuendo, prout fuit & eſt moris atque ſtyli & obſervantiæ communis. SÆC. XII. ANNO 1190.

Quibus articulis ad ſupra memorati procuratoris inſtantiam per nos receptis, idem procurator coram nobis propoſuit, quomodo in poteſtate venerabilium in Chriſto Patrum & Dominorum, Decani, & Capituli Eccleſiæ Metropoliticæ, nec non Prioris & Conventus Monaſterii S. Petri Salzburgi, ac Domini Bernhardi de Krayburg decretorum Doctoris, Curiæ Salzburgenſis Cancellarii, nonnulli libri ſeu Codices & ſcripturæ authenticæ pro verificatione & probatione articulorum præinſertorum facientes & deſervientes conſiſterent, petens debita cum inſtantia, quatenus eosdem, Capitulum & Conventum, ac Cancellarium, ad exhibendum & tradendum libros ac ſcripturas hujusmodi, quo ad effectum præmiſſum auctoritate Apoſtolica, nobis in hac parte conceſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam compellere dignaremur. Nos igitur hujusmodi petitioni tanquam juſtæ & rationi conſonæ annuentes, prænominatos Dominos, Capitulum & Conventum, ac Cancellarium, per certum noſtrum curſorem, in forma juris ad hoc deputatum, ſuper exhibitione librorum & ſcripturarum prædictarum, in certo termino eis per nos aſſignato, requiri fecimus & moneri. Qui ſic moniti & requiſiti, ſtatim quosdam libros & ſcripturas inferius ſpecificandos coram nobis exhiberi fecerunt, quos prælibatus procurator in vim probationis & verificationis articulorum præſcriptorum produxit.

Primo ſiquidem ſuper articulis de ſanctitate beati Vitalis, memoratus procurator produxit certos libros notabiles & precioſos, & uti aſſerebat, authenticos, de antiquis & optimis litteris, prout noſtris apparebat oculis conſcriptis, in quibus multorum continentur legendæ vitæ Sanctorum, inter quas S. Rudberti patroni, & primi Epiſcopi Eccleſiæ Salzburgenſis concorditer habetur hujusmodi tenoris.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

DESCRIBITUR VITA S. RUDBERTI EPISCOPI.

Vita Rudberti.

ODIERNA festivitas sanctissimi ac beatissimi Patris nostri Rudberti, quæ ejus in paradisum transitum nobis exultabilem reddidit, piis mentibus mistica gaudia exhibet, quæ dum annorum cursu in se volvitur, in nostris cordibus semper recenti jocunditate innovatur. Cum enim dicat scriptura: In memoria æterna erit justus. Digne in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium transiit Angelorum. Cum dicat: Gloria patris est filius sapiens. Quantæ hujus sunt gloriæ, qui tot barbaricas nationes ad agnitionem DEI in Christo Jesu per Evangelium generavit.

Namque tempore Hildeberti Regis Francorum, anno scilicet regni ejus secundo, sanctus Confessor Christi Rudbertus in Wormatia habebatur Episcopus, qui ex regali prosapia Francorum nobilitate ortus, nobilior fide & pietate fuit. Erat enim mansuetus & castus, simplex & prudens, in laude DEI devotus, plenus Spiritu S. providus in consilio, justus in judicio, à dextris & à siniſtris virtutum armis munitus, gregi suo forma bene agendi factus, quodque verbis monuit, hoc operum prærogativa confirmavit, hinc enim se frequentibus exercebat vigiliis, inde continuatis macerabat inediis, opus suum misericordia ornabat, quia thesauros dispersit, ut sese egente pauperes ditescerent, qui suum solum hoc esse credidit, quod nudus aut inops accepisset.

Cum igitur præcellentissima fama hujus sancti viri in fines terrarum exisset, quamplurimi illustres viri non solum à vicinis, sed etiam ab exteris nationibus ad ejus sanctissimam confluxerunt doctrinam, ut vel illius sanctissimo alloquio in tristitia cujuslibet anxietatis consolationem reciperent, vel Ecclesiasticæ religionis ab eo puram veritatem audirent; unde & multi illius benigna devotione à laqueis hostis antiqui liberati sunt, & vias perpetuæ vitæ ingrediebantur. Sed infideles, qui plurimi erant in regione Wormacensi, illius sanctitatem non ferentes, multis eum suppliciis affectum, & virgis cæsum à civitate cum magna ejecerunt injuria.

Igitur eodem tempore Theodo Dux Bavarorum audiens beati viri sanctitatem & miracula quæ faciebat, desideravit illum videre: & missis optimatibus suis obnixe eum postulabat, quatenus regiones Bavarorum visitare dignaretur, & eis salutiferæ credulitatis viam insinuaret. Sanctus vero Episcopus, ubi tantæ legationis postulationem percepit, sciens hujusmodi causam ex divina dispensatione procedere, gratias cœlesti clementiæ agebat, quod sedentes in tenebris & umbra mortis, auctorem vitæ, lumen verum Jesum Christum agnoscere optarent.

Itaque cum eisdem legatis Sacerdotes suos, quasi radios fidei, ad eundem Ducem præmisit, & ipse non longo temporis spatio interposito, post eos in Bavariam ire aggreditur.

Quod dum præfatus Dux audisset, magno perfusus gaudio, sibi cum procinctu procerum suorum obviam properavit, & in urbe Ratispona cum summa alacritate illum excepit.

Tunc idem sanctus Rudpertus, indicto jejunio cœlestibus mysteriis Ducem informavit, & in fide vera roboravit, & idolorum cultibus abrenunciare fecit, & in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis baptizavit. Baptizati sunt cum eo optimates sui & populus non modicus nobilium & ignobilium, redemptorem mundi laudantium, qui eos de tenebris in admirabile lumen vocare dignatus est. O beatum Confessorem Christi Apostolis supparem, per ejus verba irradiata sunt corda tenebrosa, & infidelium arentia pectora fontem vitæ sitiebant.

Bapti-

Digitized by Google

Baptizato itaque Duce & populo, qui divina illuſtrante gratia, ſacramentum ſalutaris lavacri ſuſceperat, obſecratus à Theodone ſanctus Rudbertus navi aſcenſa per alveum Danubii deſcendendo, vicis & caſtellis libera voce Evangelium Chriſti prædicavit, & per terminos Noricorum usque in inferiorem Pannoniam, ipſe clara lucerna ſuper candelabrum poſita lumen fidei miniſtrando pervenit. Indeque per terram reverſus Laureacenſem urbem intravit, in qua multos aqua baptismatis regenerando ab idolorum cultura convertit, & plures variis languoribus oppreſſos in nomine Domini ſanavit. Laureaco itaque digreſſus, in quocunque loco amplius fervere gentilitatis errorem cognovit, illuc intrepidus acceſſit, deſtruens idola, diminuens ſimulachra, commendans ubique Domini noſtri Jeſu Chriſti divinitatem pariter & ſacram ejus incarnationem, ut unus idemque Deus eſſe crederetur & homo, ante luciferum à Patre Deo, verus Deus genitus, in fine temporum pro humana ſalute ex virgine matre, Verbum Dei, verus homo natus, qui illuminat & ſalvat omnem hominem venientem in hunc mundum. Sed cum jam vir Domini ſecundum poſtulationem ducis & populi, ſibi locum ad Epiſcopii ſedem eligere aptum meditaretur, ſecus ſtagnum Walarii laci venit, ubi etiam in honore principis Apoſtolorum S. Petri Eccleſiam conſtruxit & dedicavit. Exiit inde ad Juvarum fluvium, ubi olim Juvavia civitas fuit, quæ antiquis mirabiliter extructa temporibus, inter Bavaricas urbes eminebat nobiliſſima, ſed tunc raro incola inhabitante pene dilapſa & virgultis erat cooperta. Quem locum ſervus Dei ad cathedram Epiſcopalem conſiderans eſſe idoneum, quippe inter montana à populari tumultu ſemotum, proprietate hujus à duce ſibi tradita cum ſummo ſtudio renovavit, conſtruens ibi baſilicam, quam in honore Petri principis Apoſtolorum dedicavit, & Clericorum officiis rebusque neceſſariis munificentia Theodonis magnifice ditavit. Poſtea vero delegato Sacerdotum officio, omnem ibidem quotidie curſum congruo ordine fecit celebrari.

SÆC. XII. ANNO 1190.

Sanctus itaque Domini vir cupiens augmentare loca, à præfato Duce aliquem fiſcum, ſuum vocabulum dictum ad Pidingim, inter aurum & argentum cum millenis comparavit. Et ſic deinceps Deo auxiliante ex donatione Regum ſive Ducum ſive fidelium virorum loci res accreſcere cœperunt.

Porro his diebus quidam probabiles viri beato Pontifici cum magna admiratione narraverunt, quod ipſi in eremo, quæ tunc temporis appellationis nota caruit, nunc Bongow dicitur, cœleſtia prodigia ardentium lucernarum, ter quaterque vidiſſent, & mirificæ ſuavitatis odorem ibi redolere ſenſiſſent. Mirantibus autem cunctis qui aderant, ſuper talibus prodigiis, ſanctus Epiſcopus Domningum venerabilem Presbyterum ſuum ad eundem locum miſit, præcipiens ut veritatem hujus ſigni diligenter approbaret, ponendo in eodem loco crucem ligneam, quam ipſe Sanctus ſua alma benedixit manu, & illuc direxit. Domningus vero illic cum perveniſſet, ſtatim primo noctis exordio cum religioſis qui ſecum aderant, cœlitus emiſſas aſpiciebat claras lucernas deſcendere, & totam illam regionem loci ad inſtar ſolaris radii irradiare, & hanc viſionem per tres noctes cum ſuavitate mirifici odoris ibi viderant radiare. Tunc ipſe in eodem loco benedictam crucem erexit & ſuperfabricato tugurio, ad S. Rudbertum regreſſus eſt, priorem aſſertionem certa relatione confirmans. Sanctus Rudbertus quoque communicato conſilio cum Theodone, per ſemetipſum tandem eremum adiit, & videns locum humanis habitationibus poſſe fieri aptum, annoſa robora extirpare, ſylvarumque condenſa in planitiem campi redigere, ac Eccleſiam cum habitaculis ſervorum Dei ædificare cœpit.

Iisdem vero temporibus Theodo adverſam incidit valetudinem, cumque vitæ terminum ſibi appropinquare ſentiret, vocavit ad ſe Theodobertum filium ſuum, & Ducem Noricorum illum conſtituit, præcipiens ei, obedire S. Rudberto ad Chriſtianitatem ſuam, & ad opus divinum diligenter illum adjuvaret, ſanctumque locum Juvavenſis Eccleſiæ amare & honoribus & dignitatibus jugiter ſublimare. Cumque hujuſcemodi mandatis & omnibus quibus voluerat, filium inſtruxiſſet, ultimum diem clauſit, migrans ad Dominum.

Poſt hæc vero Theodobertus cum optimatibus ſuis ad S. Rudbertum viſendi gratia perrexit, & veniens ad illum in dicta eremo, & illum & locum pio venerabatur affectu, dans ad Eccleſiam quam S. Rudbertus ibi conſtruxit, ac ipſo Duce præſente, in honore S. Maximiliani dedicavit, tria miliaria undique de eadem ſylva, & villam Albinam cum cæteris donariis in alimoniam Monachorum, quos S. Pontifex ibi Deo ſerviendum poſuerat. His ita geſtis, videns vir Dei Bavaricæ dignitatis culmen jugo Chriſti ſeſe ſubdidiſſe, ſed gentilitatis errore plures involutos ſupereſſe, ad patriam ſuam repedavit, & inde cum duodecim ad prædicandum ſibi ſociis electis, inter quos

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190. erant eximii beatus Kunialdus & S. Giſilarius, ambo Presbyteri, ambo viri ſancti, & ſecum virginem Chriſti S. Erndrudem neptem ſuam adducens, quaſi cum tot luminaribus ad urbem Juvavenſem regreditur.

Tunc in ſuperiori caſtro ejusdem civitatis conſtruxit in honore Domini noſtri Jeſu Chriſti & ſuæ ſanctæ genitricis, perpetuæ virginis Mariæ, Monaſterium, & ibidem cum congregatione ſanctimonialium poſuit ſanctam Erndrudem, ad ſervitium cœleſtis Regis, atque cum Theodoberti Ducis aſtipulatione, qui poſſeſſiones ad illud cœnobium tradidit infinitas, earum converſationem per omnia rationabiliter diſpoſuit.

Iis autem expletis, iſte vir beatus incœptum opus prædicationis cum ſummi Pontificis adjutorio ſtudens ad perfectionem perducere, Norica regna, diſcipulorum ſuorum comitante caterva circuire deſtinavit, & ab urbe egrediens Juvavenſi, gentes, quibus nondum fidei lumen reſplenduit, viſitavit, & eis triticum credulitatis, lolio pereunte, ſeminavit. Nam à cordibus eorum barbaricis hoſpitibus diabolicæ deceptionis peturbatis, illuc intromiſit fidem, caſtitatem, miſericordiam, humilitatem, per quos pacificos habitatores, Chriſtus omnium bonorum largitor & origo, humanæ mentis domicilium intrare ſolet.

Cumque ſic Bavarorum terminos circuiret, ac omnes ad fidem convertiſſet, eos ut in fide ſtabiles permanerent ammonuit, & dimiſſis Presbyteris, qui populum ad divina myſteria conſueſceret, ipſe ad urbem Juvavenſem remeare ſtuduit, quia ſpiritu prophetico repletus diem vocationis ſuæ inſtare præſcivit, quem diſcipulis ſuis prænunciavit. Illi tali & tam triſti indicio conſternati, cur eos & tam novellæ Chriſtianitatis plebem deſereret lachrymati ſunt. Ille ſpe recta ad Chriſtum, Juvavenſem Eccleſiam & populum Noricorum omnipotenti Deo commendavit, & Vitalem virum ſanctum & omni populo acceptum ſibi fieri ſucceſſorem elegit.

Cum ergo dies quadrageſimalis obſervantiæ agerentur, febrium ardore vir Dei fatigari cœpit, cumque ſanctiſſima dies reſurrectionis Chriſti illuxiſſet, ſolennia Miſſarum celebravit, & munitus ſacroſancto corporis & ſanguinis Chriſti viatico, poſt dulces paternæ pietatis admonitiones, & poſt extrema charitatis verba confratres confirmantia, inter ſanctas manes lachrymantium voces, inter pios plangentium ſingultus cœtus Angelici à quibusdam religioſis viris, in cœlo audiebantur, qui voce canora animam ſanctam ferebant ad æterna gaudia. Cujus autem ſacrum corpus, cum ad humandum portaretur, viſi ſunt adeſſe ſplendidiſſimi viri, candidis ſtolis amicti, & ejus ſepulturam religioſiſſime complentes, diſparuerunt, quos nemo Angelos Dei fuiſſe dubitavit, & ideo apparuiſſe, ut omnes agnoſcerent, quanta illius eſſet beatitudo in cœlis, cujus ſepulchrum Angeli Dei viſitarent in terris.

O fœlix equidem civitas Juvavenſis, tam excellenti munita patrono, quæ ſi murorum ruinis vileſcat, illius tamen meritorum lumine clareſcit: Sed totus pro ejus interceſſione ſanctitatis gaudeat populus Noricorum, & omnipotenti Deo laudes deferat perpetuas, qui tam præclarum illis conceſſit Doctorem, cujus prædicatione viam veritatis agnoſcentes erepti ſunt de tenebris ad lumen verum, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui vivit & regnat per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

Item ſuper veritate articulorum, miracula beati Vitalis Epiſcopi commemorantium, dictus Procurator produxit quendam librum notabilem & precioſum de veteri ſcriptura minime ſuſpecta, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carente: In cujus principio ſubſcripta per ordinem continentur miracula ſic incipientia:

Sanctus Rudbertus primus Juvavenſis Doctor, venerabilem Chriſti Confeſſorem Vitalem, ob eximiam caſtitatis & ſanctæ converſationis gratiam migraturus ad Chriſtum, ſucceſſorem ſibi deſignavit. Qui ſuſceptum regimen, ut in vita prænominati Patris ſancti Rudberti legitur, & prudenter adminiſtravit & fœliciter complens requievit in Chriſto XIII. Cal. Novemb. Cujus merita Deus revelare dignatus eſt ad ſepulchrum ipſius, quod in Salzburgenſi Monaſterio ſancti Petri habetur, ad honorem nominis ejus multa miſeris mortalibus ad ipſum clamantibus, beneficia præſtat.

Anno igitur incarnationis Domini M. CLXXXI. ſubſcripta ſigna tale habuerunt exordium & principium.

Mira-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

MIRACULA SANCTI VITALIS.

QUÆDAM mulier, uxor cujusdam civis Salzburgenſis, tumida nimis erat, & habebat ventrem ita inflatum, tanquam, ut ipſa fatebatur, imprægnata eſſet geminis. Dolore itaque ſe mordente, mortemque inſtanter minitante, venit ad ſepulchrum beati Vitalis, & cum magna fide pro ſalute ſua poſtulans, totum corpus ſtravit ſuper ſepulchrum ſancti, plenamque per orationes recepit ſanitatem.

Adoleſcens quidam non longe manens à civitate arrepticius, à parentibus illuc adductus eſt, poſitusque ſuper ſepulchrum præfati Confeſſoris, per multas circumſtantium orationes & lachrymas, à dæmone cum ejectione ſanguinis liberatus eſt.

Item cujusdam piſtoris uxor de civitate, tantam ægritudinem inciderat, ut à Sacerdote viaticum peteret & acciperet. Quo accepto manibus & pedibus contrahi & obmuteſcere cœpit, vovensque animo candelam ad ſepulchrum beati Vitalis, eadem hora, tam vocem quam vires recepit.

Quidam de familia Eccleſiæ ſancti Petri, mente captus, cum poſt crebram ſanctorum viſitationem minime ſanatus eſſet, tandem à patre ductus eſt ad tumbam ejusdem Confeſſoris, priſtinamque ipſius intervenientibus meritis recepit ſanitatem.

Quidam puer oriundus de loco qui dicitur Putlingen/ ſiniſtro pede ac dextera manu curvus illuc pervenit, fuſisque ibi pauliſper orationibus, in utroque perfecte curatus eſt.

Item quidam puer de Krapndorff/ cum ab immundo ſpiritu vexaretur, ad ſepulchrum beati Virgilii adductus curatus eſt, dehinc ad domum reverſus, ea qua & prius infeſtatione ſpiritus maligni agitabatur, dum demum ad beati Vitalis tumbam à matre delatus eſt, perfectam omnino recepit ſanitatem.

Non longo poſt tempore, puella quædam energumena, de ſancto Floriano illuc adducta fuit, quæ multis tam religioſis quam laicalibus perſonis coram poſitis, miſeratione Dei curata eſt.

Quædam vidua honeſta de foro Crembuch/ infantem fere quinquennem habebat, qui à nativitate omnino greſſu caruerat, & ſuper ſepulchrum prænominati Confeſſoris poſitus, matrem quæ orationis cauſa parum ſeceſſerat, greſſu per merita beati Vitalis accepto, ſubſecutus adivit.

Item vir quidam cæcus de Eringen/ ex Epiſcopatu Patavenſi, cum devote illic pro ſui illuminatione oraſſet, lumen accepit.

Alius item puer de Taghartingen graviter à dæmone vexatus, ab beatum Vitalem cum adductus fuiſſet, meritis ipſius intervenientibus plene liberatus eſt.

Quædam etiam puella, filia cujusdam mulieris de Eckſtatt/ muta & debilis pedibus facta fuerat, & dum mater pro ea imploraret gratiam Dei & orationes beati Vitalis, domi adhuc manens loqui cœpit, adductaque ad ſepulchrum ejus, etiam greſſum recepit.

Quædam fœmina de Ilſpruch/ pede debilis, curvamque habens manum, orationes illuc effudit, dehinc cum paululum ſeceſſiſſet, non longe à ſepulchro curata eſt.

Alia quædam mulier paupercula de Pendilſkirchen/ orationis gratia cum veniſſet illuc, tantum unum habens nummum, dubitabat, utrum illum beato Vitali offerret, an pro ſua indigentia expenderet, ſic vero in dubio poſita, tandem deliberavit ſancto Dei illum offerre, quo facto, rurſus oram pepli ſui, unde illum reſolverat attingens, alium quod eſt mirabile dictu, ibidem nummum invenit.

Item mulier de civitate Salzburgenſi tanta ægritudine laborabat, ut cruribus contracta, omnino eſſet deſperata, quæ cum ad ſepulchrum beati Vitalis proſtrata, candelam juxta menſuram corporis ſui factam obtuliſſet, domum inter manus reducta, pauliſper in lecto quievit, & à labore dimiſſa, recurrens ad Eccleſiam cum magna fidelium turba, Deo & beato Vitali pro recepta ſanitate gratias egit.

Item alio tempore puella quæ muta fuerat à nativitate, adducta ad ſepulchrum viri ſancti, poſt obſecrationem parentum & oblationem, dum recederet à ſepulchro loqui cœpit in Eccleſiæ veſtibulo.

Præterea puer quidam cæcus de Oſterhoffen/ allatus illuc à parentibus viſum recepit, cui miraculo Plebani venerabiles intererant.

Mulier quædam de Leibnitz/ quæ Plebano ipſius aliiſque vicinis teſtantibus triennio

cæca

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

cæca fuerat, veniens ad ſepulchrum beati Vitalis, poſt orationes illic fuſas, exaudiri & illuminari meruit.

Item mulier quædam de Pruckkirchen cæca, domi manens in ſomnis admonita eſt, ut ſepulchrum beati Vitalis inviſeret, & orationes illic ad Dominum pro ſalute ſui funderet, de hinc candelam ad menſuram capitis ſui faciens, priusquam illuc perveniſſet, viſum recepit.

Alia itidem fœmina de Erdendorff/ arrepta à dæmone fuit. Crebreſcentibus autem ſignis Salzeburgæ ad ſepulchra ſanctorum, amici ejus illuc eam adduxerunt. Cumque gratia obtinendæ ſanitatis tumbam beati Vitalis frequentaret, & ejus auxilium continuis orationibus imploraret, meritis ipſius, orationum ſuarum effectum conſecuta eſt.

Vir quidam de Purckhauſen/ paralyſi toto corpore adeo diſſolutus fuit, ut inter manus amicorum ad limina ſanctorum deferretur. Ad ultimum vero, cum ad beatum delatus fuiſſet, Deo ac præfato Confeſſori intimis ſe commendavit precibus, domumque reverſus optatæ ſanitati reſtitutus eſt.

Erant quidam tres viri, qui communi voto Sanctos Salzeburgæ viſitare ſtatuerant. Cum vero in ipſo itinere Danubium neceſſe haberent tranſire, in medio fluminis navi cum rebus eorum & negociatorum mercibus quas vehebant ſubmerſis, periclitati ſunt. Nutu autem Dei, cum in ipſo mortis diſcrimine, unus beati Rudberti, ſecundus beati Vitalis, ac tertius beati Virgilii auxilium imploraſſet, quilibet ipſorum Sanctorum ſe inclamanti ſubvenit, ſicque naufragium evaſerunt, ut nihil eorum quæ portabant, præter negotiatorum merces amiſerint.

Plebanus quidam de Marchia, de loco qui dicitur Stubenberg/ Plebanis ſuis comitatus, ad beatum Vitalem venerat, ubi cum inter reliquorum oblationes, quidam denarium obtuliſſet, de vaſe quo illum poſuerat, Sacerdote aliisque videntibus atque ſtupentibus exilivit. Mulier autem quædam, quæ proxima illi in oratione accumbebat, manu extenta oblationem ipſam apprehendit, fuſisque ad Dominum precibus, ut à ſe illam dignaretur recipere, in locum ſuum eam repoſuit.

Alius quidam de Parochia Stulfelden oblaturus illuc dextra manu candelam, ſiniſtra autem myrrham geſtabat. Inter oblationem autem candelæ ſubito myrrham labiis ac dentibus adhærentem invenit: Quo facto fidelis ille in admirationem verſus, de ore illam tulit, ſuppliciterque ſuper tumulum beati Vitalis locavit.

Quidam de Dolchenmarckt/ filiam cæcam ad beatum Vitalem adduxit, per triduum pro illa cum in orationibus perſeveraſſet, domum redire ſtatuit, ſperans à Deo ſe pro illuminatione filiæ, per merita B. Vitalis exaudiri. Nec ſpe fruſtratus, in ipſo reditu, domi ſuæ appropinquans, quod pro filia petierat aſſecutus eſt.

Carantanus etiam quidam, brachium omnino ariditate invalidum habebat. Is comperta virtute ſignorum beati Vitalis memoriam illius pro ſui ſanitate precibus & oblationibus inviſere ſtatuit, meritisque præfati Confeſſoris, domi adhuc manens, optatam conſecutus eſt ſanitatem.

Mendicus quidam de Helingerſperge, ad memorati Confeſſoris ſepulchrum venit, qui aliquanto jam tempore oculorum officio caruerat. Is cum illic triduum in orationibus continuaſſet, viſum quem fideliter petiit, efficaciter eſt conſecutus.

Mulier quædam de civibus Salzburgenſium diutino affecta languore, lecto tandem decubuit, omnique membrorum compage contrahi cœpit. Invocato igitur beati Vitalis auxilio, ſubitam curationem meritis ejusdem intervenientibus adepta eſt.

Item fœmina quædam infirma de villa Hallenſi, ſanitatis obtinendæ gratia, ſanctum Vitalem viſitaverat. Sed poſt orationes domum reverſa, nihilominus ea qua prius tenebatur infirmitate, pridie vero quam eſſet anniverſarius ejusdem memorabilis Patris, divinitus in ſomnis admonita fuit, eundem anniverſarii diem debere cum devoto venerari jejunio, quod dum evigilans pro ſui debilitate adimplere ſe poſſe diffidebat, Dei vero adjutorio matrisque ſuæ, cui viſum ſomnium retulit, exhortationibus roborata, indictum in pane & aqua exſolvit jejunium, ac dehinc nocte ſubſequenti, perfectæ ſanitati, patroni ſui meritis eſt reddita.

Abbas venerabilis Monaſterii cujusdam, quod dicitur Moſnize, adverſam inciderat valetudinem, multamque in Medicos cum erogaſſet expenſam, tandem ab eis deſperatus eſt, qui ſolum illi ſupereſſe dicebant ſepulchrum. Suggerentibus autem ei quibusdam de fratribus, ut Sanctorum, quorum memoriæ Salzburgæ habentur, opem imploraret, cauſatus eſt ille, quod prius adhuc ſano corpore nihil venerationis eis impenderit. Fratres contra hortati ſunt eum, non ideo illi fore deſperandum, ſed Dei adjutorium per merita eorundem ſanctorum, in tanto diſcrimine imprecandum.

Digitized by Google

dum. Acquievit ergo fraterne conſulentibus, & nutu Dei præ aliis ſanctum eligens Vitalem, ipſius ſe patrocinio commendavit ſanandum, quem Deus mira celeritate interventu ſui Confeſſoris optatæ reſtituit ſoſpitati. SÆC. XII. ANNO 1190.

Matrona quædam de Salzeburgenſi civitate, infantulum habebat gravi ægritudine laborantem, quem cum ad beati Vitalis memoriam fidelibus votis in anniverſaria ejus die attuliſſet, Domino illic pro eo preces & oblationes exolvit, deinde domo ſe cum ipſo infante recepit, conſignansque illum ſub tuitione præfati Confeſſoris, ſe in lecto, puerumque in cunis cubitum locavit. Omnibus igitur ſopore depreſſis candela accenſa, quæ incautius juxta relicta fuerat, pannos infantis corripuit, flammisque tam eum quam veſtes involvit. Mater vero crepitante incendio evigilans, jam circumquaque veſtibus exuſtis, infantem, quem mira DEI potentia, ſicut tres pueros in camino ignis ſervavit, meritis beati Vitalis nihil læſum eripuit.

Item de ipſa civitate mulier quædam cruribus paralyſi contracta lecto decubuerat, quæ diutino dolore affecta, candelam ad menſuram ſui corporis beato Vitali deferendam pro ſanitate conſequenda fieri fecit, & ea conſummata optatæ ſanitati eſt reſtituta.

Conjunx cujusdam civis Salzeburgenſis, quæ cæca fuerat, beatum Vitalem pro ſui illuminatione aſſidue implorabat, nocte igitur quadam, idem Dei Confeſſor per viſum ei apparuit, ferens in manu pulverem medicinalem, quem & oculis ejus aſpergens, omnem viſus eſt abegiſſe cæcitatem. Somno itaque excitata, ita plenarie oculorum ſe invenit officio reſtitutam, ac ſi nunquam aliquid ſiniſtri in his pertuliſſet.

Alia item probabilis vitæ fœmina, dolore quem phyſico nomine vocant phthiſin, graviſſime tenebatur, in tantum, ut ſæpe quaſi ſuffocata expiratura crederetur. Cujus animo cum occurriſſet, ut opem beati Vitalis pro ipſa debilitate imploraret, venit ad ſepulchrum ejus, oransque ad Dominum ibidem, ab ipſo incommodo omnino erepta eſt.

Mulier quædam de Auſtria, civis Viennenſis miſerabiliter dæmone arrepta vexabatur. Quæ cum ad memoriam præfati Confeſſoris adducta fuiſſet, meritis ejus & precibus liberata eſt.

Infantulus cujusdam pauperis fœminæ, jam fere quinquennis, ab utero matris & claudus mutus fuerat, qui dum ad tumbam beati viri à matre crebris orationum votis delatus fuiſſet, divina clementia ab utriusque debilitatis moleſtia ſalvatus eſt.

Simili etiam modo, cum alia quædam mulier filiam cæcam haberet, ſepulchrum illius ſancti Confeſſoris cum ipſa viſitavit, ubi cum preces & oblationes Domino obtuliſſet, domum rediit, & optatæ illuminationis gratiam in filia conſecuta eſt.

Item fœmina quædam de Floſſingen, habens filium genuum contractione claudum, pia animi devotione diſpoſuit, ut ad velum quod beato conficiendum audierat, ipſa etiam aliquantam filorum particulam de labore manuum ſuarum pro filii ſanitate transmitteret. Eisdem igitur filis ſpe meritorum ſancti Vitalis puerum involvit, moxque interventione beati Confeſſoris & fide Martyris puer ſalvatus, greſſum accepit.

Cujus nimirum fama miraculi ad aures matronæ cujusdam pervenit, quæ dolore capitis quo nimium vexabatur, oculi unius viſu privata fuerat. Similem igitur & ipſa filiorum portionem, quam devote beato Vitali offerendum venerat, ad tumbam ejus transmittere diſponebat, & eadem fila ſimiliter capiti ſuo circumvolvens, ſanitatis remedium adepta eſt.

POST hæc ad effectum præexpreſſum procurator ſupramemoratus produxit quatuor Chronicas, de litteris antiquis etiam minime ſuſpectis, ſed elegantibus & precioſis, quarum una inter cætera ſic canit: Anno Domini M. CLXXXI. Alexander Papa obiit, Lucius ſuccedit, Vitalis, Virgilius, Hartwicus, Eberhardus Epiſcopi, ſignis claruerunt.

ALIA vero Chronica inter cætera hæc continet verba: Anno Domini M. CLXXXI. Alexander Papa obiit, pro quo Lucius conſtituitur: Manuel Imperator Græcorum obiit: Hermannus Dux Karinthiæ obiit, cui filius Ludovicus ſucceſſit: Ludovicus Rex Franciæ obiit: Heinricus Dux Bavariæ de ſummis honoribus, agente Friderico Imperatore, non immerito corruit, cui Otto de Witelineſpach Palatinus Comes ſucceſſit: Salzburck crebris miraculorum virtutibus ſanctorum ejus-

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

dem urbis Pontificum corpora revelata sunt, videlicet Virgilii, Vitalis, Eberhardi, Cunradi: In Patavia sepulchrum beati Pilgrini miraculis clarescere cœpit.

TERTIA vero Chronica sic canit: Anno Domini M. CLXXXI. Alexander Papa obiit, Lucius successit: Vitalis, Virgilius, Hartwicus, Eberhardus Episcopi, signis claruerunt.

QUARTA Chronica sic dicit: Vitalis, Virgilius, Hartwicus Salzburgenses, & Pilgrinus Patavienſis, Episcopi, claruerunt miraculis.

POST hæc Magister Caspar procurator sæpenominatus se in vim & effectum probationis articulorum præscriptorum, ad tumbam seu sepulturam beati Vitalis, quam esse dicebat in Monasterio S. Petri Salzburgæ, in dextra parte Chori versus plagam meridionalem, nec non ad tabulas & ad scripturas beati Vitalis miracula continentes: Effigies quoque, picturas & imagines, diversorum quoque membrorum figuras ex cera, ferro & ligno, ac aliis materiis confectas, ibidem oblatas, & quæcunque alia tumbam eandem concernentia & eidem imposita, appensa, annexa, seu quovis modo applicata referebat, ac ea omnia & singula in finem & effectum præscriptum produxit, quæ ut nobis clarius & evidentius constarent, dictus procurator nobis debita cum instantia supplicavit, quatenus tumbam prædictam accedere, ac situm ejusdem cum omnibus & singulis ad eam, ut præfertur, requisitis, conspicere & perlustrare dignaremur.

NOS itaque Delegati & Subdelegati supradicti, ad memorati Procuratoris instantiam, dictam sancti Petri Ecclesiam, cum Notariis publicis & testibus infrascriptis intrantes, locum tumbæ prædictæ accessimus, ac ipsam una cum picturis, figuris, atque tabulis, suffragiis quoque & orationibus sancti Vitalis inibi descriptis ac aliis præmissis ipsam tumbam respicientibus, ac beati Vitalis miracula demonstrantibus una cum cereis ibi oblatis & accensis, ad oculum vidimus, lustravimus, legimus atque conspeximus, quæ talia habentur.

IN Ecclesia sancti Petri Monasterii civitatis Salzburgensis, Ordinis sancti Benedicti, quam vetustissimam & à sancto Rudberto primo Salzeburgensi Episcopo erectam fore constat: Extra chorum ejusdem in parte dextra, versus plagam Meridionalem, sepultura beati Vitalis habetur sic formata:

In angulo quidem dictæ partis chori, juxta Altare sancti Andreæ, Orientem respiciens, in modum lapidis monumentalis, est murus in superficie planus, ex minutis lapidibus more veterum constructus, ad altitudinem medii cubiti à terra erectus, duabus partibus murum Ecclesiæ prædictæ contingens. Munit autem eundem monumentalem murum seu sepulchrum illud quædam concellatura ferrea altitudinis cubitorum trium semi quadrata, duabus etiam partibus muro Ecclesiæ infixa, per quam quidem concellaturam ostiolum pro ingressu & egressu habetur. Inter eandem concellaturam dependet lampas una jugiter ardens, & super tumbam posita sunt candelabra, in quibus cerei & candelæ per Christi fideles oblatæ ponuntur & accenduntur. Apparent etiam ibi cineres in multa quantitate, qui ex candelis combustis super remanserunt. Concellaturæ vero per ordinem infixi sunt clavuli acuti, in quibus cerei figuntur & accenduntur. Item in muro Ecclesiæ intra tumbam est quædam pictura vetustissima pulchra tamen & artificialis, qua ostenditur, quod funus beati Vitalis ibi deponitur coram circumstantibus Sacerdotibus, quorum aliqui funus deponunt, aliqui thurificant, aliqui aquam benedictam aspergunt, cæteri vero orationi insistunt. Item intra concellaturam prædictam positus est acervus baculorum & lorarum, in quibus claudi & infirmi ad tumbam venerunt, & sanitate accepta, illas ibi reliquerunt. Sunt & illic in magno numero circuli ferrei, & equorum ferramenta & compedes ferrei, quibus captivi vincti fuisse dicuntur. Item intra concellaturam ac supra & extra eandem circumquaque, in magna copia imagines hominum de cera & ferro confectæ, quarum aliquæ in infulis & pontificalibus, aliquæ vero in armis, cæteræ in utriusque sexus hominum vestitu apparent. Assunt etiam diversorum, puta capitum, oculorum, dentium, mandibularum, brachiorum, mannum, crurium, pedum & aliorum membrorum figuræ quasi innumerabiles, de cera, ferro & ligno confectæ, per Christi fideles, quibus Dominus per meritum beati Vitalis,

Digitized by Google

Vitalis, languentium membrorum ſanitatem reſtituit, oblatæ & ibidem relictæ. Item ſupra tumbam in muro plagæ Meridionalis, eſt una tabula bipartita, lata & precioſa, opereque artificiali confecta, in cujus parte ſuperiori pictum cernitur, quomodo ſanctus Rudbertus primus ſanctæ Eccleſiæ Salzeburgenſis Epiſcopus, beatum Vitalem ſibi ſucceſſorem elegit & conſtituit, & quomodo Eccleſia Salzeburgenſis coram Clero & populo volente atque petente, beato Vitali committitur. Inferius autem miracula beati Vitalis videntur depicta, inter quæ illa ſunt præcipua. SÆC. XII. ANNO 1190.

Primo claudos & aridos reformat: Secundo dæmoniacos & arrepticios liberat: Tertio cæcis lumen & ſurdis auditum reſtituit: Quarto naufragantem in mari ſalvat. Et pro qualibet vice imago beati Vitalis, ad inſtar ſancti, ſub infula & diademate cernitur depicta.

Simili modo eadem imago picta videtur in quadam antiquiſſima tabula Altari beati Andreæ, prædictæ tumbæ contiguo, appoſita, ubi ſub pedibus imaginis de antiqua littera ſcriptum eſt: Sanctus Vitalis. In vitro vero circa tumbam eandem verſus Orientem imago beati Vitalis ſub infula & diademate, & cum lilio albo, de corde ejus creſcente picta videtur.

Item extra cancellaturam tumbæ memoratæ eſt truncus magnus, in quo Chriſti fideles in venerationem ejusdem beati Vitalis pecunias offerre ſolent. Similiter extra tumbam prædictam ſub vitro præmemorato dependet una tabula, certam de beato Vitale orationem continens hujusmodi tenoris:

LETARE civitas Juvavenſis, quæ tali patrono muniris corporaliter tuis retento laribus. O fœlix viri ſancti anima, plena deliciis per omnia, cujus in terris claritas, floris refulget gloria. O corpus mirificum, cujus antiqua miracula, Dei renovantur gratia. Auſter ſancti Spiritus tuum perflat hortum, ut fluant aromata, quæ valentibus ſufficiant & debiles reficiant. VERS. Juſtus germinabit ſicut lilium: Et florebit in æternum ante Dominum.

COLLECTA.

DEUS qui Eccleſiam tuam beati Vitalis glorioſi Pontificis, floridis lætificas miraculis: Da quæſumus, ejus ſuffragiis, ut per vitam placidam, flori Chriſto Jeſu immarceſſibili perenniter valeamus inhærere: Qui tecum vivit, &c.

Item in muro Eccleſiæ juxta tumbam beati Vitalis, verſus meridiem, eſt quædam tabula magna, quæ in modum valvarum aperitur & clauditur, in qua de ſancto Rudberto & exordio Eccleſiæ Salzburgenſis multa continentur, quibus ſubjunguntur illa triginta novem beati Vitalis miracula, in præſenti proceſſu ſuperius de verbo ad verbum inſerta. Poſt vero miracula hujusmodi in eadem tabula orationes ſeu ſuffragia, atque Epitaphium de beato Vitale, continentur in hunc modum:

SANCTE Vitalis Confeſſor Domini electe, qui Spiritu ſancto plenus, vita temporali, vitam & miſericordiam æternam promeruiſti, qui ſanctitate & virtute caſtitatis Deo placuiſti, qui doctrina & exemplo vitæ populo digne præfuiſti: Da nobis, quæſumus, ita ſanctitatis tuæ merita venerari, & caſtitatem imitari, ut per gratiam ſancti Spiritus & tuis precibus ab ardentis libidinis æſtu liberati, ad amorem continentiæ, obedientiæ, aliarumque virtutum, tuo exemplo poſſimus informari, AMEN.

TU Præſul inſignis & diſpenſator prudens, qui doctrina & miraculis viam veritatis demonſtraſti, & multos ab errore viæ ſuæ revocaſti: fac nos peccatores mala noſtra derelinquere, & viam mandatorum Dei læto corde currentes, divino timori & amori ſemper adhærere, AMEN.

TU, ô dilecte Dei, qui cæcos illuminaſti, debiles & claudos curaſti, dæmonibus imperaſti, & alias virtutes præclaras perpetraſti: illumina quæſumus oculos cordis noſtri, ne unquam per impotentiam, ignorantiam vel malitiam obdormiamus in morte, greſſus noſtros dirige in viam juſtitiæ, dæmonum allide conſilia, & nos in omni bono, ac ſancta voluntate confirma.

SANCTE Vitalis ſerve Dei bone & fidelis, auge nobis fidem, ſpem & charitatem cum perſeverantia bonorum operum, & præſta nobis fœliciter præſentium neceſ-

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190. saria cum religionis augmento, beatoque fine fac nos transire de hoc sæculo ad cœlestem patriam, ubi videamus & glorificemus regnantem in sæcula sæculorum, Amen. Kyrieeleyson, Christeeleyson, Kyrieeleyson. Vers. Amavit eum Dominus & ornavit eum: Stola gloriæ induit eum. Vers. Domine exaudi orationem meam: Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in meritis sancti Vitalis Confessoris tui atque Pontificis semper & ubique es mirabilis, quæsumus clementiam tuam, ut sicut ei eminentem gratiam contulisti, ita ad promerendam misericordiam tuam, ejus nos tribuas precibus adjuvari: Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

Epitaphium Sancti Vitalis.

Nunc non est talis, qualis fuit ille Vitalis,
In toto mundo, qui vixit corpore mundo.
Hic Pater insignis, meritis fulget quoque signis.
Ægrotos sanat, virtus de marmore manat,
Quo tegitur tumba, vir simplicitate columba,
Et serpens astu, tibi consulo quod venias tu,
Huc si sanari cupis, & membris solidari.
Surdus hic auditum recipit, mutus quoque ritum,
Ut lingua fetur, cæcus petit ut sibi detur,
Lumen, quod restat Præsul populo quoque præstat.
Urbe salis clarus, Christo super omnia charus.
Quamvis translatus non sit Pater iste beatus.

Consequenter vero Magister Caspar procurator, nomine quo supra procuratorio, coram nobis Delegatis & Subdelegatis prædictis comparens proposuit: Quomodo ipse ad præinsertorum articulorum probationem legitimam, ultra prius producta, nonnullos testes idoneos producere intenderet. Inter quos Reverendus Pater, Dominus Petrus Abbas Monasterii sancti Petri, prædictus existeret. Quem idem procurator, tanquam testem, per nos citari ac recipi & admitti, nec non ad jurandum, de perhibendo testimonium veritati, super articulis & interrogatoriis præscriptis compelli, examinarique & interrogari postulavit.

Nos itaque Ulricus & Georgius Episcopi Delegati: Georgius Abbas, & Benedictus Præpositus Subdelegati prædicti: Sperantes, quod idem Dominus Abbas de sanctitate & miraculis beati Vitalis, cujus sepultura in suo Monasterio habetur, scientiam non modicam haberet. Et propterea dignum & rationi consonum censuimus, ut ipse in negotio præsenti, saltem pro vestræ sanctitatis informatione, testimonium perhiberet veritati. Præterea eundem Dominum Abbatem, ut & tanquam testem, auctoritate prædicta verbo citavimus, corporaleque juramentum ad sancta Dei Evangelia præstitum, recepimus ab eodem. Quo quidem juramento medio, idem Dominus Abbas examinatus & interrogatus, primo de ætate sua respondit, se esse sexaginta annorum vel circa, & quod ab adolescentia conversatus sit in religione Monasterii sancti Petri supradicti, cujus Abbas & Prælatus fuerit per annos viginti octo.

Ad primum articulum iterrogatus dicit: Articulum esse verum & notorium.

Secundum articulum dicit similiter esse verum, pro causa scientiæ allegans, quod de contentis in eo, sit publica vox & fama, dicensque hæc legisse in diversis libris & legendis antiquis & authenticis.

Tertium articulum dicit esse verum & notorium.

Ad quartum articulum dicit ut ex sequentibus patebit.

Quintum articulum dicit esse verum, referens se de veritate hujusmodi ad legendam S. Rudberti, quæ in suo Monasterio, & diversis aliis locis habetur solennis & authentica.

Sextum articulum dicit verisimiliter esse verum. Si enim sanctus Rudbertus beatum Vitalem in Episcopio voluit habere successorem, verisimile existit, quod ipsum in actibus hujusmodi & rebus fortibus habuerit adjutorem.

Septi-

Digitized by Google

Septimum articulum incipientem: *Quarto, Sanctitas &c.* dicit esse articulum verum, quia legenda supradicta, quæ pro authentica habetur: Item tabulæ & orationes, quæ circa tumbam beati Vitalis habentur, hæc expresse continent. Refert se etiam ad cereas, ligneas, ferreas & aliarum materiarum imagines, membrorumque diversorum figuras, juxta eandem tumbam à Christi fidelibus, in quibus beati Vitalis miracula reluxerunt, oblatas, prout cuilibet intuenti hodie apparet evidenter, & credit omnia ista miracula, quæ in libris antiquis ac tabulis & picturis de beato Vitale reperiuntur, esse vera. Nam de veritate illorum publica est vox & fama. Pro speciali vero scientiæ causa, memoratus Dominus Abbas dixit, quod ante annos quadraginta quinque, cum in dicto Monasterio Novicius esset, invaserit eum quidam dolor dentium, gravis valde & acutus, quo causante facies ejus intumuit sic, quod à notis vix nosceretur. Cumque illud per unum mensem vel quasi, pertulisset, unus ex connovitiis suis sibi consuluit, quatenus suos & ejusdem connovicii cereos, qui ipsis ex more Monasterii pro nocte dabantur, tolleret, & tumbam beati Vitalis accederet, & accensis cereis, beatum Vitalem invocaret, quatenus apud Deum intercederet, ut à dolore hoc misericorditer liberaretur. Quod ipse testis sic faciens, apud tumbam prædictam se prostravit. Et facta oratione mox alleviamen persensit, & ex post paucissimis diebus ad plenum reconvaluit, & ab eo tempore dentium dolores ipsum nunquam occupavêre. SÆC. XII. ANNO 1190.

Interrogatus quibus præsentibus, dicit se de his ignorare, dempto connovicio suo prædicto, jam defuncto.

Interrogatus de anno & die, dicit de his se propter temporis diuturnitatem non recordari. Sed dicit quod ex ista & aliis causis beatum Vitalem suis privatis orationibus per singulos dies veneraretur, & credit sibi eundem beatum Vitalem in multis suis tribulationibus efficaciter subvenisse.

Octavum articulum dicit esse verum, pro causa scientiæ, allegans quod illud oculis subjiciatur circa tumbam beati Vitalis, & in vitro eidem tumbæ in parte Orientali propinquo, & quibusdam antiquis tabulis, vetustis Altaribus, causa ornatus appositis.

Nonum articulum per omnia sua puncta dicit esse verum causam scientiæ reddens, quia notorie omni die cuilibet intuenti ad oculum id apparet. Estque à multis annis omnium hominum memoriam excedentibus, ita factum & observatum, dicit etiam quod ultra illum articulum, linum, & gallinarum pulli, & quam plura alia inibi offerantur.

Decimum articulum dicit esse verum, quod vidit & audivit à pueritia sua, salvo quod de processionibus non constat.

Undecimum articulum dicit esse verum, quod de hoc est vox & fama per civitatem Salzburgensem, & patriam vicinam, apud Archiepiscopos & alios Prælatos, apud Clerum & populum, nobiles & ignobiles, & testis pro conscientia sua dicit & firmiter credit, beatum Vitalem ob sui sanctitatem miraculorumque operationem esse canonizandum, & catalogo Sanctorum ascribendum.

Ad tredecimum articulum testis interrogatus respondit, quod sine dubio multa miracula, annis dudum lapsis facta sint, ac modernis temporibus quotidie fiunt per beatum Vitalem, licet modernis temporibus de his specialiter inquirere, & ea conscribere seu advertere pauci curaverint.

Quartumdecimum articulum de fama, dicit testis, esse verum, prout supra circa undecimum dixit articulum.

INSUPER memoratus Magister Caspar procurator, nomine quo supra procuratorio, coram nobis Ulrico & Georgio Episcopis Delegatis: Petro & Georgio Abbatibus: ac Benedicto Præposito, Subdelegatis, omnes & singulos, utriusque sexus homines infra nominatos, in nostri præsentia constitutos, tanquam testes, modo & forma præmissa, produxit, eosque & ipsorum quemlibet per nos citari & admitti, ipsorumque & cujuslibet ipsorum, solitum juramentum recipi, atque eos, & quemlibet ex eis, super articulis & interrogatoriis præscriptis examinari & interrogari debita cum instantia postulavit.

NOS tunc Delegati & Subdelegati infrascriptos utriusque sexus homines, coram nobis personaliter constitutos, ad dicti Magistri Caspari procuratoris instantiam, tanquam testes, verbo citavimus, eosque & ipsorum quemlibet ad jurandum de perhibendo in præsenti negotio, testimonium veritati in forma juris compulimus & admi-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190. simus. Qui sic compulsi & admissi, statim & in continenti ad mandatum nostrum, ac in manibus nostris, tactis per eos & quemlibet ex eis corporaliter scripturis sacrosanctis, ad sancta Dei Evangelia juraverunt, & quilibet eorum juravit, se velle dicere & depromere puram & meram, quam sciverint, & ipsorum quilibet sciverit in præmissis, veritatem, prece, pretio, odio, amore, favore, timore, & qualibet alia siniſtra machinatione postpositis penitus & semotis.

NOs insuper Delegati, & Subdelegati conjunctim ad examen testium hujusmodi procedentes: Reverendum in Christo Patrem, Dominum Hadmarum, Decanum Ecclesiæ Salzeburgensis, testem superius productum & juratum ad partem, prout moris est, coram Notariis & testibus publicis infrascriptis, examinavimus & interrogavimus.

Primo de ætate, dicit medio juramento superius præstito, se esse ætatis quinquaginta annorum vel circa. Deinde ad similem interrogationem dicit, quod ab adolescentia professus fuerit in Ecclesia Salzburgensi, Ordini S. Augustini Canonicorum regularium prædicta, & quod in præsenti negotio meram quam sciverit veritatem depromere velit, postposita omni machinatione siniſtra: Deinde ad articulos interrogatus: Primum, secundum & tertium articulos dicit esse notorie veros, referens se nihilominus ad legendas sanctorum Rudberti & Virgilii, quæ pro authenticis habentur. Quartum & quintum articulos dicit esse veros, referens se, ut prius, ad legendas authenticas & alios libros, ac ad scripturas veteres, in quibus hæc describuntur.

Sextum articulum dicit esse similiter verum, quod ratio sic dictat.

Septimum articulum dicit esse verum, quia à juventute sua à senioribus suis hæc dici audivit, remittit se nihilominus ad scripturas & tabulas hæc continentes.

Pro speciali causa scientiæ subjungens, quod beatus Vitalis quadam vice per eum invocatus, in graviſſimo capitis dolore sibi subvenerit, & ipsum sanitati restituerit, pro quo eundem beatum Vitalem in suis privatis orationibus hodie venerari non cessat.

Ad octavum articulum dicit, esse verum quod beatus Vitalis cum diademate & Lilio depingitur, quod vidit imaginem suam in certis veteribus tabulis, præsertim in vitro, circa tumbam suam, eo modo depictam.

Nonum articulum dicit esse verum, pro causa scientiæ assignans, quia vidit sæpius hæc fieri, & hodie cujuslibet intuentis oculo subjiciuntur.

Ad decimum articulum respondit, se hæc audivisse ab aliis. Undecimum articulum dicit esse verum, quod hæc sæpius audivit, imo ipsemet tenet & reputat eundem beatum Vitalem pro sancto canonizando. Duodecimum articulum dicit esse notorie verum, quod cuilibet inspicienti manifeste apparet. Ad tredecimum articulum dicit testis, se credere, imo audivisse sæpius beatum Vitalem, in operatione miraculorum sedulum esse, licet negligentia modernorum id non advertat. Quartumdecimum articulum de fama dicit esse verum, & quod illa fama apud doctos & indoctos, nobiles & ignobiles, per civitatem Salzburgensem, ac aliis locis discurrat.

FRATER Petrus Prior Monasterii S. Petri Salzburgensis supradicti, ætatis quinquaginta duorum annorum, à viginti tribus annis in eodem Monasterio Professus, vir doctus & sensatus, testis superius receptus & juratus, medio suo juramento interrogatus, dicit: Primum articulum esse verum, quia in eo contenta sunt notoria. Secundum articulum dicit esse verum, referens se ad legendas, in quibus hæc continentur, quæ pro authenticis habentur. Tertium articulum dicit esse verum, quia notorius est. Quartum articulum generalem dicit esse verum, quantum ex infrascriptis habetur. Quintum articulum dicit esse verum, quia ita legit in legenda sancti Rudberti, quæ authentica existit, & sæpius lecta in refectorio dicti Monasterii sancti Petri. Sextum articulum dicit testis, esse communem & verum ex dictamine rationis. Septimum articulum dicit esse verum, quia à senioribus suis dici audivit, ac in diversis libris antiquis beati Vitalis miracula legendo didicit; de eo vero quod de lilio albo articulariter dicit testis, esse commune dictum, publicamque vocem & famam. Octavum articulum dicit testis esse verum, quia imaginem beati Vitalis cum diademate, more sanctorum depictam, in vitro antiquo apud tumbam ejusdem Vitalis versus Orientem, & quibusdam tabulis, vetustis Altaribus impositis sæpius vidit, & hodie conspicienti oculo subjicitur, Nonum articulum dicit esse verum, quo ad oblationes, quia à multis annis ita vidit, & singulis diebus ad oculum videtur. De miraculis

Digitized by Google

culis vero certitudinaliter non depromit, nisi quod audivit à quibusdam hominibus, quod ipsi ex certis infirmitatibus ad invocationem beati Vitalis convaluerunt: Sed qui sint illi homines ignorat. Sæc. XII. Anno 1190.

Ad decimum articulum dicit, quod viderit sæpius exteros homines apud tumbam beati Vitalis provolvi, oblationes atque orationes inibi facientes.

Ad undecimum articulum dicit esse verum articulum, quia à multis annis à personis gravibus utriusque status audiverit beatum Vitalem pro sancto miraculorum effectore, ac merito canonizando communiter reputari & haberi.

Duodecimum articulum dicit esse verum, pro causa scientiæ allegans, quia per totum tempus, quo in dicto Monasterio moram duxit, ita vidit, & cuilibet intuenti ad oculum apparet. Ad tredecimum articulum dicit, se audivisse beatum Vitalem, modernis temporibus aliquotiens miraculis claruisse, sed quibus vel qualibus ignorat.

Ad quartumdecimum articulum de fama repetit dictum suum superius circa undecimum articulum descriptum.

Frater Stephanus Pretschlipfer / Professus & Custos Monasterii sancti Petri Salzburgensis supradicti, ætatis quinquaginta sex annorum, à quadraginta quinque annis in eodem Monasterio Professus, testis ut supra productus & juratus.

Primum articulum dicit esse notorie verum. Secundum articulum dicit esse verum, referens se ad libros authenticos & legendas, in quibus illa continentur. Tertium articulum dicit esse notorium. Ad quartum articulum generalem dicit ut infra ad articulos specificativos. Quintum articulum incipientem: *Dicitur primo, &c.* dicit verum esse, referens se ad legendam S. Rudberti, quæ authentica est, quæ etiam in refectorio Monasterii prædicti, similiter in lectionibus matutinalibus, bis in anno, legi consuevit. Sextum articulum dicit esse verisimiliter verum, prout etiam partim ex legenda elici potest. Septimum articulum dicit esse verum, pro causa scientiæ, assignans, quia ita reperitur in libris authenticis, videtur etiam apud tumbam beati Vitalis sic depictum, & quibusdam tabulis descriptum, dicit etiam quod ipse aliquotiens fuerit, prout ad præsens existat, præfati Monasterii Custos, ubi certe utriusque sexus personæ ad ipsum venientes retulerunt, qualiter à suis languoribus ad invocationem beati Vitalis & circa tumbam ejusdem fuerint liberatæ, sed quæ fuerint seu sint personæ prædictæ, memoriæ non occurrit. Dicit etiam quod hodie communis sit concursus ægrorum & sanorum, exterorum & incolarum, ad tumbam eandem. De miraculo vero lilii albi, dicit se audivisse à senioribus suis ita esse actum, prout articulariter dictum.

Octavum articulum dicit esse verum, quia in vitro quodam antiquo circa tumbam beati Vitalis, & certis aliis veteribus picturis sic vidit, & cuilibet intuenti patet.

Octavum articulum dicit esse verum, atque notorium, quia ita longissimis temporibus factum & observatum existit, & hodie ita servatur, prout cuilibet intuenti ad oculum apparet. Ad decimum articulum dicit, sibi de processionibus non constare, sed sit verum quod etiam exteri homines circa tumbam provolvantur, ac Missas in beati Vitalis venerationem celebrari disponunt. Undecimum articulum dicit esse verum, quod de contentis in eo est firma credulitas, dictum commune, publica vox & fama, apud senes & juvenes, Clerum & populum in civitate Salzburgensi & extra eandem.

Duodecimum articulum dicit esse verum, quia sic fieri vidit & audivit. Tredecimum articulum dicit esse verum, quia diversi homines, ut supra depromsit, sibi hæc retulerunt, licet nec ipse, nec aliquis miracula modernis temporibus, per beatum Vitalem facta conscribere curaverit.

Ad quartumdecimum articulum, de fama, dicit esse verum articulum, depromptionem superius circa undecimum articulum descriptam, hic repetendo.

Frater Heinricus Hefelder / professus & librarius Monasterii S. Petri supradicti, ætatis quadraginta octo annorum vel quasi, à viginti octo annis in eodem Monasterio professus, testis ut supra juratus. Ad primum articulum interrogatus dicit esse verum articulum & notorium.

Secundum articulum dicit similiter esse verum & notorium, referens se nihilominus ad legendam S. Rudberti, quæ est authentica, & in lectionibus matutinalibus atque pro tabula refectorii antedicti Monasterii legi solet.

Tertium articulum esse verum, quantum ex infrascriptis constabit ex fama publica. Quar-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

Quartum articulum dicit esse verum, quantum ex infrascriptis constabat.

Quintum articulum dicit esse verum, referens se de hoc ad legendam, prout supra circa secundum articulum, quæ quidem legenda notabilis & authentica habetur.

Sextum articulum dicit verisimiliter esse verum.

Septimum articulum dicit esse verum, pro causa scientiæ assignans, quod à multis utriusque sexus hominibus hæc audivit, ac in libris & tabulis desuper confectis legit, ad quas se refert, & quod lilium album ex tumba beati Vitalis creverit, dicit constare ex picturis antiquis ac communi hominum dicto.

Octavum articulum incipientem, *Item quod in hujus spectaculi memoriam, &c.* dicit esse verum, quod antiquissimæ picturæ in vitro versus Orientem circa tumbam beati Vitalis, & certæ tabulæ Altaribus impositæ aperte demonstrant.

Nonum articulum dicit esse verum, quod à tempore quo in dicto Monasterio moram traxit, singulis quasi diebus ea quæ articulus canit, vidit & audivit, oblata etiam quæ ibi commemorantur, cuilibet intuenti ad oculum apparent.

Ad decimum articulum dicit, sibi bene constare, quod exteri homines ad beati Vitalis tumbam veniunt, & orationes faciunt, votaque sua complendo, jam cereos, jam imagines ferreas, cereas, & ligneas, diversorumque membrorum figuras ex hujusmodi materiis confectas ibi offerunt & relinquunt.

Undecimum articulum dicit esse verum & notorium.

Duodecimum articulum dicit esse verum, quod à multis annis vidit & quasi singulis diebus conspicit sine intermissione.

Ad tredecimum articulum dicit esse verisimile, quod frequenter fiunt miracula per beatum Vitalem, quæ memoriæ non commendantur, prout etiam cæterorum hominum, in quibus hujusmodi miracula operata fuerint, didicit relatione.

Quartumdecimum articulum generalem de fama dicit esse verum, quod sic famari audivit à multis gravibus personis, doctis & indoctis, Prælatis & subditis per civitatem Salzburgensem.

DOMINUS Fridericus Pranchet/ Canonicus & Plebanus Ecclesiæ Salzburgensis, ætatis quinquaginta annorum vel circa, à triginta annis in Ecclesia Salzburgensi, Ordinis S. Augustini professus, testis ut supra juratus.

Primum articulum dicit esse notorie verum. Secundum articulum dicit similiter esse verum, referens se nihilominus ad legendam S. Rudberti, quæ pro authentica habetur, quam sæpius vidit & legit. Tertium articulum dicit esse notorium. Ad quartum articulum dicit tantum quantum ex subscriptis patebit. Quintum articulum dicit esse verum, remittens ad legendam supradictam, quæ authentica habetur. Ad sextum articulum dicit, quod ratio sic dictet, prout articulatur. Septimum articulum dicit esse verum, quod à multis annis præteritis dici audivit de his quæ in articulo continentur, per graves & honestas personas. Estque de his publica vox & fama. Octavum articulum dicit esse verum, quod effigiem beati Vitalis sic, ut articulatur, depictam vidit in vitro circa tumbam beati Vitalis in Monasterio S. Petri prædicto. Ad nonum articulum dicit se vidisse quod homines utriusque sexus, pusilli & magni, circa tumbam B. Vitalis sunt provoluti, & cereos ibidem succenderunt, vidit quoque alia quæ inibi articulantur & cuilibet intuenti ad oculum apparent. Ad decimum articulum dicit ut ad nonum, videlicet quod viderit homines circa tumbam provolutos, orationes & oblationes facientes. Undecimum articulum dicit esse verum, quia de in eo contentis in civitate Salzburgensi & extra eandem est publica vox & fama, non solum apud populares, sed & Prælatos & doctos, nobiles & ignobiles. Duodecimum articulum dicit esse verum, quia sæpius vidit & audivit. Ad tredecimum articulum dicit, se aliquotiens audiisse, quod beatus Vitalis etiam modernis temporibus claret miraculis. Sed an scriptis commendentur ignorat. Ad quartumdecimum articulum, de fama, dicit esse verum, eo modo prout supra circa undecimum dixit articulum,

DOMINUS Bernhardus de Rohr/ Canonicus & Hospitalarius Ecclesiæ Salzburgensis, ætatis quadraginta quatuor annorum vel circa, testis ut supra productus & juratus, ad articulos, interrogatoria præscripta, interrogatus respondit ut infra; primum, secundum, & tertium articulos, dicit esse veros, quia in eis contenta per multas partes terrarum, longe lateque sunt publica & notoria. Ad quartum articulum dicit ut infra ad articulos sequentes. Quintum articulum dicit esse verum, referens se ad legendam sancti Rudberti, quæ pro authentica habetur. Sextum articulum dicit

Digitized by Google

eit esse verisimilitudinis & rationis. Septimum articulum dicit esse verum, quia de contentis in eo, est commune dictum ac publica vox & fama. Refert se tamen ad libros & tabulas in quibus illa continentur. Octavum articulum dicit esse verum, quia in vitro circa tumbam beati Vitalis, imaginem ipsam cum diademate & lilio vidit depictam, prout hodie cuilibet intuenti apparet. Nonum articulum dicit esse verum, quia à multis annis vidit & audivit, & per seipsum circa tumbam nonnunquam provolutus in veneratione beati Vitalis certas orationes dixit. Ad decimum articulum dicit, quod suis expensis procuraverit legi certas Missas, pro beati Vitalis veneratione. Undecimum articulum dicit esse verum, quia toto tempore quo Salzeburgæ moram fecit, hæc ita audivit à magnis & parvis utriusque sexus hominibus. Sitque de hoc per civitatem Salzburgensem & multas terrarum partes, publica vox & fama. Duodecimum articulum dicit esse verum, quia vidit & per seipsum fecit. Ad tredecimum articulum dicit se, de in eo contentis, sæpius audisse, & sit indubie verum, quod beatus Vitalis modernis temporibus miracula operetur. Ad quartumdecimum articulum de fama, dicit esse verum articulum, repetens depositionem suam circa articulum undecimum superius descriptam.

Sæc. XII. Anno 1190.

Dominus Meinhardus Glimpff/ Primissarius & Pœnitentiarius officii, Vicarius Ecclesiæ Salzeburgensis, ætatis sexaginta annorum vel circa, vir doctus atque sensatus, testis ut supra juratus & examinatus. Primum articulum dicit esse verum atque notorium, quia festa illorum sanctorum multipliciter celebrantur in anno. Secundum articulum dicit esse verum, quia sanctus Rudbertus dicitur communiter Apostolus Bavarorum, Virgilius Apostolus Karinthianorum. Tertium articulum dicit esse notorium verum. Ad quartum articulum deponit ut infra ad articulos sequentes. Quintum articulum dicit esse verum, quia in eo contenta sæpius dici audivit, atque in legenda S. Rudberti, quæ pro authentica habetur, sæpissime legit. Sextum articulum dicit esse verum, juxta dictamen rationis. Septimum articulum dicit esse verum, quia ita legit in libris authenticis & aliis scripturis, dicique audivit, & in picturis vidit, de eo vero, quod de lilio albo articulatur, dicit esse publicam vocem & famam. Ad octavum articulum dicit, quod in vitro quodam antiquo, circa tumbam beati Vitalis, versus Orientem, & in quadam antiqua tabula vidit imaginem ejusdem beati, cum diademate & lilio albo depictam. Nonum articulum dicit esse notorie verum, quia à puericia sua in civitate Salzburgensi nutritus est, & semper ita vidit & audivit, & hodie quoad imagines & figuras oblatas articuli veritatem quisquis intueri potest. Ad decimum articulum dicit, quod exteri & advenæ & peregrini circa tumbam illam provolvi, & orationes facere consueverunt, prout testis sæpius vidit. Et quia pœnitentiarius est, in confessionibus audivit quod homines beato Vitali ad certa vota sunt astricti, jam tumbam ejus visitare, jam jejunare, jam orare, jam cereos & similia offerre tenerentur propter beneficia & miracula, quæ ipsis B. Vitalis in laboribus & anxietatibus suis, uti asserebant, ostendit. Undecimum articulum dicet esse notorium verum, quia utriusque status homines, Prælati & subditi, nobiles & ignobiles, & populares, per civitatem Salzburgensem, & patrias vicinas hæc dicunt, prædicant & affirmant.

Duodecimum articulum dicit esse verum, quod à multis annis vidit, & cujuslibet inspicientis oculo subjicitur quotidie. Ad tredecimum articulum dicit ut supra ad decimum. Decimumquartum articulum de fama, dicit esse verum, inducens depositionem suam circa undecimum articulum factam.

Thomas Matsee/ Vicecustos Ecclesiæ Metropoliticæ Salzburgensis, Presbyter, ætatis sexaginta annorum, in civitate Salzeburgensi à pueritia nutritus, testis ut supra juratus. Primos tres articulos dicit esse notorie veros, quia festa illorum sanctorum publice celebrantur, referens se nihilominus ad legendas ipsorum, quæ authenticæ existunt. Ad quartum articulum dicit, quemadmodum ex infrascriptis patebit. Quintum articulum dicit esse verum, quia de contentis in eo est publica vox & fama. Refert se etiam ad legendam sancti Rudberti, quæ solennis & authentica. Sextum articulum dicit testis, ex verisimilitudine esse verum. Septimum articulum dicit esse verum, quod in antiquis libris & tabulis ea quæ ibi articulantur legendo didicit, à senioribus suis etiam audivit, & in picturis circa tumbam beati Vitalis ita advertit. Octavum articulum dicit esse verum, quia imaginem beati Vitalis cum diademate &

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190. lilio albo de corde crescenti depictam, sæpius vidit. Nonum articulum dicit esse verum, quia hæc sæpius vidit & audivit, & cujuslibet conspicientis oculo hodie subjicitur. Ad decimum articulum dicit testis, sibi constare, quod tam incolæ civitatis Salzburgensis, quam exteri homines circa tumbam beati Vitalis provolvuntur, & invocationes faciunt, quod vidit & audivit. Undecimum articulum dicit esse verum, quia à senioribus suis ita audivit: Estque de his vox & fama apud personas graves & simplices. Ipse quoque testis firmiter credit atque tenet, beatum Vitalem esse canonizandum. Duodecimum articulum dicit esse verum, quia sæpius vidit. Tredecimum articulum dicit esse verum, de auditu sic, quod beatus Vitalis etiam istis temporibus miracula operari non cessat, quamvis desidia modernorum negligat commemorari. Quartumdecimum articulum de fama, dicit esse verum, prout supra dixit circa articulum undecimum.

STRENUUS miles Dominus Wolffhardus Uberacher/ Ministerialis Ecclesiæ Salzburgensis, ætatis quadraginta annorum vel circa, à pueritia sua in civitate Salzburgensi nutritus, testis ut supra juratus. Primum articulum sibi vulgarizatum dicit esse verum, quia in eo contenta notoria existunt. Secundum articulum dicit esse verum, quia sic audivit in prædicationibus publicis. Ad tertium articulum dicit, quod de contentis in primis duobus articulis sit vox & fama atque notorietas ampliſſima. Ad quartum articulum dicit quemadmodum ad articulos specificativos subscriptos. Ad quintum articulum dicit, se à senioribus suis audivisse, quod S. Rudbertus beatum Vitalem, uti articulatur, elegerit successorem. Ad sextum articulum dicit, quod verisimile sit sanctum Rudbertum beatum Vitalem in suis prædicationibus & actibus sacris habuisse adjutorem. Ad septimum articulum testis vulgarizatum, dicit, verum esse quod beatus Vitalis multis claruerit miraculis, quia id à senioribus suis persæpe audivit atque in tabulis circa tumbam beati Vitalis, quam esse dicit in Monasterio S. Petri Salisburgi, per seipsum legit, & in picturis veteribus ibidem vidit, & præsertim hoc, quod de lilio albo articulatur, sæpissime audivit tanquam vulgare & notorium. Octavum articulum dicit esse verum, quia ita vidit in vitro antiquo & aliis picturis circa tumbam beati Vitalis. Nonum articulum dicit esse verum, quia à juventute sua sic observari vidit, & per seipsum fecit. Pro clariori vero causa scientiæ dicit, quod quondam uxor sua pro pueris suis infirmis imagines cereas ibi obtulit & reliquit, vidit etiam sæpius, & per se fecit impositiones pecuniarum ad truncum, uti articulatur, & hodie cuilibet intuenti manifeste apparet. Ad decimum articulum dicit, se sæpius vidisse exteros & peregrinos circa tumbam beati Vitalis provolutos, præsertim circa majores anni festivitates. Undecimum articulum dicit esse verum, quia de in eo contentis est fama apud nobiles & ignobiles, viros & mulieres in civitate Salzburgensi & extra eandem longe lateque. Duodecimum articulum dicit esse verum, quia à multis annis ita vidit & hodie sic observatur. Tredecimum articulum dicit esse verum, quia ita audivit & credit, quod propterea veneretur beatus Vitalis, nam si miracula nulla faceret, veneratio ejus ita frequens non esset. Quartumdecimum articulum de fama, dicit esse verum, eo modo, ut supra circa undecimum dixit articulum.

NOBILIS vir, Wilhelmus Turner de Newpeurn/ Ministerialis Ecclesiæ Salzburgensis, laicus, sexaginta annorum vel circa, vir eloquens & prudens, in civitate Salzburgensi & patria vicina à juventute nutritus, testis ut supra juratus. Primum articulum vulgarizatum dicit esse verum, quia festa illorum sanctorum in anno multipliciter celebrantur. Secundum articulum dicit esse verum & notorium, quia in publicis prædicationibus à multis annis audivit. Tertium articulum dicit esse notorium. Ad quartum articulum generalem dicit ut infra ad articulos specificativos. Ad quintum articulum testis non est examinatus. Ad sextum articulum non est examinatus. Ad septimum articulum dicit, se sæpius vidisse, quod circa tumbam beati Vitalis, quam testis esse dicit in Monasterio sancti Petri, cerei & imagines ligneæ, ferreæ & cereæ offeruntur & ibi reponuntur, de aliis vero quæ articulus canit, dicit se testis ignorare. Octavum articulum dicit esse verum, quia imaginem beati Vitalis depictam vidit cum diademate & lilio albo in vitro circa tumbam beati Vitalis, versus Orientem. Nonum articulum dicit esse notorie verum, quia sæpenumero hæc vidit, & seipsum apud tumbam beati Vitalis, in ejus venerationem sæpius oravit, & trunco pecunias imposuit. Ad decimum articulum testi non constat de processionibus, vidit tamen diversos homines exteros & peregrinos circa tumbam provolvi. Ad undecimum

Digitized by Google

cimum articulum dicit, de in eo contentis esse publicam vocem & famam apud Prælatos & subditos, nobiles & plebejos in civitate Salzburgensi & extra eandem. Ipse quoque testis indubitanter tenet beatum Vitalem fore canonizandum. Duodecimum articulum dicit esse notorium, quia cujuslibet intuentis oculo cottidie subjicitur. Ad tredecimum articulum dicit, se de miraculis beati Vitalis audisse, ut supra dixit circa articulum septimum. Ad quartumdecimum articulum de fama, dicit ut supra ad undecimum articulum. SÆC. XII. ANNO 1190.

NOBILIS Ulricus Panichner/ Ministerialis Ecclesiæ Salzeburgensis, laicus, ætatis septuaginta annorum vel circa, in civitate Salzeburgensi & vicinio ejusdem, à juventute nutritus, vir probus & Deo timoratus, testis ut supra juratus, medio suo juramento examinatus: Primum, secundum, & tertium articulum dicit esse notorie veros Ad quartum generalem dicit, ut infra ad ejus specificativos. Quintum articulum dicit esse verum, quia ita audivit ab annis juventutis suæ in prædicationibus publicis, ac à senioribus suis. Sextum articulum interrogatus, dicit se à senioribus suis sæpius andivisse quod beatus Vitalis multis claruerit miraculis, sed quibus & qualibus, testis ignorat, & quod de hujusmodi miraculorum operatione sit publica vox & fama, adjiciens quod ante unum mensem, proximum lapsum, teste in foro civitatis stante Salzburgensis, incesserit quidam villanus, cujus notitiam testis non habet, portans duorum pedum figuras, ligneam videlicet & ferream, qui per testem quo iturus esset, interrogatus respondit: Quomodo in utroque pede per multa tempora claudus fuisset. Postquam vero se ad tumbam beati Vitalis cum dictis figuris devovisset, statim sine medicamine naturali, reformatus esset: quamobrem nunc veniret, hæc circa tumbam eandem oblaturus. Dicit etiam testis, quod de his quidam Burchardus Astronomus interfuerit, dicit se etiam prædictas pedum figuras inter cætera apud tumbam ipsam expost vidisse. Octavum articulum dicit esse verum, quia imaginem beati Vitalis cum diademate & lilio albo depictam in vitro circa tumbam ejusdem, quam esse novit in Ecclesia sancti Petri, vidit. Ad decimum articulum dicit esse verum, quod homines exteri & peregrini circa tumbam orationes faciunt, quia vidit. De processionibus autem ignorat. Ad undecimum articulum dicit esse verum, quia de inibi articulatis apud Prælatos & doctos & indoctos, juvenes & senes, in civitate Salzburgensi & extra eandem, est publica vox & fama, communeque dictum & firma credulitas, quod beatus Vitalis ob suam sanctitatem sit merito canonizandus. Duodecimum articulum dicit esse verum & notorium, prout cuilibet conspicere volenti, singulis quasi diebus apparet. Ad tredecimum articulum dicit, quod à tempore suæ juventutis ita dici audivit communiter & publicè. Decimumquartum articulum de fama dicit esse verum, referens se ad depositionem suam circa undecimum articulum superius descriptum.

STRENUUS miles, Dominus Joannes Strasser/ Ministerialis Ecclesiæ Salzburgensis, ætatis quadraginta quinque annorum vel circa, testis ut supra juratus: Primos tres articulos sibi successive vulgarizatos, dicit esse notorie veros. Ad quartum articulum incipientem: *Dicitur primitus &c.* testis remittit se ad legendam S. Rudberti, quam credit esse authenticam. Sextum articulum dicit esse verisimiliter verum. Ad septimum articulum dicit se de hoc quod B. Vitalis miracula operetur sæpius audisse. Sed quæ vel qualia ignorat, hoc autem quod de lilio albo articulatur, dicit se à senioribus sæpius audisse. Ad octavum articulum testi nihil constat. Ad nonum articulum dicit testis, se sæpius audisse & vidisse de cera & aliis materiis imagines atque diversorum membrorum figuras circa tumbam B. Vitalis offerri, & quod homines utriusque sexus circa tumbam eandem provolvuntur orationes facientes. Ad decimum articulum testi nil constat. Ad undecimum articulum dicit, se à diversis hominibus, etiam nobilibus & gravibus, ab annis suæ discretionis sæpius audisse, quod beatus Vitalis, cujus res hic agitur, pro sancto miraculorum effectore canonizandum, & in numero sanctorum computando reputetur, & communiter habeatur. Duodecimum articulum dicit esse verum, quia ita fieri sæpius vidit. Ad tredecimum articulum, ut ad septimum. Decimumquartum articulum de fama, dicit esse verum, quemadmodum circa undecimum dixit articulum.

STRENUUS miles & spectablilis vir, Dominus Georgius Haunsperger/ Ministerialis Ecclesiæ Salzburgensis, ætatis quinquaginta quinque annorum, vel circa, testis ut supra juratus, examinatus, & interrogatus, deponit ut infra. Primum articulum sibi vulgarizatum, dicit esse notorie verum. Secundum articulum dicit similiter esse noto-

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

notorium. Tertium articulum dicit esse notorie verum. Ad quartum articulum dicit, ut ad articulos sequentes. Quintum articulum dicit esse verum, quia in eo contenta à suis senioribus dici sæpius audivit. Sextum articulum dicit verisimiliter esse verum. Septimum articulum sibi vulgarizatum dicit esse verum, pro causa scientiæ allegans, quod ipse dummodo annos adolescentiæ currebat, fuerit Camerarius Abbatis Monasterii S. Petri Salzburgæ tunc existentis, ubi vidit & audivit, quod diversi homines utriusque sexus, cum magno tripudio, Domino suo Abbati, & aliis in Monasterio quandoque referebant, se per meritum beati Vitalis, à certis languoribus fuisse sanatos & restitutos: Et propterea diversarum materiarum imagines atque figuras, prout articulatur, circa tumbam beati Vitalis obtulerunt & reliquerunt. Sed qui fuerint illi homines, seu à quibus languoribus liberati, memoriæ non commendavit. Audivit quoque eo tunc & postea sæpius, quod boni homines, illius beati Vitalis canonizationem optavere. Illud etiam quod de lilio albo in articulo ponitur, dicit se sæpissime audivisse, quia est publica vox & fama. Octavum articulum dicit esse verum, quia imaginem beati Vitalis cum diademate & lilio albo depictam in vitro antiquo, circa tumbam prædictam, ac cereis tabulis sæpius vidit. Nonum articulum dicit esse verum, quia eo tempore, quo Abbatis Monasterii prædicti famulus erat, prout circa septimum articulum dixit & etiam hactenus hæc sæpissime vidit & audivit, & conspicientis oculo cottidie subjicitur. Ad decimum articulum dicit, sæpius vidisse quod homines utriusque sexus, etiam exteri & peregrini circa tumbam beati Vitalis sunt provoluti, sed & de aliis in articulo expressis, testi nihil constat.

Undecimum articulum dicit esse verum, quod de contentis in eo, in civitate Salzburgensi & extra eandem, nedum apud Plebejos, sed & Prælatos ac Clericos, doctos & indoctos, nobiles & populares, commune dictum, publica vox & fama existit. Duodecimum articulum dicit esse verum, quia sæpissime vidit & quotidie fieri solet. Ad tredecimum articulum dicit, quod indubiæ etiam modernis temporibus, per beatum Vitalem plurima miracula fiant, quæ scripto vel memoriæ non commendantur. Nam eo tempore, de quo testis circa septimum dixit articulum, dum homines certa miracula, per eundem beatum Vitalem, in ipsis effecta pandebant, & de eis testificabantur, nemo erat qui hæc describeret, seu aliquo modo futuræ generationi transmitteret. Sic verisimiliter modernis temporibus fieri non dubitat. Ad decimumquartum articulum de fama repetit depositionem suam circa undecimum articulum superius descriptam.

Venerabilis Pater Dominus Bernhardus de Straßburg / decretorum Doctor, Ecclesiæ S. Bartholomæi in Frisaco, Salzburgensis diœcesis Præpositus, Curiæ Salzburgensis Cancellarius, testis ut supra productus, juratus ac examinatus. Primum articulum dicit esse notorie verum. Secundum articulum dicit similiter esse notorie verum, quodque in eo contenta in certis antiquis libris & privilegiis sæpius repererit & legerit, & quod S. Rudbertus Bavarorum seu Noricorum, S. Virgilius Karanthanorum Apostoli communiter appellantur. Tertium articulum dicit esse notorium. Ad quartum articulum generalem, dicit ut infra ad articulos specificativos. Quintum articulum dicit esse verum, causam scientiæ reddens, quia per seipsum duas Chronicas habeat, ex antiquis libris descriptas, in quibus hæc continentur. Similiter in pluribus aliis libris atque historiis reputatis pro authenticis hæc viderit & legerit. Sextum articulum dicit esse similiter verum, & credit ex historiis. Septimum articulum dicit esse verum. Nam de hoc quod idem beatus Vitalis miraculis claruerit & hodie clareat, est publica vox & fama, longe lateque, imo apud Sereniſſimum Dominum Imperatorem modernum. Nam cum quadam vice Imperialis celsitudo cum ipso teste in colloquiis existeret, ventum fuit ad hoc, quod ipse Dominus Imperator testem interrogabat de numero beatorum Patrum Ecclesiæ Salzburgensis quondam Præsulum, qui miraculis claruissent. Tunc testis, in quantum recollectus erat, certos nominavit, beatum Vitalem prætereundo. Tunc Imperator ait: Adhuc unus est, videlicet beatus Vitalis. Et testis erubescebat majestatem Imperialem majorem his notitiam, quam se habuisse. Octavum articulum dicit esse verum, quia imaginem beati Vitalis, sic ut articulatur, depictam vidit in vitro circa tumbam ejusdem. Nonum articulum dicit esse verum atque notorium, quia cuilibet intuenti apertissime apparet. Ad decimum articulum dicit se sæpius vidisse diversos homines apud tumbam provolvi, & preces atque orationes effundere. Undecimum articulum dicit esse verum, quia de contentis in eo apud Principes & Barones, Prælatos & subditos, nobiles & ignobiles, est publica vox & fama, communis reputatio, & dictum vulgare in civitate Salz-

Digitized by Google

Salzburgenſi ac partibus longinquis. Duodecimum articulum dicit eſſe notorie verum. Ad tredecimum articulum dicit ſe de operatione miraculorum beati Vitalis ſæpius audiviſſe, ut ſupra dixit. Quartumdecimum articulum dicit eſſe verum, repetendo dictum ſuum ſuperius, circa articulum undecimum deſcriptum. SÆC. XII. ANNO 1190.

DOMINUS Joannes Gallet/ Decanus Vicariorum chori Eccleſiæ Salzburgenſis, ætatis quinquaginta annorum vel circa, & moram duxit in civitate Salzburgenſi per annos duodecim, teſtis ut ſupra juratus & citatus. Primum, ſecundum, tertium articulos dicit eſſe veros & notorios. Quartum articulum generalem dicit ut infra ad articulos ſpecificatorios. Quintum articulum dicit eſſe verum, quia in antiquiſſimis libris authenticis legit, ac dici audivit, prout articulatur. Sextum articulum dicit eſſe verum, juxta dictamen rationis. Septimum articulum dicit eſſe verum, quia miracula quibus beatus Vitalis claruiſſe teſtatur, in antiquis Chronicis & libris legit. Et hoc quod de lilio albo articulatur, eſt publica vox & fama.

Pro ſpeciali tamen cauſa ſcientiæ miraculorum beati Vitalis dicit: Quod ante quinquennium proximum lapſum, acciderat ſibi quidam dolor in nervis cruris dextri, ita quod gradi non poterat. Qui dum per menſem & ultra, continuo duraſſet & invaluiſſet: Vovit ſe circa tumbam beati Vitalis decem cereos oblaturum & accenſurum. Et mox expleto voto, dolor minuebatur, pauciſſimis expoſt diebus, teſtis priſtinæ ſanitati fuit reſtiturus.

Octavum articulum dicit eſſe verum, quia imaginem beati Vitalis cum diademate & lilio albo vidit in antiquo vitro circa tumbam ejusdem. Nonum articulum dicit eſſe notorie verum, quia cujuslibet conſpicientis oculo ſubjicitur. Ad decimum articulum teſti non conſtat. Niſi quod vidit diverſos homines circa tumbam beati Vitalis orandi cauſa provolvi. Undecimum articulum dicit eſſe verum, cauſam ſcientiæ aſſignans, quia à duodecim annis vel citra, contenta in articulo, communiter dici audivit. Ipſeque teſtis tenet & reputat beatum Vitalem pro ſancto miraculorum effectore merito canonizandum. Duodecimum articulum dicit eſſe verum & notorium. Tredecimum articulum dicit eſſe verum, quia de hoc eſt vox & fama. Quartumdecimum articulum dicit eſſe, ut ſupra circa articulum undecimum.

DOMINUS Joannes Impach/ Presbyter Salzburgenſis diœceſis, ætatis quinquaginta annorum, teſtis ut ſupra productus & juratus. Interrogatus primos tres articulos dicit eſſe veros & notorios. Ad quartum articulum dicit ut infra patebit. Ad quintum articulum dicit ſe contenta in eo ſæpius legiſſe, ac etiam ab hominibus dici audiſſe. Sextum articulum dicit veriſimiliter eſſe verum. Septimum articulum dicit eſſe verum, pro cauſa ſcientiæ aſſignans, quia dum juvenis erat, apud Monaſterium ſancti Petri Salzeburgæ, diſciplinis ſcholaſticis operam dedit, ubi tunc de operatione miraculorum beati Vitalis frequenter dici audivit. Pro ſpeciali vero cauſa ſcientiæ dicit, quod ipſe in Sacerdotio conſtitutus, per annos vere ſeptem adeo excæcatus fuerit, ut nec litteram unam videre poſſet. Præterea poſt multorum medicaminum inutilem applicationem, acceſſit tumbam beati Vitalis cum devotione plurima ibidem orando, quatenus Dominus JESUS CHRISTUS, qui vera lux exiſtit per meritum beati Vitalis dignaretur ſibi reſtituere viſum, ut ſaltem horas Canonicas & Miſſas legere poſſet. Qua quidem oratione completa, ſtatim oculorum claritatem, licet tenuem, accepit, & expoſt pauciſſimis diebus, non ſine grandi beati Vitalis miraculo, tantam oculorum claritatem readeptus fuit, quod horas Canonicas & Miſſas legere cœpit, & hactenus ſic fecit. Et propterea beatum Vitalem in ſuis privatis orationibus per dies vitæ ſuæ venerari non ceſſabit. Octavum articulum dicit eſſe verum, quia ita vidit in vitro circa tumbam B. Vitalis. Nonum articulum dicit eſſe verum & notorium, ab antiquo enim ita factum eſt, & hodie ad oculum videtur. Ad decimum articulum dicit, ſibi conſtare, quod teſtis per ſeipſum quadam vice in venerationem beati Vitalis unam Miſſam celebravit, ad inſtantiam & ſubnarrationem cujusdam peregrini, qui ad tumbam beati Vitalis de remotis venerat. Undecimum articulum dicit eſſe verum, quia omnis homo ſenex & juvenis, doctus & indoctus ita dicit, reputat & credit. Duodecimum articulum dicit eſſe verum, quia quotidie ad oculum ſic apparet. Tredecimum articulum dicit eſſe verum, quia de hoc quod beatus Vitalis modernis temporibus & quotidie miraculis clareat, dici ſæpiſſime audivit, ac in ſeipſo, prout ſupra circa ſeptimum articulum depoſuit, expertus exiſtit. Quartumdecimum articulum dicit eſſe verum, eo modo, prout ſupra circa undecimum dixit articulum.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

Wilhelmus Pirger, laicus, Salzburgenſis civis, Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini, Domini Burchardi electi & confirmati Eccleſiæ Salzburgenſis, familiaris, vir notabilis & prudens, ætatis quadraginta trium annorum vel circa, teſtis ut ſupra juratus. Primum articulum dicit eſſe verum & notorium. Secundum articulum dicit eſſe verum, quia in prædicationibus publicis, & aliàs, à ſuis ſenioribus ſæpius audivit. Tertium articulum dicit ſimiliter eſſe verum & notorium. Ad quintum & ſextum articulos non eſt examinatus. Ad ſeptimum articulum ſibi vulgarizatum interrogatus dicit verum eſſe articulum, quia à diebus ſuæ diſcretionis ita dici audivit, & nulli dubium, quin miracula beati Vitalis in antiquis & authenticis Scripturis clare reperiantur.

Pro ſpeciali autem cauſa ſcientiæ dixit, quod ipſe habuerit, prout hodie, pueros plures, qui diverſis infirmitatibus paſſim oppreſſi fuêre, & quotieſcunque mater ipſorum beato Vitali vota fecit & explevit, totiens pueri ipſi, & quilibet ipſorum ſanitati fuerunt reſtituti.

Similiter dicit, quod ipſe cum quadam vice graviſſimam oculorum ophtalmiam pateretur, tumbam beati Vitalis acceſſit & oravit, & paucis ex poſt diebus bene convaluit. Et propterea eundem beatum Vitalem ſpeciali veneratione hactenus eſt proſecutus. Dicit etiam teſtis, quod ad oſtenſionem miraculorum beati Vitalis imagines & figuræ membrorum diverſæ, apud tumbam ejusdem, uti articulatur offeruntur. Hoc etiam quod de lilio albo articulatur, dicit eſſe verum, quia de hoc eſt publica vox & fama. Octavum articulum dicit eſſe verum, quia imaginem beati Vitalis in Pontificalibus cum diademate, & lilio albo depictam vidit in vitro circa tumbam ejusdem. Nonum articulum dicit eſſe verum, quia vidit & à ſenioribus ſuis audivit, ac unicuique conſpicienti ad oculum plane apparet. Ad decimum dicit teſtis, quod circa feſta beati Rudberti, & in diebus Rogationum omnes exteri ad tumbam beati Vitalis confluunt & orationes fundunt, quia vidit & audivit. Undecimum articulum dicit eſſe verum, quia per civitatem Salzburgenſem, imo in Hall & Hellein/ oppidis & aliis locis diverſis, ita tenetur, prædicatur, & reputatur communiter ab omnibus doctis & indoctis, notabilibus & plebeis. Duodecimum articulum dicit eſſe verum, quia ſic quotidie obſervatur, & oculis conſpicientium ſubjicitur. Tredecimum articulum dicit eſſe verum, quia miracula illa quæ beatus Vitalis in teſte, & natis ſuis effecit, prout ſupra circa ſeptimum articulum dixit, modernis temporibus facta exiſtunt, & nulli dubium, quin ſimilia & longe majora miracula beatus Vitalis quotidie operetur. Decimumquartum articulum dicit eſſe verum, repetens dictum ſuum circa undecimum articulum ſuperius inſertum.

Heinricus Plahueber/ Clericus, Salzburgenſis diœceſis, ætatis ſexaginta annorum, vir devotus & ſincerus, in civitate Salzburgenſi & patria vicina à juventute nutritus, teſtis ut ſupra juratus & examinatus. Primos tres articulos, dicit eſſe notorie veros. Ad quartum articulum generalem dicit ut articulos ſpecificativos ſequentes. Quintum articulum dicit eſſe verum, quia in libris antiquis & authenticis legit, ac alias dici audivit. Sextum articulum dicit veriſimiliter eſſe verum. Septimum articulum dicit eſſe verum, nam quod beatus Vitalis miraculis claruerit, in antiquis & authenticis libris lectione didicit, ac à diebus juventutis ſuæ dici audivit.

Pro ſpeciali vero ſcientiæ cauſa ſubjungit, quod ipſe ante annos quadraginta acutiſſimos oculorum ſuſtinuerit dolores, quibus cauſantibus, per triennium lumine privatus fuerit, ſic quod Medici periti timebant, ſibi viſum naturaliter reſtitui non poſſe. Et quia eo tunc de miraculis beati Vitalis communis fama erat: Idcircirco ad tumbam ejusdem acceſſit, factaque per eum devota invocatione, duorum pupillorum figuras de lignis exciſas obtulit ibidem, & ſtatim acumen doloris relaxatum fuit, & aliquantulam videndi potentiam recepit, deinde per plures dies venerationibus beati Vitalis vacavit, cujus auxilio brevi tempore ex integro perfecte convaluit, fuitque tunc multis hominibus notum, beatum Vitalem grande miraculum in eo oſtendiſſe. Octavum articulum dicit eſſe verum, quia ſæpius vidit, & præſertim in vitro circa tumbam beati Vitalis. Nonum articulum dicit eſſe notorie verum, & cuilibet conſpicienti ad oculum apparet Ad decimum articulum, dicit ſe ſæpius vidiſſe homines diverſos apud tumbam beati Vitalis provolutos. Ad undecimum articulum interrogatus, dicit verum eſſe articulum, quia à juventute ſua ſic dici & famari audivit per Archiepiſcopos & alios Prælatos, doctos & indoctos, juvenes & ſenes, tam in civitate Salzeburgenſi, quam extra eandem. Duodecimum articulum dicit ſimiliter eſſe verum,

quia

Digitized by Google

quia à multis annis ita vidit audivit, & cottidie videtur. Tertiumdecimum articulum dicit esse verum, quia de contentis in eo passim dicitur, creditur, & reputatur. Decimumquartum articulum dicit esse verum, eo modo, prout supra circa undecimum dixit articulum. Sæc. XII. Anno 1190.

NOBILIS vir Sigismundus Kepl/ ætatis quinquaginta octo annorum, vel circa, in civitate Salzburgensi à juventute educatus, vir spectabilis & reputatus, testis ut supra citatus & juratus.

Primum articulum sibi vulgarizatum, dicit esse notorium. Secundum articulum dicit esse verum, quia in prædicationibus publicis sæpius audivit. Tertium articulum dicit esse notorium. Ad quartum articulum non est examinatus. Ad quintum articulum dicit se de sanctitate beati Vitalis, ac cæteris in articulo contentis, à senioribus suis sæpius audivisse. Ad sextum articulum non est examinatus. Septimum articulum dicit esse verum, pro causa scientiæ dicens, quod à senioribus suis hæc sæpissime audivit. Pro speciali tamen scientiæ causa allegat, quod ipse in annis adolescentiæ constitutus, quondam Domino Ottoni Abbati Monasterii sancti Petri supradicti servierit, & ea tempestate adducebantur quamplures arrepticii seu dæmoniaci ad Abbatem jam dictum, qui illos ad tumbam beati Vitalis duxit, & Deum per ejusdem Vitalis merita exoravit. Et frequenter omnes dæmoniaci, circa tumbam liberabantur. Hæc facta sunt ante annos quadraginta sex, vel circa, hactenus quoque de miraculis ejusdem beati Vitalis sæpius dici audivit.

Præterea idem testis dicit, quod ipse olim habuerit unam inquilinam, mulierem honestam atque devotam, nomine Margaretham Harterin/ quæ habebat puellam longa infirmitate depressam. Tandem inquilina eadem ad consilium certarum matronarum, se ad tumbam beati Vitalis contulit, & per suas devotas invocationes puellæ sanitatem impetravit. Octavum articulum dicit esse verum, quia ita apparet in antiquo vitro, circa tumbam beati Vitalis. Nonum articulum dicit esse verum, quemadmodum partim circa septimum dixit articulum, & ultra hæc dicit quod unicuique intuenti ad oculum pateant imagines & figuræ circa tumbam oblatæ & ibi repositæ, quodque homines diversi ibi provolvuntur, & beatum Vitalem venerantur. Ipse etiam testis sic sæpius fecit. Undecimum articulum dicit esse verum, quia à diebus juventutis suæ, ita ut articulatur, dici & reputari & famari audivit à magnis & parvis, Prælatis & subditis, doctis & laicis. Duodecimum articulum dicit esse verum & notorium. Ad tredecimum articulum dicit ut supra ad septimum articulum. Quartumdecimum articulum dicit esse verum, eo modo, prout circa undecimum articulum deposuit.

GEORGIUS Clauer/ mercator, civis Salzeburgensis, ætatis quinquaginta annorum, in civitate Salzeburgensi, & patria vicina à pueritia nutritus, testis ut supra juratus & examinatus.

Primum articulum dicit esse notorium. Secundum dicit esse verum, quia in publicis prædicationibus ita audivit. Tertium articulum dicit esse notorium. Ad quartum non est examinatus. Quintum articulum dicit esse verum, quia sic dici audivit à senioribus suis. Sextum articulum dicit verisimiliter esse verum. Septimum articulum dicit esse verum, quia à senioribus suis frequenter audivit, quod beatus Vitalis multis claruerit miraculis. Similiter quod lilium album excreverit, ut articulatur.

Pro speciali vero causa scientiæ, dicit testis, quod ipse ex uxore legitima plures habuerit liberos, qui viam universæ carnis transierunt. Novissime vero ante quinquennium Deus suscitavit sibi puellam nomine Margaretham, cui ex qua causa, nescitur, acciderat, quod ubera materna in tantum abhorruit, ut per dies quatuordecim lactare renuebat, unde in tantam macilentiam & debilitatem devenit, quod jam mori putaretur. Noctu autem in somnis matri inspirabatur, quatenus de terra tumbæ beati Vitalis mammillam liniret, tunc infans suxurus esset. Mane autem facto, mater prædicta genitrici suæ præscripta referebat, quæ intellecto casu, confestim partem terræ prædictæ attulit, & papillam uberi filiæ suæ linivit. Quo facto infans appositus, more pristino lactabat, & paucis expost diebus vigorem plenamque valetudinem accepit. Octavum articulum dicit esse verum, quia in vitro & certis tabulis circa tumbam ita vidit, & cuilibet intuenti ad oculum apparet. Nonum articulum dicit esse verum, quia provolutiones hominum circa tumbam, atque imagines & figuras, prout articulatur, sæpius vidit, prout conspicientium oculis quotidie subjicitur. Ad decimum articulum non est examinatus. Undecimum articulum dicit esse verum, quia à diebus

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190. diebus ſuæ diſcretionis ab omnibus loqui ſcientibus, de hac re in civitate Salzeburgenſi, à ſenioribus & junioribus, nobilibus & ignobilibus, ita dici audivit. Duodecimum articulum dicit eſſe notorie verum, imo ſi homines prohiberentur ab hujusmodi orationibus & candelarum accenſionibus, vix ceſſarent. Ad articulum tredecimum dicit indubie eſſe verum, quod beatus Vitalis jam & omni die miraculis clareat, ſed vulgus communis circa hæc & alia miracula non advertit, de quo teſtis ſupra circa ſeptimum dixit articulum, ſic ſuo modo de aliis fieri poteſt. Quartumdecimum articulum dicit eſſe verum, repetens ſuam depoſitionem circa undecimum articulum ſuperius factam.

BURCHARDUS Peſſler/ Aſtronomus egregius, civis Salzburgenſis, ætatis quadraginta annorum, in civitate Salzburgenſi ab infantia nutritus, teſtis ut ſupra juratus. Primum, ſecundum, tertium articulos dicit eſſe notorios, ſeque in ipſis contenta in prædicationibus publicis ſæpius audiviſſe. Ad quartum articulum non eſt examinatus. Ad quintum articulum dicit, ſe contenta in eo à ſenioribus ſæpius audiviſſe. Ad ſextum articulum non eſt examinatus. Septimum articulum dicit eſſe verum, quia ab annis ſuæ diſcretionis de his dici audivit, & imagines atque figuras, de quibus articulus canit, ſæpius vidit, prout cuilibet conſpicientis oculo ſubjicitur. Dicit ſe etiam vidiſſe multos pueros, qui à diverſis languoribus per beatum Vitalem fuerunt liberati. Hoc etiam quod de lilio articulatur, dicit ſe à ſuis ſenioribus ſæpius audiviſſe. Octavum articulum dicit eſſe verum, quia in vitro circa tumbam beati Vitalis apparet. Nonum articulum dicit eſſe notorium. Ad decimum articulum non eſt examinatus. Undecimum articulum dicit eſſe verum, quia Clerus & populus civitatis Salzburgenſis ſic, ut articulatur, dicit, reputat, prædicat, & affirmat, palam & publice. Ad tredecimum articulum examinatus, dicit verum eſſe articulum, prout ſuperius circa ſeptimum articulum dixit. Pro ſpeciali ſcientiæ cauſa adjiciens, quod nuper ante menſem villanus occurrens ſibi in contrata prope Eccleſiam majorem Salzeburgenſem, qui duorum pedum figuras portavit, unam videlicet ferream, & aliam de ligno, ad quem nobilis vir Ulricus Panichner coram poſitus, quorſum iturus eſſet, qui reſpondendo narravit, quomodo ex utroque pede claudus, aliquamdiu lecto decubuiſſet, & jam ad invocationem beati Vitalis fuiſſet reformatus, & ob hanc cauſam dictas figuras circa tumbam ejusdem beati offerendas illuc tuliſſet. Quibus dictis, villanus abiit. Poſt aliquot vero dies, teſtis ad tumbam prædictam veniens, vidit inter alia, figuras præſcriptas, ſed quis vel unde dictus villanus fuerit, teſtis ignorat. Decimumquartum articulum dicit eſſe verum, eo modo prout ſupra circa undecimum articulum dixit.

DOMINUS Cunradus Tiſchler/ Presbyter, Salzburgenſis civitatis, ætatis ſexaginta annorum vel circa, in civitate Salzburgenſi à pueritia educatus, teſtis ut ſupra juratus. Primum articulum dicit eſſe notorie verum. Secundum articulum dicit eſſe verum, quia in libris authenticis ita legit, & ab aliis dici audivit. Tertium articulum dicit eſſe notorium. Ad quartum articulum generalem dicit ut infra ad articulos ſpecificativos. Quintum articulum dicit eſſe verum, quia in legenda ſancti Rudberti, quæ authentica habetur & reputatur, ſæpius legit. Sextum articulum dicit veriſimiliter eſſe verum. Septimum articulum dicit eſſe verum, quia de operatione miraculorum beati Vitalis à ſenioribus ſuis multa audivit. Etiam in quibusdam libris, Chronicis & tabulis legit, hoc quoque quod de lilio albo articulatur, dici ſæpiſſime audivit: Eſtque de hoc vox & fama.

De ſpeciali vero miraculo beati Vitalis teſtificans dicit, quod ante annos triginta ſcholas rexerit circa Monaſterium S. Zenonis Salzeburgenſis diœceſis, his temporibus, in oppido Hall/ dicto Monaſterio vicino, erat quidam Joannes Neſſner/ laicus honeſtus & opulentus, qui teſti referebat, quomodo per annum integrum lecto decubuiſſet, ac medicinis pluribus, licet inutiliter, uſus fuiſſet, multosque ſanctos invocaſſet, & cum ad ullius eorum invocationem non relevaretur, tandem quadam nocte in ſomnis ſibi inſpiratum fuit, ut ſe ad tumbam beati Vitalis devoveret, ac de ejusdem auxilio ſperaret confidenter, quod ſtatim dum evigilavit facere curavit, faciendo lectum cereum & imaginem hominis ægri in illo decumbentis, quibus ſic formatis, ſanitatem pro tanto recepit, quod Salzeburgam pedes tranſivit, & dictam figuram in tumbam beati Vitalis obtulit. Orationem quoque fudit, qua completa priſtinæ ſanitati perfecte reſtituebatur. Quare cum maximo gaudio ad propria reverſus, beato Vitali dignam venerationem cottidie perſolvit.

Octa-

Digitized by Google

Octavum articulum dicit esse verum, quia in vitro circa tumbam beati Vitalis, & quadam antiqua tabula Monasterii sancti Petri sic vidit & hodie apparet evidenter. Nonum articulum dicit esse verum, quia sæpissime vidit, & in venerationem beati Vitalis se circa tumbam sæpius provolvit, atque orationes fudit, viditque quamplures puerulos infirmitatibus oppressos, illac deferri, & tumbæ imponi, & audivit quod frequenter omnes sanitatem sunt consecuti. Imagines vero & figuræ, prout articulatur, unicuique ad oculum apparent. Dicit se etiam ante paucos menses audisse ab Henrico Balckner/ cive Salzburgense, quod isdem in quadam horribili & ingenti inflatura genitalium, ubi etiam medici desperabant, ad invocationem beati Vitalis fuerit subito sanatus. Decimum articulum dicit esse verum, quia testis per seipsum ad petitionem cujusdam mulieris peregrinæ in venerationem beati Vitalis unam Missam celebravit. Undecimum articulum dicit esse verum, quia ab annis suæ discretionis, hæc semper dici, credi, & prædicari audivit à Prælatis & subditis, nobilibus & vulgo, doctis & indoctis. Duodecimum articulum dicit esse verum & notorium. Tredecimum articulum dicit esse verum, prout supra circa nonum dixit articulum. Ad quartumdecimum articulum de fama, dicit ut supra ad articulum undecimum.

SÆC. XII. ANNO 1190.

ALBANUS Haug/ ædituus Ecclesiæ Salzburgensis, ab annis sedecim, ætatis quinquaginta annorum, testis ut supra juratus & examinatus. Primum articulum dicit verum & notorium. Secundum articulum dicit esse verum & notorium, sic quod sanctus Rudbertus Bavarorum, & sanctus Virgilius Caranthanorum Apostoli communiter appellantur. Tertium articulum dicit esse notorie verum. Ad quartum articulum non est examinatus. Quintum articulum dicit esse verum, nam à senioribus suis ita audivit. Sextum articulum dicit verisimiliter esse verum. Septimum articulum dicit esse verum, quia ab annis pluribus hæc dici audivit, videlicet quod claudi ac aliàs languidi apud tumbam dicti beati Vitalis sanitatem recipere meruerunt. Hoc etiam quod de lilio albo ponitur dicit esse verum ex simili scientiæ causa. Octavum articulum dicit esse verum, quia vidit imaginem beati Vitalis in pontificalibus cum diademate & lilio depictam. Nonum articulum dicit esse verum, quia vidit & audivit ac cuilibet intuenti cottidie apparet. Decimum articulum dicit esse verum, pro causa scientiæ allegans, quia per tempus, quo custos seu ædituus Ecclesiæ Salzburgensis fuit, diversi utriusque sexus homines, exteri & peregrini ad se & collegas suos venerunt sciscitantes, ubi tumba beati Vitalis haberetur, qua ostensa, testis frequenter interrogavit illos, cur tumbam eandem quærerent? Qui responderunt, quod diversis languoribus & infirmitatibus tenerentur, seu oppressi fuissent, & propterea se illac devovissent ut liberarentur, vel quod pro liberatione obtenta, vota persolverent. Undecimum articulum dicit esse verum, quia de præfati beati Vitalis sanctitate est quasi tanta fama, sicut de sancto Rudberto, & quod idem beatus, catalogo sanctorum asscribendus existat, omnes homines, senes & juvenes, Clerici & populares, per civitatem Salzburgensem & extra eandem, clamant, affirmant & credunt. Duodecimum articulum dicit esse notorie verum. Tredecimum dicit esse verum ex communi hominum fama & acclamatione. Decimumquartum articulum dicit esse verum, repetens dictum suum circa undecimum articulum superius descriptum.

MARTINUS Ainmesser/ laicus, civis Salzburgensis, ætatis sexaginta annorum vel circa, in civitate Salzburgensi & patria vicina à juventute nutritus, testis ut supra juratus & interrogatus, summarie de fama sanctitatis, ac de miraculis beati Vitalis dicit, quod in civitate Salzeburgensi & extra eandem à tempore suæ discretionis semper audiverit beatum Vitalem teneri & reputari, prout hodie teneatur & reputetur communiter ab omnibus pro sancto merito canonizando, quia multis miraculis claruit, & hodie clarere non cessat.

Pro cujus veritate dicit testis, quod ante annos octo in crure dextro acutissimos patiebatur dolores, quibus in longum protractis, caro cruris tabuit & saniem stillavit; unde testis afflictus plus quam per annum lecto decubuit, nec locum mutare potuit, etiamsi uri debuisset. Tandem consultum fuit, quatenus ad tumbam beati Vitalis devoveret se. Quod sic fecit, mandans sibi afferri duas loras de tumba eadem. Nam copia lorarum & baculorum per claudos & languidos, sanitati restitutos, oblatarum ibidem habetur, quibus se appodiavit tumbam prædictam, licet pede lentissimo accedendo, & facta invocatione, domum remeavit. Deinde transitum similem atque invocationem per dies plures continuavit, & per meritum B. Vitalis plenam atque perfectam sanitatem suscepit, & loras ipsas pro miraculi hujuscemodi spectaculo apud

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

tumbam reliquit, & Deum in beato Vitale, tanquam grandium miraculorum operatore glorificavit.

CATHARINA uxor Joannis aurifabri, civis Salzburgenſis, ætatis quadraginta quatuor annorum vel circa, oriunda de Novo foro prope Salzeburgam, moram vero per viginti tres annos Salzeburgæ continuavit, mulier pudica & devotiſſima, teſtis ut ſupra jurata ſuper miraculis beati Vitalis, ſummarie examinata, dicit medio juramento, quod habebat filium tredecim annorum, nomine Chriſtianum, qui de utero materno prodiit cum manu clauda. Nam oſſa juncturæ ad modum cartilaginis erant, & quotieſcunque erigebatur manus, ſemper recidit verſus brachium ab intra, & ſic pependit. Mater vero propter parvuli elegantiam, rem ipſam graviter ferens, manum cum modicis haſtulis ſuſtentativis quotidie diligenter ligavit. Cum autem ingenio hoc per ſex hebdomadas minime profeciſſet, quodam veſperi beatum Vitalem lachrymabiliter invocavit, ac parvulum ad tumbam ejusdem cum figura manus cereæ devovit, & cum hanc rem in animo diſponeret, una cum puerulo obdormivit. Mane facto, teſtis cum feſtinatione puerum conſpexit, & manum heri claudam, jam perfecte reformatam invenit, unde præ nimio gaudio oblita fuit usque in præſentem diem, an dextra vel ſiniſtra fuerit manus. Deum vero in beato Vitale magnificavit, & puerum cum figura prætacta ad tumbam portavit, Deoque gratias egit. Interrogata, quis de re ipſa ſcientiam habeat, dicit quod ipſius teſtis mater, & plures alii in dicto oppido Neumarkt.

ELISABETH uxor Joannis Weidorffer / civis Salzburgenſis, ætatis ſexaginta duorum annorum, matrona honeſta atque devota, teſtis ut ſupra jurata, ſuper miraculis beati Vitalis examinata dicit: Quod ante annos triginta ex marito legitimo habuerit puerulum anniculum, cui ancilla quædam, in abſentia matris, in Eccleſia cauſa devotionis conſtituta, annulum argenteum ſolatii gratia, ad manum tradiderat, quem puer ori impoſuit & deglutivit usque ad cannæ arteriæ ſtricturam, ubi annulus fixus perſiſtebat. Puer vero propter ſui teneritatem ſpiraminis reſtrictionem ferre non valens, vitam finivit, mortuusque jacuit & riguit. Hoc medio teſti adhuc in Eccleſia conſtitutæ neſcivit qualiter inſpiratum fuit, quatenus ad domum feſtinaret, quia puer in periculo eſſet, & cum celeri pede medium itineris attigiſſet, ſecundam habuit inſpirationem, ut magis acceleraret, unde teſtis contra conſuetum tranſeundi modum, per turbas hominum in foro ſtantium, quaſi ſenſibus rapta cucurrit, ac domum veniens, repperit puerulum mortuum & rigidum in terra jacentem. Ancillam vero, quæ rei conſcia erat, in fugam converſam, ac inquilinos domus & vicinos, qui ad ſpectaculum hoc confluxerant, gementes atque condolentes. Cumque teſtis inter anguſtias atque mœſtitias hujuſce quid faceret dubitaſſet, in mentem venit, ſe habuiſſe quandam avunculam Gerdrudem nomine, matronam devotam, quæ beatum Vitalem multa veneratione fuerat proſecuta. Erecta igitur mente ad Deum, puerulum defunctum ad tumbam beati Vitalis certo modo devovit, quo facto, annulus de pueri collo, quaſi cum videntia cecidit, & puer revixit, & propterea omnes qui aderant, Deum creatorem, in miraculo beati Vitalis magnificabant. Sed teſtis ignorat, qui fuerint præſentes, nam præ confuſione anxietatis & gaudii ſubſecuti, advertere non curavit.

RUDBERTUS Tixel / pellifex, civis Salzburgenſis, ætatis quadraginta annorum vel circa, teſtis ut ſupra productus & juratus, ſuper miraculis beati Vitalis, medio juramento examinatus, dicit quomodo ſibi, dum puer quinque annorum erat, acciderit, quod pes ejus ſiniſter cum toto crure usque ad inguines contrahebatur, ita quod gradi non poterat, & res indies periculoſior efficiebatur, ſic quod nervi & venæ præſertim in juncturis pene computruerunt usque ad foramina multa ampla atque profunda, & ſic putridus, contractus & fœtidus per annos viginti quatuor lecto decubuit. Ita quod nedum exteri, ſed & parentes ejus fœtorem putredinis hujusce graviſſime tulerunt. Adducebantur præterea medici & chirurgi experti, qui ſibi medicamina & emplaſtra plurima, quamvis incaſſum, applicuerunt, & tandem de ejus reformatione prorſus deſperaverunt. Poſt prædictos vero annos vigintiquatuor, audiens teſtis de beati Vitalis miraculorum operatione, ſe ad tumbam ejusdem cum imagine maſculi cerei, ac cum cenſu unius denarii per ſingulos annos vitæ ſuæ devovit, & facto voto ſtatim melius habuit, aſſumptisque loris duabus, ad tumbam prædictam cum maximo dolore acceſſit, & pedem cum crure putrido, quantum melius pote-

Digitized by Google

poterat, tumbæ adjunxit, preceſque devotas fudit, & eadem hora, tam à dolore, quam à fœtore liberatus atque reformatus, loras circa tumbam dimiſit, & ſanus domum rediit. Foramina etiam ſupradicta ex recenti atque vivaci carne funditus excreſcente, pauco expoſt tempore, abſque omni medicamine conſolidata & ſanata fuêre. Et adjicit teſtis, quod multi homines hodie vivant, quibus res iſta cognita exiſtit. SÆC. XII. ANNO 1190.

MARGARETHA uxor Cunradi macellarii, civis Salzeburgenſis, ætatis ſexaginta annorum vel circa, mulier honeſta, teſtis ut ſupra producta & jurata dicit medio juramento, quod ea quæ memoratus Rudbertus Tirel/ depoſuit, fuerunt vera, quia novit & vidit ipſum tempore quo contractus lectulo decubuit & putruit ac inhumaniter fœtuit, quodque famoſi & peritiſſimi medici ipſum curare nequibant, ſed tandem ad tumbam beati Vitalis ſe conferens, ſanitatem illico recepit, prout hodie ſanatus exiſtit.

URSULA uxor Martini Abmeſſer/ civis Salzburgenſis, ætatis quadraginta quinque annorum, teſtis ut ſupra producta & jurata de fama ſanctitatis & miraculorum beati Vitalis interrogata dicit, ſe ab annis ſuæ diſcretionis citra, ab omnibus hominibus utriusque ſexus de hac re loquentibus audiviſſe B. Vitalem eſſe ſanctum, catalogo ſanctorum merito aſſcribendum, quia miraculis infinitis claruit, & cottidie clarere non ceſſit. Pro ſpeciali vero miraculorum beati Vitalis ſcientia dicit, quod ante annos viginti ſex vel circa, acciderit ſibi graviſſimus dolor in nervis cruris dextri, quo cauſante per ſex hebdomadas lecto decubuit, & tandem cum dolor intenderetur, devovit ſe ad tumbam beati Vitalis, & veniens poſuit pedem ad tumbam, factaque invocatione, dolor confeſtim remittebatur, paucisque expoſt diebus ex integro convaluit. Dicit inſuper, quod Martinus Abmiſſer/ maritus ejus, teſtis ſupradictus, ante multa tempora acutiſſimos dolores in crure dextro patiebatur, ſic quod tabuit, & lecto plusquam per annum decubuit. Cumque peritiſſimi medici in eo fruſtrarentur, devovit ſe ad tumbam beati Vitalis, & appodians ſe duabus loris de eadem tumba allatis, tumbam acceſſit per dies plures. Et tandem per meritum beati Vitalis, non ſine notabili miraculo fuit reſtitutus.

HENRICUS Falckoniſta, laicus, inhabitator civitatis Salzburgenſis, ætatis quadraginta quinque annorum vel circa, teſtis ut ſupra juratus de miraculis beati Vitalis ſummarie interrogatus dicit, quod ante annos duodecim elapſos patiebatur periculoſam oculorum infirmitatem, qua eum excæcari vehementiſſime pertimeret, inter anxietates hujuscemodi ſe ad tumbam beati Vitalis devovit cum duobus pupillis de ligno exciſis, quo facto & expleto, mox reconvaluit, & ſanus de tumba cum ingenti conſolatione diſceſſit. Neſcit autem qui his interfuerint. Dicit inſuper, quod ante annos quatuor acciderit ſibi in altero genitalium quidam tumor magnus atque duriſſimus, de cujus ſimili nunquam audivit, unde ſe mortem non evaſurum pavebat. Memor autem beneficii beati Vitalis, de quo ſupra dixit, ſe ad tumbam ipſius cum certa ceræ quantitate devovit, qua ibidem oblata, orationeque fuſa, tumor ipſe duriſſimus atque periculoſiſſimus, ex maximo B. Vitalis miraculo diſſolutus omnino diſparuit, ſicque teſtis priſtinam ſanitatem nactus fuit. Dicit conſequenter, quod ante annos viginti in dicta civitate Salzburgenſi, erat quidam Georgius tubicen, coinquilinus ſuus, qui per plura tempora ex utroque pede claudus lecto decubuit. Tandem de tumba beati Vitalis duas loras, in quibus claudi illac venerunt, afferri fecit, quibus ſuſtentatus tumbam acceſſit, & facta invocatione, perfecte fuit reformatus, loriſque circa tumbam demiſſis, cum gaudio ad domum rediit, & Deum in beato Vitale glorificavit.

MARGARETHA relicta quondam Stephani Hartnet/ civis Salzburgenſis, ætatis 50. annorum vel circa, muliercula pudica & honeſta, teſtis ut ſupra jurata ſuper miraculis B. Vitalis ſummarie examinata, dicit quod ante annos 4. habebat puellam 8. annorum, hodie ſuperſtitem, quæ per duos menſes & ultra, lecto decubuit, manibus & pedibus contracta, & talibus doloribus afflicta, quod ſe de uno latere in aliud volvere nequibat. Cum autem dolor nimis protraheretur etiam usque ad mortis vicinitatem, teſtis amore puellæ maximis anguſtiis vexata, tumbam beati Vitalis pluribus acceſſit diebus, & pro qualibet vice aſſem unum, quia pauperrima erat, trunco qui ibi poſitus eſt, imponebat. Et tandem, Deo volente, certos denarios erogavit, qui-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190. bus ceræ peciam comparavit, quam certo die, qua dicta puella doloribus plus solito afficiebatur, apud tumbam offerebat, & secuta invocatione, domum, ne puella in ejus absentia decederet, celeriter remeavit. Cumque habitationem ingrederetur, reperit puellam de lecto sublevatam in pavimento juxta scamnum deambulantem, quæ pauciſſimis expoſt diebus pleniſſime convaluit, & de his rebus nobilis vir Sigiſmundus Stepzl/ teſtis præſcriptus, plenam, ut teſtis ait, ſcientiam habet.

ELISABETH uxor Georgii Setznagel/ civis Salzburgenſis, mulier honeſta, teſtis ut ſupra jurata, de miraculis beati Vitalis examinata dicit medio juramento, ſe habere puellam, Magdalenam nomine, annorum duodecim, cujus oculum ſiniſtrum quidam juvenis caſuali ictu lapidis tetigerat, quo cauſante caro pupillæ marcuit, & ſubſtantia indies conſumebatur. Eratque commune, tam Phyſicorum, quam Chirurgicorum judicium, oculum eſſe deſtructum, nec aliquo medicamine curandum. Cumque de naturali revelamine deſperatum eſſet, teſtis puellam ipſam ad beati Vitalis tumbam, cum duobus pupillis cereis devovit, quibus pro puella ibidem oblatis, & invocatione facta, fuit ſibi oculus ex hora ad plenum reformatus, prout hodie ſine defectu manet, & dicit teſtis, maritum ejus, & omnes de familia ſua, de iſtis notitiam habere certam.

ELISABETH uxor Heinrici cerdonis, de molendinis extra muros Salzeburgæ, teſtis ut ſupra jurata de miraculis beati Vitalis, ſummariè interrogata, dicit quod ante annos octo habuerit puerulum decem hebdomadarum, qui continuis infirmitatibus agitabatur. Tandem in feſto beatæ Margarethæ, teſtis dubitabat, an vivus vel mortuus eſſet infans, magis tamen mortuum æſtimabat. Et quia fæpiſſime audierat, beatum Vitalem afflictis conſolationem impetraſſe, ea ſpe puerulum in cervicali poſitum, ad tumbam beati Vitalis ferebat, ac tumbæ impoſitum per horæ ſpacium vel quaſi, jacere dimiſit, facta interim per teſtem invocatione devota, interea acceſſit quidam Sacerdos, teſti ignotus, interrogans, quid infanti accidiſſet? Et expoſito caſu, Sacerdos frontem & labia pueruli, cum terra de tumba eadem ſumpta, linivit, & ſtatim oculos aperuit ac revixit. Et his multæ perſonæ interfuerunt, quas teſtis præ immenſo gaudio minime advertit, & expoſt puer crevit, & usque ad annum octavum ſupervixit.

NOBILIS vir Laurentius Seeventer/ ætatis viginti ſeptem annorum vel circa, de miraculis beati Vitalis interrogatus medio juramento, ſuperius præſtito dicit: Quod ante annos duos invaſerit eum dolor acutiſſimus in nervis cruris ſiniſtri, ita quod contrahebatur, & erat altero crure brevius digitis duobus, dolor quoque maxime urgebat. Adducti fuerunt medici periti, quorum judicium erat, dolorem tolli poſſe, crus vero irreformabile maneret. Inter has perplexitates teſtis devovit ſe ad tumbam beati Vitalis cum cereo, quo per eum oblato & accenſo, invocationeque facta, dolor confeſtim leniebatur, & crus pene reformabatur, & ſanus de tumba diſceſſit, & Deum in miraculo hoc memoria digno glorificavit. Hujus rei, ut teſtis ait, ſcientiam habet magiſter venationum in Salzburga, & quædam Oechelin/ & alii quamplures.

MARGARETHA, ad præſens famula Eliſabeth Setznaglin/ civiſſæ Salzeburgenſis, teſtis ut ſupra jurata de miraculis beati Vitalis ſummarie interrogata dicit: Quod ante annos tres, dum erat famula Georgii Raſoris, civis Salzburgenſis, accidit ſibi dentium dolor immenſus cum inflatura abominanda, devovit autem ſe ad tumbam beati Vitalis cum mandibula cerea, & ſtatim expleto voto, dolor cum tumore diſceſſit, atque ex integro ad ſtatim convaluit.

ELISABETH præbendata in Hoſpitali civium Salzburgenſium, muliercula devota & honeſta, teſtis ut ſupra jurata ſuper operatione miraculorum beati Vitalis examinata dicit: Quod ante annos ſedecim acciderat ſibi epilepſia major, quæ ipſam dejecerat atque agitaverat vicibus quaternis, propter quod furiam ſeu veſaniam incurrebat, quædam vero matronæ hæc corde recipientes, pro teſte ipſa, beato Vitali votum unius libræ de cera conſtituerunt, quo facto & expleto, teſtis præſcripta priſtinæ ſanitati fuit reſtituta, & hactenus neque epilepſiam neque furiam hujuscemodi unquam perſenſit, quamobrem beatum Vitalem orationibus ſuis hodie venerari non deſiſtit. Et dicit teſtis, quod de his rebus Ulricus Schreyer ſenior, & quædam balnea-

Digitized by Google

balneatrix trans pontem ſuburbii Salzburgenſis, notitiam habeant indubitatam. SÆC. XII.

ELISABETH uxor Chriſtiani Pelchinger, inhabitatoris civitatis Salzburgenſis, ætatis viginti ſex annorum, teſtis ut ſupra jurata & examinata dicit: Quod dum erat puella tredecim annorum, & vernacula in caſtro Radeck prope Salzeburgam, acciderat ſibi ſurditas aurium ex latere utroque, ita quod voces mediocres percipere nequibat. Cum autem res inveteraretur, & de reſtitutione pene deſperatum eſſet, devovit ſe beato Vitali ad orandum in ſui venerationem, ſingulis diebus vitæ ſuæ, unum Pater noſter, & unam ſalutationem Angelicam, & ſtatim emiſſo voto, melius habuit, & expoſt breviſſimis diebus auditum perfectum reaccepit. ANNO 1190.

MARGARETHA uxor Cunradi macellarii, civis Salzburgenſis, teſtis ut ſupra miraculis beati Vitalis ſummarie examinata, dicit medio juramento, ſe habere unum parvulum ſex annorum, qui ante annos duos quadam pectoris infirmitate afficiebatur, qua ſibi pectus contractum fuit & anguſtatum cum dolore vehementi, unde teſtis ex paſſione materna, parvulum ad tumbam beati Vitalis devovit atque portavit, ſumptoque oleo de lampade circa eandem tumbam ardente, pectus parvuli linivit, & confeſtim dolor ceſſavit, pauciſſimiſque expoſt diebus, puer omnino convaluit.

BARBARA uxor legitima Friderici Stadelmayer/ reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini, Domini Burchardi electi & confirmati Eccleſiæ Salzburgenſis, familiaris, teſtis ut ſupra jurata ſuper miraculis beati Vitalis, medio juramento examinata dicit, quod dictus Fridericus ante annos tres in via verſus Caſtunam in terram ceciderit, ubi quadriga ſeu currus onuſtus per pectus ſic jacentis tranſiverit, unde pectus & brachia ejus usque ad mortis periculum fuerant contrita. Sublevatus tamen Salzeburgam reportabatur immenſis doloribus affectus, ac judicio omnium, nonniſi longiſſimo tempore ſanitati reſtituendus. Ipſa vero teſtis, rem compatienter ferens, votum fecit B. Vitali de cereo, certæ quantitatis, quo circa tumbam oblato & accenſo, preceque fuſa, maritus confeſtim melius habuit, & in octo diebus non ſine magno miraculo ſic reconvaluit, quod ire poterat & equitare, unde teſtis beatum, tanquam magnorum miraculorum effectorem hodie veneratur.

ERENDRUDIS relicta quondam Jacobi Schaufler/ civis Salzburgenſis, teſtis ut ſupra jurata ſuper miraculis beati Vitalis ſummarie examinata dicit: Quod ante annos decem habebat parvulum biennem Joannem appellatum, huic quadam vice accidit epilepſia minor, qua proſtratus decubuit amens morte imminente. Eadem hora ſupervenit matrona quædam devota, quæ ſincera mente conſuluit, quatenus B. Vitali votum fieret cum cereo pueri longitudinem habente. Et facto voto, etiam non expleto, puer ex eadem hora ad plenum convaluit, & expoſt eodem morbo nunquam fuit correptus.

MARGARETHA filia quondam Weinzierl/ de caſtro Halbenbang/ Salzburgenſis diœceſis, ad præſens ancilla Martini Stainmuſſner/ civis Salzburgenſis, teſtis ut ſupra jurata ſuper miraculis beati Vitalis ſummarie examinata dicit medio juramento, quod à juventute ſua & ex utero materno contraxerit unum fluxum auris dextræ, qui certis anni temporibus, paucis tamen pro qualibet vice diebus, meatum habebat. Is fluxus de anno Domini 1460. circa feſtum nativitatem Domini incipiens, die nocteque ſine intermiſſione usque ad feſtum purificationis anni ejusdem ſtillavit. Quadam autem vice, dum inter anguſtias de divino adjutorio meditaretur, influxit menti ſuæ, quatenus ſe ad tumbam B. Vitalis devoveret, cum cereo & obligatione, ut tumbam eandem ſingulis annis quoad viveret ſemel viſitare vellet. Teſtis quoque ſic fecit, & poſtquam prima vice dictam tumbam viſitaſſet, & B. Vitalem invocaſſet, fluxus quievit & ad plenum convaluit, & hactenus fluxum hujusmodi non ſine grandi miraculo nunquam rehabuit, & propterea votum prædictum diligenter fuit proſecuta. nec diebus vitæ ſuæ abinde ceſſabit.

FRIDERICUS de Weining/ villanus Parochiæ Reſſendorff/ Salzburgenſis diœceſis, teſtis ut ſupra juratus, ſuper miraculis ſummarie examinatus, dicit medio juramento, quod ante annos triginta, dum adhuc adoleſcens erat, invaſerit eum impetigo in crure dextro ſupra genu, qua doloribus immenſis afficiebatur. Cumque arte

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190. medicorum curari non potuiſſet, devovit ipſum noverca ſua ad tumbam beati Vitalis cum cereo certæ quantitatis, veniens itaque teſtis ad tumbam, cereum obtulit & accendit, factaque invocatione, ſtatim coram tumba liberabatur à dolore, & breviſſimis diebus impetigo ipſa radicitus delebatur.

Erendrudis uxor Joannis tinctoris, civis Salzburgenſis, matrona honeſta, teſtis ut ſupra citata & jurata ſuper miraculis beati Vitalis ſummarie examinata dicit: Quod ante annos certos habuerit parvulum duorum annorum, pedem curvum atque contractum habentem, quem cum medicinæ magiſtri reformare non poſſent, tulit parvulum ad tumbam beati Vitalis, faciendo in ejusdem beati venerationem unam Miſſam celebrari, teſte interim coram tumba provoluta & orationem fundente: Completa itaque Miſſa, teſtis pedem parvuli, paulo ante curvum, bene rectificatum, alterique pedi, quoad elegantiam, ſimilem invenit.

Barbara uxor Ægidii lebetarii, civis Salzburgenſis, teſtis ut ſupra jurata, ſuper miraculis beati Vitalis medio juramento examinata dicit, quod habebat puerum octo annorum, cui dum triennis & corpore ſanus erat, acciderat epilepſia major, quæ ipſum aliquot vicibus in terram dejecit, & fortiter quaſſavit. Mater vero, ut credit, divinitus admonita, parvulum ad tumbam beati Vitalis cum cereo certæ quantitatis devovit, adjecto, ſi puer ab epilepſia liberaretur, quod ex tunc teſtis nomine ſui ſingulis annis vitæ ſuæ ſimilem cereum apud tumbam eandem offerre & ſuccendere vellet. Tulit itaque puerum cum cereo, & venit ad tumbam, accenſoque ibi cereo, & facta invocatione, ab epilepſia ſolvebatur, quia hactenus eam numquam perſenſit. Et propterea teſtis prædicta, votum præ expreſſum ſingulis annis diligenter perſolvit.

Barbara uxor legitima Martini Stapmulner/ civis Salzburgenſis, mulier honeſta & devota, teſtis ut ſupra jurata ſuper miraculis beati Vitalis ſummarie examinata dicit: Quod ante triennium proxime lapſum, quidam acutiſſimus capitis dolor ſibi acciderat, qui dum ipſam plusquam per medii anni ſpacium continuo vexaſſet, & indies adauctus, medelis ſanari non poſſet, devovit ſe beato Vitali cum uno certo ferro ad capitis ſui menſuram, & cum una Miſſa in beati Vitalis venerationem celebranda, quodque ſingulis annis vitæ ſuæ, in ſimilem beati Vitalis venerationem unica die vellet jejunare. Celebrata itaque Miſſa, & circulo ferreo apud tumbam oblato, ſecutaque invocatione, ſtatim dolor ſenſibiliter declinavit, & in unica die ſanitati priſtinæ ex integro erat reſtituta, ſimilique dolore usque in præſentem caruit diem.

Dicit conſequenter, quod ante annos duos, dum gravida & partui vicina, in contrata quadam incederet, obviam habuit quendam hominem furioſum, cultellum nudum in manu ferentem, unde vehementiſſime expavit, ſeque in fugam convertit, & ex his contigit quod fœtus in utero, mutato loco, pervertebatur, tempuſque præveniens egredi poſtulavit. Cumque teſtis per dies octo non ſine maximo dolore & periculo in partu laboraſſet, & jam de vita tam ſui, quam fœtus deſperatum eſſet, teſtis ipſa antiqui beneficii beati Vitalis, inter anguſtias non immemor, ſe eidem beato commendavit, & devovit cum imagine cerea ad inſtar infantuli, circa tumbam ejus offerenda, & ſtatim facto, necdum expleto voto, proſperitatis partus dabatur, ſicque infantulum elegantem peperit, qui ad medium annum expoſt ſupervixit.

Diemudis relicta quondam Martini ſartoris civis Salzburgenſis, ætatis quinquaginta annorum, teſtis ut ſupra jurata, dicit medio juramento, quod ipſa per viginti annos proximum lapſos, ſine intermiſſione habuerit aurium tinnitum, eo modo, ac ſi circa unam aurem campana pulſaretur, & per alteram ſonitus egrederetur. Cum autem ante octo dies proxime elapſos de canonizatione beati Vitalis audiſſet, devovit ſe ad tumbam ejusdem cum cereo, quo ibidem ſuccenſo & invocatione ſecuta, tinnitus ille inveteratus eadem hora ceſſavit, & hactenus eo caruit, non ſine grandi beati Vitalis miraculo, quapropter à ſui veneratione, diebus vitæ ſuæ ceſſare non velle propoſuit.

Margaretha relicta quondam Joannis Carpentarii ſanctimonialium extra muros civitatis Salzburgenſis, teſtis ut ſupra jurata dicit, quod annos quindecim dictus Joannes, quondam ejus maritus, graviſſimam incidit infirmitatem, qua affectus, per

Digitized by Google

per multa tempora lecto decubuit, & cum quasi in extremis constitutus videretur, testis semet pro patiente, ad tumbam Vitalis devovit & accessit, factaque invocatione devota, domi revertebatur, & cum habitationem decumbentis ingrederetur, vidit eum de lectulo sublevatum, in quadam fenestra stantem & orantem. Tunc testis miraculum beati Vitalis exclamavit & Deum glorificavit, deinde pauciſſimis diebus dictus ægrotus ad plenum reconvaluit. Sæc. XII. Anno 1190.

Christina relicta quondam Christiani Schon/ civis Salzeburgensis, testis ut supra jurata, dicit medio juramento, quod ante annos quadraginta, dicto quondam Christiano dolor acutissimus in pede dextro acciderat, quem dum per decem & octo dies graviter tulisset, ipsi conjuges se ad tumbam beati Vitalis devoverunt cum pedis figura lignea. Abierunt itaque ad tumbam, Christianus quidem in baculo se sustentante, oblatoque pede ligneo, & facta invocatione, mox circa tumbam à dolore liberabatur, & baculum, in quo illac venerat, in signum miraculi ibidem reliquit, & sanus discessit.

Agnes relicta quondam Andreæ Schauer/ civis Salzburgensis, ætatis triginta sex annorum, testis ut supra citata, producta & jurata, de miraculis beati Vitalis summarie examinata dicit, quod ante annos octo acciderat sibi peracutus oculorum dolor, cum fluxu, quo diu protracto, pustulæ seu pelliculæ in utroque oculo nascebantur, per quas visu privabatur, nec spes erat reconvalescendi. Cumque doloribus & formidine excæcationis afficeretur, devovit se ad tumbam beati Vitalis cum duobus pupillis cereis, & statim soluto voto, antequam de tumba discederet, temperamentum doloris, & aliquantulam oculorum claritatem receperat, & expost orationibus insistens, pauciſſimis diebus perfectam oculorum claritatem omni dolore sublato reaccepit.

Christina relicta quondam Joannis Schmalzl/ de villa Teusendorff/ Salzburgensis diœcesis, ætatis sexaginta annorum, testis citata & jurata, medio suo juramento dicit, quod ante annos octo caro brachii sui siniſtri computruit, & fiebant sibi foramina unde sanies manabat. Quapropter medicorum expertorum artibus se subjecit, qui nil proficientes, foramina prædicta incurabilia judicabant. Ad ultimum vero testis se ad tumbam beati Vitalis devovit, & brachium tabidum imposuit ad spacium horæ unius, invocando beatum Vitalem pro sanitatis restitutione. Præterea antequam brachium de tumba retraxisset, fluxus saniei cessavit, & expost breviſſimis diebus absque medicorum cura recentiſſime convaluit, ita quod præter cicatrices, nil doloris vel maculæ remansit. Dicit etiam sub eodem juramento, quod à pueritia contraxerit quendam dolorem in junctura circa genu cruris dextri, pro cujus sublatione ante plures annos devoverit se in beati Vitalis venerationem, singulis diebus vitæ suæ, certam orationem peracturam: Quacunque igitur die orationem fudit, bene habet, quando vero orationem omittit, dolor accedit, & eam acerrime mordet, & hoc pro maximo miraculo beato Vitali asscribit.

Dorothea uxor Andreæ Ermam/ de molendinis extra murum Salzburgæ, testis jurata, medio juramento examinata dicit, quod in autumno proxime lapso, acciderat sibi quædam periculoſiſſima ægritudo, qua efficiente peracutas punctiones circa pectoralia sustinuit sine intermissione diebus plurimis, & cum adeo infirmaretur, quod loqui jam non posset, & homines eam tanquam ad statim morituram observarent, apparuit sibi inter pressuras homo quidam, cujus speciem & staturam, dolore prohibente, non advertit, qui se Vitalem nominavit, admonens eam, ut se ad tumbam beati Vitalis pro recuperanda sanitate devoveret. Quod testis mentaliter sic fecit, & eo facto, confestim oculos aperuit, & Andream conjugem suum respexit, dataque sibi potentia loquendi, eidem præscripta exposuit, ac ipsum ut se pro teste exoraturus ad tumbam beati Vitalis cum festinatione conferret, rogavit. Abiit itaque rogatus, eoque de tumba nondum reverso, testis bene habuit & de lectulo surrexit, & infra dies octo immediate sequentes, ex integro reconvaluit, & tumbam præscriptam per se accessit, Deum in beato Vitale glorificando.

Anna uxor Jacobi Schaffer/ inhabitatoris civitatis Salzeburgensis, ætatis sexaginta annorum, nutrita in Aybling/ oppido Frisingensis diœcesis, à paucis vero annis proxime lapsis, Salzeburgam cum marito suo inhabitavit, testis ut supra producta &

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

& jurata, ſuper miraculis beati Vitalis examinata dicit: Quod ante annos tres acutiſſimus dolor capitis ſibi acciderit, quem cum ſine intermiſſione per dies quatuordecim anxie tuliſſet, quadam nocte in ſomnis apparuit ſibi homo, cujus formam & ſpeciem ignorat, conſulens teſti, ut ſe ad tumbam beati Vitalis devoveret cum cereo certæ quantitatis, facto igitur mane, alias matronas, ubi tumba beati Vitalis haberetur, interrogabat, qua ſibi oſtenſa cereum ferens cum maximo capitis dolore tumbam acceſſit, incenſoque cereo & facta invocatione, mox & eadem hora apud tumbam dolor ceſſavit ſanaque abiit, & hactenus hujuſce dolorem non perſenſit.

CATHARINA uxor Heinrici Todt/ civis Salzburgenſis, matrona honeſta, 60. annorum vel circa, teſtis ut ſupra jurata ſuper miraculis B. Vitalis ſummarie examinata dicit, quod ante annos 28. habebat parvulum quendam, qui ab utero matris rupturam circa genitalia patiebatur, qua cauſante accedit inflatura magna & perhorrenda, ita ut pellis teſticulorum usque ad genu protenderetur. Dicebatur etiam ab intelligentibus, quod lapis ſimul adeſſet in renibus pueruli defixus, ea tempeſtate ſuperveniebat quidam Chirurgus artis ſuæ practicus peritus, cujus conſilium parentes parvuli requirebant, petentes quatenus puero patienti, aut per inciſionem, aut alio quovis ingenio ſubveniret. Idem vero Chirurgus hæc recuſabat, niſi parvulus tanquam mortuus manibus ſuis præſentaretur, eo quod, ut idem ait, decem neces reſpectu unius vitæ ſibi adeſſent. Omnis enim homo judicabat, parvulum eundem breviſſime moriturum. Interea cum quadam nocte dolor puerum vehementiſſime urgeret, ita quod juxta ſolitum jam urinare non poſſet, venterque propter urinæ reſtrictionem tumeſceret, teſtis ipſa omni humana conſolatione deſtituta, ad beatum Vitalem recurrit, & parvulum ad tumbam ejus in craſtinum, vel vivum vel mortuum cum cereo certæ quantitatis deferendum devovit, & inter has perplexitates teſtis obdormivit. Mane autem facto, parvulus læto vultu apparebat, unde teſtis ineffabili gaudio perfuſa, feſtinavit conſpicere parvulum, quidnam de ruptura & inflatura eſſet actum, & repperit tumorem circa genitalia penitus non eſſe, ſed illum teſticulum, qui heri usque ad genu dependebat pene reformatum, & alteri ſimilem effectum, parvulum quoque ab omni periculo & dolore prorſus liberatum, quare teſtis miraculum hoc ſtupendum, memoriaque prædignum exclamavit, puerumque cum ingenti gaudio ad tumbam præſcriptam tulit, ac cereum obtulit & accendit, Deumque omnipotentem in beato Vitale magnificavit.

CATHARINA relicta quondam Erhardi Tenck, inhabitatoris civitatis Salzburgenſis, à juventute ibidem educata, teſtis ut ſupra producta & jurata ſuper miraculis beati Vitalis examinata dicit medio juramento, ſe ante annos viginti habuiſſe parvulum quinquennem, nomine Andream, cui acciderat quædam gravis infirmitas capitis, quæ paulatim ad ſingula corporis membra deſcendit, ita quod parvulum in lectum dejecit. Ubi dum medium annum cum continua vexatione conſumpſiſſet, teſtis prædicta per alias devotas matronas inſtructa, devovit puerum ad tumbam beati Vitalis, cum cereo certæ longitudinis, tulitque puerum cum lectulo, in quo decubuit, & ad tumbam prædictam portavit, atque in eam poſuit, accenſoque cereo & invocatione diutina ad Deum facta, puer in tumba convaluit, de lectuloque ſurrexit, & pedes cum teſte domum remeavit ſanus.

NOBILIS vir Martinus Heuter/ Præfectus in Radeck prope Salzeburgam, teſtis ut ſupra citatus & juratus ſuper miraculis beati Vitalis ſummarie examinatus dicit, quod Domina Clara uxor ſua legitima, ante certos annos, in altero uberum, gravem dolorem patiebatur, ita quod putruit usque ad foramina quinque vel plura, quæ tabiem ſtillaverunt. Cum autem medicaminibus adhibitis minime relevaretur, conſultum fuit, ut unam figuram uberis ceream circa tumbam beati Vitalis devoveret offerendam, fuitque ſic factum, & teſtis ipſe, nomine uxoris, hujuscemodi figuram, ad tumbam obtulit, beatumque Vitalem devote invocavit, quo facto, pauciſſimis expoſt diebus, ipſa patiens ſanitati priſtinæ ad plenum reſtituebatur.

MARGARETHA uxor Stephani pileatoris de oppido Lauffen/ Salzburgenſis diœceſis, teſtis producta & jurata, ſuper miraculis beati Vitalis ſummarie examinata dicit, quod ante annos triginta habuerit fluxum menſtruorum per unius anni ſpacium ſine intermiſſione, pluribus medicaminibus, licet ſupervacue potita, paulatim vero periculum augebatur. Superveniens autem quædam matrona devota, conſuluit teſti, qua-

Digitized by Google

quatenus ſe beato Vitali certo modo devoveret. Id teſtis faciens, vovit ſe in veneratione beati Vitalis ſex diebus jejunare, tumbamque ejusdem viſitare velle. Præterea teſtis jejunare cœpit, & ſe ad tumbam contulit, beatumque Vitalem devota mente invocavit: Sed non adjuta diſceſſit. Completis vero ſex diebus prædictis, mox fluxus reſtringebatur, & fuit expoſt unico, vel duodus diebus pleniſſime ſanata, & hactenus ultra naturalem curſum hujusmodi fluxum nunquam eſt perpeſſa. SÆC. XII. ANNO 1190.

BARBARA uxor Philippi in Trubenbach/ prope oppidum Lauffen/ Salzburgenſis diœceſis, teſtis jurata, ſuper miraculis beati Vitalis interrogata dicit, quod ante annum unum acciderat ſibi dolor capitis acutus, qui raptim deſcendit per corpus usque ad crura, quæ ſic tumeſcebant, quod nedum non ire, imo ſe vix movere poterat per menſes duos vel circa. Cumque plurimorum ſanctorum, quos ſedulo implorabat, ſuffragiis adjuta non fuiſſet, quadam nocte in ſomnis apparuit ſibi homo in forma peregrini dicens: Ego ſum beatus Vitalis, devoveas te ad ſepulchrum meum cum cereo, & bene habebis. Cumque dies illuxiſſet, teſtis interrogabat vicinas, ubi ſepultura beati Vitalis eſſet? qua oſtenſa, teſtis ſe iſtac devovit cum cereo certæ quantitatis, & facto voto, dolor de cruribus aufferebatur, teſtis quoque ambulare cœpit. Recepto itaque cereo ſecum, contulit ſe Salzburgam ad tumbam beati Vitalis, & facta ibidem invocatione, plene & perfecte ſana, domum fuit reverſa.

MAGDALENA uxor Friderici Cunchel/ civis Salzburgenſis, matrona ſpectabilis & honeſta, teſtis ut ſupra producta & jurata, ſuper miraculis beati Vitalis ſummarie examinata dicit: Quod ante annos tres erat ſibi puella, nomine Affra, ætatis anni unius, cui quadam vice amariſſime flenti, teſtis compeſcendi gratia, annulum aureum tradidit, quem puella ori impoſitum deglutivit. Cumque infans aliquandiu tuſſitaſſet, nec annulum in ſtrictura colli hærentem expuere poſſet, videbatur teſti & cunctis qui aderant, infantem brevi eſſe ſuffocandum, vultus ſiquidem nigreſcebat, & plura mortis ſigna concurrebant. Præterea teſtis & omnes prædicti in terram provoluti beatum Vitalem invocabant, eisque orationi intentis annulus ex collo pueri immobiliter jacentis excidebat, puerque ad ſtatim lætus evadebat, de quo cuncti magna admiratione ducti, Deum creatorem in beati Vitalis miraculo glorificabant.

ELISABETH puella quatuordecim annorum, prænominatæ Magdalenæ filia legitima, teſtis producta & jurata, ac ſuper miraculo per matrem ſuam, jam ſuperius expreſſo, examinata dicit, quod ea quæ genitrix ſua jam ſuperius dixit, ſint vera, cauſam ſcientiæ allegans, quia interfuit ac vidit per omnia ſic fieri, prout ſuperius reperitur deſcriptum.

AGNES relicta quondam Jacobi gladiatoris, civis Salzburgenſis, ætatis ſexaginta annorum vel circa, mulier honeſta, teſtis citata & jurata, dicit medio juramento, quod dictus quondam Jacobus, dum in humanis erat, rupturam circa genitalia multis patiebatur annis. Cumque ætatis annum quinquageſimum attigerat, dolor rupturæ ampliari cœpit, ita quod patiens tranſire & vitæ neceſſaria acquirere non valebat, omni ſpe captandæ ſanitatis fruſtratus, niſi à medico incideretur, & ruptura ab intra ſolidaretur. Inter has anguſtias beatum Vitalem devotiſſime invocavit, & ſe ad tumbam ejusdem devovit, & ſtatim facto voto, miraculoſiſſime & ſupernaturaliſſime ad plenum convaluit, & poſtea annis pluribus ſanus ſupervixit, & ſibi ac familiæ ſuæ vitæ neceſſaria acquiſivit, beatum vero Vitalem per dies vitæ ſuæ multa veneratione fuit proſecutus.

ANDREAS gladiator, civis Salzburgenſis, teſtis citatus & juratus ſuper dictis Agnetis teſtis præſcriptæ examinatus, dicit medio juramento, quod ipſe prænominati quondam Jacobi gladiatoris, familiaris fuerit, & eo tempore bene intellexerit, quod idem Jacobus, rupturam in genitalibus pateretur, qua nonnunquam gravi paſſione urgebatur, & poſtea ſubito, neſcit tamen quo medio, ſanatus fuit, & ſic ſanus multis expoſt diebus ſupervixit.

JOANNES Klaindienſt/ civis Salzburgenſis, vir ut apparet honeſtus, ætatis ſexaginta annorum, teſtis ut ſupra productus & juratus, interrogatus de veritate eorum,

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

quæ de Jacobo gladiatore ſuperius dicta exiſtunt, dicit medio juramento, quod bene noverit eundem Jacobum in genitalibus ruptum, & recipienda ſanitate pene deſperatum. Quodque idem Jacobus, quadam vice, cujus adjutorio, teſtis ignorat, ſubito fuit ſanitati ad plenum reſtitutus, qui poſtea ſanus & incolumis pluribus annis ſupervixit, ac multos labores, ad quos ſibi antea vires non ſuppeditabant, viriliter explevit.

PETRUS Enerſpacher/ laicus, ætatis quadraginta quinque annorum, civis Salzburgenſis, teſtis citatus & juratus, ſuper operatione miraculorum beati Vitalis interrogatus, dicit medio juramento, quod ante annos ſex vel circa, habebat parvulum unum, nomine Erasmum, in ſecundo anno conſtitutum, cui lapis in viis urinalibus erat infixus, quo obſiſtente, parvulus urinare nequibat. Mater vero virgulam ejus virilem labiis ſugebat, lapidem ſic extrahendum ſperans, ſed cum nihil profeciſſet, dolor excrevit, mortem quotidie minans. Inter has anguſtias parentes parvuli beatum Vitalem invocantes, devoverunt patientem ad tumbam ejusdem, cum certæ quantitatis cera, & ſtatim facto voto, lapis in magnitudine unius fabæ mediocris, ſimul cum urina prorupit, & puer ad plenum reconvaluit. In cujus rei evidentiam præfatus Petrus teſtis, lapidem jam dictum, coram nobis Delegatis & Subdelegatis præſcriptis exhibuit, quem talem, uti prædicitur, vidimus patenter.

JOANNES Pfandler/ laicus de oppido Lauffen/ Salzburgenſis diœceſis, ætatis ſexaginta annorum, vir honeſtus & ſenſatus, teſtis ut ſupra citatus & juratus, ſuper miraculis beati Vitalis ſummarie examinatus dicit, quod ante annos viginti fecerat caſum graviſſimum per feneſtram cujusdam domus, in oppido prædicto, unde dolore magno afflictus, per menſes quatuor vel circa, lecto decubuit, diverſis medicamentis utens, quæ dum nihil ſuffragii afferrent, conſultum fuit, ut ſe devoveret ad beatum Vitalem, & quod in ſui venerationem, Miſſam unam faceret celebrari, hæc teſtis faciens, in navi ab oppido Lauffen/ usque ad Salzburgam ducebatur, ubi cum applicuiſſet, appodiavit ſe loris duabus, & tumbam beati Vitalis doloroſus acceſſit, Miſſamque unam ibidem legi procuravit, & ſub eadem Miſſa beatum Vitalem devote invocavit, eadem igitur hora, dolor ceſſavit, & patiens ſanitatem plenam recepit, quamobrem loras circa tumbam in ſignum illius miraculi reliquit, & abiit ſanus atque conſolatus.

STEPHANUS calceator, oppidanus in Lauffen/ Salzburgenſis diœceſis, ætatis quadraginta annorum, teſtis productus ut ſupra, & juratus, dicit medio juramento, ſe habere puerum, nomine Joannem, quinque annos habentem, qui dum octo dies ab utero matris compleviſſet, viſus fuit ruptus circa genitalia adeo patenter, quod nedum obſtetrices, ſed & omnes alii aſtruebant, puerum propter rupturam hujuſce fore moriturum, & quia teſtis dudum intellexerat, quod beatus Vitalis miraculis clareret: Idcirco infantulum ad tumbam ejusdem beati devovit cum oblatione animalis vivi, & ſtatim voto facto, ſed nondum expleto, ruptura redintegrata, & ſanitas plena ſuperducta fuit, & eſt puer ipſe hodie valens atque ſanus.

CECILIA conjunx legitima Simonis Penninger/ oppidani in Lauffen/ Salzburgenſis diœceſis, teſtis producta & jurata dicit, quod ante annos plures acciderat ſibi dolor capitis ingens valde, per integrum annum ſine intervallo protractus, quo cauſante, patiens ipſa furiam atque veſaniam quandoque incurrerat. Tandem cum plures ſanctos invocaſſet, ſed nec adjuta fuiſſet, quadam nocte in ſomnis percepit vocem dicentem: Devoveas te ad tumbam beati Vitalis, & ſtatim facto die, votum fecit, conſtituendo ſe beato Vitali ſingulis annis cum certo manuſculo cenſualem, quo facto, melius habere cœpit, & necdum ſanata ſe ad tumbam beati Vitalis contulit, ibique preces fudit, ac ſanitatem perfectam obtinuit, & hactenus ſimilia mala non perſenſit.

CHRISTINA uxor Laurentii Stadler/ oppidani in Lauffen/ ætatis quinquaginta annorum, teſtis ut ſupra producta & jurata, ſuper miraculis beati Vitalis ſummarie interrogata, dicit medio juramento, quod dictus quondam Laurentius ante annos octo incidebat quandam graviſſimam ægritudinem, quæ ipſum in lectum dejecit, ubi per novem menſes, manibus & pedibus contractus, miſerabiliter ſtetit manuum officio privatus. Erant præterea conjuges ipſi in deſperatione, nam multa egeſtate gravaban-

Digitized by Google

vabantur. Interea quædam matrona conſuluit teſti, ut nomine patientis votum face- Sæc.
ret beato Vitali, & ſic fecit, portando ad tumbam ejusdem beati, unius manus figu- XII.
ram de cera confectam, quam ibidem obtulit, & facta invocatione domum reverte- Anno
batur. Et hoc medio non ſine notabili miraculo patiens ſic convaluit, quod utram- 1190.
que manum levare & ori cibum miniſtrare poterat, pauciſſimiſque expoſt diebus fuit priſtinæ ſanitati plene reſtitutus.

AGNES relicta quondam Simonis æditui Eccleſiæ Salzburgenſis, mulier devota & honeſta, teſtis ut ſupra producta & jurata, dicit medio juramento, quod ante annos viginti, tempore vernali acciderat ſibi fluxus dyſenteriæ, quem per totam quaſi æſtatem ſequentem patiebatur, ſic quod ullo moderamine non poterat reſtringi, tandem ſtatuebat recurrere ad ſuffragia ſanctorum, & fecit votum beato Vitali cum cereo certæ quantitatis, quem circa tumbam ejus obtulit & accendit, preceſque fudit, & ſequenti nocte adhuc parum ſenſit, poſt vero eandem noctem plene ſanata evaſit.

BRIGIDA relicta quondam Joannis Aſtgern/ de partibus Bavariæ, prope civitatem Salzeburgenſem, pluribus annis proxime lapſis converſata, teſtis jurata, dicit medio juramento, quod ante annos tres moram duxerat in Bechlachſtorff/ villa Patavienſis diœceſis, ubi quadam nocte in ſomnis contigit ſibi, quod os horribiliter incurvatum, & labia dislocata fuerunt. Cumque curvaturam hujusmodi, cum dolore per dies octo ſuſtinuiſſet, ſpe reſtitutionis pene fruſtrata, devovit ſe ad tumbam beati Vitalis cum cereo, & veniens illac cereum ſuccendit, & invocationem fecit, & ſtatim antequam à tumba diſcederet, curvatura rectificata fuit, & labia priſtinam receperunt reformationem.

CHRISTINA relicta quondam Joannis Hinterlehner/ de villa Halbenbang/ Salzburgenſis diœceſis, teſtis citata & jurata, medio juramento ante annos quatuordecim proxime lapſos, habebat unum parvulum tres menſes habentem, cui ex ingenti fletu contingebat, quod nervus ſeu viſcus umbilici, ſe de loco ſuo reſolvit, & usque ad longitudinem unius digiti per ventrem dependebat, teſtis itaque in medicis fruſtrata, patientem ad tumbam beati Vitalis devovit, eumque reformari precibus obtinuit.

ELISABETH relicta quondam Bernardi Theolonarii Salzeburgenſis, in illa civitate ab infantia educata, ætatis ſexaginta ſex annorum, ſuper miraculis beati Vitalis medio juramento ſummarie examinata, dicit, quod à vigintiquinque annis dolorem capitis ſine intermiſſione pertulerit. Cum autem noviſſime ante dies octo de negotio inquiſitionis miraculorum beati Vitalis audiſſet, tumbam ejusdem acceſſit, & caput in ipſam reclinavit, factaque invocatione, dolor quaſi cum ſonitu magno à capite exalavit, ſecuto ad ſtatim alleviamine ſenſibili, poſt hoc ſurrexit & ſana abiit, & hactenus eundem dolorem, quem nuper ſine intervallo patiebatur, nequaquam perſenſit.

BARBARA uxor Leonhardi Seratoris, civis Salzeburgenſis, matrona devota, teſtis ut ſupra jurata, ſuper miraculis beati Vitalis ſummarie examinata dicit, quod ante annos duodecim vel citra, acciderat ſibi quædam infirmitas graviſſima, qua totum corpus ejus afficiebatur, unde maritus & vicini ejus mortem ſibi adeſſe parum dubitabant. Quadam igitur die, data ſibi opportunitate tranſeundi, tumbam beati Vitalis in baculo acceſſit, animo valedicendi eundem beatum, quem multis annis ſpeciali veneratione fuerat proſecuta, & cum ibi eſſet, cecidit amens, tunc cogitabat intra ſe, O beate Vitalis intercede pro me coram DEO creatore meo, & eodem momento, dolor ab interioribus per membra extrema exalavit cum quadam violentia, ac ſi patiens veſtimentis nudaretur, deinde ſurrexit ſana, & baculum in quo advenerat, circa tumbam reliquit, & plene reſtituta cum gaudio ad domum eſt reverſa, marito ſuo hæc referens, qui una ſecum Deum in beati Vitalis miraculis glorificavit.

ERENDRUDIS relicta quondam Danielis Coci, ætatis ſexaginta annorum, in civitate Salzburgenſi nutrita, teſtis ut ſupra jurata, medio juramento dicit, quod ante annos tredecim, tempore quodam autumnali incidit hydropiſim, quæ ipſam in lectum dejecit. Cumque tumefacta & doloroſa per medium annum lecto decubuiſſet,

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

quadam nocte in vigiliis inſtruebatur mentaliter, quatenus tumbam beati Vitalis accederet, & ſe ſanari poſtularet, quamobrem ſe ad tumbam devovit, pauciſſimis igitur diebus, data ſibi gradiendi potentia, acceſſit tumbam, & facta invocatione ab hydropiſi incurabili, non ſine maximo miraculo, per meritum B. Vitalis eſt penitus liberata.

BARBARA uxor Cunradi Cerdonis, civis Salzburgenſis, teſtis ut ſupra producta & jurata dicit, quod habebat ſororem nomine Catharinam, cui cum decimumoctavum annum ageret, accidit aurium ſurditas, ita quod nonniſi voces ſonoras percipere valeret. Teſtis vero de miraculis B. Vitalis non parum inſtructa, pro patiente votum fecit beato Vitali, ſic, ſi ſibi auditus reſtitueretur, quod ex tunc ſingulis annis vitæ ſuæ, tumbam B. Vitalis, ſemel teneretur viſitare, duxit itaque teſtis patientem ad tumbam, & caput deſuper reclinare præcepit. Hoc medio teſtis beatum Vitalem devote invocavit, & facta invocatione, abierunt non ut volentes, ſed in ſpe perſeverantes, infra octo igitur dies priſtinus auditus fuit patienti per meritum B. Vitalis perfecte reſtitutus.

ELISABETH uxor Joannis Rothermacher/ ætatis ſeptuaginta annorum, teſtis citata & jurata, in civitate Salzburgenſi & patria vicina à juventute nutrita, ſuper miraculis B. Vitalis ſummarie examinata dicit, quod ante annos ſeptem acciderat ſibi graviſſima quædam ægritudo, qua cauſante, pedibus & manibus arefacta lecto decubuit, extrema egeſtate denique gravata. Cum autem de miraculis beati Vitalis à ſenioribus ſuis multa audiſſet, ſtatuebat ad eundem beatum recurrere velle, ſecuto voto, cum conditione, ſi ſanitati reſtitueretur, extunc primas pecunias, quas nendo acquiſitura eſſet, offerre vellet beato Vitali. Eadem itaque die perfecte convaluit, ac poſtea ſexaginta denarios, modo præſcripto comportavit, quos animo beato Vitali offerendi, tradidit Cuſtodi Monaſterii S. Petri, ubi tumba prædicta habetur.

URSULA relicta quondam Chriſtophori Hopfer/ civis Salzeburgæ, matrona honeſta atque devota, ætatis 50. annorum, ſuper miraculis beati Vitalis ſummarie examinata dicit, quod habebat filium nomine Thomam, qui cum erat parvulus 4. annorum, lapidem in viis urinalibus, ſeu arenam patiebatur, qua efficiente, usque in diem quintum urinare nequibat, & venter ex retenta urina tumeſcebat. Cumque puer inter pericula mortis verteretur, ferebat ipſum ad tumbam beati Vitalis & impoſuit, accenſoque cereo, preces fudit, hoc medio parvulus tolli petiit, & antequam de tumba ſublevaretur, urinare cœpit, & quaſi rivulum per gradus circa tumbam defluentem emiſit, & integram ſanitatem recepit, mater vero cum parvulo abiit optime conſolata.

ANNA uxor legitima Ulrici Grabner/ civis Salzburgenſis, matrona ut apparet, honeſta, ætatis ſexaginta annorum, teſtis producta & jurata, ſuper miraculis beati Vitalis interrogata dicit, quod habebat filiam unam, nomine Annam, nunc maritatam, quæ ex utero materno contraxerat quandam maculam rubeam, infra ſcapulas lateris ſiniſtri, & ex macula eadem puſtula nigra excrevit, quæ poſtea putruit usque ad foramen amplum, ſaniei diſtillativum. Teſtis vero optimos Phyſicos ſeu Chirurgos, qui haberi poterant, conſuluit, quorum major pars morbum hunc, ignem Perſicum incurabilem aſſerebant. Quamobrem teſtis patientem beato Vitali devovit, cum cereis certis, circa tumbam ejus accendendis, & ſtatim facto voto, ſtillicidium ſaniei quievit. Poſthæc puer ad tumbam dictus, accenſis cereis, & facta invocatione, confeſtim melius habuit. Etiam foramen prædictum, pauciſſimis diebus nullo adhibito medicamine, radicitus ſanabatur, ita quod præter cicatricem nil turpe permanſit.

MARGARETHA relicta quondam Georgii calceatoris, civis Salzeburgenſis, ætatis ſexaginta annorum vel circa, teſtis jurata, & ſuper jam dicto miraculo ſibi expoſito interrogata, dicit quod ea quæ Anna præſcripta de miraculo beati Vitalis præinterto dixit, vera exiſtant, quia dum res hæc agebatur, erat ancilla ejusdem Annæ, & omnia prout ſupra narrantur, vidit atque audivit.

NOBILIS Domina Barbara, uxor legitima Jacobi Pfeffinger/ ætatis quinquaginta annorum, teſtis ut ſupra producta & jurata, ſuper miraculis beati Vitalis examinata

Digitized by Google

nata dicit: Quod dum erat puella tredecim annorum, accidit ſibi graviſſimus capitis dolor, freneſim inducens, dicentibus medicis, cerebrum eſſe conſumptum, nec aliqua naturali medela reformandum. Tunc genitor patientis, vir devotus, patientem ad tumbam beati Vitalis devovit, eamque cenſualem conſtituit in uno denario, ſingulis annis vitæ ſuæ, perſolvendo, & ſtatim facto voto, patiens ipſa priſtinæ ſanitati ex integro reddebatur. Sæc. XII. Anno 1190.

ANDREAS tubicen reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini, Domini Burchardi electi & confirmati Eccleſiæ Salzburgenſis &c. familiaris, teſtis ut ſupra juratus, dicit medio juramento, quod ante annos duos peracutus dolor dentium ipſum afficiebat, quare ad effectum removendi doloris, plures dentes, quos malos reputabat, ſibi erui fecit. Eruto autem uno, alium dolor invaſit, eo medio teſtis pene edentatus fuiſſet, occurrendo vero periculo, devovit ſe ad tumbam beati Vitalis, cum nonnullis dentibus cereis ibidem offerendis. Cumque pro hujuſcemodi voti expeditione iter faceret, & necdum ad tumbam veniſſet, dolor paulo ante acutiſſimus penitus ceſſavit, & hactenus dolores dentium nunquam perſenſit.

ULRICUS cerdo de Gaplnbach/ villa prope Salzeburgam, ætatis quinquaginta annorum, ſuper miraculis beati Vitalis interrogatus dicit, quod ante annos octo invaſerit eum cholica, & quædam viſcerum corroſio doloroſiſſima, quæ per anni ſpatium ipſum mordebat, ſalvis intermiſſionibus paucis. Tandem patiens naturali remedio deſtitutus, ſe beato Vitali cum certo munuſculo devovit, quo facto, ſtatim corroſio ceſſavit & plene convaluit.

URSULA uxor Joannis Fabri, civis Salzeburgenſis, teſtis producta & jurata, dicit medio juramento, quod ante anni ſpacium peracutus dolor capitis ipſam apprehenderit, quo cauſante, furiam & veſaniam vix evaſit. Cum autem dolor indies invaleſceret, nec medelis ſibi ſubveniri poſſet, devovit ſe ad tumbam beati Vitalis cum cereo certæ quantitatis, quo ibidem ſuccenſo, invocatione facta, dolor adſtatim ceſſavit, & ex illa hora perfectæ ſanitati fuit reſtituta.

MARGARETHA uxor Wolffgangi macellarii, inhabitatoris civitatis Salzeburgenſis, ætatis quinquaginta annorum, teſtis citata, recepta & jurata, ſuper miraculo beati Vitalis, his diebus, in ipſa, uti dicebatur, oſtenſo, ſummarie examinata, dicit medio juramento, quod de anno præſenti ante menſes tres acciderit ſibi quædam infirmitas graviſſima, quam medici ex judicio urinæ infirmitatem hepaticam eſſe dixerunt, qua cauſante patiens ipſa, acutas viſcerum corroſiones à tempore prædicto ſuſtinuit, dolore indies adaucto. Noviſſimis vero diebus iſtis, ſic debilitata fuit, quod familiares ejus & vicini, pluribus noctibus excubias facientes, cum luminibus ſpiritus emiſſionem obſervabant. Interea deducto ad ejus notitiam, quomodo de inquiſitione ſanctitatis & miraculorum beati Vitalis ageretur, cogitavit mente, ſi viribus confidere poſſet, ſe velle beati Vitalis tumbam viſitare. Sed per Confeſſorem ſuum prohibita ſuperſedit. Hodie vero, poſtquam à medio noctis dirè vexata fuiſſet, & circa horam meridianam, doloris remiſſionem ſenſiſſet, ſtatuebat ire ad tumbam beati Vitalis, non obſtante prohibitione cujuſcunque, & cum hæc ſecum conferret, neſcit qua virtute potita, de lecto ſurrexit, & nudipes cunctis admirantibus cucurrit, & corpus ſuper tumbam beati Vitalis proſtravit, fuſiſque precibus ſurrexit ſana. Nos quoque Delegati & Subdelegati prædicti, præfatam mulierem ſanam conſpeximus, præmiſſa omnia, cum lætitia immenſa narrantem.

CATHARINA uxor Heinrici Strappenmacher/ inhabitatoris civitatis Salzeburgenſis, teſtis citata & jurata, dicit medio juramento, quod Margaretha teſtis ſupradicta, à feſto notivitatis Domini proxime lapſo, viſcerum corroſiones ſuſtinuit, & præſertim à Dominica proxime præterita, mortis periculo fuerit vicina. Hodie vero circa horam undecimam, non ſine maximo Dei miraculo, ſubito de lecto ſublevata, ad tumbam beati Vitalis cucurrit, & ſe tumbæ impoſuit. Teſtis quoque, ut finem rei videret, ipſam ſecuta, repperit patientem in tumba provolutam & orantem, quæ, facta oratione, ſurrexit & abiit ſana.

VERONICA filia Margarethæ teſtis ſupradictæ, ætatis ſeptendecim annorum, citata & jurata, ac ſuper verificatione miraculi in matre ſua, ut prædicitur, oſtenſi,

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190. & examinata dicit, quod eadem mater ſua à feſto nativitatis Domini circa, habuerit quandam infirmitatem in viſceribus, qua cauſante, præſertim à ſeptem hebdomadis proxime lapſis, lecto decubuerit. A tribus vero diebus proxime tranſactis, adeo ægrota fuit, quod vigiliæ noctis tenebantur, ne in ejus expiratione nemo adeſſet. Hodie vero circa horam meridiei ſubito ſurrexit, & cucurrit ad tumbam beati Vitalis, teſtis vero ſecuta, repperit patientem in tumba provolutam preces fundentem, quæ tandem ſurrexit, & celeri pede abiit, nulla ægritudine depreſſa.

WOLFGANGUS macellarius, maritus legitimus Margarethæ teſtis prædictæ, ætatis ſeptuaginta annorum vel circa, productus & juratus ſuper veritate miraculi proximi ſuperius deſcripti, examinatus dicit, quod Margaretha conjunx ſua prædicta tribus menſibus proxime decurſis, perpeſſa ſit acutiſſimas viſcerum corroſiones, dicentibus medicis, quod paſſio hepatica exiſteret. Qua cauſante à ſeptem hebdomadis, quaſi continue in lecto jacuerit. Tribus vero noviſſimis diebus, de morte ejus vehementiſſime timebatur. Sed cujus virtute adjuta ignoret, hodie circa meridiem ſurrexit, & celebri pede ad tumbam beati Vitalis cucurrit, ſanitatemque adepta exiſtit, prout cuilibet eam inſpicienti apparet manifeſte.

JOANNES Schumel/ de oppido Hall/ laicus, Salzburgenſis diœceſis, teſtis productus & juratus, medio juramento dicit, quod ante annos certos quodam rapidiſſimo caſu brachium unum confregerit, ſic quod de reformatione brachii ejusdem modicum ſperaret, quare ſe ad tumbam beati Vitalis cum brachii figura cerea devovit, qua per eum ibidem oblata, invocationeque facta, ejusdem hora & loco, perfectam brachii confracti obtinuit reformationem.

MARGARETHA uxor Leonhardi Stoffert/ de oppido Hall/ Salzeburgenſis diœceſis, teſtis ut ſupra jurata, medio juramento examinata dicit, quod ſibi, cum erat puella trium aut quatuor annorum acciderat quidam morbus ſeu fluxus, quo cauſante in uno brachio effecta fuit clauda. Præterea parentes ſui devovebant eam ad tumbam B. Vitalis, & ſtatim expleto voto, fuit ſibi brachium per virtutem beati Vitalis ex integro reformatum.

NOTANDUM etiam: Quod Nos Ulricus & Georgius Epiſcopi Delegati, Petrus & Georgius Abbates, ac Benedictus Præpoſitus, Subdelegati, executores præſcripti: Omnes & ſingulos teſtes prænominatos, quos ſummarie brevitatis cauſa, ut præmittitur, examinavimus, de fama ſanctitatis beati Vitalis ac ſepultura ejusdem, de picturis, provolutionibus, & orationibus, cereorum accenſionibus, imaginum & figurarum oblationibus, venerationibus, & adorationibus, prout ſuperius in articulis deducitur, diligenter interrogavimus. Super quibus teſtium præſcriptorum quilibet ſigillatim dicit, hæc omnia & ſingula, prout in articulis continentur, eſſe vera, quodque per civitatem Salzeburgenſem, ac oppido Hellel/ Hall/ & Lauffen/ ac totam patriam vicinam, ſit vulgare dictum, firma credulitas, communis reputatio & aſſertio, publicaque vox & fama, quod B. Vitalis ſit ſanctus, qui priſcis & modernis temporibus claruerit, & cottidie clareat miraculis plurimis, & quod ad eundem tanquam miraculorum effectorem, Chriſti fidelium habitus ſit, & hodie habeatur recurſus, venereturque ut ſanctus, & propterea canonizandus atque catalogo ſanctorum veniat aſſcribendus.

IN quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum: Nos Delegati & Subdelegati præſcripti, ad ſæpememorati Magiſtri Caſpar Weſtendorffer Procuratoris inſtantiam atque petitionem, præſentes noſtras litteras, ſive hoc præſens publicum inſtrumentum hujusmodi noſtrum proceſſum in ſe continentes, ſive continens, exinde fieri, & per Notarios publicos ſubſcriptos, à nobis ad hoc receptos & deputatos, ſubſcribi & publicari, nec non claudi, ac ſigillorum noſtrorum juſſimus & fecimus appenſione communiri. Acta ſunt hæc partim in Curia præpoſituræ Eccleſiæ Metropoliticæ, partim vero in Monaſterio S. Petri Salisburgæ, & partim in Curia mei, Georgii Epiſcopi Seccovienſis, in civitate Salzeburgenſi ſituata: Sub anno à nativitate Domini M. CCCCLXII. Indictione decima, die vero Martis, ſedecima menſis Martii, & diebus ſequentibus usque ad diem viceſimam tertiam ejusdem menſis incluſive, Pontificatus ſanctitatis veſtræ, anno quarto: Præſentibus ibidem venerabilibus & circumſpectis viris, Dominis Paulo Meck, in decretis Licentiato, Canonico

Digitized by Google

nico Ratiſponenſi, Vicario in ſpiritualibus generali Eccleſiæ, & Officiali Curiæ Salzburgenſis, Heinrico de Pegnitz/ Decretorum Licentiato, Protonotario Cancellariæ: Joanne Stubmer/ Magiſtro Curiæ jam dictæ: Et Joanne Paumgartner/ in decretis Baculario, Rectore Parochialis Eccleſiæ ad S. Crucem prope Landſtroſt/ Salzburgenſis & Aquilegienſis diœceſis, & aliis quampluribus fide dignis teſtibus, ad præmiſſa vocatis & ſpecialiter requiſitis. SÆC. XII. ANNO 1190.

ET ego Ulricus Proſſinger/ Clericus Salzeburgenſis diœceſis, Imperiali auctoritate publicus Notarius, cauſarumque Conſiſtorii Curiæ Salzeburgenſis, ac præſcripti negotii, coram reverendis ac venerabilibus in Chriſto Patribus & Dominis, Domino Ulrico Chiemenſi, & Georgio Seccovienſi Epiſcopis, Delegatis: Petro & Georgio Abbatibus, & Benedicto Præpoſito, Subdelegatis, ſupradictus Scriba juratus: Quia ſupra inſertarum Apoſtolicarum & ſubdelegationis litterarum præſentationi & receptioni, nec non requiſitioni articulorum, oblationi & receptioni librorum & ſcripturarum, ac aliorum ſupra memoratorum exhibitioni, teſtium productioni & admiſſioni, juramentorum præſtationi & examinationi, ac præſentium litterarum decreto & demandationi, omnibusque aliis & ſingulis præſcriptis, dum coram Dominis Delegatis & Subdelegatis prædictis, & per eosdem, ſicut præmittitur, fierent & agerentur, una cum collega meo ſubſcripto, & teſtibus prænominatis, præſens interfui, eaque ſic fieri vidi, & audivi: Idcirco de eorum Dominorum Delegatorum & Subdelegatorum mandato, præſens regiſtrum ſive litteras aut inſtrumentum publicum, in triginta tribus foliis pergameni, manu ſubſcripti collegæ mei fideliter ſcriptum, exinde confeci, ſubſcripſi, & in hanc publicam formam redegi: Signoque & nomine meis ſolitis & conſuetis una cum dictorum Dominorum Delegatorum & Subdelegatorum appenſione ſigillorum conſignavi, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

EGo Joannes Berner de Roſenhapm/ Clericus, Friſingenſis diœceſis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, ac præſcripti negotii coram reverendis ac venerabilibus in Chriſto Patribus ac Dominis, Domino Ulrico Chyemenſi, & Georgio Seccovienſi Epiſcopis Delegatis, Petro & Georgio Abbatibus, & Benedicto Præpoſito Subdelegatis ſupradictis, ſcriba juratus. Quia ſupra inſertarum Apoſtolicarum & Subdelegationis litterarum præſentationi & receptioni, necnon requiſitioni articulorum, oblationi & receptioni librorum & ſcripturarum, ac aliorum ſupra memoratorum exhibitioni, teſtium productioni, admiſſioni, juramentorum præſtationi & examinationi, ac præſentium litterarum decreto & demandationi, omnibusque aliis & ſingulis præſcriptis, dum coram Dominis Delegatis & Subdelegatis prædictis, & per eosdem, ſicut præmittitur, fierent & agerentur, una cum collega meo præſcripto, & teſtibus ſupra nominatis, præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi. Idcirco de eorum Dominorum Delegatorum & Subdelegatorm mandato, præſens regiſtrum ſive litteras, ſeu inſtrumentum publicum in XXXIII. foliis pergameni, manu mea propria fideliter ſcriptum exinde confeci, ſubſcripſi, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis, una cum dictorum Dominorum Delegatorum & Subdelegatorum appenſione ſigillorum conſignavi in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

MONU-

Digitized by Google

Digitized by Google

MONUMENTORUM

SALISBURGENSIUM

PARS QUINTA:

VITA

S. VIRGILII.

Digitized by Google

Digitized by Google

INCIPIT VITA S. VIRGILII EPISCOPI SALISBURGENSIS.

SÆC. XII. ANNO 1190.

AD præſentem beatiſſimi Patris noſtri Virgilii memoriam, ſuperna beatorum ſpirituum curia, & cœleſtis mater noſtra congratuletur Eccleſia, quæ dum tantæ prolis fœlici fœliciter aſſumptione *donatur, multorum multo fœlicius per eam filiorum cottidie acquiſitione multiplicatur. Exultet & ſupernæ civitatis filia in hujus adhuc peregrinationis exercenda militia, quæ patronum ſibi jam videt in cœlis, quem paſtorem habebat in terris, quem ſicut in via Ducem ſociumque laboris acceperat, ſic per ejus ſuffragia particeps ipſius conſolationis in patria fieri non deſperat. Præcipua vero ac ſingulari lætitia, ad tanti viri præconia noſtra ſpecialiter concurrat Salzburgenſis Eccleſia, quam ab idololatriæ nuper purgatam erroribus, primus ipſe in Carinthia verbo prædicationis excoluit, ſanctitatis exemplo fœcundavit, & miraculorum inſignibus mirabiliter adornavit. Ecce ſummi Patris agricola, ſicut oliva in domo Domini fructifera, quod ſeminavit in lachrymis, in gaudio recepit, qui quot ſpiritales Domino filios verbo ſalutis peperit, quaſi tot animarum manipulos veniens, in reſurrectionis exultatione portabit. Ecce fidelis Dominicæ pecuniæ diſpenſator & prudens, in gaudium Domini ſui intromiſſus fœliciter exultat, quia ſuſcepta verbi menſura, familiam Domini fœliciter aluit & ſapienter inſtruxit, qui collatum ſibi divinæ gratiæ talentum in aliorum ædificatione multiplicatum Domino reſtituit, ad cujus vitam temporalem inveſtigandam miracula, quæ per eum Dominus operatur, nos diligenter hortantur.

* dominatur.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

SEQUITUR IPSIUS

Vide Obſ. præv. n. XIV. Basn.

S. VIRGILII

VITÆ ENARRATIO.

BEATISSIMUS igitur Virgilius in Hybernia Inſula de nobili ortus proſapia, litterarum ſtudiis ita animum applicuit, ut inter doctos ſui temporis atque clymatis doctiſſimus haberi potuiſſet. Morum etiam honeſtate nihilominus clareſcere ſtuduit, ut tamen non virtute relicta, invidiam quorumlibet placando, dictum illud exoptabile in ſe digne meruiſſet transferri: Dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione eſt, cujus nomen exquiretur à generatione in generationem. Ut itaque Dominus miſericordiam ſuam à progenie in progeniem oſtenderet, fervum ſuum Virgilium, ſtrenuum utique Dominicæ vineæ plantatorem, & futurum (a) Carinthiæ Apoſtolum, de natali ſolo Hyberniæ in Franciam miſit. Ubi ab illuſtri Francorum Rege Pipino, qui Major domus dicebatur, apud Cariſiacum honeſte exceptus fuit. Et quia litterarum ſcientia cum morum honeſtate in ipſo exuberavit, Rex eum ſicut tubam Evangelicæ prædicationis, libenter audiendo, ſecum fere duobus annis propter Dei amorem retinuit.

Temporibus vero Ottilonis Ducis Bavarorum, qui tunc cum tota Norica provincia ſubjectus fuit prædicto Regi Francorum, Salzburgenſis Eccleſia, quæ ab antiquo vocabulo, à juvando, dicta fuit Juvavia, proprio carebat Epiſcopo. Sed Rex Pipinus princeps per omnia Chriſtianiſſimus, ad incrementum Eccleſiæ Dei non modico ſuſpirans deſiderio, Epiſcopatum Salzburgenſem pro debito regiæ magnificentiæ, ſancto conceſſit Virgilio, eumque prænominato Duci Noricorum, utpote amico chariſſimo transmiſit ſummo cum honore excipiendum. Vir itaque Domini diſſimulata ordinatione ferme duorum annorum ſpatiis habuit ſecum laboris & coronæ participem Epiſcopum comitantem de patria, nomine Dobda, ad perſolvendum Epiſcopale officium. Poſtea ad inſtantiam populi, necnon aſſidua Coëpiſcoporum ſuorum exhortatione inductus ab ipſis, unctionem Epiſcopalem ſuſcipere conſenſit, ordinatusque eſt à provincialibus Præſulibus, anno nativitatis Domini DCCLXVI. XVII. Cal. Julii.

Deinde prout commiſſæ diſpenſationis auctoritas exigebat, quod ore, die, noctuque docuit, operis exhibitione implere non ceſſavit, in vigiliis, in jejuniis, & in charitate demum non ficta. Ea etiam quæ ad exterioris pertinebant utilitatem proviſionis, tanto ſollicitius ſtatuit promovere, quanto ſtatus Salzburgenſis Eccleſiæ tunc nuper initiatus & exiguus, poſtea Deo cooperante, ut liquido apparet, religione & poſſeſſionibus famoſiſſimus, id expoſtulare videbatur. Quippe fabricam Monaſterii immenſo opere & egregia diſpoſitione à fundamento conſtruxit, corpusque ſancti Rudberti, quod poſt obitum ſuum in Eccleſia beati Petri principis Apoſtolorum requievit una cum ſede Epiſcopali, quæ in prætaxata Eccleſia ſimiliter per aliquot annos extiterat, divina commonitus inſpiratione tranſtulit in eum videlicet locum, in quo usque ad præſentia tempora perduravit.

Temporibus vero glorioſi Regis Francorum Dagoberti, Samo nomine quidam Sclavus, manens in Quarantanis, fuit Dux gentis illius. Qui venientes negotiatores Dagoberti Regis juſſit interficere, & regia expoliavit pecunia. Quod dum com-

(a) Angelicam vocem Virgilio direxiſſe Deum qua moneretur ipſum ad ſedem Salisburgenſem Epiſcopum deſtinaſſe, narrat Thadæus Scotus inferius a nobis edendus ad an. 1457. Basn.

Digitized by Google

comperit Dagobertus Rex, missō exercitu suo, damnum quod ei Samo contumaciter intulerat, justa præcepit ultione puniri, & sic demum Regis servitio subacti sunt. Sæc. XII. Anno 1190.

Non multo post tempore cœperunt Huni eosdem Quarantanos hostili seditione graviter affligere: fuitque tunc Dux eorum Boruth nomine, qui Hunorum exercitum contra eos videns, interim Bavaris nuntiare fecit, rogans eos sibi in auxilium venire. At illi cum magna festinatione venientes, expugnaverunt Hunos, & obfirmaverunt Quarantanos, servitutique eos Regum subjecerunt, similiter & confines eorum. Duxeruntque inde obsides secum in Bavariam, inter quos erat filius Boruth nomine Carastus, quem pater ejus more Christiano nutriri & baptizari postulavit, quod ita factum est. Similiter de * Chetimaro filio fratris sui fieri rogavit. Mortuo autem * Borutho, jussu Francorum Regis, Bavari Carastum Christianum factum, petentibus eisdem Sclavis, remiserunt, & illi eum Ducem fecerunt, sed postea ille tertio anno defunctus est.

* Chetimaro. * Coruth.

Iterum autem permissione Domini Pipini Regis, ipsis populis idem petentibus, Chetimarus Christianus Ducatum suscepit.

Suggerente vero quodam Presbytero, nomine Majorano, qui à S. Virgilio in * Juvavo Monasterio manus impositionem acceperat, quem secum propter doctrinam Christianæ religionis detinuit, ad Juvavense Monasterium specialiter caput suum in servitium Dei declinavit, singulis annis, quo dum vixit, in signum subjectionis suæ aliquod obsequium illuc persolvendo.

* Juvavo.

Peractis autem aliquantis temporibus, prænominatus Dux Karantenorum petiit S. Virgilium Episcopum visitare populum gentis illius, eosque in fide firmiter confortare. Quod * tunc ille minime implere valuit, sed sua vice misso, suo Episcopo, nomine Modesto, ad docendam illam plebem, & cum eo Watonem, Reginbertum & Gozarium atque Latinum Presbyteros suos, & Ekihardum Diaconum cum aliis clericis, dans eis licentiam consecrare Ecclesias, ordinare juxta Canonum definitionem, nihilque sibi usurpare quod decretis sanctorum Patrum contrairet. Qui venientes Karantinis dedicaverunt ibi Ecclesiam sanctæ Mariæ, & aliam in Liburnia civitate, & in aliis quamplurimis locis, ibique Modestus Episcopus permansit usque ad finem vitæ suæ. Eo igitur defuncto Episcopo, postulavit iterum * Cheitmar Dux Virgilium Episcopum, si fieri potuisset, ad se veniret, quod ille renuit, orta seditione quod * Carniula dicimus, sed inito consilio dimisit ibidem Latinum Presbyterum. Et non multo post, orta alia seditione exivit inde ipse Latinus Presbyter. Ea vero sedata, misit iterum Virgilius Episcopus Madelhohum Presbyterum, & post eum * Warmannum Presbyterum. Mortuo autem Kettimaro, & orta tertia seditione, aliquot annis nullus Presbyter ibi erat, usque dum Watunc Dux eorum misit iterum ad Virgilium Episcopum, & intente postulavit, ut ad confortandam in fide prædictam terram aliquos destinaret Presbyteros. Petitioni igitur memorati Ducis, & incremento sanctæ Ecclesiæ consulens, misit * Heimonem & Reginbaldum Presbyteros atque Majoranum Diaconum cum aliis Clericis viris * utique religiosis & honestæ conversationis. Et non multo post misit iterum ibidem eundem Heimonem, & Dupliterum ac Majoranum Presbyteros aliosque Clericos cum eis. Iterum misit eis Gozarium, Majoranum, Erckenbertum & Augustinum Presbyteros. * Item Reinbaldum, Gunthārium.

* Cheitmaer. * Carinula. * Wargiannum. * Hermonem. * Ubique. * Post eos Rembaldum, Reincharium, Prebyteros. Item Remboldum, Gimcharium.

His ita gestis, ad extirpandam funditus & eliminandam, si qua * vigere visa est barbaricæ superstitionis idololatria, atque ad confortandam penitus in fide, frequenti prædicatorem diligentia, plantatam suæ diœcesis Ecclesiam, providens, ac provida circumspecti pastoris vigilantia, per villas & provincias verbum vitæ ubertim seminando, diu desiderabiliter optatam ovibus suæ propriæ visitationis præsentiam exhibuit. O quanta Principum cujuscunque religionis obviam illi cum pompa præcedentium exultatio! quam laudabilis spiritualium virorum vicissim stipatim imo certatim Dominum & Patrem suum invitantium devotio, quorum profecto petitionibus, ubi ille sanctitatis & gratiæ plenus, omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret, zelo pietatis obediens, Ecclesias consecrabat, & per Karinthiam sensim transeundo ad fines Hunorum, ubi Dravus influit Danubium, quo etiam postea tempore Arnonis primi Archiepiscopi territorii Salzburgensis, termini, Chronicis attestantibus, extendebantur, saluberrimæ visitationis usus officio pertransiit, palmitesque cœlestis vineæ propagando, Clericis ad sacros ordines promovendis, ut singulos arbitrabatur dignos, benedictionis suæ manum imposuit. Inæstimabilis igitur sanctitatis & meriti,

* al. in re, al. in genere.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

beatus Dei præſul Virgilius, feliciter & ſtrenue laboris ſui curſu conſummato, poſt emenſas pelagi mundani tempeſtates, ad metam hujus peregrinationis, & ad portum ſalutis Jeſum Chriſtum declinans, diſſolutionem ſui * corporis, juxta neceſſitatem conditionis humanæ imminentem divinitus ſibi revelatam longe ante præſcivit, quam Evangelicæ Dominus vineæ ſub perſona patris familias ex conventione diurni denarii corona immortalitatis remuneraturus, pro temporalibus æterna, pro terrenis fœlici commercio tribuens cœleſtia, de carnis ergaſtulo liberandum, hujusmodi vocibus creditur invitaſſe: Virgili, ſervus meus es tu, quia in te complacuit animæ mea, ingredere jam in l. c. * (*a*) & l. s. t. * Quam vero mira & ineffabilis divinæ diſpenſationis effulget providentia, quæ dum ſanctum ſuum Juvavenſi Cathedræ præficiendum olim ab ultimis Occidentalis heſperiæ partibus advexerat, ibidem pariter depoſitionis ei mauſeolum de mediis Pannoniæ finibus revertenti præparabat. Rediens itaque celerius, & memoratam civitatem ſuam intuitus amariſſime fundendo lachrymas, hunc viſus eſt decantare verſiculum: *Hæc requies mea, &c.* Celebrato denique divini ſacramenti myſterio, leni morbo correptus, Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXXIV. (*c*) Cal. Decemb. obdormivit in Domino. Cujus corpus in latere meridiano Monaſterii, cujus ipſe duodecim annis fabricator, & in tertiodecimo conſecrator extitit, prout tantum decuit Pontificem, honorifice fuit repoſitum, ſacer autem ſpiritus ejus, civium conſortio gaudet ſupernorum.

* *Corporis, deeſt.*

* *d. s. t.*

* *Quæ vero miſericordia.*

(*b*) In priori vitæ editione ſic notantur illæ Litteræ l. e. & l. s. t. Deinde ſubjicitur *quæ vero miſericordia & ineffabilis.* Hæc omiſit *Mabillonius* in Actis Benedictinis. BASN.

(*c*) In priori vita quam ediderat etiam *Caniſius*, obiit *Virgilius* anno 780. 4. Cal. Decembris. melius quidem; nam obiit *Virgilius* anno 780. vult *Mabillonius* reponi V. Kalendas Decembris ut Faſtis Benedictinis ſua ſervetur fides, & revera ſic notatur in libro de miraculis. BASN.

DE

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

DE MIRACULIS S. VIRGILII EPISCOPI.

ANNO vero Dominicæ incarnationis M. CLXXI. decima quartâ Indict. XIV. Cal. Martii, ſub Alexandro Papa III. Apoſtolatus ipſius XXI. ultimo. Regnante ſereniſſimo Principe Friderico Romanorum Imperatore auguſto, anno regni ejus XXVIII. & conregnante ſibi filio ejus Heinrico Romanorum Rege glorioſiſſimo. Otto de Witelinſpach inclyto Duce Bavariæ ducatum tenente: ſupramemorati fabrica Monaſterii, quæ ſchiſmatis perſecutione conflagrante, ante aliquot annos diruta & diruenda deperierat, ſumptibus & juſſu præclariſſimi paſtoris Chunradi Salzburgenſis tunc Archiepiſcopi, Apoſtolicæ ſedis tunc in Alemannia Legati, Cardinalis Presbyteri S. Marcelli, Sabinenſis Epiſcopi, modo autem Moguntinenſis Archipræſulis, dum à fundamentis cœpit ædificari, ſancti Spiritus cooperante gratia, & divinæ majeſtatis ſuffragante clementia, corpus beati Virgilii, quod ob immenſi temporis antiquitatem ab omnibus ignorabatur, contigit revelari.

Quadam die factum eſt, ut lapides à muro elapſi, aliquantulum intro ſpectandi aditum tranſeuntibus præbuiſſent, diligentius aliquibus * hoc ipſum conſiderantibus, concavitatis patuerunt indicia, & picturæ vetuſtioris deaurata illic viſa ſunt * ſchemata.

* licet.

* ſtemmata.

Porro Canonicis hujus rei novitatem perquirentibus, & latius ejusdem muri aperturas patefacientibus, inventa eſt B. Virgilii, octavi poſt S. Rudbertum Salzburgenſem Epiſcopum, tumba & depicta imago, ejusdemque imaginis hujuſcemodi epigramma:

Virgilius templum conſtruxit ſchemate pulchro.

Et præterea dies obitus ejus V. Calend. Decembris.

Idem vero dignus Deo Pontifex, ut in annalibus noſtris reperimus majoris Eccleſiæ, in qua & ſepultus fuit, primus extitit fundator, & B. Rudberti ac ſedis Epiſcopalis in ipſam Eccleſiam, qua nunc eſt, pius translator. Tempus etiam quo dictus Pontifex obierat, anno incarnationis Domini DCCLXXX. in eisdem annalibus invenimus.

Ad tantæ igitur rei ſpectaculum plurimis novarum rerum cupidis, ut fieri ſolet, confluentibus, non pauci à doloribus diverſis ſunt allevati. Cunctis autem qui accurrerant viri Dei reliquias venerantibus, juvenis quidam Diaconus & Eccleſiæ ejusdem Canonicus, inter cæteros dictum locum patefaciens, ille vana curioſitate magis, quam pia devotione accedens præſumptuoſe effoſſa humo manum ſiniſtram venerandis oſſibus injecit, omnibus eum redarguentibus & prohibentibus, & in proſperum hoc ipſum, ſicut rei probavit eventus, ſucceſſurum non fore aſſerentibus. Verum ille hæc omnia corde obſtinato parvipendens, nihil de ſanctarum violatione reliquiarum, quæ tot annis intactæ, ac decenti veneratione abſconſæ latuerant, curabat. Interea fama inventionis ſancti Præſulis crebreſcente, mulier de civitate Salzburg, cum in partu multis diebus laborans periclitaretur, per revelationem nocturnam admonita, candelam ad menſuram ſui corporis, ſuper famuli Dei ſepulchrum tranſmiſit, candelaque incenſa ſtatim puerum enixa convaluit.

Quædam autem ipſius mulieris convicanea cum irremediabili & diuturno viſcerum dolore torqueretur, fidem ejus ſecuta, eodem modo candelam tranſmiſit, & ſubito curata eſt.

Tertio

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

Tertio quoque miraculo, mulier quæ manuum contractione detinebatur, ad ſepulchrum viri Dei deferens, in itinere ſanata eſt.

Poſthæc infans cæcus quinque ab ortu habens hebdomadas, à parentibus illius delatus, viſum recepit.

Item mulier quædam à lippitudine oculorum curata eſt.

Sane Diaconus ille, quem præmiſimus, horum miraculorum incredulus, oblationes fidelium, quæ jam pia devotione à plurimis illuc deferebantur rapere, & uſibus ſuis attrahere non timuit, nec ea temeritate contentus, mulierculam ibidem orantem, ipſe ſanctas reliquias ſubſannans, irreverenter præſumpſit repellere. Juſte igitur divina ultione ſtatim correptus à dæmone, oculis terribilibus, ore hianti circumquaque diſcurrens ſacrarium introivit, primamque vexationis ſuæ & veſaniæ notam in quodam Presbytero, Eccleſiæ theſaurario, quem tunc forte ſolum illic repererat oſtentans, ipſum Presbyterum pugnis alapis cæſum unguibusque diutiſſime laniavit. Superveniente autem uno ex manſionariis Eccleſiæ, cum Presbyter præfatus è manibus arrepticii ſublatus interius ſacrarii cubiculum, oſtio poſt ſe clauſo confugiſſet, ipſe arrepticius dæmone plenus, ad ſuiipſius internecionem cœpit armari, & cum jam alium non videret in quem furorem ſuum effunderet, veſtibus omnibus exutus, utpote nullum vulneribus habens obſtaculum, raſorium corripuit plurimisque ictibus valido conatu pectus cœpit transfodere, Presbytero & manſionario prædicto intuentibus, & præ pavore nimio accedere aut inhibere eum non audentibus. Verum cum pectus & manus vulneribus multis cruentaſſet, nec tamen uſquequaque, Deus ipſum ad majorem & evidentiorem famuli ſui Virgilii oſtentationem reſervavit, præcordia perforaſſet, collapſus ad terram, toto conatu collum & guttur incidere temptabat. Tunc itaque Presbyter & manſionarius, qui prius ab eo refugerant, collapſum & in terra volutantem videntes, audaciter erumpentes ſuper ipſum irruunt, ferrumque de manu ejus eripiunt. Jam vero plurimi clamore excitati, ad ipſum juvenem concurrere cœperunt, ſed ipſe elapſus in tenebris, quia erat crepuſculum, curſu velociſſimo turrim conſcendit, & negotio perambulante in tenebris, eum * ad alia necis ſuæ convertitur argumenta, funemque campanæ laquei vice collo circumdans de feneſtra turris exilivit.

* *forte inſtigante.*

Duo autem è pueris è veſtigio ipſum inſecuti, ubi turrim aſcendebant, pendentem eum & palpitantem invenerunt, retractumque Dei gratia juvenem à laqueo abſolvunt, & inter manus trahentes ad inferiora deducunt. Porro cum ad vicinam ſepulchri beati Virgilii eſſet adductus, intra ſemetipſum frendens cœpit obniti, & retrorſum labi & corruere, manumque ne oculis ſanctum videret ſepulchrum admovere. Reportatur igitur ad Sacrarium, concurrit Clerus univerſus, pſalmi, exorciſmi, letaniæ, ſine intermiſſione dicuntur. Cum in ipſis letaniæ precibus nomen ſancti Virgilii inculcaretur, malignus ille inhabitator, qui vas illud poſſederat, auditum * ſancti nominis non ſuſtinens, frendens & dentibus horribiliter ſtridens, rugitum teterrimum emittebat, juvenemque infirmum crudeliter diſcerpebat. Evidenter itaque cunctis qui aderant, quod ob illatam ſanctis oſſibus injuriam, ita vexaretur conjicientibus, ad tumulum præfati caput & membra terribiliter quatiens, ſpumamque ejectans refertur, ſonantibusque campanis plebs totius civitatis convenit. Admotus autem ſepulchro, ipſum ſepulchrum conſpuebat, dæmonque jam aperte incendium, quo à S. Virgilio pateretur proclamans, ac manum ſepulchri violatricem tentans & geſtiens dentibus corrodere, niſi ipſa manus abſcinderetur, ſe non exiturum teſtabatur. Tum vero tantus ab utroque ſexu clamor exortus eſt, ut vox continuata cum lachrymis, non poſſe finiri videretur. Effertur deinde ab Eccleſia, & in lecto reponitur. Ubi dæmon à Sacerdotibus per tremendum judicium & his ſimilibus adjuratus, cur vas Dei in ſuam redegiſſet poteſtatem, in hæc verba prorupit: Ego non ſponte ſed coactus veni, candelas & alias oblationes à viri Dei ſepulchro ego abſtuli, & niſi quantocius hæ reſtituantur, magiſter meus cum ſeptem nequioribus intrabit ſpiritibus, & in perpetuum hic manebit. Cum vero candelæ diu quæſitæ, rurſum ad dæmonis indicium inventæ eſſent & allatæ, addidit idem dæmon corpus miſerabile ſcopis (a) numero purificatis candelarum cædendum, ipſique juveni poſt redditam ſanitatem, diebus viginti jejunandum. Poterat autem in afflicto juvene, in quo regnabat & dominabatur iniquitas, videri miſeria, & unde non præſentes, ſed & abſentes non parvum potuiſ-

* *Nomen.*

(a) *Mundâ purificatis* CAN. Lege *numero pari factis.* Mirare Dæmonem pœnitentiam infligentem & flagellationes autoritate ſua firmantem, quæ Chriſtianis priorum Sæculorum fuerunt incognitæ, poſterioribus uſitatiſſimæ; videatur hac de re *Hiſtoria flagellantium.* BASN.

Digitized by Google

potuiſſent percipere terrorem. Scopis enim allatis, candelis etiam relatis & incenſis, in Eccleſia juvenis præmemoratus, ad ſepulchrum beati Præſulis totius multitudinis precibus & lachrymis comitatus refertur. Ubi dum ſcopis, ſicut oſtenſum fuit, diutius cæderetur, aſtanteſque univerſi auxilium & miſericordiam beatæ Dei genitricis Mariæ, necnon & ſanctorum Nicolai, Rudberti, Virgilii præcipue ſuſpiriis intimis expoſcerent, ſpiritus ille nequam cum ſtrepitu & ſibilo non modico aufugit, multis circumſtantium diſceſſum ejus & impetum ſentientibus. SÆC. XII. ANNO 1190.

Liberatus ille à dæmonio & refectus ſacramento vivifico, ad lectum ſemivivus reportatur. Ibi per triduum mutus permanens, indiciis manuum & ſcriptis intentionem animi expoſuit, quod lingua non potuit, quia taciturnitas hæc, ſicut poſtmodum patuit, incredulitatis pœna fuit. Admonitus vero à reverendis Sacerdotibus, ut fidem circa ſe geſtis adhiberet, & S. Virgilium miraculis clareſcere crederet, manu & ſcripto renuit, uſum loquendi non recepit. Tandem cum mutus & animo & corpore deficiens in proximo moriturus crederetur, rurſusque Dominico ſacramento communicaſſet, & Sacerdos ſubintuliſſet, Si credis Virgilium Dei famulum, aperiat os tuum qui aperuit os Zachariæ Prophetæ, ſubito gutture & lingua reſoluta, Credo, exclamavit, ſtatimque loquendi uſum cum ſanitate priſtina recepit. Cum autem eo modo ſanatus reſpiraſſet, Monaſteria etiam & Eccleſias ſingulas, gratias Deo & ſanctis agens, circuiſſet, quia fex ejus nondum fuerat exinanita, ad priſtinum reverſus eſt reatum, ſanctique illius meritis, ſine intermiſſione in vicinia ſepulchri, & in conſpectu populi exprobrans iterato meruit caſtigari, quia caſtigatus noluit emendari. Interrogatus enim, ſi circa ſe geſtorum meminiſſet? contumelioſe ſubjunxit: ſe ſepulchrum ſancti Pontificis, ſi non ab interrogatione quieſcerent, prophanaturum & omnimodis everſurum. * Nec mora, quaſi percuſſus ad terram decidit, & ab aſſiſtentibus elevatus, aliquantulum convaluit. Nec contentus eo cum unus ex Canonicis infirmus ad ſepulchrum ipſa nocte fuiſſet delatus, ipſe juvenis cum reliquis Canonicis pro infirmi ſalute illo oraturus occurrit, virum temerarie, & cum ſubſannatione, ut infirmum ſanaret oravit, alioquin ſe non crediturum aliquos meritis ipſius ſancti liberari. Sed & his ſimilia adjiciens non orando ſed ſubſannando, opem allato infirmo flagitabat. Confeſtim igitur tumulo ſupereminens tectum cum fragore maximo ita * intremuit, ut lapidibus grandinis concuſſum eſſe videretur. Juvenis etiam ille qui à dæmonio liberatus, & pro ſua quoque frequenter præſumptione caſtigatus, adhuc in ſua pertinacia permanebat, jam denuo percuſſus coram omni plebis multitudine proſtratus, incendio ſe conflagrare & mori proclamabat. Deportatus itaque ab Eccleſia tam diu intolerabili dolore eſt detentus, donec ſe in ſanctum Dei peccaſſe confitens, ad plenum credidit, & ad plenum liberatus eſt. Curatus autem demum, ea quæ prius celaverat, vexationis ſcilicet ſuæ ordinem expoſuit: Quod nimirum tempore illo, quo ſicut prædictum eſt, mulierem de ſepulcro ſancti repulit, ſpiritus ille immundus cum vento vehementi in ſpecie veſpertilionis os ejus intravit. Deinde cum tempus curationis ejus adeſſet, beatum Nicolaum, quem ipſe ſpecialiter venerabatur, & præterea ſanctum Virgilium adveniſſe, velumque nigerrimum & longiſſimum, & nigerrimum utrosque ab ore ejus protraxiſſe, ſanctumque Nicolaum ſubintuliſſe: In fratrem noſtrum graviter peccaſti, veruntamen pro tua apud Deum interceſſimus ſanitate.

* *Hac in hora.*

* *introvit.*

ISTIS admirandis & plura admiranda ſunt addita, quod mulier de * Louffen/ cæca & clauda, ad ſepulchrum viri Dei, & viſum recepit & greſſum.

* *Louffen.*

Item mulier de civitate Salzburg, nervis crurium longo tempore contractis, greſſum retinere non valens, noctu divinitus admonita ad tumbam S. Præſulis venit, & curata eſt.

Alius quidam de ipſa civitate, dorſum habens inclinatum & omnino ſurſum non valens reſpicere, manus etiam & pedes habens debiles, hocque tormento annis XII. detentus, ad ſepulchrum jam dictum, repente ſanatus eſt.

Item alius civis * Louffenſis ex quadam nervorum diſſolutione carens greſſu, ad tumulum reptans manibus devenit, & aliquandiu viri Dei auxilium implorans, plantis conſolidatis ſanus effectus eſt.

* *Louffenſis.*

Item homo quidam de * Punningen/ (ſeu Prunningen) eodem morbo laborans, ad ſepulchrum prætaxatum effectus eſt incolumis.

* *Penningen.*

Mulier quoque de villa Gredich/ manibus & pedibus contracta, ad tumulum eundem, cum magno omnium gaudio & admiratione ſana receſſit.

Duæ præterea mulieres convenerunt, una de civitate Salzburg, altera de * Aneva (ſeu

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

(ſeu Aniff) villa, ambæ oculorum lumine privatæ, prior quidem annis viginti, ſubſequens autem tribus, & ad ſepulchrum cum magna devotione accedentes, viſum repente utræque receperunt.

Alio item tempore mulier * Pongonnenſis tribus annis contracta, & plurimis infirmitatibus detenta, ad jam dictum locum magno labore deducta, ſanata eſt.

* *Pongdonenſis.*

Ipso tempore quidam infans de Halle, pedibus contractus, erectus eſt.

Item homo quidam Salzburgenſis, * nota perſona, pluribus annis cæcus, ibidem illuminatus eſt.

* *notus.*

Quatuor deinde mulieres cæcæ ſingulæ plurimis aſtantium notiſſimæ, viſum ibi receperunt, quarum una de civitate Salzburg, reliquæ de viculis adjacentibus advenerant, de Piſchach / Glaſs & Alben / inter quas, quæ de Alben venerat, viginti annis cæca fuerat.

Subſequenti igitur tempore, duæ mulieres, una cæca, altera dorſum ad genua habens inclinatum, curatæ ſunt.

Ipſo tempore puella cruribus contracta, & mulier ſurda & muta, ſanatæ ſunt.

De hinc alia mulier cæca, viſum ibi recepit.

Nec reticendum putamus, quæ Deus in remotis partibus, per merita S. Virgilii eodem tempore operari dignatus eſt. Hæc enim ex veracium teſtimonio audivimus virorum.

FRATER quidam apud Rottenhaſslach / amplius annis 40. in habitu Monachico religioſiſſime converſatus, hernioſus, & circa inteſtina ruptus multo fuerat tempore, eaque paſſione vires ſuas excedente, humano deſtitutus auxilio defecerat. Cum interim fama ſignorum B. Præſulis Virgilii, ad aures ipſius venit, cœpitque Dominum intimis devotiſſime ſuſpiriis deprecari, ut per merita famuli ſui Virgilii, priſtinæ ſanitati mereretur reſtitui. Hæc eo orante inteſtina cœperunt ad ſuperiora, ad locum antiquum paulatim relabi, ut triduo vix expleto totus factus incolumis, modum ſuæ curationis omnibus advenientibus prædicaret.

Alio item tempore paralyticæ duæ ad tumulum S. viri delatæ, mulier ſcilicet ætatis provectæ de Seekirchen / & puella duodennis de Walweſſ, ſanitatem priſtinam receperunt.

Quidam de pago Chiemgow / cæcus ad ipſum tumulum veniens, devotiſſime viro ſancto ſe commendans, domum rediens in media itineris ſui via viſum recepit.

Quædam etiam puella de Matſee / curvam à nativitate habens manum, ibidem in præſentia Cleri & totius multitudinis curata eſt.

Item puella de Perndorff / manum habens aridam & curvam, ſanata eſt.

Item puer de Tuſendorff / annos quatuor habens ab ortu, & adhuc prorſus incedere non valens, à patre delatus eſt ad tumulum, & pro debito naturæ & ætatis ambulare cœpit.

Puer quinquennis de Hochenburg / mutus & cruribus contractus à nativitate, deportatus ad tumulum à matre, & uſum loquendi recepit & greſſum.

Quidam puer de Fuchten / mutus, & paraliticum habens brachium, ut nec ori poſſet applicare ad comedendum, optabilem recepit utriuſque mali curationem.

Clericus quidam Diaconus de Peine / meritis beati Virgilii derogare præſumens, dicebat: nulla Dominum pro eo, vel propter eum operari miracula, ſtatimque correptus à dæmonio, tamdiu caſtigatus eſt, quo usque ad ſepulchrum viri Dei tractus, divina miſeratione, & inſtanti fidelium ſupplicatione meruit liberari.

Adoleſcens quidam, filius Heinrici de Lapmingen / idemque Chunonis ex ſorore nepos, à nativitate ſurdus, ad ſepulchrum beati Virgilii auditum recepit.

Item infans de Tuſendorff / contractis pedibus à matre ſua ſepulchro ſuperpoſitus, greſſu recuperato ſurrexit curatus.

Puer quidam de Winheringen / curvus, diſtantia locorum venire præpeditus, ad tumbam beati Virgilii, per itinerantes miſit candelam, ad menſuram ſui corporis factam, qua allata & incenſa, ſoſpitatis ille conſecutus eſt beneficia.

Quidam civis Hallenſis cambiendos ferens denarios, dum * equo vectus ad civitatem Salzburg tenderet, ſepulchrum beati Virgilii viſitare & pro facultate ſua oblationem ponere ſecum tacitus propoſuit. Veniens autem, vel negotii occupatione, aut oblivione diſtractus, inſalutatis reliquiis domum redire cœpit. Dum igitur ab urbe longius proceſſiſſet, equus licet calcaribus urgeretur, non tantum progredi recuſavit, ſed & reſtitit, quin imo ad civitatem regreſſus, hoſpitium unde exierat rediit.

* *Etiam.*

Hoſpita

Digitized by Google

Hoſpita vero domus, qua nunc cauſa rediiſſet, interrogante, cujusdam negotii agendi gratia ſe reverſum confeſſus eſt. Rurſus iter arripiens domumque tendens, non longe proceſſus ab urbe, ſicut antea factus retrogradus, hoſpitium ſuum iterato petiit. Hoſpita iterum ſciſcitante cauſam ſui reditus & ſatis mirante, finxit aliud ſibi ſuperfuiſſe negotium, ſimili reditu diſpenſatione divina in tertia vice facta, indicavit denique rei veritatem, quo accepta via totiens revocatus fuiſſet, quoniam juxta propoſitum ſuum beato Virgilio votivam * precum hoſtiam offerre neglexiſſet, quo facto, recto calle domum perrexit. Sæc. XII. Anno 1190. * precum; deeſt.

Item duo milites ſepulchrum beati Virgilii viſitaturi, clientulum quendam auditu carentem * currus moderatorem & aurigam ducebant, quibus ad S. Virgilii tumulum oblationes ſuas præſentantibus, & preces Domino fundentibus, ille dictus miniſter eorum ſimul cum illis aſtabat, & quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ipſe præ Dominis audiri meruit. Auditum enim ſine mora recepit. * per terras.

Quidam civis Hallenſis puerum habens calculoſum, medico advocato rogavit eum, ut ferro lapidem excideret, ſicque dolorem filii ſui finire temptaret. Qui dum cultrum & alia inſtrumenta * applicare cœpiſſet, dictus puer, utpote difficultatem medicinæ ſuſtinere non valens, ad fletus quoque patrem commovit. Miſeriæ igitur pueri dolentis, affectu paterno compatiens, amoto medico & infecto adhuc negotio, S. Virgilium obnixe & humiliter cœpit invocare, ut cujus meritis innumerabiles per Dei clementiam eſſent curati, ſuus quoque filius priſtinæ redderetur ſanitati. Nec mora, inter ipſa precantis verba, calculus à puero elapſus, in manibus patris apparuit. * applicare; deeſt.

Quidam puer de Straßburg à dæmonio vexatus, & à matre ſua ad ſepulchrum beati Virgilii delatus, precibus fidelium & maternis fletibus meruit liberari.

Serviens Ratiſponenſis Epiſcopi, in die Paſchali communione Dominici corporis ſuſcepta, eadem die, videlicet Dominica, tabernam præſumpſit intrare, ubi potationibus & ebrietati deditus, laſciviæ potatorum interfuit. Meritam pro factis ergo pœnam recipiens, in tantam verſus eſt amentiam, ut octo continuis diebus, nec cibum caperet, nec mentis veſaniam deponeret. In viſu denique noctis, à beato Virgilio ſalubriter admonitus, modum reformandæ ſanitatis edidicit, eo videlicet tenore, quatenus tumbam jam dicti Præſulis humili prece viſitaret, ſicque aſpirante Dei clementia, ſanitati priſtinæ reſtitui non deſperaret. Qua viſione quibuſdam expoſita, juſſu Domini ſui, Ratiſponenſis Epiſcopi, cuſtodibus ſibi deputatis, ad ſepulchrum beati ductus eſt Pontificis. Cui ſuperincumbens, & preces quas poterat, Domino effundens, ſimul etiam lachrymis fidelium aſtantium adjutus omnimodæ ſoſpitati panem ibidem oblatum, nihilo hæſitans comedit, & ſenſus vigorem recepit.

Quædam mulier de Selehuben/ graviſſimo dolore præventa, tanto languore præventa eſt, ut omnibus de vita ipſius deſperatis, in extremo mortis articulo agonizaret. Quæ dum pro ſe Deum implorare, utpote rationis vocisque beneficio deſtituta, minime ſuffeciſſet, aſtantium multitudo fidelium Domini ac Salvatoris noſtri, pro ipſa cœpit invocare auxilium: facta quoque commemoratione beati Virgilii, cum ſumma devotione. Unde factum eſt, ut in ipſo momento mulier de lecto ſurgere, & priſtina ſanitate recuperata, ſequenti ſtatim die ſepulchrum beati Virgilii cum laudibus & gratiarum actione viſitaret.

Cum infinita Chriſtianæ profeſſionis turba ad tumbam viri Dei de longinquis partibus confluerent, ut à variis animæ vel corporis curarentur languoribus: Quidam homo de Megelingen/ dives & notiſſimus incolis de vicinia regionis ad ſepulchrum beati Virgilii tendentibus, ſolus ipſe neglexit venire, hoc videlicet in animo * pertractans, quod nullis premeretur adverſis, utpote † ſuis rebus domeſticis † inſumenda proſperitate compoſitis. Hæc eo cogitante, unicum quem habebat filium octo annorum, vis tanta paralyſis ſubito corripuit, ut ipſum voce & greſſu privaret. Vir ergo præfatus flebiles heu mœſtos cogitur inire modos, & licet nimio dolore pro inopinato malo pene deficeret, ex ratione ſibi conſulens, doctorem ſuum Plebanum advocavit, & inter verba confeſſionis ei totam ſeriem rei geſtæ veraciter expoſuit, & digna Deo ſatisfactione promiſſa & ſuſcepta pœnitentia, conſilio Plebani ad ſepulchrum B. Virgilii una cum puero iter arripuit, atque dum irent, languidus ille infirmitatis invenit remedium. * retrd-ctans. † forte: in ſumma.

Homo quidam de Owe/ paralyticum habens filium, vovit eum ad tumbam Virgilii perducendum, & continuo in eodem loco ſanitati priſtinæ meruit reſtitui.

Quidam puer de Hohendorff/ quinquennis cæcus & contractus, ſecus tumulum viri Dei utriusque incommodi beneficium recepit.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

Quidam homo de Etlach/ curvus, invocato nomine ſancti Virgilii, in eodem eſt ſanitati redditus.

HIs prædictis omnibus, & hæc memoratu dignum æſtimamus, qualiter homo quidam grandævus de villa ſancti Hippolyti, ad viſitandum beati viri ſepulchrum iter arripuit, & voti compos effectus, dum inter verba Sacerdotis exhortationi ad populum aſſiſteret, habitu privationem ſecuto cæcitatis oculorum tenebras amiſit.

Mulier quædam audiens quantas Dominus virtutes operatus ſit per famulum ſuum Virgilium, ſecus tumbam ejus, divinum implorat auxilium, per interceſſionem viri Dei, in redeundo domum, viſus recuperavit beneficium.

Item fœmina quædam de Aquilegia, à viro ſuo minus cauto quacunque rei cauſa in cubito non mediocriter cultro ſauciata, ſectisque nervis manum habens curvam & contractam, à multis ejusdem regionis incolis comitata, beati Pontificis tumulum cum debita reverentia, ſuppliciter acceſſit: Sed quia tempus miſerendi ejus nondum advenit, omnipotens DEUS admirationem diſtulit, infectoque negotio domum repedare cœpit. Iter autem cœptum peragens, dum in villa quadam ſecus Taurum montem pernoctaret, devotiſſime nomen beati Virgilii, cum fletu uberrimo invocavit, & in eodem loco curvitate manus depoſita, priſtinæ ſanitatis vigorem meruit conſequi.

Puer quidam de Lincehaude/ contractis cruribus officio greſſus deſtitutus, adminiculo parentum ad ſepulchrum beati Pontificis deportatus eſt, cui etiam ſuperpoſitus in ſomnum ſalutiferæ dormitionis corruit, evigilans autem, uſu greſſibilitatis reſtituto, cum magna admiratione aſtantium ambulavit.

Item fœmina de Matſee/ dorſum habens incredibili curvitate tortuoſum, divinam clementiam flagitavit, quatenus meritis beati Virgilii, cujus tumbæ accubuerat, ſperatæ curationis inveniret remedium, ſtatimque fidei ſuæ commodum ſortita eſt effectum.

Quidam puer de Roſpach/ crurium contractione, ambulationis carens beneficio, communi more aptiſſime ſolidatis, precibus fidelium, pro ipſo beati Virgilii nomen invocantium, perfectæ ſoſpitati reſtitutus eſt.

ET quoniam omnibus ſe invocantibus conſuetæ pietatis opem beatus Dei famulus ſingulis pro neceſſitatibus ſuis ſemper exhibuit, quiddam mirabile, & ſatis memorabile ſubnectendum eſt, quod Monachus quidam de Rottenhaſlach/ diutino languore ſcapulæ laborans, dum in comitatu Abbatis ſui quodam tempore iter ageret, prætextata paſſione graviter correptus, accepta via defecit, viribus corporis deſtitutus. Cæterum juxta Monachicæ regulæ rigorem forte diem in quo flagella carnis Monachi de more ſuſcipiunt, adeſſe contingit, & cum cæteris qui tunc aderant, etiam ille morbidus coram Domino Abbate proſternitur caſtigandus, partem quoque dorſi, videlicet ſaniorem plagis exponens, cum bene exaratam ſenſiſſet, alteram quoque cui pepercerat, in honore S. Virgilii, flagellari ſuppliciter poſtulavit, poſt cujus petitionis effectum plenariæ ſalutis adeptus eſt præſidium. O prædicanda & laudanda Chriſti pietas, quæ tanta celebritate, merita beati Virgilii, longe lateque declaravit, ut ejus fama omnes cis marinas nationes impleverit. Si ergo fidei conſtantia, vel recuperandæ ſalutis gratia Saxones atque Boëmi, ad tumbam viri Dei delonge invitantur, mirari non oportet.

Nam mulier quædam de * Grace ſicut lumine exterius orbata, ita piæ devotionis lampade cordetenus irradiata, longo itinere laborioſe conſummato, ſepulchro beati Præſulis humiliter advoluta eſt, & inter ipſas ſupplicationes lachrymas illuminata cæcitatem depoſuit.

Plebanum de Theraz, ætate grandævum, bonæ converſationis virum & honorabilem, paralyticæ paſſionis morbus incurabilis adeo depreſſerat, ut dextri lateris, pes atque manus corpori debitum non poſſent impendere ſervitium, imo quod erat gravius, lingua continuum perurgebat ſilentium. Conſolationis igitur divinæ fiducia roboratus, reliquias beati Virgilii viſitavit, quibus decenti veneratione ſalutatis, pedis officium gradiendo, vocis autem beneficium magnalia Dei prædicando, recepit: manus etiam languorem, in bona parte alleviatum, omnibus evidenti veritate innotuit.

Vir

* *Dageruſca, corrupte, neque enim oppidum illud in Saxonia vel in Bohemia ſitum eſt.*

Digitized by Google

Vir quidam de Donstorff/ parvum habens filium, tanta ægritudinis mole gravatum, SÆC. ut ſine ſublevante nequaquam loco moveri poſſet, audito quanta Deus omnipotens XII. per beatum Virgilium operatur miracula, votum vovit, ut ad tumbam dicti Præſulis ANNO puerum deferret. Nec mora, iter arripiens inclinata jam die villam hoſpitandi gratia 1190. intravit, ubi parvulum præ nimia debilitate deficientem, & quaſi moribundum relinquere propoſuit. Eadem igitur nocte, candelam ſtaturæ pueri comparem fecit, quatenus cœptam viam conſtanter emenſurus pro ſalute filii ſui, viventis vel morituri, ad tumbam beati Pontificis deportaret, quem mane facto diſceſſurus omnimode ſpopondit, ſoſpitati reſtitutum invenit.

Sacerdos quidam cum intra ſacramenta Miſſæ plebem admoneret, ut in die placito, ad viſitandas ſervorum Dei reliquias, beati Virgilii & Eberhardi, unanimiter conveniret, à voto conſentientis populi, quædam & honorata fœmina, non ſolum diſſenſit, ſed etiam prorumpens, ſe nullatenus ſepulchra famulorum Dei viſitaturam aperte proclamavit. Hujus autem præſumptionis contumaciam Dei patientia non ſtatim repreſſit, ſed poſtquam à luminibus excluſa eſt Eccleſiæ, in amentiam converſa, domum ſuam deducitur, ubi inuſitata & mirabili inſania correpta, facie humotenus bruti animalis inſtar humiliata, geſtus & proprietates porci ſimillimas expreſſit, ut jam non humana ratione, ſed pecuali ſenſualitate uteretur. Omnibus autem qui aderant, vehementi ſtupore repletis, à quibusdam altioris conſilii viris Sacerdos nomine Joſeph advocatur, per cujus largas Pſalmorum lectiones & efficaces benedictiones, quantulamcunque rationis partem recuperavit, ut & verba confeſſionis recitaret, & in ſanctum Dei Virgilium ſe peccaſſe recognoſceret, plenariam exinde ſatisfactionem Deo pollicens, tumbam memorati Præſulis viſitare celebri voto propoſuit, ſtatimque Dominica communione percepta, priſtinæ mentis redintegrato vigore, ſe cum omnibus ſuis & præfatum Sacerdotem largis refecit epulis.

Quidam puer de Eccleſia S. Mariæ, manum curvam habens præſente magna hominum frequentia, ad tumulum beati Virgilii delatus, omnibus pro ſanitate ejus ad Dominum orantibus, carne rupta, & nervis crepantibus incolumitati eſt redditus.

ET quomodo ceſſet lingua carnis magnificentiam Salvatoris extollere, qui de lapidibus procreavit filios Abrahæ. Innovando enim ſigna & immutando mirabilia, Prophetam nobis & Archiatrum, divina bonitas ſuſcitavit, cujus virtutum potentia, de lapidibus filios Abrahæ, id eſt, de incredulis fideles, de perverſis compunctos reformavit. Quis autem videntium prodigia quæ fiunt in populo veteris fermenti vitia non exuat, quis pœnitentiæ fructus dignos per fontem lachrymarum & contritionem cordis non faciat?

Cum puero de Hartſpech/ in articulis manuum contracto, interceſſio beati Virgilii, in ipſa monumenti ſui præſentia ſoſpitatem priſtinam compenſat.

Cæci ergo accedite ad eum & illuminamini, & qui in grabatis paralytici jacetis ipſo confortante glutinamini, quia ne longe exempla petantur: Puerum quendam de Mullſtat/ undecim annorum curvum & cæcum à nativitate: Nec non de celle in * Cylarn puellam quindecim annorum paralyticam plenarie curatos oculata fide conſpeximus.

* Sylarum.

Quantus ergo noſtra opinione reputandus, quam thronis & dominationibus proximus eſt exiſtimandus, per cujus invocationem fœmina quædam de Aſpach/ manibus contracta, & alia mulier de Auben in * uno brachiorum ſimili morbo debilitata, cœleſtis remedii ſenſerunt efficaciam.

* utroque,

Nunc & omne genus humanum, Domini Jeſu Chriſti prædicet clementiam, de cujus munere venit, ut beatus Pontifex Virgilius omnibus ſibi devotis aſſit propitius: Nam ex tumba ejus oleum ſanitatis cuidam puellæ manibus & pedibus contractæ largiter emanavit & ejusdem ſalutiferæ unctionis gratia, quidam parvulus de Rienhow/ mutus à nativitate, vocis organum recuperavit.

Adoleſcens quidam de Dienſtein/ in vicinia Frieſaci, manum habens aridam & inutilem, exoratam & optatam à ſancto Virgilio ſuſcepit valetudinem.

De civitate Ratiſpona inſtitores ad nundinas per alveum Danubii, in loco qui dicitur Arbacher/ cum nave maxima mercibus onuſta deſcendentes, periculum illud ex concitatione fluctuum aſſidua vocatum Spielberg/ inciderunt, nec mora, procellarum impetuoſiſſima vertigine involuti, multotiens girando aquarum violentia, ſcopulum in medio gurgitis eminentem, à quo cauſa tempeſtatis illius procedit, vellent nollent ſtatim paſſuri naufragium acceſſerunt, ubi demum tanta fluminis importunitas æſtuan-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

tis, miſeris illis incubuit, ut turbo voraginis proram carinæ aqua ſemiplenæ ſorbendo puppim in ſublime attolleret, omneſque univerſaliter, tam nautas quam cæteros adeo de vita deſperatos redderet, ut armamenta * remigandi, tanquam nil penitus conferentia projicerent, & quod ſolum reſtabat in articulo mortis conſtitutis, Dominum redemptorem mundi, pro ſalute animarum ſuarum intentiſſime flagitarent. Tum vero gens illa inter confuſos naufragii tumultus clementiſſima Domini ſalvatoris dignatione commonita, mitiſſimi Confeſſoris & Antiſtitis S. Virgilii, de cujus miraculis & virtutibus plurimis, ante non pauca didicerant, omnes unanimi ore cordeque ſuppliciter invocabant auxilium, quatenus ille cœleſtis atque ſupremus humani generis inſtaurator, qui omnium B. Pontificis nomen implorantium velox & copioſus eſt propitiator, per merita famuli ſui, ſolitam & neceſſariam tribulatis exhiberet ſuæ conſolationis præſentiam. Ad hujus ſupplicationis ſuffragium memorata navis ſubmerſione ſua mortis exitium breviter cunctis impoſitura, ſuper undas altius elevata ſuſtollitur, & contra ictum fluvii decurrentis veluti funibus alligata traheretur, ſine detrimento rerum & hominum ſecreto quodam & potenti nauclero, ad ripam usque perducitur.

Miles quidam de Pilſtein / ab alio milite captivatur, filium ſuum bonæ indolis juvenem obſidem pro ſe depoſuit, qui per viginti hebdomadas & amplius duriſſimis vinculis in carcere compeditus, laborioſam & miſerabilem vitam exegit. Memoratus autem juvenis, videns ſe parentum adjutorio deſtitutum, in commemoratione beati Virgilii Confeſſoris Chriſti mitiſſimi cœpit divinum ſubnixius implorare præſidium, de cujus miſeratione confeſtim poſt expletam orationem, à vinculis abſolutus, ſine mora dilationis urbem Salzburg adiit, reliquias ſanctorum viſitaturus, & condignas Deo liberatori ſuo ſanctisque omnibus, præcipuas vero S. Virgilio referens gratias. Rem geſtam nobis expoſuit veracius. Diffuſo itaque rumore, hoc virtutum odore placantur audientes, ut balſamo accurrunt fide ſitientes ad domum gratiæ, & ſecundum multitudinem dolorum ſuorum conſolatione percepta, refecti ſunt in ſaturitate. Regna multa provocant, quæ per ſanctum Virgilium fiunt magnalia, & velut Bethſaidæ aquis, ſic ejus beneficiis ſanitatis cauſa ſe immergit multitudo copioſa. Unde & quædam in Ungariæ finibus nobilis matrona, cum jam diu oculis obtenebrata non videret, duos filios ſuos ad ſanctum direxit, ut viam complerent, quam ipſa non potuit, ut ſub eorum oratione impetraret quod credidit. At illi continuo injunctum conſummant obſequium, iter arripiunt & itinere proſperantes, Juvavum citius pervenerunt. O quam commendabile miraculum! Quadam ſexta feria, cum jam opus fieret divinum, obtulerunt filii, & eadem hora lux reddita eſt matri. Mirum in modum una & eadem hora ſanctus Dei præſentem ſuſcepit hoſtiam, & abſentem illuminavit cæcam. Hujus rei neſcii diſcedunt confeſtim filii. At illis in obviam nuntiatur, quod lux reddita ſit matri. Hora vero inquiſita & cognita, Dominum laudant & benedicunt mirabilem & glorioſum in virtute ſua. Vere laude dignus in Domino conſiſtit, qui ubique præſens adfuit, ut hic filiorum ſuſciperet munera, & ibi matrem illuminaret à cæcitate ſua. Sed quid referam? in Auſtria per ſanctum Dei patratum fuiſſe multorum relatione cognovi.

Quidam à judicibus patriæ captus eſt, in quadriga ligatur, diſtenditur, & ſic in civitatem quandam plectendus ducitur. At ille præ timore pœnitens infœliciter lamentatur, ad beatum Virgilium vertit ſuſpiria, ab illo petit protegi, à cujus ope nullum credebat refutare. Vice igitur Jeſu Chriſti latroni crucifixo miſeretur & relevat, diſtentum ſolvit & liberat, fugientem ne capiatur confortat. Vere laudandus eſt Chriſti Confeſſor, qui mortis reum à morte ſalvat. Noluit enim mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Qui taliter ovili Dominico hominem reſtaurat ne pereat. Quomodo etiam ovem ſuam eſuriente lupo illæſum cuſtodierit, fidelis attendat.

In confinio quoque noſtro, in villa quæ dicitur Quantele, populus inter ſe beato Virgilio collectam fecit, & ille vitulum, ille agnum, quilibet prout potuit, attribuit. Ex quibus arietem quodam die lupus arripuit & concito fugiens ſecum ad ſylvam famelicus provexit. Unde non modicum doluit cujus animal fuit, hinc ſeipſum indignum judicat, ſe ſimul & ſua ſancto diſplicere formidat. A filio igitur ſuo agnum expetiit ut reddat. At ille patris damna ſubſannans negat. Sed ecce mirabile, cum jam craſtina dies illuxit, coram oculis aſtantium in medio gregis lupum aries traxit. Quo relicto, arripuit filium, qui ſanctis oblata reprobans, non condoluit patri. Patet ideo quod leviter ab hoſtili manu defendat hominem, qui ſic eſurienti lupo illæſam coha-

Digitized by Google

cohabitare fecit ovem. Huic miraculo concordat illa prophetia quæ dicit: Habitabit lupus cum agno, &c. SÆC. XII.

Item quidam homo de S. Ypolito, per duos annos & fere dimidium cæcitate percuſſus, cum jam audiſſet quæ fiebant per ſanctum, lumen petiturus acceſſit, ſed quia adhuc forte indignus erat, quod volebat, non obtinuit. Unde non modice dolens, pœnitentia ductus mente cœpit compungi, pœnam quam patitur ſuis commiſſis imputat, & confeſtim Deo & Sacerdoti ſeipſum devote accuſat. Pœnitentem itaque infixit pœnam indicens emeritam. At ille altius ſeipſum judicans, ab eſu carnium annalem petit abſtinentiam, ut eo purior effectus meritis ſancti ſalutem mereretur conſequi optatam. Humanam vero fragilitatem Confeſſor conſiderans, vix rogatus conceſſit. At ille libens ſuſcepit, inchoavit, & fœliciter conſummavit. Evoluto ferme anno, cæcus petit Juvavum, ſed ecce in via veniens ſancto præſtante Virgilio lumen recepit optatum. ANNO 1190.

Quidam miles de villa quæ dicitur Dienge, cum eſſet cæcus, audita fama viri Dei, ſpe ſimul & fide præventus, ſanctum petiit Virgilium, quo dum iter arripuit, ecce via veniens, optabile lumen recepit. Cum itaque ſancti Virgilii longe lateque fama diffuſa crebreſceret, ex diverſis nationibus confluxerunt languidi, & ex ejus conſolatione finem dabant mœrori.

Inter quos unus de Erpheſsfort/ acceſſit, utraque contractus tibia, ſed ab ipſo, quem fide portat, ut jam in via melius haberet veniendo portatur, & in die S. Virgilii adveniens plene ſanatus eſt. Revertitur ſaliens, qui claudicabat adveniens, & qui antea infirmus fuit, jam ſanus glorificabat Deum in omnibus quæ audierat & viderat. Sicut ille de Occidente, ſic alter de Auſtria, quæ eſt in Oriente, cæcus advenit, ſed ſancti meritis illuminatus videns abſceſſit. Simile huic cito contigit, quia in inventione S. Virgilii, quædam Ratiſponenſis cæca lumen recepit. Et pulchre in die inventionis ſancti illuminatur, ut quanta meritorum luce reſplendeat, qui inventus eſt, in hoc miraculo teſtificetur.

Item quidam civis Friſacenſis, Ruze nomine, miniſterialem quendam Ducis de Stire, Ottonem ſcilicet de Græzen, quatenus neſcio offenderat, à quo vindictæ cauſa inſidiis circumventus quid faceret neſciebat. Cum ecce humanum deſperat auxilium, velut ſe ſcuto fidei, & ad B. Virgilium peregrinando fugiens, ſua petit virtute defenſari. Unde mirum in modum redeunti obviat adverſarius, ſed ecce per ſanctum compeſcitur, nudum pertimeſcit armatus, in tantum ut ita deficeret, quaſi continuo moriturus. Vocato igitur Sacerdote confeſſus pœnituit, pacis fœdus cum cive miles pepigit, & ſic ſanctum Virgilium petens convaluit. Sicque contigit quod metuens ſecurus, & qui fortior, factus eſt timidus, pauperi ſubdidit divitem, & principi præpoſuit impotentem.

INCI-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190

INCIPIT VITA S. EBERHARDI ARCHIEPISCOPI SALISBURGENSIS.

Vide Obſ. BASN. n. XV. ubi plura de Eberhardo.

CUM vitas multorum de popularibus ſeu privatis perſonis deſcriptas attendimus, ita ut non tam dignitas geſtorum ſeu copia ſcriptorum benevolentia apicibus appareat, in reſpectu horum vitam glorioſi Eberhardi, ſanctæ Salzburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi ſtylo ſatis ſuperque ſuppetere vidimus, & hanc ſub ignorantiæ modio linquere dedecus nobis, illi injuriam duximus. Unde omnium extremi, quibus aut proprie Epiſcopus, aut notus tantum convictu, aut meritorum etiam magiſter olim extitit, * paginis patrem reponere aggredimur, non tam ſcientiæ quam dilectionis præſumptione inducti, * ne minimæ res ab aliis obmitterentur, timentes. Charitas omnia non ſperat, de incertis veretur.

* paganus.

* hoc unum ne.

IGITUR Eberhardo patria Norica, clariſſimum genus, pater bene Chriſtianus, cæterum in ſæculi honoribus, mater vero in optimis operibus extitit, quæ eleemoſynis, orationibus, jejuniis pene continuis ſe tranſiens, ciboque, præter legumina raro indulſerat. Ferrea virtus. Cujus bene geſta commendare hoc uno ſufficiat, quæ Eccleſiam in honore ſanctæ Mariæ perpetuæ virginis cum viro in * curte propria ſtatuens, dimidio ferme miliario nudipes ad eam propriis humeris lapides ferre ſolebat. Hujusmodi actis jam nobilitatem illam ſæculi abdicaſſe totam videbatur, niſi quod ſumma ingenuitas in ſervitute Chriſti comprobatur. Trahebat ibi cum pediſſequis ſuis, mulierum utriusque conditionis non parvam turbam ſaxa portantium. Ad imaginem & ſimilitudinem ſuam fecerat cæteras. Ita ſe natura habet, juxta formam majorum, minores ſe gerunt. Cernere erat longius per circuitum unius imitatione, fœmininum genus melioratum. Suum hoc opus fecit matrona. Hinc meruit filium, de quo nunc agitur, digna dignum, qui optimam * pueritiam, ornatus diſciplinis ſcholaribus conſecratur, & in Babenbergenſi Eccleſia liberalibus rudimentis traditur imbuendus, ubi docilis, attentus & benevolus auditor, quantum magiſtræ Philoſophiæ impenditur, tribus ex ea partibus nactis, Phyſica, Ethica, Logica, oſtenditur. Hic itaque ævo tener, in tantum generis ſui nobilitatem morum virtute tranſcendit, ut jam non puer, ſed ſenex, non levis, ut in tali ætate aſſolet, ſed morum gravitate ſapiens diceretur & canus. Et ſi aliquando carnalibus deliciis eſt temptatus, Dei mediante gratia, non eſt abſtractus neque illectus. In his enim artibus, vel ſuis ſpeciebus nulli poſtmodum facile inveniebatur ſecundus Succeſſit deinde fœlix adoleſcentia, ubi Pythagoricæ litteræ proportio à ſtipite indiſcretæ pueritiæ, ceream ætatem, * vel dextro ramo ad beatam vitam convertit, vel levo ramo, qui & declivior, ad terrena & decliva flectit. Hinc quia dignus conſpicitur, Canonicam præbendam in eadem Epiſcopali ſede ſortitur. Ibi vero honeſtiſſimus juvenis in dextro ramo Mariæ optimam partem elegit, & clam Præpoſito, qui Turorum eatenus fuerat, ad Monaſterium S. Michaëlis convolans Monachalem habitum petiit & accepit. Regnum cœlorum * etiam juvenes diripiunt. Major pars ad malum proni ſunt ab adoleſcentia ſua, ſed Eberhardus regno cœlorum vim fecit, & vim paſſus eſt. Quid enim Præpoſitus ageret? Ad nutum ejus campanæ omniſonum diſſonæ conſonant, procedit ipſe per ſemetipſum, cum univerſo choro templi ad Monaſterium, fratrem reddi imperant magis quam rogant, eripiunt magis quam recipiunt. Quia vero chorum Clericalem monaſtice tonſus non decuit, ſumptibus datis, in Franciam cum magiſtro ſuo directus eſt. Ubi in tantum profecit, quod * ſibi ſeniores ſuos ſenſu creſcente ſubegit. O quam fœlix exivit, ſed multo

* civitate.

* provinciam.

* vel, deeſt.

* &c.

* ſibi, deeſt.

Digitized by Google

multo fœlicior rediit, imo & futuræ fœlicitatis ſuæ, ſignum jam reverſus videre meruit, & aliis præmonſtravit. Cum enim quadam die poſt reverſionem parentibus ſuis in domo conſedit, gallina adveniens, ſub veſtimento ipſius ovum magnum poſuit, quaſi quid in ipſo ſperari poſſet populo declarans, exeundo ut aſſolet vociferavit. Craſtina quoque die in conſpectu omnium indumento ipſius ovum, ſed priori groſſius repoſuit, in quo bis facto, quod primo Abbatis, & poſtea Epiſcopi vice fungeretur, ut credi poteſt, ſignificaverit. Veruntamen ſemper monaſticum poſtea in animo affectans ordinem, juxta illud Poëtæ: *Naturam expelles furca, tamen usque recurret.* Animus adoleſcentis cum eſſet natura *optimus, à propoſito disveſci non potuit, donec factus quadragenarius, Epiſcopi ſui Ottonis & fratrum conniventia Monaſterium ſubiit, & directus eſt Spiritus Domini in eum à die illa & deinceps, ut in omni religione fieret noviſſimus primus. Corpus ſuum jejuniis macerat, orationibus protractis invigilat, divinis officiis totus inhiat, non murmurare ſuperfluus, ſed potius cum paupere Chriſto, pauper eſſe deſudat. Appoſita cui imprimeretur forma, erat Abbas ſuus Erbo, quem laudare ſatis, niſi alterum pene Joannem, vel Eliam æſtimando neſcimus.

SÆC. XII. ANNO 1190.

*optimus.

Per idem tempus germanos ſuos ſæculares, genere, ſtatu, rebus æque ſpectabiles, cum quibusdam propinquis unus ſpiritus invaſit, in proprio fundo Monaſterium Monachorum, de ſuis hæreditariis rebus conſtruere. Delegatur in id operis absque mora, Biburgenſis locus Mundiburdo, memorati reverendiſſimi Epiſcopi, quo validius res effectum, effectus firmitatem haberet, deſtinatur eo digniſſimus Eberhardus, tam nolens, ut conſecrationem quinque annis refutaret. Sola enim cogitatio inhæſerat, * genus Monachorum, & Monachorum ordinem † creare, ædificia, Eccleſias, moxque in eremum ſive cœnobium ſemet privatum deponere. Nunquam ſibi ſatisfacit humilitas, nec voto ſatiatur virtus, ſicut & vitium. Poſt quinquennium cum Epiſcopo ſuo Babenbergenſe Romam trahebatur, erat enim cui nihil deerat, quod idoneum, quod clarum ad curiam. Affuit in illo ipſo Comitatu ſereniſſimus Eberhardus tunc Præpoſitus, poſt paulum vero in eadem Babenbergenſi Eccleſia ſucceſſor creatus. Hic Eberhardi noſtri fidiſſimus ſemper & unum par fuerat. Qui diligit juſtum in nomine juſti, non perdet mercedem. Huic pergenti, negotium Biburgenſes de conſecratione Abbatis injungunt magnopere. Pollicetur operam ſuam, nec minus exequitur, donec ipſe per ſe Apoſtolicus Innocentius inveſtivit Abbatem & conſecravit dicens: *Confortare & eſto robuſtus, in omnibus tecum ſum.*

*genus Monachorum &, deeſt. †carere ædificia Eccleſiarum.

Alio tempore cum Romam pergeret, Appenninum montem acceſſit, cujus altiſſimo dorſo arctiſſimo tramite vix tranſitus panditur. Ibi ſub ipſis radicibus mulierculam conſpicatur Martyrem inopia, plusquam Martyrem ægritudine, quæ montem transmittere volens voluntate, & difficultate cruciabatur. Vidit interius Abbas moribundam, fratremque comitantem appellat dicens: *Quid facimus pauperi Chriſto, ne in noviſſimo veniens ſuggillet nos?* At ille idiota, utpote idiota, minus urebatur & dixit: Nihil mulieribus & nobis in tali articulo. Sed enim Philochriſtus rucino ſuo impoſitam innitens ipſe manu retrorſum cauda equi transvexit. Felix qui diligit proximum plusquam ſeipſum. Cumque transduxiſſet onus, pietate adhuc urebatur & dixit fratri. Quid tandem agimus? Miratur ruſticitas & ait: Tempus tacendi pater. Tum ſuſpirans quod ſolum poterat eleemoſyna data afflictam ſibi dimiſit.

Jam tunc multorum bonorum præconio futurum ſe audiebat Epiſcopum, quod in uno probatum iri ſat erit. Præfuit in vicino Abbas nomine Eppo, cujus vita magna, probitas major, familiaritas maxima cum patre noſtro pollebat. Hunc invenit Deus, cui de ſchiſmate futuro poſt multos annos contra Papam Alexandrum prædiceret, quamque firma anchora ſolius tunc Eberhardi ex omnibus Alemanniæ Epiſcopis ſtaret. Ad horum formam vidit per ſomnium prædictus Abbas. Et ecce vidua quædam. Vidua videbatur: & viduam Rex quidam impugnabat, & qui viduam adjuvaret non erat, niſi de Juvavo Monachus quidam. Hic Eberhardus videbatur. Hic obſtare ſolus pro vidua videbatur. Lucta hæc luctæ imago * utrumque fervebat, donec mutatus eſt, & in calibem mutatus eſt Monachus. Proportionaliter ferrum duritiam, duritia invincibilem ſignabat. Furebat autem non minus in illum, quam in viduam Rex, donec & ipſe in canem verſus apparuit. Qui habet aures audiendi audiat argumentum à ſimili: Quod intelligens qui viderat, retulit in auribus Abbatis & dixit: In veritate Juvavo præſidebis, & erit tempus quo ſolus Eccleſiaſticis Alpinam ſuſtentes. Sufficit tempori illi malitia ſua.

*utrimque.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

Inter hæc ille parvus erat in oculis ſuis, & extra carnem in carne apparebat. Cernere erat carnalibus & ſpiritalibus, novellum locum mirabiliter ſurgere, de nobilibus ac mediocribus, fratrum, ſororum, Monachorum, quibus nihil deeſſet in ulla gratia & probitate ſubitum examen fervere. Quid de converſationis altitudine dicam? De Abbatis dignitate hæc omnia veniebant. Hic charitate, prudentia, diſcretione, miſericordia, omnibusque virtutum charismatibus cunctis admirationi, ſed amori, ſed timori, ſed exemplo extabat. * Timebatur, ſed filiali timore, de ſervili metu nihil ſciebatur. Laboribus deliciabatur non requie, intelligens jam illud Philoſophi: Generoſos animos labor nutrit. Per ſe pauperum frequentius domum viſitare nil præpediebatur. Illic inopum, maxime languentium, lavare capita & pectere in in ſinu ſuo, pedes etiam abluere, ac deoſculari, cibum ipſe potumque ad os mandare ſolebat. Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti ſcit, quod non mentior quæcunque ſcribo. Quinimo plura tranſiliens indicendo & tacendo brevitati contendo. Dicam quod vidi, quod multorum atteſtatione, quod proprio experimento cognovi. Prædicationis efficacia mira nimis aderat, cunctis auditoribus commotionem ſemper cordis quamplurimis etiam fletum excutere, melius fabuloſo Orpheo, qui modulationis dulcedine, ſaxa, ſylvas & feras attraxit, manes quoque inferni, mirum dictu, in lachrymas movit.

* *Detinebatur.*

Hoſpitalitatem namque ſectabatur, quantum oſtendit in milite, qui in cellam divertens, potum Domino ſuo tranſeunti cum poſtulaſſet Monacho cuſtode hoſpitum, magis Dominum interius vocante receſſit. Comperta culpa Abbatis Monachum peditem vini ſcyphum Ratiſponam ferre petitori præcepit. Quid ageret Monachus? Grandævus erat, & nudiuſtertiano die venam minutus. Fratrem ergo comitem petiit pro teſtimonio, ſi forte in via deficeret. Quo dato vinum per tres leucas Scholaſtico Friſingenſi miranti & lugenti, quod propter ſe accidit, jejunus Imbripolim detulit. Quis non obſtupeſceret miraculum in tertiana minutione? Plane obedientia ſignum feciſſe viſa eſt, & omnes qui audierunt ſimile illi plaudebant gentili: Quære quid eſt virtus, & poſce exemplar honeſti. Et vocaverunt magiſtri in urbe potum illum, potum obedientiæ. Nemo autem hæc audiens crudeliorem æſtimet, quam miſericordiorem, nam miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus, utpote qui jam labores, neceſſitates, frigora, famem, vigilias, magis experientia noverat. Quæ experientia in omnibus quoque rectoribus ad omnia maxime conduceret, nam bella qui nunquam pugnaverunt, patientiam qui pauca tulerunt, infœlicitatem fœlices, quieti labores, docere cum debent, parva res agitur. Igitur ad ſummam magiſterii exempla ſagittæ experientia ars eſt, juxta illud Didonis apud Maronem: *Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.* Hinc prædictum exemplum patris in milite, potius de miſericordia fuit. Alias implebat, quod ait Chryſoſtomus: *Vis apparere ſanctus, circa tuam vitam eſto auſterus, circa aliorum autem benignus.* Hinc quod etiam ipſe ſcribens admiror, non loci ſui novitatem conſiderabat, non antiqua & ditiora Monaſteria, quid poſſent, quid non facerent, ſed frumenta fratrum, ad meſſem usque computari præcipiens, reliquam menſuram, pauperioribus Monaſteriis in vicino ſolebat transmittere. Ita in omnibus aliis, ne quid nimis, evitans, paupertatem nimis amabat, adeo ut cogente ſancto Epiſcopo Ottone, decimas novalium in * Tangintile, multas valde, * ad neceſſaria fratrum nullatenus ſuſciperet. Quare hæc? Ubi onus penuriæ, quanti vel quales victuri ſunt? Bona ergo ſufficientia propter plures ſalvandos. Si quo minus, teſte Hieronymo, ſicut divitiæ ita paupertas ſæpe tentatio eſt, impatientiam aut ſolitudinem faciens. Hæc generaliter dicta ſunt.

* *Taagrintile. al. Tangutile.*
* *ac.*

POST XIV. annos, cum placuiſſet Deo dicere: *Amice aſcende ſuperius.* Chunrado Salzburgenſi Archiepiſcopo incomparabili de medio facto, unanimitate Prælatorum, Clericorumque cum populo, circa paſchalem ſolemnitatem, Biburgenſis Abbas matrici Eccleſiæ * aſcitur Epiſcopus. Specialis felicitas Juvavenſis matris, quod talibus nunquam viduatur Epiſcopis. Requiratur longe ſupra noſtram ætatem, & præſtantes ſuo tempore, omnibus Germaniarum Epiſcopis in Juvavo, ut ſoles Epiſcoporum videbis. De motu Biburgenſium dicere non poſſum. Non erat quem non mulceret honor oblatus, quin territus nuncio, fugere & latere velle, ut non eſſet Dominus, * cœpit. Sed hæc fruſtra tentata, cum venientibus primis Eccleſiæ invenitur, transfertur, ungitur, * exoſa † cornua, metropolitam frontem inſignitur. Quanto tunc magnus, humiliabat ſe in omnibus. Vigiliis, orationibus, abſtinentiæ operam dabat, ſcripturæ ſanctæ, præter in menſa & in equo, non diebus neque noctibus & oculis * migrabant & manibus. Fregit eſurienti panem ſuum, & egenos vagosque induxit in domum ſuam, nudos quos vidit operuit & carnem ſuam non deſpexit. Pupillos

* *aſtat.*
* *cœperit.*
* *pretioſa.*
† *forte corona.*
* *migrabas, & manibus fregit.*

Digitized by Google

pillos enim, ut pater aluit, & viduas de tribulatione eripuit, attendens illud Apoſtoli: *Hæc eſt religio munda, & immaculata apud Deum, viſitare pupillos & viduas in tribulationibus eorum.* SÆC. XII. ANNO 1190.

Pro iſtis & his ſimilibus, ſtabilita ſunt bona illius * Domino, & eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia ſanctorum. Contra morem Phariſæorum omnia opera ſua facere ſtudebat, ne videretur ab hominibus. Perhibebant enim ſervientes ejus, poſtea Monachi facti, ſecretas venias, in Eccleſia, nudis cruribus eô terere ſolitum, ut defricata in pavimento cute & carne genua, ſanguine invenirent fluentia. Ita eis, cum præ laſſitudine interdum obdormiſſet, ſors prodidit. Eleemoſynarum largitati, virtutes omnes ceſſerunt. Secundum Matthæum, ſermo ejus erat quaſi poteſtatem habentis ſuper ægros, vel etiam dæmones, ita ut verbum faciens in Eccleſia, cum ejulatus dæmoniacorum omnia repleret, terreret, confunderet, uno tantum indignationis dicto, ſtatim vocem eis inſuper motum quoque omnem ibi auferret.

* *in Domino, & eleemoſyna illius, deeſt.*

Hæc fuit noſtro Antiſtiti communis cum beatiſſimo Papa Eugenio virtus, in cujus moveri præſentia, vel ſe inſinuare præſentia non audebant dæmonia. Non minus obedire ægritudines aliquando auctoritati Præſulis & abire noverunt. Denique apud Monaſterium S. Petri, quandam ſororum diutina ægritudo confecerat, ita ut curari à nullo valeret. Hanc in conſpectu ſuo cum multa ſpe & deſiderio oblata, in nomine Domini benedixit, & recedenti ex templo perfecta incolumitas rediit. Quæ poſt aliquod tempus denuo venienti ovanter ſe repræſentans, cum gratias agere pro ſanitate cœpiſſet, ad primam vocem refutata & lingua oppreſſa eſt.

PROFECTO, cum aſſerit beatus Gregorius, Prælatos à ſubditis, ſubditos à Prælatis juvari vel lædi, fœlices manere diſcipulos hujus quondam Abbatis, manifeſtatum aliquando eſt. Adeo patris merita redundarunt in filios, ut morientes interdum ſui ſalvarentur, quoniam ſui * fecerunt, quod in uno monſtrari operæ pretium eſt.

* *forte: fuerunt.*

Cum adhuc Monaſterio præeſſet, grandævus quidam, quaſi annorum centum, cum uxore & ſubſtantia non minima, apud eum converſatus cappam induit, quæque retro ſunt obliviſcens, jam nil pene præter Eccleſiam & orationes continuas noverat. Mirareris * unde decrepito ea alacritas in ſtudio, ad ſtudium ſenſus. Taliter ſub pio Eberhardo & ſucceſſore ejus circiter annos duodecim converſatus, menſe Januario ad matutinum ſignum, in ſtratu repertus eſt mortuus. Odioſum genus mortis, anceps, lubricum, attamen non poteſt male mori qui bene vixit. Ipſa enim nocte & hora tranſitus prædicti fratris, vidit per ſomnium quidam confratrum, dæmones grege * facto, cellam infirmorum ſuo more petentes, & aliis ad fores operientibus, aliis intro ad ſuſcipiendam animam ſenis irruentibus. Poſt paululum ad collegas egreſſi, horrendum elatrantes concrepabant: Ah dolor virum amiſimus: frater Eberhardi Epiſcopi erat. Tum infœlix acies ejulans & blaſphemans diſparuit. Quid ni ergo fœlices Eberhardi, Benedicti, Antonii diſcipuli!

* *unum.*

* *facto, deeſt.*

PROCEDENTE tempore juxta dictum gentilis: Omnia mala ex rebus bonis orta ſunt, cum ortum de Apoſtolici electione ſchiſma ineffabile ex bono malum fecit, divina & humana confudit. Væ quos involvit illud contagium. Ubi unctus legitimus? Ecce hic, ecce illic. Novit Petrus qui ſint ejus. Imperator refutato Alexandro, quem conjuraſſe prius contra ſuam rempublicam querebatur, alii æmulo totis viribus cum adhæreret, ex majori parte Italiam poſt * ſe, & Alemanniam traxit, reliqua Eccleſia in obedientiam Papæ Alexandri conceſſit. Fuerunt quamplurimi aliquot annis neutrum ſuſcipientes, tum odio partium, tum quod neuter ſincere per omnia, & ſimpliciter intraſſe videretur. Inter hæc erat videre triſte, juſtitiam & miſeriam late ſimulari, intrudi, expelli, nec pacem nec bellum ex jure, & Apoſtolicus noſter interim fuit quaſi non eſſet. Atqui Juvavenſem & Brixinenſem Epiſcopos cunctorum mortalium, quos tunc novimus, ſanctiſſimos nemo cum neſciat, in tanta partium caligine quæſtione & conqueſtione, in tanta omnium dubitatione, tantorum veſtigia Patrum, tuto ſequi nos poſſe credidimus.

* *ſe, deeſt.*

Poſt longam nempe conſiderationem metropolites noſter, ſolus ex omnibus Epiſcopis Alemanniæ, præfatum Brixinenſem Epiſcopum Hartmannum reverendiſſimum, poſt ſe trahens, Papam Alexandrum laudavit. Unde nobis poſtmodum inter multos audientibus, aliam rationem non dedit, niſi quoniam tota Eccleſia cum his & his regnis in Alexandrum conſenſit, juſtiorem hunc æſtimamus. Quod quaſi præſagiis futurorum direxit, exitus poſt multos annos probavit. Sic Auguſti tunc ſolus fata impediens, non tamen Auguſti in ſe manus commovit. Quam diverſe, quantis adverſis prædeceſſo-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

ceſſores ſui rem tantam in Cæſares Heinricos præſumpſerant? Et ecce plus Heinricis hic. Furebat bilem, & nunc in noſtrum Eberhardum Auguſtus, & ſuam ipſius animam pertranſivit gladius, ſed ubi in præſentiam veniſſet, reverentia ſanctitatis ejus ſpiritum reprimebat. Dignitas quædam Angelica in vultu, & pondus tale oculos ac mentem obibant, ut niſi timere plusquam mortalem, & contremere & parcere, & venerari non poſſet. Hæc de ſemetipſo confiteri Princeps ſolebat. Oderat nimis ſemper ſanctiſſima anima proſperitatem ſuam temporalem & gloriam, ardebatque prædicta, vel qualibet occaſione, quælibet adverſa, ſive exilii, ſive etiam mortis ſuſtinere pro Domino, ſed ſic eum volebat manere donec veniret.

INTEREA more ſuo pacem reficere in Ratiſpona laborabat populoſiſſima urbe, neque enim apud Germanos populoſiorem urbem tametſi latiorem, teſtantur qui norunt. Dux autem Bavariæ, perſpecta ſimplicitate Imbripolenſis Epiſcopi, qui per ſubreptionem tunc præfuit, inſatiabili avaritia, maximum fiſcum Epiſcopii, id eſt, caſtrum quoddam cum omnibus pertinentiis ſuis uſurpavit. Epiſcopus primo furere, obſtrepere, cœlum turbare, nil penſi habere, ab utroque totus pene Epiſcopatus cœpit incendiis & rapinis vaſtari. Urbani inter alterutros diviſi abierant. Hæc pater patriæ anxius cum animo ſuo trahens, tum pro pace, tum maxime pro urbe, ne læderetur ſatagebat, quomodo quidem hæc mater provinciæ, & aſpectus ejus in univerſam terram, & omnium fructus foret in ea. Dux obedientiam promittebat in omnibus, Epiſcopi ſtultitiam piget exponere, quomodo damnum maximum & confuſionem quam utilitatem maluerit. Pater * cum à Duce vitam captivis, remiſſionem urbi, memoriam æternam labori ſuo obtinuit, poſtmodum divinæ revelationis gratia, obitum ſuum longe ante præſcivit, ſicut ſubjecta declarant.

* tamen.

In Friſienſi civitate mulier degebat incluſa, quæ ante annum tranſitus Epiſcopi, orationibus ſolito cum incumberet, rapta in ſpiritu, ad contemplanda illa æterna & inviſibilia viventibus mortalibus, eſt. Vidit itaque ſupplicia reproborum, varia & horrenda, quæ in cor hominis aſcendere non poſſunt. Vidit deinde manſiones beatorum & gaudia, quæ impoſſibile eſt homini loqui. Super hæc omnia contemplabatur apud ſuperos glorioſam ſedem, cujus opus & ſpecies omni famine mirabiliora, ſedique hujusmodi ſanctum Petrum & ſanctum Rudbertum altrinſecus ſuperſtantes cuſtodes. Cum miraretur ſuper magnitudine horum, reſponſum à ſanctis illis audivit:

Hæc eſt ſedes Eberhardi Archiepiſcopi, quam ad ejus usque cuſtodimus adventum: Prope eſt ut veniat tempus ejus, & dies ejus non elongabuntur. Hæc mulier per familiarem nuncium mandat, & usque ad mortem Pontificis in ore trium res latet.

APPROPINQUANTE igitur vocationis ſuæ tempore, cum jam pridem viribus corporis cœpiſſet deſtitui, de pace itidem negotium habuit, bonam hanc virtutum ſuarum conſummationem exiſtimans, ſi pacem Eccleſiæ redditam reliquiſſet. Diſſidebant more ſuo dum inter ſe Dux Orientalis Bavariæ, necnon & frater ſuus valde excellentiſſimus, tunc Patavienſis Præſul, mox autem Eberhardi noſtri ſucceſſor Juvavum translatus (*a*) Metropolim. Conſulto, ni fallimur, hanc translationem, arbiter ille temporum Deus indulſit: ita ut congruum magis & dignum, in quo ſolo tota procella temporis conſumeretur, finis docuerit. Hinc concordare fratrem, in viſu beatus Præſul non leviter, utpote in mortis vicinia, laborabat. Quid frater? Quam infraterne quam procul à conſtituto colloquio aberat. Sed adhuc longius ſequens Dominus homini ſuo deferebat, * unde humiliter ſubmonitus à ſuis, cum magna dulcedine allegabat dicens: Scio chariſſimi, qui de cœlo deſcendit ad terras. Quid nos? Et adhæc quis idoneus? Adjiciensque ajebat ſuis: Fateor, ſpem in hoc maximam habeo, ſi mori in negotio pacis, vel ante capere tanti boni ſalutem initium quivero. Beati enim pacifici. Et quid ſequitur? Quoniam filii Dei vocabuntur. Deſiderium vero ſuum, juſto dato, juxta Salomonem, eſt inter pacis actiones, ad æternam eſt pacem translatus. Unde omnium puncto notatus eſt Martino ſimilis, pro eo vel maxime quod caſtrum Epiſcopii vir clariſſimus Otacher Marchio eadem tempeſtate obſederat, miniſterialem Eccleſiæ Præfectum oppido perſequens. Aliena res. Quam diutinum

* unum.

(*a*) Illæ tamen Tranſlationes Pontifici Romano non arridebant, eaque de de cauſa Eberardum acriter increpavit Eugenius cum cæteris Germaniæ Epiſcopis, qui ut Imperatori Friderico placerent, Guicmannum Cicencem Epiſcopum Juvenem, ad Magdeburgenſem Eccleſiam promoveri conſenſerant. Habentur Eugenii Epiſtolæ apud Ottonem Friſingenſem, qui fuit frater Cunradi. BASN.

Digitized by Google

utinum Ecclesiæ, vel etiam perpetuum, capto oppido, malum veniret, tragœdia in ore omnium erat. Vix opus compulit advenire Antistitem, sine operæ pretio, triste res agitur, cum demum confirmatus pater proloquitur: Jam ecce in castrum meum ascendam, quis obstet videbo? Occupat sereniſſimus Marchio, necessarios consulit, obsidionem sine * ulla pactione solvit, dignum honorem cedit Episcopo. Reddidit hæc pater, ut ministerialem conditionibus satisfacere tandem persuaderet: Erantque hæc opera ejus noviſſima, cum jam morbo decurrens migraretur, quatuor equis * intrahere faciebat. Faciebat autem hæc ac si jam moriens palam omnibus diceret: Pacem relinquo vobis. Perducitur * inter hæc ad Runense Monasterium, ubi synodocho, ut cœperat, aliquandiu laborans, post tertium diem, sudore exundato, magis defecit.

SÆC. XII. ANNO 1190.

* *omnia pa-ratione.*

* *in trahea. Faciebat aut hac aut se.*

* *in hac.*

Hinc paululum sustinens ait: Modo auditum amisi. Quo sensu, scilicet auditus, ut ita dicam, supra naturam hominis semper viguerat, sic, ut procul susurrantes audiret & proderet.

Sequenti die Dominica ad vesperam, vocante Domino X. Cal. Julii, naturæ concessit, anno Episcopatus sui decimo octavo, mense secundo. Anno ab incarnatione Domini M. CLXIV. ab ordinatione Papæ Alexandri, VI. & Imperatoris Friderici XIII. Mors ejus pro tempore lamentabilior fuit. Languebat mater Ecclesia in omnibus Membris, & cum hic caput totius extaret imperii, sanctitate & gloria sanum caput interim infirma * juvabat. Quæ spes temporis? Quæ spes futuri? Melius est habere quod cupias, quam desiderare quod nescias. Quid plura? Transferebatur defunctus longo & aspero itinere ad matricem Ecclesiam, & exequias mire pauperes celebrabant, genus illud Deo propinquum. Quid de cæteris dicam? Istud novum, hunc beatum gementes dixerimus coiisse leprosos & planctu oblationibus, eleemosynis, orationibus suprema justa ei feciſſe. Rarum genus. Inopes in cœlum reboabant: Patrem amisimus: O perniciem nostram. Ipsi potentes alius Dominum, pars amicum vel patrem se amisisse dolebant exemplo præcellentiſſimi, & nostris temporibus eruditiſſimi.

* *curabat.*

Babenbergensis Ecclesiæ qualiscunque minister: Venerabilibus & in Christo plurimum dilectis fratribus & amicis Hugoni Salzburgensi, Udalrico Kumsensi Præpositis. Coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. In commemoratione beatiſſimi Patris nostri ac Domini Archiepiscopi jugiter in mentem venit, imo à memoria nostra non recedit, quod diviso à se Domino suo & curru igneo subvecto, vernaculus, & individuus ille comes Prophetæ post eum clamavit dicens: Pater mi, pater mi, currus ille Israël, & auriga ejus. Nunquid enim magnus iste Sacedos noster, qui in diebus suis placuit Deo, & inventus est justus, currus non fuit, dum necessitates & infirmitates alienas, præsertim onera peccatorum & inopiam pauperum, paterna consolatione & compassione sublevavit. Quasi diceret: Quis infirmatur & ego non infirmor? Vel nunquid auriga non fuit, qui creditos sibi rexit & direxit in viam veritatis, exemplis pariter & documentis? Oculus fuit cæco, & pes claudo. Manus ejus non aversa ab ullo paupere, cum quo cordi erat jocari, conrixari, & tandem ab invalida manu exsuperari. Insuper ut omnibus omnia fieret, etiam supra legem, non contra legem, halitum leprosi & tactum lepræ non abhorruit. Raptus ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Sed consummatus in brevi explevit tempora multa. Equidem sicut scriptum est, malitia remanentium meretur, ut hi qui prodesse poterant, festine subtrahantur. Atqui memorabilis ille assecla Prophetæ, magnificam duplicis spiritus habuit consolationem, nobis autem in transitu viri sanctiſſimi, præter luctum nihil aliud & amplius derelictum est, nisi forte digni essemus apud Deum, tanto sublevari patrocinio. Talis decebat ut nobis esset Pontifex, cui vivere & mori Christus erat lucrum. Propositum quidem nobis erat festinandum eum videre, sed, proh dolor, peccatis nostris exigentibus extremum hoc beneficium percipiendæ ab eo benedictionis, nobis divinitus denegatum esse lamentabiliter & inconsolabiliter conquerimur, *& infra*: consolemur invicem, pater noster piiſſimus intravit in gaudium Domini sui. Ipse autem pater misericordiarum, & Deus totius consolationis consoletur vos, & absterget omnem lachrymam ab oculis vestris. Hæc sereniſſimus Babenbergensis Episcopus. Sed redeamus ad propria: Sepulti enim merita Dominus declarare non distulit.

Epistola Babergensis Episcopi.

MULIER hydropica, quam suo more beatus vivens aluerat, ad sepulchrum defuncti, tanto afflictior, quanto coactior, fusa cœlos vexare lamentis non desiit. Ut quid me pater, ait, desolatam relinquis? Aut cui amantiſſimum gregem paupe-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190. rum commiſiſti pater & paſtor? An potius quaſi orphanos dereliquiſti? Et dixiſti: quod moritur, & quod ſuccidítur ſuccidatur? Sed nunc peto per illum qui te aſſumpſit, ut miſeriis meis, quomodo hactenus corpore, ita modo per ſpiritum digneris ſuccurrere. Hæc deprecata & exaudita, ſanata egreſſa eſt.

PRÆTEREA reverendi cujusdam de cœnobio Juvavenſi memoratu digna viſio exiſtimata eſt.

Videbatur hic ſibi per ſomnium, dum ſiti urenti circumageretur, Eccleſiam miri decoris errabundus intrare. Illic beatam Dei genitricem Mariam, vultu, ut eſt, digniſſimo eminus conſediſſe, & velut puerum in gremio, charis amplexibus, conſpicatur tenentem. Agnovit Dominam, de pueri perſona & gloria, hæſitans erat atque admirans. Cui mater miſericordiæ paucis dignata eſt hæc ad verbum proferre: Hic eſt filius meus Eberhardus, qui nihil mihi unquam negavit. Hujus rei tot teſtes, quot decuriones Antiſtitis ſunt. Omni petenti tribuere ſolebat, quod ſanctæ Mariæ nomine petitum fuiſſet. Ecce qualis mater, talis filius, ſibi fieri, quæ propter ſe fieri teſtantur. Poſt hæc videbam ſeniorem, & pincerna calicem myſticum poculum geniminis cœleſtis propinans ingrediebatur. Libavit regina, deinde puer, qui videbatur puer, Domina præbente, ut vino indulſit, ultimus ſenior, dum ad ſe ventum fallitur propere ſubiens ut acciperet, Dei genitricis audivit ſententiam: Non potes adhuc interim de tali poculo accipere. Videtis quam diſtricta vox. Beatiores ergo mortui, qui in Domino moriuntur. Poſt id locorum excitus ſomno ſenior tam ipſe, quam omnes qui audierunt congratulari viſioni cœperunt.

Plura memorare hujusmodi copia non deerat, ſed commendationi Patris noſtri, pauca hæc, pauca non erunt. Breviloquium ſemper amavimus & modum in rebus. Si cui ad notitiam ſaltem beatiſſimi Domini noſtri hæc ſuavia erunt, hoc eſt totum pro quo laboravimus. Si quis exſufflat, fortaſſe illi, aut omnia ſcripturarum inſuavia erunt, aut ſcriptoris indignitas acceptione hic caruit. Atqui, ſicut ſcriptum eſt, cognationem inter ſe maximam habent amor & poteſtas. Utraque enim principaliter præſunt, utraque per auctoritatem ſemper loquuntur. Non poteſtate igitur, verum amore peculiari, cum venia potentium, iſtud ſcribendi miniſterium, forſitan merito, utpote ex diſcipulis ejus antiquis, chariſſimi & infimi, vendicaverimus. Quid plura? Reſtat ſuſpirare poſt tantum cœlitem, & convictores ſuper eum jam minus velle hanc vitam. Hi nempe vel ſola ejus forma ſciunt, quid ſit bonum & cœlum & virtus & in terra * ambulantes converſari in cœlis, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens & regnans per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

*ambulans.

DE MIRACULIS QUÆ OPERATUS EST POST MORTEM SUAM.

POST obitum igitur Deo dilecti Antiſtitis Eberhardi, tot miraculorum Chriſti Eccleſia clarere cœpit inſignibus, quot ſanctus adhuc vivens virtutum abundabat operibus. Et qui mundo tunc latere diſpoſuit, ſignis quæ jam per ipſum fiunt, approbatur quis fuerit. Qui enim tunc dixit cum Iſaia: Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi, niſi ne elatione tentaretur, quæſivit latibulum, ad Angelorum ecce & hominum deductus eſt commune ſpectaculum. Quod etiam in occulto mentis ſecretario factum eſt, jam ſupra tectum prædicatum eſt. Nihil opertum quod non reveletur, & occultum quod non ſciatur. Qui enim tunc abſcondit eleemoſynam in ſinu pauperis, nunc per ipſam habetur excuſatus in conſpectu ſummi judicis. Decebat ideo, ut quem honore ditavit in cœlis, ſignorum vel magis beneficiorum claritate Dominus magnificaret

Digitized by Google

caret in terris. Quænam vivens fecerit, nonne hæc ſcripta ſunt in notitia ſingulorum? Niſi tamen præteritorum ſcriptura commemoraret, non eſt in futuro, qui Deum in ſanctis ſuis glorificet. Unde eſt illud: Cito fecerunt & obliti ſunt. Quæ enim ſcripſerunt ſcimus, & quæ prætermiſerunt neſcimus. Non equidem legimus in tota veteris Teſtamenti ſerie, quis fuerit ille Zacharias, qui occiſus eſt inter templum & altare. Si ſciretur quis eſſet, DEUM in ipſo plebs glorificaret. Neceſſarium ergo eſt, ut ab initio propoſitiones loquamur, quanta audivimus & cognovimus ea, & fideles narraverunt nobis. Signis quidem fides populi fundatur. Unde eſt illud: Signa noſtra non vidimus, jam non eſt Propheta, & nos non cognoſcet amplius. Ut ergo ſciant omnes, quod beatus Eberhardus cum Chriſto regnat, beneficio Dominus declarat in mortuo, in quo * ſibi complacuit adhuc vivo. Igitur ô lector, quia in ore duorum vel trium ſtat omne verbum, ſi humanum negaveritis teſtimonium, miraculis ſaltem quæ fiunt, fidelem præbeas aſſenſum. Probant quidem ſanctum miracula, & populo ſanctitatem ejus revelant Domini beneficia. Inprimis enim manifeſtavit eum Dominus ſic: SÆC. XII. ANNO 1190. *ſic.

HOMO quidam diabolo inſtigante Eccleſiæ majoris feras temerario furore irrupit, & deteſtabilem furtum in ea commiſſurus intravit, & ſcrinium cujusdam Canonici ſecuri violenter confregit, ex qua duas caſulas cum reliquis Sacerdotalibus cæterisque bonis ſurripuit, ſaccoque delaturus impoſuit, ſed exiturus virum ætate canum, veſte candida circum amictum ſibi cominus aſſiſtere conſpexit. Unde quidem non mediocriter territus, ſed nequitiam ſuam necdum perſolvere veritus, cum onere proceſſit in medium, ſed prope ſepulchrum beati Eberhardi duobus paſſibus diſtans immobilem fixit ſtatum. Sanctus enim, ut creditur, qui Eccleſiaſtica protexit vivus, jam cum Chriſto melius valens, Eccleſiæ damna non paſſus eſt mortuus. Tam diu igitur nutu Dei ſtetit inconcuſſus, donec à populo cum ſarcina captus, rem geſtam publice profiteretur confuſus.

Accidit autem, ut quidam puer de Matſee/ nutu divinæ prædeſtinationis à nativitate cæcus, ad limina B. Rudberti deferretur, ſed S. Eberhardi tumbæ ſuperpoſitus, prece omnium qui aderant, oculorum perfuſus eſt luce.

Puella quoque quædam de Gruſcharn/ duodennis, ſurdum & mutum habens ſpiritum, beati viri ſepulchro advolvitur, ſed fidelium interpellatione, auditu ſimul & voce reparatur.

Item miles quidam Domini Archiepiſcopi nomine Rudigerus, filiam habens paralyſi uno brachio deſtitutam imo præmortuam, pro ejus ſanitate mater ſæpe fruſtrabatur in medicis, ſed ecce ad melius converſa, beati Pontificis gratiam experitur & dona. Chriſtum compuncta petit & ſanctum, luminare parans metitur ut brachium, tumbæ ſancti præponit ut ardeat, domumque reverſa ſoſpitam filiam invenit, Deumque in ſancto ſuo glorificat. Mirum in modum mulier in templo, ſanctus in domo, illa accendit candelam, iſte ſanat filiam, cera liquendo decreſcit, ſed virgo meliorans invaleſcit.

Similiter & quædam ſanctimonialis fœmina, ex calculorum longa ægritudine fere conſumpta, ante ſepulchrum ſancti viri proſtrata compungitur, & dum pie ſupplicat, meritis ſancti calculus dilabitur, & ipſa ſanitate percepta gratulatur. Dignum quippe erat, ut qui duros hominum actus emollivit ut ſaxa, ſic quoque in proſperum ſupplex ipſe, ſupplicum commutaret adverſa.

In cœna quoque, quædam dæmoniaca jam diu obſeſſa adducitur, ſupra quam cum exorciſmus legeretur, ſpiritus nequam, qui inerat, variis linguis fabulatur. Dum vero fit illi comminatio à Clero per beatum Virgilium, dæmon Clerum ſubſannat, & ſe Virgilium magiſtrum ſuum jam tertia die in inferno reliquiſſe clamat. Quæritur ergo, Quis vel cujas ille Virgilius ſit? At ille Mantuanum Poëtam fuiſſe reſpondit. Tunc interrogatur, ubi vel per quem ſit exiturus? dixit: Quod cum ad patrem pauperum venerit, jam amplius illi remanendi locus non ſit. Tunc ſummo diluculo cum antiphona: *Traditor autem, &c.* diceretur, ſub ſpecie veſpertilionis egredi viſus eſt. O miræ virtutis, vel potius piæ paternitatis indicium, die qua ſeipſum panem ſalutarem diſcipulis propoſuit, tunc beatus Eberhardus mortem effugans, vitam condonat ovibus ſuis. Sed ex dæmonis fœtore, Archiepiſcopus noſter ſimul cum Ratiſponenſi Epiſcopo, de ſede ſua repulſi ſunt.

Non diu * poſt, hic quidam miles, de nemore S. Leonhardi, uxorem ſuam ſepulchro pii Patris applicuit, quam nutu Dei & ſancti meritis, licet diu contractam, cito erectam lætus obtinuit. *Poſt hat quidam.

Simili

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

Simili quoque modo mulier quædam de Stratzpraſen humorum ariditate ſeu nervorum contractione, manuum officio deſtituta, invocato nomine ſancti, priſtinam ſanitatem eſt adepta.

Subſequenti tempore, puella quædam de Nivenburg/ Marchionatu, cæca, patre comitante advenit, ſed ſancti ſepulchro advoluta, aſtantium ſupplicatione, viſum fœlix obtinuit.

Item fœmina quædam de Engelbrehezheim/ pluribus annis obſeſſa, à devotis fidelibus monumento Præſulis adjungitur, & ipſe mutus, ſanctum confitetur corde, quem non potuit ore, ſed virtute ſancti inſtruitur, quid loquatur & voce.

Miles quidam calculoſus, diu languens & pallidus, tamen nomine Patris invocato, ſic calculum digerit, quod nullam moleſtiam amplius ſenſit.

Similiter & mulier de Nienſee/ arrepticia adducitur, ſed meritis ſupradicti Pontificis, de poteſtate dæmonis celeriter emancipatur.

Poſthæc paucis menſibus decurſis, in præſentia Archiepiſcopi Chunradi III. Brixienſis Epiſcopi, Marchio minor Dietboldus de Vochburg/ ſancti Eberhardi aliquando nutricius, mulierem per decem & octo annos energumenam adduxit, & pro ipſa tota nocte vigilans, quam ſanandam in ſancti ſui glorificatione usque adhuc diſtulit, à Domino ſuo curatam obtinuit.

Mulier quædam de Mulldorff/ à ſpiritu nequam vexata, adducta eſt, ſed ſanitatis gratiam quam quæſivit, fidelium prece, ab ipſo Patre citius nacta eſt.

AUDITA igitur fama miraculorum beati Eberhardi, cæterorumque Juvavenſium ſanctorum, velut ex vehementi tonitruo, ab incredulitatis ſomno citius velut excitatur charitate tepentium multitudo. A remotis accedunt provinciis, & ab alienis adveniunt regnis, miraculorum ſurgunt fulgura, hic Juvavum quærere, quod fides non obtinuit apud ſe. Inter illos videlicet quædam mulier venit de Wurtzburg/ luminis cauſa, cæca petit merita pii Patris * experiri. Dum ergo Juvavum jam diutius moratur, ſalutis cupida, tandem ex improbitate pietatis, ei aperitur janua triplicis fidei. Percepit alimenta, ſic paſcitur per fidem, quod corporis & animæ recepit ſanitatem, mirum in modum oculis carnis experitur ut videat, & oculis cordis experitur, quod credat. Dixit quidem, vidi eum in carne manentem, ſed nunc experiar in cœlo regnantis virtutem. Fœliciter experta eſt, quia quod petiit adepta eſt. Acceſſit enim ducta per alterum, ſed ecce regreditur ſibi præmonſtrans iter ſuum, & quæ acceſſit contriſtans, læta revertitur Deum in ſanctis ſuis glorificans.

* *expedire.*

Poſthæc non diu, duo venerunt milites ducentes contractum per ſingula, cupientes experiri ſi vera eſſet virtus beati Eberhardi, ut fama erat. Æger itaque ille jam pridem miles & prædo nequiſſimus, & ex inceſtu cum uxore ſcilicet fratris ſui fornicando, per prædictum Antiſtitem erat excommunicatus. Cum ergo usque poſt mortem ita perſeveraret impœnitens, qui potuit pœnitere voluntarius & non fecit, infirmitate pœnitere coactus eſt nolens. Corpus quidem ſuum usquequaque contrahitur, & velut ex lepra ſicca quadam ſcabie ſordidatur. Audita igitur pii Patris virtute, acceſſit confiteri mortuo fide tactus ut placeat, cui noluit vivo. Cum ecce jam tumbæ appoſitus, devotionis offert pretium, at ſanctus ſolvit peccati vinculum, & contractum erigens reddidit ſanum. Vox ecce populi in laude ſuſtollitur, Chriſtus in ſancto, & ſanctus in Chriſto benedicitur, qui ægrè peccanti tam mirifice propitiatur. Socii vero ſui, ſanato applaudunt, ſed ab ejus menſa, quia adhuc livida ſcabie maculoſo ſe ſubtrahunt, ipſa tamen memoriam ſancti Eberhardi celebrando commendare non ſinunt. At ille infœliciter inquit: Mallem ut primo contrahi, quam ſic à vobis erectus deſpici, quoniam ſi plene ſanaſſet applauderem, ſed jam deſpectus doleo propter hanc erectionem. O quam terribile, inquam, dictu, in craſtino mentum contrahitur usque ad genu, ut qui ſanari doluit, jam ſolito infirmior ſit. O mira paſtoris ſententia, mortuus mortalia ſolvit vincula, ſolvit anima nexum corporis, virtutem paſtoris experitur ovis. Paſtorem igitur non irritare diſcat ſubjecta conditio, diſcat non irretiri peccati vinculo, ne ſi mors præmineat, abſit omnis propitiatio.

Mulier quædam de Enſee/ virum relinquens legitimum, joculatori ſe jungit ad * vitium, inſatiabilem fovere cupiens appetitum. Juvavum ergo veniens laſciviter, ut ſtolida garrit, & joculatur ut ganea, legitimi fœderis * adulteratur oblita. Tandem ad ſepulchrum beati Eberhardi accedit, ut compoſita cum chirothecis offert elata, ſed ultione divina percutitur & fit arrepticia. Solita rimatur ludicra juſtitiæ, blaſphemat

* *victum.*

* *adultera-trix.*

Digitized by Google

mat garrula, huc & illuc se revolvit in aëra, quomodo sic à dæmone vexabatur obsessa. Educitur ergo & trahitur in templum, & à Clero circumstante exorcizatur dæmonium, & mulier delicta confitetur ne pereat, & emendare promittens, Deum liberata glorificat. SÆC. XII. ANNO 1190.

LAUDETUR ergo Christus in sancto, laudetur sanctus in Christo, qui sic dispensat ut laborent infirmi, ut sanitatem eis redditam, sanctorum suorum ascribat meritis & suæ virtuti. Quicquid enim fit per sanctos, Deus facit in ipsis. Unde est illud: Sine me nihil potestis facere. Operatur enim omnia in omnibus, dividens singulis prout vult. Omnium etenim potens est Dominus, & hæc facit ut sanctum glorificet, & notam faciat nobis potentiam suam, dicens per Prophetam: Videte quod ego sim solus, & non est alius Deus præter me. Excutit enim Pharaonem & virtutem ejus in mari rubro. Quis est iste Pharao, nisi diabolus, qui est Ægypti, id est, tenebrarum Rex. Ipse quidem quos potest exterminat, id est, extra terminos patriæ ducit & necat. *Quæ est virtus ejus, nisi tentationum suarum fortis tumultus?* Quid est mare rubrum, nisi martyrium, vel Christi passionis sacramentum? Quasi enim Pharao cum exercitu suo in mari rubro submergitur, cum diabolus & vitia sua, CHRISTI & sanctorum suorum passione convincuntur. Ideoque glorioſus DEUS in sanctis suis, mirabilis in majestate sua, terribilis & laudabilis, & faciens mirabilia solus. Et hæc facit ad laudem & gloriam nominis sui, qui est benedictus in sæcula. AMEN.

Quæ minori charactere descripta sunt, desiderantur in editione tomi 2.

DE
S. EBERHARDO
ARCHIEPISCOPO.

ELEGIT Dominus David servum suum, & sustulit eum de gregibus ovium, & de post fœtantes accepit eum. David, ut omnibus notum est, manu fortis interpretatur, & per ipsum B. Eberhardi fortitudo figuratur. David quippe in funda & trino lapide prævaluit in Philistæum, & cum puer esset, de Israël abstulit omne opprobrium. Quid per fundam, nisi fides, quid per ejus funiculos, nisi DEI & proximi dilectio significatur? Quid per tres lapides, nisi triplex sanctæ Scripturæ mysterium, id est, Allegoriam, Anagogen, & Tropologiam intelligimus? Quinque quidem lapides, quinque libri Moysi, vel omnem scripturæ seriem, vel historiam, prophetiam, legem, Evangelium & Epistolas notant. Quasi ergo tribus lapidibus, id est, triplici sanctæ fidei doctrina, hæreticorum stravit insaniam, & populo DEI super inimicis acquisivit victoriam. Unde est quod sequitur: Abstulit opprobrium in Israël. Ipse enim cum David malitia parvulus, virtutum gratia fortis, velut omnium fratrum junior, quia humilitate parvulus, sed ad arma justitiæ robustior, populum cum virga directionis rexit, & Ecclesiam Christi sibi copulans regnum Deo factus fuit. Ut conveniat illi quod scriptum est: Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Hunc itaque, ut diximus, recte elegit Dominus, vel potius præelegit, quem magnificavit in conspectu Regum & credidit coronam gloriæ. Ideo sustulit eum de gregibus ovium, & nunc de grege. Cum enim dicit greges, signat à veritate differentes, qui morum gressu viam ambulant multiplicem, qui nunc fidei, nunc gratiæ tenent unitatem. In via autem sola graditur, qui moribus implet, quod per fidem profitetur. Qui vero duabus viis inhiat, injustitiæ servit & deviat. Unde est illud quod scriptum est: Væ peccatori, qui duabus viis ingreditur. A malis igitur

Quæ sequuntur usque ad vitam S. Hartwici, desiderantur in editione priori.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

eum ſuſtulit, & in gratiæ ſuæ unitate eum ſtabilivit. Unde recte ſequitur: De poſtfœtantes accepit eum. Quid per faciem niſi cognitio exprimitur? Unde eſt illud: Oſtende faciem tuam & ſalvi erimus. Quid per poſteriora, niſi ignorantia deſignatur? Unde eſt Gregorii: Quaſi poſt nos eſt quod ignoramus. Quaſi igitur poſt ſe fœtant, qui ſeipſos, ut prævaricentur, ignorant, & qui veritatem ſcire faſtidiunt, falſitatis ſectam impietatis ſectam faciunt. De illis eum accepit, quia de mundo eum ad cœlos tranſtulit, quia quem ſibi elegit, eundem ſecum glorificavit. Quid enim eſſet in mundo, qui non fuit de mundo? In mundo tamen fuit, ſed mundus eum non cognovit. Electus à Domino intravit Dominicam vineam, ubi collegit Dominicæ redemptionis uvam. Uvam dico non fellis, non labruſcam amaritudinis, ſed uvam ſalutiferæ retributionis. Pondus portavit & æſtum, ſed primis & noviſſimis communicantem recepit ex perfectione denarium. Hic eſt fidelis ſervus & prudens. Fidelis ab officio, non ſubtrahens ad injuncta, non negligens, & ut lucrum reportet prudenter diſponens. Terrenorum quidem corda ſulco ſanctæ prædicationis aravit ut bos, grana verbi Dei ſeminans ut agricola, ut omnibus Chriſti cibum, det tritici menſura. Menſura dico, quia illis ſic, aliis autem ſic. Omnibus autem dedit, & omnia diſtribuit, quia & ipſe omnia omnibus fuit. Recte ergo dicatur ipſi: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Ille enim & vinum obtulit: Beatus vero Eberhardus, panis vivi, qui eſt Chriſtus propoſitione vini ſimul & aquæ commixtione ſeipſum quoque immolans, Angelicæ ſimul & humanæ naturæ conjunctionem ſignificavit. Homo ut offerat, Sacerdos ut immolet, ſacrificium ut vivificet, fuit. In monte etenim ſtruem lignorum cum Abraham compoſuit, & charitatis ignem incendendum duo ligna cum muliere Sareptana collegit, ſignificans quia dum carnem ſuam mortificandam crucem ſuam ſuſtulit, ex bina charitate Deum diligere deſiderium ſumpſit. Iſte ſanctus Moyſi typum tenet. Ex aquis enim tribulationum ereptus eſt, & ex Ægypto peccati exeuntium fidelium prædux & legislator factus eſt. Populique amaritudine cum Heliſæo ſale verbi Dei ſanat, & quod ecce in noſtræ humanitatis olla per inobedientiam mortuum eſt, grano verbi Dei appoſito, paterna benedictione vivificavit. Hujus etiam Patris noſtri Jacob Patriarchæ figuram tenuit, qui denuo renatus carnales actus, virtutum pede ſupplantavit. Hinc quidem per ſpiritum, quod illi in carne dictum eſt: exi de terra & de cognatione tua, & veni in terram, quam dabo tibi & ſemini tuo. De terra quidem, id eſt, de terrenis curis exivit, quando mundana pro clauſtralibus, propria pro communibus, terrena pro cœleſtibus commutavit. Reliquit propriam cognationem, quia in carnalibus nullam tenuit voluntatem. Exivit ergo de terra & venit in terram, de terra ſervitutis in terram repromiſſionis. Quia ergo talibus ac tantis oraculis, Patriarchis communicat, & ex veritatis aſſertione Prophetis aſſociat, cæterisque ſanctis Patribus concordat, digne dicatur ei à Domino: Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Et bene pleni, de cujus plenitudine omnes accepimus. Et unde pleni? Herbis & floribus, lignis & fructibus. Herba autem dum eſt viridis, herba eſt, cum vero marcida, fœnum eſt. Quid per herbam niſi humiles deſignantur? Unde eſt illud: Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen. Quaſi enim juſtus viret dum bona inchoat, ſed ſemen facit dum pie vivere voluntatibus, exemplificationibus odorem ſpirat. Fœnum vero ſuperbi ſunt. Unde ſcriptum eſt: Aruit fœnum & cecidit flos. Quid per ligna niſi ſanctos, quid per fructum niſi bona opera intelligemus? Unde in Pſalmo: Erit tanquam lignum, quod dat fructum in tempore ſuo. In hoc ergo ſancto herba bonæ inchoationis viret, & mortificatione vitiorum fœnum in ipſo velut cadit & marcet. Et in ipſo ligna multa complantata ſunt, qui in exemplorum ſuorum radice multi juſti ſolidi ſunt. Quorum fructus ſunt quæ Apoſtolus connumerat: Charitas, gaudium, manſuetudo, longanimitas, & cæteræ virtutes. Ex iſtis & his ſimilibus, odorem ſuavitatis ſpirat beatus Eberhardus in ſe ſicut & flores vario colore purpureus, ſcilicet ex multiplici virtutum veſte circumamictus. Odor ejus fideles attrahit, ad ſalutem peccatores allicit, perfectos vero in fide firmat & nutrit. Ex ejus quoque corporis agro, multa ſignorum fluunt aromata, quorum odore velut unguentis refovetur anima, & omnibus in Chriſto credentibus multimoda fiunt æternæ ſalutis antidota. In odore igitur unguentorum iſtorum curramus attenti, ut jugiter fœtore carentes peccati, cum ipſo gloriam ſortiamur cœleſtis regni. Quod ipſe nobis præſtare dignetur, qui in Trinitate perfecta vivit & regnat unus Deus, per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

DE

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

DE S. HARTWICO ARCHIEPISCOPO SALISBURGENSI.

CONSIDERANTI mihi lilia agri, quo honore, quove decore candidata vestiantur & pullulent, multa virtutum varietate purpurati, rosarum flores apparent. Hinc in lilio miror, quod est niveum, hinc in rosa colorem intueor purpureum. Tria tamen amplius in ipsis intendo, colorem scilicet & odorem, & utriusque allectionem. Flos est anima justi, color religio Catholicæ fidei, odor amor DEI & proximi, allectio promissio est cœlestis regni. Unde est illud in Canticis canticorum: Descendi in hortum meum, ut viderem poma convallium, & inspicerem si floruissent mala punica. Et de eodem in subsequenti: Vineæ florentes odorem dederunt. Et illud: Odor inæstimabilis erat nimis. Hortus est S. Ecclesia, de quo sapientia clamat: Rigabo hortum meum. Nuces sunt animæ justorum, testa nucis, vas humani corporis, corium, mundani livoris amaritudo, & in nucleo, justitiæ designatur habitudo. Tunc ergo in hortum suum sapientia DEI descendit, quando quid in nucibus, id est, in justis, quid in vallibus, id est, in humilibus, speciosius sit, consideravit. Quæ sunt vineæ, nisi oves Dominicæ? Quid sunt earum flores, nisi passionum meritis purpuratæ virtutum varietates? Unde est illud Sapientiæ: Flores mei fructus honoris & honestatis. Floret enim vinea Dominica per opus bonum, sed odorem dat aliis, bene vivendi proponens exempla. Floret vitis, decoratur in se, sed odore fructificat in aliis. Huic simile est quod legitur rosa vel lilium, in horto nux, & in convalle lignum pomiferum, & in vinea palmes beatus Hartwicus. Hinc enim est castitate candidus, hinc diverso virtutum colore purpureus, hinc licet in carne, divinitatis saciatus nucleo, hinc ut lignum fructiferum imbre roratur temporaneo, palmes est in vite non aridus, non ad ignem, ut comburatur excidendus, sed flore cum fructu germinans, ut doctrinæ vina ministret, in Christo qui vera est vitis exuberans. Unde est illud in Evangelio: Omnem palmitem in me ferentem fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Palmes vero iste non sterilis, sed fœcundus, satis in Christo tulit sibi, sed purgatus, id est, carne solutus, plus attulit, & plus recepit. Hic quidem collegit, sed ibi cum exultatione manipulos reportavit. Super pauca fidelis humanitus, super multa cœlitus constitutus est. Hic ut paterfamilias pervigil, furi comminatur. Hic ut pastor bonus lupum confundit, & fugavit. Hinc etiam oves pascit & potat, jejunantes non spernit, & manducantes non judicat. O quantum luxit in carne positus, qui nihil remisse prætermittens, fuit in omni bona actione strenuus, ad docendum egregius, & in omni morum claritate fuit conspicuus. Orphanorum adjutor, viduarum defensor, mœstorum consolator, & in regenerandis animabus magnus erat propagator.

Prologus authoris. Caput primum in editione secundo tomi.

Hic itaque post obitum, bonæ memoriæ, Friderici Antistis Ecclesiæ Juvavensis susceptit cathedram. Anno incarnationis Domini * DCCCCXC. sexto Idus Novembris. Sed ecce cum prædecessore suo gaudet regnum sortis & gloriam. Ex regali legitur oriundus prosapia, unde ampliori virtute vitam in se nobilitavit & opera.

Fit Episcopus. *DCCCCVI.

Ut radius Sole prodit, de flumine rivus,
Hic stetit & fluxit Regum de sanguine vivus.

Iste ergo participat in eo quod scriptum est: Fecit nos Deus sibi regnum & Sacerdotes. Recte quidem agenti seipsum, & actus suos regenti, bene convenit hoc nomen Rex, quia de regali secundum carnem egressus linea, cum Rege Christo decora-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

rabitur in * gloria, ut recte dicatur † ei per Prophetam: Regem in decore suo videbit. Et illud in Psalmo: Domine in virtute tua lætabitur Rex, & super salutare tuum exultavit vehementer. Fuit enim ad opera misericordiæ vehemens, in tribulatione patiens, primus ad indulgentiam, & tardus ad iram. Fide firmus ut impetret, spe certus ut capiat, charitate perfectus ut sine fine permaneat. Ut etiam ordo docendi postulat, multa erubuit docere, quæ tamen studuit facere, viam monstravit digito, quam ipse præcessit opere suo. Cogitavit enim non esse sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens, ne cum aliis prædicaret, ipse reprobus fieret. Detractoribus aures non adhibuit. Aliud in corde, & aliud in ore non habuit, munera super innocentes non accepit. Pœnitentes hortabatur ad melius, justos fovebat ut justus, minores tuebatur ut fortis, & omnibus exhibuit opera pietatis. In meridie quippe charitatis cum Sole justitiæ statum fixit ut luceat, ut sicut mundus solari radio, sic credentium populus suo respondeat beneficio. Interim enim virtutis ejus fama percrebruit, quod ad ipsum causa doctrinæ fugendæ vice apum circumquaque omnis turba confluxit. Ejа quantos nube infidelitatis obductos, mente cæcos, fidei luce perfudit, quantis etiam malitia surdis verbi Dei auditum inseruit, & ex insolentia mitius per confessionem Christum laudare fecit. Omnes corporis & animæ curavit ægritudines, verbi gratia, errore contractos, veritatis cognitione fecit erectos. Hinc peccati mundavit lepram, & de facie gregis sui omnem abstersit maculam. Hinc gaudio prævaricationis occisos vipereoque tentationum veneno præmortuos ad virtutum opera restituit vivos. Bene igitur convenit illi, quod de Helisæo sapientia clamat: In vita sua fecit monstra. Quid enim melius monstrum, quam de peccatore justum, de ægro sanum, de obstinato credulum, vel de mortuo reddere vivum? Sed nec hic silere dignum video, quod plurimorum fidelium didici testimonio.

*gratia.
† ei, deest.

Miraculum rami viridantis.

CONTIGIT enim, quod ad Ecclesiam, quæ Tale dicitur, in festo sancti Andreæ, ipsam dedicaturus exiret, sylvamque in Pluepach/ pertransiens, ramusculum ex arbore frangens arripuit. Quem cum diu manu tulisset, flores peperit, & in signum sanctitatis ejus à quibusdam fidelibus diu custoditus fuit. O signum mirabile, & plusquam dici possit commendabile! O novitas ab antiquo non discrepans! O Hartwici virga, virgæ Aaron sub figura concordans! Sed illa in archa, & hæc in manu floruit, nec tamen inter se dissentiunt, quia utriusque possessor archam Domini rexit, & archa Domini fuit. Quod tamen in ipso materialiter fuisse, si quis obstinate contradixerit, specialiter tamen completum, ut credat, ratum sit. Quid enim signat ejus via, qua vadit ut Ecclesiam dedicet, nisi Christum, in quo moraliter graditur, ut in mente sua Deo sacrificium paret? Quid est arbor de qua ramum fregit? nisi quilibet legis doctor, de quo disciplinæ formam sumpsit? De hac virga scriptum est: Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Vel aliter. Disciplina tua ipsa me docebit. Vel & hæc virga pastoralis est, quæ in medio sub typo disciplinæ est rigida, subtus, causa servitutis, ferrea: superius quasi floret, quia pœnitentes attrahit cum misericordia. De parte ferrea scriptum est: In virga ferrea confringes eos. De medio virgæ Psalmista dicit: Disciplina tua correxit me in finem. Superior pars virgæ typum tenet misericordiæ. Tria quidem doctori conveniunt. Ut scilicet impios districtus feriat, in bono stabiles moneat, compungentibus misericorditer consulat. Hanc virgam beatus Hartwicus habuit, & ipsa virga æquitatis fuit. Ut de ipso dici possit Ecclesiæ per Prophetam: Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Syon. Quid enim nisi virtutis extitit, in quo omnium virtutum schola fuit? Quomodo etiam non sit plenus omni virtute, quem ecce prævenit Dominus in dulcedinis benedictione? Ipse autem Ecclesiasticæ virtutis est virga, cujus doctrina, vel fide legalium mandatorum in populo connectuntur laquearia. Ex Syon vero emittitur, dum speculatio fidei Ecclesiæ administratur. Omnia autem opera sua quæ fecit, fuerunt significra, quia virtutes quas Deus in ipso fecit, fuerunt signativæ.

Consummato igitur fœlici vitæ suæ cursu, exuta humanitatis tunica, indutus est immortalitatis stola. Migravit autem sanctus Hartwicus ad Dominum anno ab incarnatione Domini millesimo vigesimo tertio: Episcopatus autem sui trigesimo quarto: Heinrico Imperatore, secundo hujus nominis, regnante: Domino nostro JESU CHRISTO regnante, qui vivit & regnat cum DEO Patre & Spiritu S. unus DEUS, per omnia sæcula sæculorum, AMEN.

DE

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

DE S. HARTWICO ARCHIEPISCOPO.

MAGNIFICAVIT igitur Dominus ſanctum ſuum Hartwicum, & beatificavit illum in gloria. Vere mirificavit, quem adhuc in carne ſpiritualem fecit, & qui corporaliter fuit in terris, jam mente converſaretur in cœlis. Huic ergo cum ſuis conſimilibus dicitur per Apoſtolum. Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium. Vas, inquam, electum, præelectum à Deo, electum à populo, quod certo comprobatur in ſua electione miraculo.

Quæ hîc ſequuntur uſque ad miracula, non habentur in priori editione.

Poſt prædeceſſoris ſui tranſitum, cum jam Clerus ingemuit, & de paſtore certantibus, beatus Hartwicus ſupervenit. Intrat igitur Pontificatum neſcius, à Clero ſuſcipitur à Deo præelectus. Mirum in modum à Spiritu S. ducitur ut agnus ad paſcua, ſed in ipſo tranſumatur arietis forma. Fit agnus ut obediat, aries ut præmineat. Agnus ad ſacrificium, aries ut cuſtodiat gregem ſuum. Fit ſignorum virtute mirabilis, charitate conſpicuus, & in conſortio ſtabilis: fecit mirabilia in vita ſua. Tunc fecit illis, ſed modo plus facit iſtis, velut enim in nocte ſæculi Luna fuit in vivis, ſed ecce in cœleſtis gloriæ firmamento velut Sol lucet mortuus. Ut bene conveniat illi quod ſcriptum eſt: Juſti fulgebunt ſicut Sol. Quid ergo mirabilius, caro in Lunam, & anima mutatur in Solem? Recte igitur convenit illi illud Sapientiæ: In morte mirabilia opera ipſius. O quam glorioſus Deus in ſanctis ſuis, qui quos dilexit in mundo, poſt mortem plus dilectos eſſe ſignorum declarat beneficio. Opus tamen erat, vel potius decus, ut quod ex incuria ſcribere neglexerunt antiqui, poſteris declaretur beneficio Dei. Nos igitur non meliores primis, ſed cautius agentes, ſic ſcribamus poſteris, ut ad laudem Dei excitentur operibus noſtris. Siquidem tantum virum tantaque in Chriſto facta magnalia, nullus ſitus oblitteret, nulla oblivio decoloret, hic memoriæ tradatur in ſcripto, quod fidelium comprobatur teſtimonio. Laudem DEI lingua loquatur ut calamus, ut voci concordet ipſa manus, jam ad miracula convertatur ſtylus.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

DE

MIRACULIS

EJUS POST MORTEM.

Hartwici miracula. Caput ſecundum in editione tomi ſecundi.

AD laudem & ad gloriam nominis Domini. Cum quadam die populus in Capella ſanctæ Dei genitricis devotus aſtaret, cereus in Altari extinguitur, ſed ut accendatur à quodam juvene quantocius accurritur. Cereum feſtinus arripuit, & ad tumbam beati Hartwici accenſurus accedit, ſed cum jam tumbæ appropiat, jam cereum ſancti virtus inflammat. Mirum in modum, per ſe luminare ſuccenditur, ut lucerna Eccleſiæ fuiſſe beatus Hartwicus approbetur. Flamma etenim rubedine * parebat ut ſanguis, ſed in illo reor aliquid myſticæ fuiſſe ſignificationis. Veruntamen populus in admirationem vertitur, & fiammam * hinc ſimilem nunquam vidiſſe profitetur. O mirabile, ex ejus virtute accenditur cereus, cujus beneficiorum claritate illuſtratur fidelium populus! Fama igitur tantæ rei univerſam patriam transvolat, ſanctumque Dei in populo virtus patrata magnificat. Accurrunt ſubito debiles, ſed ſanitatis citius fiunt efficaces. Sani currunt & languidi, & in ſancto glorificant nomen Dómini, ſignis ad fidem provocantur increduli, ſpem concipiunt deſperati, charitate ſolidantur qui fuerant odioſi.

* *apparebat.*

* *huic.*

ACCEDIT interea puella quædam paralytica, quæ dum ſepulchro advolvitur, optatæ ſanitati reſtituitur lætabunda.

Quidam etiam juvenis, trans Oenum genitus, annos circiter XXX. agens, cæcus adducitur, ſed ſancti provolutus ſepulchro, viſu perfunditur deſiderato.

* *contracta, deeſt.*

Item quædam puella decennis ad præfatum ſanctum * contracta defertur, ſed illico ad plenum erigitur, ut eo miraculo ſancti virtus commendetur.

Simili quoque modo mulier quædam, jam diu omnium membrorum virtute privata, per alios adducitur, ſtatimque ſanitati reſtituta, cum gaudio ſola revertitur.

Puer itaque de Pinzgow/ eatenus infirmans & mulier, pari modo fertur ad ſanctum, parique vice Dei gratiam ſalutarem experitur & fructum.

Nec non & puer quidam de Olhuſen/ affertur contractus, ſed Deo operante, ſanctique meritis refertur erectus.

Similiter & puer, in tantum manibus contractus fuit, quod jam amplius poſſe ſanari populus deſperavit, beati Hartwici allatus tumbæ, pleniſſima reſtauratur ſanitate.

Quidam homo de Eringen/ puerum ſuum cæcum reliquiis ſancti ſuperpoſuit, genuque flexo largiſſime lachrymans, viſum puero fœlix obtinuit.

Vir quidam de Sulbach/ miſerabiliter flexis reptans poplitibus, ſed ſancti nomine ſæpius invocato, plantis & baſibus ſolidatis, donum recepit optatæ ſanitatis.

DE

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

DE CORPORE S. MARTINI EPISCOPI TURONENSIS QUOMODO HUC SIT ALLATUM.

Sancti Martini corpus subreptum.

ACCEPIMUS à Patribus noſtris, quod Otto Imperator Hiſpaniam cum multo apparatu profectus, in civitatem Turoniorum hoſpitandi gratia, ingreſſus eſt. Ubi per aliquot dies cum magnatibus ſuis moram faciens, manſionarios ſimul & cuſtodem pretio corrupit, & ſic corpus beati Martini, auro & argento * latenter comparavit. Datis ergo quæ pepigit, recepit quæ voluit, regreditur feſtinus ad patriam, furtim deferens tanti corporis glebam.

Caput tertium prioris editionis, cujus inſcripto: De Ottone Imperatore.

** latenter; deeſt.*

Quia vero tam pretioſum theſaurum ſuo vectigali contineri duxit indignum, Archiepiſcopo Juvavenſi Herolfo, ſibi, ut credidit, fideliſſimo tradidit conſervandum, ſibique ubi vel quando præciperet perferendum. At ille gaudenter ſuſcepit, & in ſuam Eccleſiam pie transvexit. Cryptam in qua eum abſcondit nomini ſuo conſecravit. Socios ſibi adjurat ut lateat, titulo litterali conſignat ut pateat, ut quod lingua neſciret, hoc * intitulatio poſteris propalaret. Decedente itaque aliquo tempore, citatus ad curiam venit, ubi à Rege de ſupradictis inquiſitus, reſpondit: Sanctum quem quæritis in ſanctuario permanendum repoſui, unde à modo nullatenus debet removeri. Tunc Imperator ſe defraudatum conſiderans, iraſcitur. At ille fugam iniit, ne ſi exſpectet in aliquo periclitaretur. Tunc Heinricus Dux, frater Imperatoris & quidam milites Plangenſes ſcilicet, Regi placere volentes, quia & ipſi Salzburgenſis Eccleſiæ inimici fuerunt, ipſum perſequuntur ut feriant, quem ſævientes arripiunt & excæcant, ſic nec ille reddidit, nec Imperator rehabuit, ſed vir bonæ memoriæ Herolfus repoſuit, & usque ad tempus beati Hartwici, neſcio quo caſu, hoc inveniens, ſed ut * reor, cœlitus inſpiratus, vel titulo edoctus, invenit, & ſolemniter & eminentius tranſtulit, & hoſpitatum hoſpiti: Martinum ſcilicet beato Rudberto conſepelivit, & digne Apoſtolo parem Bavaricæ gentis ſociavit, quorum uterque, ſicut in una continentur tumba, ſic invicem conſociantur * in gloria. Sepulturam quoque eorum argento ſimul veſtivit & auro, ut dum in theſauro decus appenditur, quam ſplendida vel potius quam pretioſa ſit eorum virtus ſignificatur.

** intitulatio.*

** error.*

** in; deeſt.*

Quod vero corpus beati Martini beato Rudberto conſepultum ſit, miraculis, quæ per ipſos fiunt, creditur: Et ut nulli dubium ſit, antiquorum Patrum legimus teſtimonio fuiſſe approbatum.

Cum etenim aliquando Ratiſponæ Imperator Heinricus quartus rexit concilium, inter duos Archiepiſcopos, Gebhardum Juvavenſem ſcilicet, & Adelbertum Bremenſem, coram omni curia altercatio facta eſt. Qui, ut verum fatear, omni virtute commendabiles, & honore invicem prævenientes, in die ſancti Martini coram Rege officium celebrare, Juvavenſis Bremenſem monuit. At ille indigniorem ſe judicans reſtitit, & in hæc verba prorupit: Conſtat ô Gebharde, quod mihi inſtanter præmineas, cum vel Apoſtolicæ ſedis legatione recenſeas, vel quia in ſolemnitate ſancti, cujus corpus Juvavum continetur, pallio indui debeas. Hoc tam à progenitoribus meis, quam ab ipſo Imperatore percepi, Martinum in veſtra Eccleſia contineri. Celebravit igitur Gebehardus Juvavenſis indutus pallio, ceſſit alter, & utriusque commenda-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

mendatio, noſtræ ſit veritatis atteſtatio. Hujus itaque rei non incertus bonæ memoriæ Hartwicus Epiſcopus, abſconſum in obſcuro ſuſtulit, & ſupplicantium fidelium aſpectibus honorifice repoſuit.

Hæc ideo hujus Patris noſtri Hartwici geſtis inſcripſimus, ut dum bona quæ fecit attendimus, cum utrisque, Martino ſcilicet & Hartwico, de terrenis ad cœleſtia meritorum vice transferri curemus.

MONU-

Digitized by Google

MONUMENTORUM

SALISBURGENSIUM

PARS SEXTA.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

ALIQUA DE SUMMO TEMPLO SALISBURGENSI.

ANno ab incarnatione Domini ſexcenteſimo vigeſimo tertio: Ab ordinatione Bonifacii V. Papæ tertio: Regni Eraclii Imperatoris decimo tertio: Poſt obitum magni Gregorii viginti annis & quinque menſibus evolutis, die Dominicæ reſurrectionis, ut legimus, beatus Rudbertus primus Juvavenſis Epiſcopus migravit ad Dominum.

ANno incarnationis Domini ſeptingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Virgilius Epiſcopus cœpit ædificare Eccleſiam miræ magnitudinis apud Salzburg, Indictione VII.

ANno incarnationis Domini ſeptingenteſimo ſeptuageſimo tertio, dedicata eſt primo Eccleſia ſancti Rudberti à ſancto Virgilio Epiſcopo, anno vigeſimo ſexto regni Thaſſilonis Ducis. Eodem anno tranſtulit idem Epiſcopus ſanctum Rudbertum, & duos ejus Capellanos, beatum Kunialdum atque Giſilarium.

ANno ab incarnatione Domini ſeptingenteſimo octuageſimo ſecundo, Indictione quinta, conſecrata eſt Baſilica in Inſula Attenſe/ ſtagno, & Monaſterium conſtructum, prima die Septembris.

Digitized by Google

CATALOGUS

EPISCOPORUM SALISBURGENSIUM.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

JACOBI BASNAGII IN HUNC CATALOGUM OBSERVATIO.

BRevis erat Catalogus qui nihil præter nomina contineat, nec ætatem unius cujusque præſulis indicet: aliqua diximus in obſervationibus præviis de Rudberto; ſingula perſequi noſtri non eſt inſtituti: duo notabimus. 1°. Plerosque Epiſcopos Salisburgenſes usque ad Hartwicum dici Abbates S. Petri a *Bucelino*. Cum eorum quatuor tantum occurrant Abbates in noſtro Catalogo, qui etiam num deleri debuerant. 2°. Obſervabit lector hunc Catalogum definere ad annum 1289. quo Rudolfus obiit, qui anno 1285. fuerat ordinatus, ab Honorio IV. Pontifice, Martini Succeſſore, Pallium acceperat. Obſervandum etiam Catalogum longe ampliorem Epiſcoporum Salisburgenſium reperiri apud fratres Mezgeros Hiſtor. Salisburg. l. VI. p. 1143. quippe qui ad noſtram ætatem deveniat. Nos illum hic adjicimus; annos præterea adnotavimus.

Bucelinus Germania Sacra p. 1. t. 43.

B. Rudolphus, de quo ſuperius, an. 1289.
Conradus IV. de Praintefurt & Fonſtorff. an. 1289.
Wichardus de Pollheimb. an. 3. 7. m.
Fridericus III. de Leibniz an. 1317. an. 22.
Henricus de Birnbrunn an. 1338. an. 7.
Ortolfus de Weiffenegg. an. 1343. an. 22.
Pilgrinus II. Baro de Puechheimb. an. 1365. an. 31.
Gregorius de Schenck de Oſterwiz. an. 1396. an. 7.
Eberhardus III. de Neuhauſen. an. 1404. an. 23.
Eberhardus IV. de Starnberg. an. 1427. an. 2.
Joannes II. de Reichſperg. an. 1429. an. 12.
Fridericus IV. Truchſeſſius de Emerberg. an. 1442. an. 10.
Sigismundus I. de Volckensdorff. an. 1452. an. 9.
Burchardus (*) de Weispriach Cardinalis an. 1461. an. 4.
Bernardus a Rohr. an. 1466. an. 16.
Joannes III. an. 1382. an. 7.
Fridericus V. Comes de Schaumburg. an. 1489. an. 5.
Sigismundus II. de Holleneg. an. 1494. 5. mens.
Leonardus de Heutſchach an. 1495. an. 24.
Mathæus Lang de Wellemburg Cardinalis an. 1519. an. 21.

Erneſtus

(*) De hoc *Sigismundo* ſic *Picolomineus*, qui res Friderici III. Imp. deſcripſit: *Hic dum Schismatis procella deſævit, cum eſſet adhuc Præpoſitus, Romanam Eccleſiam magnifice juvit; ſed Archiepiſcopus à Nicolao Pontifice creatus alteras Apoſtolicas, quibus conjura in Auſtrales Imperatori Rebelles fulminabatur, ex Eccleſia ſua publicari non ſivit; ſive metu potentia illorum, ſive quod Anathemate ſuſpenſo pacem melius inveniri putavit, ad quam componendam & ipſe deſcendens in Auſtriam non parvam operam impendit.* Piccolomin. Europæ ſtatus c. 32. Hiſt. G. Freheri t. 6. p. 79.

Digitized by Google

Erneſtus Dux Bavariæ an. 1540. reſignat an. 1554. mortuus tantum an. 1560.
Michael a Kuënburg an. 1555. an. 5. m. 10.
Joannes Jacobus de Kûen de Belaſi an. 1560. an. 25. 6. m.
Georgius a Kuënburg an. 1586. 7. m.
Wolfgangus Theodoricus Comes de Rattenau an. 1587. an. 24. obiit an. 1617. reſignaverat an. 1611.
Marcus Sitticus Comes ab Hoënembs an. 1612. an. 7.
Paris Comes Lodroni an. 1619. an. 34. hunc ſummis laudibus extollit Bucelinus Germaniæ ſuæ parte Prima.
* Guidobaldus de Thun Cardinalis an. 1654 an. 14.*

Hic deſinit Bucelini Catalogus.

Maximilianus Gandolfus Comes de Küemburg. Cardinalis an. 1668. an. 19.
Joannes Erneſtus Comes de Thun. an. 1687.

Cæterum indicat *Lambecius* Bibl. Vindob. l. 2. p. 976. MS. Codicem reperiri, continentem Catalogum omnium Archiepiſcoporum Juvavenſium usque ad annum 1560. cum unius cujusque inſignibus Gentilitiis in margine adpictis in 4°. Germanicè.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

BREVIS CATALOGUS EPISCOPORUM ET ARCHIEPISCOPORUM SALISBURGENSIUM.

Sanctus Rudbertus Episcopus. an. 696.
Sanctus Vitalis Episcopus. an. 718.
Ansologus Abbas. (*a*)
Savolus Abbas.
Ezzius Abbas.
Sanctus Flobargisius Episcopus. an. 740.
Joannes Episcopus. an. 760.
Berticus (*b*) Abbas
Sanctus Virgilius Episcopus. an. 764.
Arno (*c*) Archiepiscopus. an. 786.
Ammilon Abbas. an. 821.
Adalramus Archiepiscopus. an. 822.
Luipramus Archiepiscopus. an. 836. vel 844.
Adalwinus Archiepiscopus. an. 858.
Odilbertus Archiepiscopus. an. 872.
Dietmarus Archiepiscopus. an. 879.
Pilgrinus Archiepiscopus. an. 907.
Adilbertus (*d*) Archiepiscopus. an. 913.
Egilolfus Archiepiscopus. (*e*) an. 934.
Herolfus Archiepiscopus. an. 940.
Fridericus Archiepiscopus. an. 956.
Beatus Hartwicus Archiepiscopus. an. 990.
Guntherus Archiepiscopus. an. 1022.
Dietmarus Archiepiscopus. an. 1027.
Waldwinus Archiepiscopus. an. 1041.

Sanctus

(*a*) In Catalogo a Mezgeris fratribus edito deest ubique titulus Abbatis: apud Bucelinum dicitur Abbas S. Petri & Episcopus. Basn.

(*b*) Hic male recensetur; nam Virgilii successor in Episcopatu Salisburgensi vulgo creditur ab ipso Virgilio in Successorem nominatus an. 784. obiit vero an. 785. ab aliis omittitur omnino. Basn.

(*c*) Hic primus fuit Archiepiscopus Salisburgensis; dicitur Alcuini frater: certum est Alcuinum scripsisse Epistolas ad Aquilam, eumque Aquilam fuisse ipsi germanum fratrem. *Carissimo Germano meo Aquilæ Antistiti Albinus.* Sed an ille Aquila sit *Arno* Salisburgensis, dubitabit aliquis. Credunt ideo Arnonem dictum Aquilam, eo quod Arno, Arnutus & *Harent* idem sint; at *Harent* Germanis est *aquila*; sed forsan Etymon illud vi quadam elicitum cum Menagianis plurimis amandaturus est lector. Quidquid sit, versibus Arnonem celebravit Alcuinus; cumque plurimum apud Carolum Magnum tum fratris, ut ajunt, tum propria virtute polleret Arno, à Leone III. Pallio indutus est ejusque Sedes in Archiepiscopalem fuit erecta. anno 798. Sic eum appellat *Alcuinus* in Epistola, quam scripsit fratri de septem Psalmis Pœnitentialibus, quamque edidit Dom. *Lucas Dachery. Spicil. t. IX. p.* 116.

Te ducente Pater, Pastor, Patriarcha, Sacerdos. Basn.

(*d*) Sunt qui hic *Lubertum* ponant Episcopum, eumque distinguentes ab *Udalberto* vel *Adilberto*, binos faciant Præsules: imo sic ferunt effigies in Aula Palatii Salisburgensis depictæ, attamen cum unicum habeant Episcopum Catalogi, unicus censendus, cujus nomen diversimode vel scriptum vel prolatum fuit: à *Sergio* III. Pallio fuisse indutum asseritur; quod si verum est multo citius obierat Pilgrinus quam vulgo creditur, dum supremum clausit diem *Andilbertus* anno 934. Basn.

(*e*) Hic excæcatus est, sed de causa excæcationis variant Historici. Basn.

Digitized by Google

Sanctus Gebhardus (*f*) Archiepiſcopus. an. 1060.
Sanctus Thiemo (*g*) Archiepiſcopus. an. 1088.
Chunradus (*h*) Archiepiſcopus. an. 1106.
Sanctus Eberhardus Archiepiſcopus. an. 1147.
Chunradus (*i*) Archiepiſcopus. an. 1164.
Adilbertus (*k*) Archiepiſcopus. an. 1168.
Eberhardus (*l*) Archiepiſcopus. an. 1200.
Philippus electus. (*m*) an. 1246.
Udalricus Archiepiſcopus. an. 1256.
Wodezlaus (*n*) Archiepiſcopus. an. 1266.
Fridericus Archiepiſcopus. an. 1272.
Rudolphus Archiepiſcopus. an. 1284.

IN catalogo iſtorum Epiſcoporum quinque Abbates continentur, qui absque Pontificali ordine & dignitate regebant Epiſcopatum Juvavenſem. Hi vero ſunt:
Anſologus, Savolus: Ezzius: Bertricus: Ammilon.
Qui ſi catalogo ſecludantur, XXV. tantum connumerantur Epiſcopi usque ad præſentem Dominum Adilbertum. Sed eis adjunctis triginta computantur.

NUMERUM annorum à tranſitu S. Rudberti definite ſcriptum non reperimus, conjectura tamen horum poteſt fieri ex conſideratione temporum, in quibus præfuiſſe legitur. De temporibus ejus legitur ſic:

TEMPORIBUS igitur Hildiberti Regis Francorum, Anno ſcilicet regni ejus ſecundo, venerabilis Chriſti Confeſſor Rudbertus in Wormatia civitate Epiſcopus habebatur. De die obitus ejus, qui in VI. Cal. April. celebratur, ſic legitur: Die orto reſurrectionis Chriſti Miſſarum ſolemnia lætus perſolvit, & munitus corporis & ſanguinis ſacramento, inter verba fratres confirmantia, tradidit ſpiritum. Et alibi: Sic ſuum contigit phaſe, ſacro paſchæ tempore. Inventa autem tempora Regis, invenire docent tempora Epiſcopi. Temporibus igitur Tiberii, Conſtantini, & Mauritii Imperatorum Romanorum, Hildibertus Rex Francorum, filius Sigiberti & Brunhildis extitiſſe legitur. Anno Dominicæ incarnationis DLXXV. Tiberius Conſtantinus regnavit. Anno incarnationis Dominicæ DLXXXVIII. Hildibertus. XXII. Mauritius regnavit. Item anno incarnationis Dominicæ DLXXXVIII. Hildibertus filius Sigiberti ſuper Francos regnavit. Anno incarnationis Dominicæ DCIII. Focas regnavit, qui poſt Mauritium factus eſt Imperator.

Circa hæc tempora ſanctum Rudbertum vixiſſe patet. Requirat autem nunc qui vult, ubi ante annum DCXXVIII. Dominicæ incarnationis, aut poſt eundem annum, dies Dominicus Paſchæ in VI. Cal. April. evenerit, ut hic nec ante nec poſt illum terminum longius, quam humanæ vitæ menſura id ſit. Si quis hæc ante invenerit, invenire poterit quot anni ſunt à tranſitu S. Rudberti. Si autem alieno invento credulus eſſe maluerit, qui ſemet ad hujuſce indaginis labores deſperet attingere, ſciat

(*f*) Exulavit ille anno 1075. eique viventi ſuffectus Thiemo. BASN.

(*g*) Omittitur hic *Bertholdus*, qui fuerat intruſus in ſedem Salisburgenſem, ut pote qui inter genuinos Epiſcopos recenſeri non debeat. *Thiemo* autem ſæpius appellatur *Dimo* ab Hiſtoricis: adfuit ille Placentinæ Synodo cum *Udalrico* Patavienſi ejus ſuffraganeo; tantusque Præſulum cogebatur ibi numerus ut locus ipſos non contineret; ideoque Papa extra urbem in campo celebrare compulſus eſt: quod exemplo Moſis factum probat *Bertholdus* Conſtantienſis, qui Hermanni appendicem edidit. *Dimo* autem cum *Gebehardo* Conſtantienſi *Arnolfum* Mediolanenſem conſecratum ex conceſſione Pontificis conſecravit. BASN.

(*h*) Ad hunc *Conradum* legitur Epiſtola Innocentii II. ob Canonicos vinoſos. Non occurrit illa inter Epiſtolas Innocent. ſed in anecdotis. Laudatur hujus *Conradi* Epiſtola ad *Norbertum* Archiepiſcopum Magdeburgenſem, qua libertatem in Actionibus Abbatum & Epiſcoporum fortiter tuebatur; voluerat enim Norbertus, vir alioquin litteratus, Principes Imperatoresque in eligendis præſulibus ſuffragia ferre, eo quod in iis electionibus *Honoratorum* conſenſus requireretur quod refutavit *Chunradus*, ut teſtatur *Gerohus* in Commentar. ad Pſalm 63. quem nuperrime *Baluſius* vulgavit. Aſſerit autem *Gerohus*, qui ipſe anno 1169. obiit, Chunradum jam tunc ad ſuperos evaſiſſe, quem *bonæ memoriæ virum* appellat. BASN.

(*i*) Fuit Patruus Imperatoris Friderici, frater Ottonis Friſingenſis. BASN.

(*k*) Hunc voluit expellere *Fridericus*, ideoque curiam tenuit apud Salisburgum an. 1172. ſed ab incepto deſtitit, ut refert Stero in Annalibus: expulſus eſt tandem & reſtitutus eſt an. 1183. BASN.

(*l*) Hic cum videret Ducem Bavariæ *Ludovicum* rem habere cum Epiſcopo Ratiſponenſi, in auxilium Conradi Ratiſponenſis copias conduxit; inde deprædatio Eccleſiarum, altaria diruta ab Epiſcopis, qui nec reliquiis pepercerunt, ut patet ex ipſo Chronico Salsburgenſi an. 1203. BASN.

(*m*) Ejus occaſione Schisma in Eccleſia Salisburgenſi, de quo vide Chronicon Saltsburg. ad an. 1256. depoſitus eſt ab Alexandro III. ut ferunt Steronis annales; eo quod jam per decem annos electus noluit tamen ordines Epiſcopatus vel etiam Presbyterii ſuſcipere. Litteras Alexandri adverſus *Philippum* retulit Stero ad an. 1257. BASN.

(*n*) De eo *Vodeslao*, qui apud Pontificem Romanum magno fuit in pretio, vide Epiſtolam Clementis IV. quam Annalibus ſuis inſeruit Stero hujus ſæculi ſcriptor ad an. 1267. In ea Epiſtola *Welodislaus* appellatur: fuerat Wiſegradenſis præpoſitus: obſtabat ætas, obſtabat defectus ordinum quominus in Archiepiſcopum eligeretur; nihilominus tamen a Pontifice firmatus eſt. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

sciat quod DCXXIII. dies anno incarnationis, ante supra notatum annum, & post eundem DCXXVIII. dies Paschæ VI. Cal. April. In quo è duobus anno, ipse de quo sermo est, sanctus obierit, non legi. Considerata tamen superiori temporum conscriptione, dubium non est, eum in uno eorum obiisse. Et quamvis certum non sit, si supervixerit DCXXVIII. annum Dominicæ incarnationis, in quo similiter Dominicus dies in Calen. April. evenerat. Si autem annum Dominicæ incarnationis, in quo similiter Dominicus dies in VI. Calen. Aprilis evenit, si altius repetere voluerimus, ut videlicet sub primo Hildiberto Francorum Rege, Chlodovei, seu Ludovici filio, qui temporibus Justiniani Magni & primi regnabat, sanctum Rudbertum claruisse contendamus, tunc in altero subscriptorum anno eum obiisse constat, sive DXXXIV. anno Dominicæ incarnationis, sive DXLIV. anno, in quibus ambobus dies Paschæ VI. Calen. Aprilis evenit. Ideo quod inter duo dubia certius est eligamus, & computemus annos de transitu sancti Rudberti ab anno DCXXIII. Dominicæ incarnationis. Sunt autem à transitu ejus usque ad præsentem annum, qui est Dominicæ incarnationis annus millesimus, centesimus, octogesimus sextus, anni quinque, LXIII. Ipse est annus XXXVI. regni Friderici Imperatoris.

VITA

Digitized by Google

VITA
S. GEBEHARDI
ARCHIEPISCOPI,
FUNDATORIS ECCLESIÆ ADMUNTENSIS.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

INCIPIT VITA S. GEBEHARDI ARCHIEPISCOPI,

Vide Obſ. BAṢN. n. XVII.

FUNDATORIS ECCLESIÆ ADMUNTENSIS.

Gebehardi genus.

GLORIOSUS igitur Gebehardus, alto Suevorum ſtemmate, patre Chadoldo, matre Azala progenitus, in primæva ætate ſua liberalibus ſtudiis traditur imbuendus. Ubi cum docilis puer, non tam ætatis incremento, quam litteralis ſcientiæ * ſuccreſcere faſtigio, emenſa * demum pueritia, partimque adoleſcentia, ingenuitatem generis, morum nobilitate, ac ſapientiæ jubare tranſcendit. Evacuatis enim quæ erant parvuli, divinis ſe mancipabat obſequiis & lectionibus, quamvis in ſæculari pompoſo ſchemate forinſecus ſplenderet ornatus.

**ſuccreſceret.*
**igitur.*

Per ſingulos itaque gradus ſacris ordinibus inſignitus, ad Sacerdotii deinde gradum, quia dignus eſt inventus, quarto Nonas Martii, anno incarnationis Domini M. LV. à venerabilibus * Baldwino, ſanctæ Salisburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, ſub ſancto Leone Papa, eſt promotus: prædicti Deo digni Archiepiſcopi, futurus Epiſcopus ſucceſſor, ac Chriſti & Eccleſiæ indefeſſus propugnator.

** Saltwino.*

Hujus ergo celebri fama illectus Imperator Heinricus III. cognomento Pius, Heinrici Babinbergenſis ſucceſſor, eum ad ſe adſcitum, regiæ aulæ ſummum præfecit Capellanum. Quo poſt paucos annos rebus humanis exempto, & Heinrico IV. filio prioris in ſceptra regni ſuccedente, Gebehardus item primus inter primos palatii habebatur. Et quamvis in terreno converſaretur palatio, cœleſtis tamen regis famulatui ſummopere inhærebat.

Anno deinde incarnationis Domini M. LX. qui ſextus ſacerdotii ipſius Gebehardi fuerat annus, poſt dormitionem præſcripti venerabilis * Baldwini Archiepiſcopi, concordi & alacri totius Cleri, ac * miniſterialium electione in Salzburgenſem Metropolitanum divino nutu eſt ſublimatus, utpote virtutum omnium * gratia adornatus.

** Baldwini.*
** miniſterialium.*
** genere.*

Igitur Deo dignus Metropolita Gebehardus, tertio Idus Junii, in loco Eſchinwanch dicto, accepto à Rege Heinrico, & caſtæ deſponſationis ſacroſanctæ matris Eccleſiæ annulo, & reverendæ paſtoralitatis baculo, ſanctæ Juvavenſis Eccleſiæ ſedi, ab Adalberone Wirzburgenſi Epiſcopo, XII. Cal. Auguſti, * juxta ſancita Canonum inthronizatur. Nec longo poſt convenientibus Ratiſponæ Gebehardo ejusdem urbis Epiſcopo. Engelberto Patavienſi Præſule. Ellinhardo Friſingenſi * Pontifice. Altwino Sabionenſi Antiſtite. Adalberone Wirzburgenſi Præſide. Gunzone Fihſtetenſi Epiſcopo, in gradu Epiſcopalis honoris per læta popularium ſuffragia III. Cal. Auguſti, fœliciter eſt provectus. Ab hinc uno & ſemis anno, pallii inſignibus & privilegio ſingularis præ cæteris Coëpiſcopis principatus ab Alexandro Romanæ ſedis Epiſcopo, per Wezilinum Præpoſitum octavo Calend. Martii, glorioſiſſime perſplenduit. Sed hic tripliciter honoratus.

** intra.*
** Epiſcopo.*

His ille honoribus neſciebat ſuperbire, ſed magis humilia de ſe ipſo noverat ſentire. Divitiis etiam affluentibus cor non appoſuit, * ſed his tripliciter uſus, aut in augmentum & proficuum Eccleſiæ ſuæ expendit, aut Monaſteria & Baſilicas ex eis conſtruxit, vel pauperibus erogavit.

** ſed, deeſt.*

Præterea tam regno quam Romanæ ſedi accommodatiſſimus exiſtens, dilatavit gloriam populo ſuo & Eccleſiæ, quousque inimicus ſuperveniens zizania diſcordiæ, inter regnum & ſacerdotium, proh dolor, ſeminavit. Præſul ergo egregius, cum inſtar

Digitized by Google

inſtar lucernæ candelabro ſuperpoſitæ, omnibus qui in domo Dei erant, ſcientiæ & vitæ merito luceret, eum ſancta Romana Eccleſia, quaſi ſpecialem filium ſuum, quaſi verum Catholicum, judicavit eſſe dignum, cui legationem ſuam ſuper omnes Teutonici regni Eccleſias committeret. Sic itaque ex Archicapellano regni, Archiepiſcopus Juvavenſis & Legatus Apoſtolicæ ſedis provectus eſt, & immobilis Eccleſiæ columna enituit. SÆC. XII. ANNO 1190.

Erectio Monaſterii Admuntenſis an. 1074. Quæ ſequuntur usque ad: Operæ pretium eſt hic inſerere, &c. deſiderantur in priori editione.

ANNO igitur incarnationis Domini M. LXXIV. ordinationis ſuæ XV. in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ, ſanctique Blaſii Epiſcopi & Martyris Monaſterium in valle Admuntenſi conſtruxit, quod & ipſo anno, tertio Calend. Octob. Indictione XIII. tempore Gregorii Papæ VII. anno ſecundo ordinationis ſuæ. Imperii vero Heinrici Imperatoris quarti hujus nominis anno XVII. In quo nimirum Monaſterio duodecim Monachos Sacerdos ad ſerviendum Deo ordinavit, ad quorum ſtipendia & veſtes, necnon & hoſpitum & pauperum ſuſtentationes prædia tradidit, inprimis quæ matrona quædam nobilis Hemma Comitiſſa de Frieſaco & de Truchſen, poſt mortem mariti ſui Wilhalmi Comitis & filiorum ſuorum Hartwici & Wilhalmi, tempore Baldwini Archiepiſcopi, ſancto Rudberto dedit in valle Admuntina cum aliis prædiis, ad cœnobium ibidem fundandum. Et præterea maxime illa, quæ ipſe ſui Epiſcopatus tempore, in jus Eccleſiæ Juvavenſis, cui, auctore Deo, præfuit, ex diverſis commutationibus & complacitationibus conquiſivit.

Dominicalia namque Epiſcopii attingere noluit, ſed ut diximus, prædiis quæ fidelium donatione, vel pro banni abſolutione, emptionis comparatione conquirere potuit, Monaſterium ipſum dotavit.

Fideles quoque ſuos, tam nobiles quam miniſteriales rogavit, ut prædia ſua, vel beneficia ipſi Monaſterio contraderent. E quibus ſpecialiter tres nobiles. Leupoldus, Maganus & Anzo, plurima quæ poſſederant beneficia reſignantes, Monaſterio tradi impetrarunt. Otaherus quoque Marchio, proavus Marchionis O. de Styre, intuitu dilectionis ipſius Deo digni Archiepiſcopi, & pro ſalute animæ ſuæ, tradit villam Epchdorff/ eidem Admuntenſi Monaſterio. Adilbero etiam germanus ejus Marchionis, qui diutinam cum fratre guerram habuit, pro abſolutione banni, & multimodis injuriis cœnobio in perſecutione Heinrici IV. Imperatoris illatis, tradidit per manus itidem Archipræſulis ſuper Altare S. Blaſii, villas duas ab Arnich/ cum omnibus ſuis pertinentiis, & prædium Huzenpuhele. Ad hæc complures decimas, ſuis exactionibus conquiſitas dedit, quia gens Sclavonica in ejus Epiſcopii terminis poſita, ante ipſius tempora, aut nullas, aut pauciſſimas reddere conſuevit. Dedit etiam ornamenta complura, auro, argento, & ſerico valde pretioſa veſtimenta ſcilicet ſacerdotalia, libros, calices, & quæque divinis miniſteriis neceſſaria. Inter cætera denique bona ſanctorum, egregiis pignoribus locum nobilitavit, inter quæ brachium ſancti Confeſſoris Paterniani, cum cohærente ſibi manu. Sed & ſancti Chriſanti Martyris calvariam, & commilitonis ejus ſanctæ Dariæ virginis, nec non & ſancti Vincentii, cum multis aliis ſanctorum reliquiis, eidem donavit Eccleſiæ.

LOCUS hic inter montana Bavariæ, juxta Anaſum fluvium in valle ſitus eſt. Aditum difficilem viantibus præbet, adeo ipſa natura munitus per gyrum, ut altiſſimorum montium ambitu cœlo proxime dicas circummuratum. Profectus niſi in montes aut ſurſum, non eſt. Hoc monaſticæ concluſioni præſtruente natura idoneum, hoc unum de cæteris, quare locus à ſtrenuis, longe lateque amatus expetitur, ab aliis horretur, fugitur. Neceſſe eſt, fortia diverſas mentes, aut provocare aut revocare. In hoc igitur loco Monaſterium beatus Præſul, fundare deſiderans, dum eſſet ibi conſtitutus, quia fiſcus Epiſcopalis erat, triduum continuum perſtitit, non manducans neque bibens, adeo æſtuans diſcerpebatur cogitationibus ſuis, dum quid definiret eligere poterat. Mulcebat partim facies loci, quod invius convictui hominum, tamen nullius idoneæ rei materiam in venis montium negaret. Angebat è contra non carpento neque trahea, verum ſolis Saumariis neceſſaria poſſe inferri. His animum diſtrahentibus, poſtridie etiam tum cunctanti, ſubito ſurdus & mutus quidam in medio exurgens divino nutu coram omnibus hæc verba in teutonico eleganter concinnavit, Epiſcopo inquiens: Tu debes inchoare, DEUS debet conſummare. Qui homo nec poſtea nec ante ullas edidit voces, donec poſt multos annos in depoſitione ipſius Epiſcopi ad ſepulchrum ejus pleniter aurium & linguæ eſt reſtitutus officio. Mirantur itaque univerſi, ſtupor & gaudium replent Epiſcopum. Mox quaſi divinitus accepto oraculo, intrepida mente, proniſſimo ſtudio, Monaſterium cœpit conſtruere,

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190. sacris vestibus, & marmore copioso ornare, redditibus ditare. Arnoldo Monasterio sancti Petri, ad provisionem ipsius loci ascito, favente Domino Reginwardo venerabili Abbate sancti Petri. Sed prædicto Arnoldo propter paupertatem loci, non diu hic durante. Isingrinus ab eodem est Archiepiscopo substitutus.

Prædictiones.

OPERÆ pretium est hic inserere, qualiter præfatus & sæpe nominandus Pater & Dominus * noster Gebehardus Archiepiscopus, ab ineunte ætate in proposito habuerit, ut si ex voluntate Dei facultas sibi posthac suppeteret, Monasterium aliquod, ubi divinæ laudes jugiter hymnizarentur construere, quod ex subsequenti relatione potest perpendi. Dum enim aliquando in pueritiæ flore constitutus cum collegis suis Altmanno postea Patavienſi Episcopo, & Adalberone postea Wirzburgensi Episcopo, studiis liberalibus imbueretur, contigit ut cum his, quos prædiximus fidissimis sodalibus, timore puerili fugam iniret. In via igitur ad quendam fontem diverterunt, & ibi de cistarciolis suis panem quantulumcunque proferentes corpuscula recreabant. Et licet puerili affectione, Dei tamen magis, ut post patuit, inspiratione præsagio virtutis suæ spiritu, inter cætera quæ confabulabantur Episcopos se futuros prædixerunt, & Monasteria se ad Dei servitium fundaturos voverunt, quod postea efficaciter compleverunt.

** noster, deest.*

Primus igitur Altmannus subintulit, se Patavienſis Ecclesiæ præsulatum velle conscendere, quo adepto, Monasterium se constructurum, ibique novissimam tubam ad resurgendum exspectaturum.

Dum Adalbero: Ego vero Wirzburgensis Ecclesiæ Pontificatum suscipiam, & cœnobium Christi servorum instituam, ubi & ego recondar, communem omnium præstolaturus resurrectionem.

Tunc Gebehardus: Ego amborum vestrum magister futurus ero, quia volente DEO Salzburgensis Ecclesiæ metropolatu sublimabor. At Monasterio, quod regulari institutioni ordinavero, ultimum examinis diem præstolabor.

Hæc ideo hic inserere dignum duximus, ut ostenderemus, quam grata DEO simplicitas istorum fuerit, & cordis mundicia, quorum * dicta puerili quodammodo joco prolata, tam mirabiliter ad effectum perduxit.

** dicta, deest.*

Nam Gebehardus in Salzburgensi metropoli postea sublimatus, Admuntense cœnobium, ut prædiximus, fundavit.

Altmannus Patavienſis Episcopus factus * Chotwisense Monasterium instituit.

** Tothuvisense.*

Adalbero similiter ante ambos Wirzburgensem sedem adeptus, Lambacense cœnobium construxit.

Excitio sedis Episcopalis Gurcensis an. 1072. Quæ hic sequuntur, habentur in Chronico Monasterii sancti Petri, Salisburgi, ante annos 320. conscripto, digna profectò quæ hic subjiciantur.

PRÆFATUS quoque Archiepiscopus, priusquam Admuntense fundaret Monasterium, anno incarnationis Domini M. LXXII. instituit sedem Episcopalem intra Carinthiam, in loco Gurca dicto, ubi prius fuerat cœnobium sanctimonialium, cui præfecit & consecravit Episcopum Guntherum, II. Nonas Martii, præsentibus & benedicentibus Episcopis, Altwino Brihssinensi, Ellenhardo Frisingensi, Candiano de Hystria, cæteris comprovincialibus Episcopis, Ottone scilicet Ratisponensi, Altmanno Patavienſi, per Epistolas suum in hanc ipsam ordinationem præbentibus assensum. Prolata est ibi tunc & Epistola Domini Alexandri Papæ, & ad confirmationem hujus constitutionis in auribus populi lecta & interpretata. Sed & litteræ Regis Heinrici, suum in hanc consensum pronuntiantes, similiter sunt recitatæ, quarum tenorem infra posuimus.

ALEXANDER Episcopus, servus servorum Dei, Gebehardo Salzburgensi Archiepiscopo, suisque successoribus in perpetuum. Quotiens ea à nobis petuntur quæ religioni conveniunt, prompta debemus concessione annuere, & favoris nostri gratanter præbere assensum, quoniam ex consideratione nostri officii cogimur Ecclesiarum utilitatibus, etiamsi minimè exigantur solicite invigilare, & animarum saluti solerti studio providere. Quapropter dilectissime frater, quia postulasti à nobis, quatenus Apostolica auctoritate concederemus tibi, unum Episcopatum in tua Parochia constituere, quia Ecclesia tua tam amplè diffusa est, quod per te solum non possis eam in chrismate, aliisque pluribus, quibus Episcopali officio indiget, decenter ac rationabiliter regere: Piis precibus tuis inclinati, libenter annuimus, & ut etiam impleatur, satagimus. Apostolica igitur auctoritate, venerande frater, religioni tuæ concedimus, volumus, & firmamus, atque auctoritate beati Petri, Apostolorum prin-

Digitized by Google

principis, in quocunque loco tibi melius visum fuerit, Episcopatum in tua Parochia, Sæc. XII. Anno 1190. construe, & ad procurandum salutem animarum, adjutorem tibi tua consideratione ibi præpone. Ita tamen, ut Episcopatus ille Ecclesiæ tuæ, tibique vel tuis successoribus nunquam subtrahatur, & nullus ibi Episcopus quandoque sive per investituram, ut dici assolet, vel quocunque pacto inibi constituatur, nisi quem tu, vel tui successores prompta voluntate elegerint, ordinaverint, & consecraverit. Indignum enim atque detestabile est, ut hoc quod studio pietatis à nobis quæsitum, Apostolica auctoritate firmatum, ad detrimentum Ecclesiæ tuæ quolibet modo vertatur. Si quis autem temerario ausu hujus nostræ sanctionis privilegium infregerit, noverit se Apostolicæ excommunicationis atque anathematis vinculo innodatum. At vero, qui pio intuitu custos & observator extititerit, perpetuæ benedictionis abundantia repleatur. Data Lateranis XII. Cal. April. per manus Petri Clerici, fungentis vice Petri sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Bibliothecarii, Anno ab incarnatione Domini M.LXX. Pontificatus vero Domini Alexandri Papæ II. nono, Indictione VIII.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Heinricus divina favente clementia Rex Quotiens ea à nobis petuntur, quæ religioni conveniunt, prompta debemus concessione annuere, & favoris nostri gratanter præbere assensum. Ergo fidelis noster Gebehardus Juvavensis Archiepiscopus, de commissarum sibi animarum periculis dolens conquestus est, quod Episcopatum suum in Montanis situm, præ nimia Parochiæ amplitudine, & viarum difficultate, per se solum regere non sufficeret, consultu fidelium nostrorum, pro necessitate Ecclesiæ, decrevimus & annuimus, ut infra Parochiam suam, adjutorem sui operis Episcopum & sedem Episcopalem constitueret. Igitur in loco qui dicitur Gurca, apud Ecclesiam sanctæ Mariæ, ubi prius erat congregatio sanctimonialium, placuit nobis ut Cathedram Episcopalem faceret, & eidem novæ sedi, partem Parochiæ suæ, & de prædiis & decimis, quantum sibi conveniens videretur attribueret, & ad eandem sedem, Episcopum ex sua consideratione ordinaret, ea videlicet ratione, ut Episcopatus ille, Ecclesiæ Juvavensi, & prædicto Archiepiscopo suisque successoribus, nunquam subtrahatur, & nullus ibi Episcopus, quandoque sive per investituram, sive quocunque modo constituatur, nisi quem prædictus Archiepiscopus, suique successores elegerint, ordinaverint, consecraverint. Et ut hoc nostrum regale præceptum stabile & inconvulsum omni permaneat ævo, hanc chartam inde conscribi, manuque propria corroborantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri. Ego Albero Cancellarius, vice Sigefridi Archicancellarii recognovi. Data II. Nonas Februarii, Anno Dominicæ incarnationis M. LXXII. Anno ordinationis Domini Heinrici Regis XVIII. regni vero XVI. Indictione X. Actum est Ratisponæ, in Dei nomine, Amen.

HÆ igitur utræque Epistolæ destinatæ sunt servari in Ecclesia Juvavensi. Juvit ad hanc novam constitutionem & quidam veterum notitiarum codex. Repertus enim erat talis in camera librorum Salzburgensi, & in eo repertum, qui Episcopi, sub quibus Archiepiscopis Salzburgensibus Ecclesiæ vices & ante gessissent in prænominata regione. Beatus enim Virgilius Episcopus octavus à beato Rudberto, gentem Karentanam tempore Thassilonis Ducis Bavariæ, quibusdam occasionibus, ad fidem Christi convertit, & Episcopum illic Modestum dictum, in loco Liburnia dicto constituit, per quem & per cujus successorum instantium, eadem gens Sclavonica à ritibus idololatriæ revocaretur. Item ab Arnone primo Archiepiscopo Theodoricus Episcopus. Ab Adalramo secundo Archiepiscopo, Otto Episcopus. A Liupramo tertio Archiepiscopo Oswaldus Episcopus, prælati sunt Karentanis. Repertæ sunt in eodem libello crebræ discordiarum causæ inter ipsos Archiepiscopos, & Subepiscopos illos, propter quas conjicitur & æstimatur vicem illam tunc cessaviſſe, & morientibus aliis, alios non fuisse substitutos. Et quia hujuscemodi stabilitatis anchoras non habebant, sedem videlicet Episcopalem & Clerum ac plebem, in separatis sibi Parochiæ terminis, cum qualibet supradicta restauratio renovata est & stabilita.

DEINDE post aliquot annos excommunicatur Rex Heinricus, in synodo Roma- *Heinricus IV. Imp. excommunicatur.*
na, & Episcopi singuli, missis à Papa Gregorio Epistolis, prænoniti sunt, etiam obsecrati pro observanda sancto Petro & ejus Vicario obedientia, inbanniti quoque & sub obtentu sui officii sunt astricti, ne Regi anathematizato & ejus consiliariis nominatis communicarent. Hoc novum sive rarum in Regem anathema, utrum ex venditione Episcopiorum & Abbatiarum, an ex alia infamia, causas sumpserit, penes

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

earum conſcios ſit & judices, nobis ſententia paſtoris timenda eſt, ſive juſta ſive injuſta. Prædictus enim piæ memoriæ Papa Gregorius, velut alter Helias Spiritu DEI plenus, & zelo juſtitiæ & veritatis accenſus, Sacerdotes Baal, non quadringentos, ſed infinita millia trucidaverat, quia vel eos qui per ſimoniam Epiſcopatus, Abbatias, Præpoſituras, Præbendas, vel Eccleſias obtinuerant, vel qui in ſacerdotio aut diaconatu uxores habuerant, vel qui à ſimoniacis vel ſchiſmaticis ordinati fuerant, gladio Petri omnes ſimul truncaverat. Proinde iſtorum inſtinctu Heinricus Imperator Wichpertum Ravennatem hæreſiarcham, expulſo præfato Papa Gregorio, Romæ inthronizavit, quem una cum Rege & ſuis complicibus & fautoribus jam dictus Papa anathematizavit. Videres nunc naviculam beati Petri, quaſi dormiente interim Jeſu propemodum mergi, & tempeſtatum procella vexari, dum omnes veritatem & fidem beato Petro & ejus Vicario ſervantes, aut in longum exilium, patria, honoribus, rebus exſortes jactabat. Tempora nimirum tunc valde periculoſa inſtabant, cum præter Chriſti athletam noſtrum Dominum Gebehardum Archiepiſcopum Salzburgenſem, Hermannum Metenſem, Meginwardum Friſingenſem, præter hos ſolos quinque, in toto regno Teutonico Epiſcopus Catholicus inveniri non poterat.

EA igitur tempeſtate iſte noſter Dominus ſæpefatus Archiepiſcopus fidelis Romanæ Eccleſiæ & veritatis Catholicæ propugnator eminebat, qui velut alter Machabæus lorica fidei ſe ſuccinxerat, & gladio verbi ſui caſtra Eccleſiæ in toto regno Teutonico protegebat. Proinde aure cordis, audiens illam Domini vocem in Evangelio clamantis: Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit. Quia Chriſtum pro redemptione Eccleſiæ, ad crucis brachia pendentem ſincera fide ſequi ſtuduit, multa tunc perſonæ & ordini indigna nimis, à fautoribus Regis excepit. Qui mox Eccleſiæ ſuæ bona diripiebant, unusquisque vicina ſibi quaſi ex permiſſione Regis vendicans, & bannos Domini Papæ, ipſiusque noſtri ob hanc direptionem illi factos parvipendens. Tunc etiam magna pars Ungaricæ terræ, quondam Eccleſiæ ſancti Rudberti traditæ ab Epiſcopo defeciſſe dicitur. Hac etiam neceſſitate ob munimen Eccleſiæ ſuæ in poſterum, caſtella duo munitiſſima Chriſti archimandrita ædificavit, ſcilicet in monte Salzburg & Werfen, ſed & unum caſtellum apud Friſacum.

Gebehardi exilium.

SUB publica tandem fide, etiam dato à Rege ducatu, Ratiſponam veniens expurgare ſe, in quibus à Rege culpabatur, recuſavit, niſi prius omnia quæ ei ablata fuerant, juxta ſtatuta emendarentur. Inde prolixa inter eum & inter prolocutores Regis, coram Rege agitata eſt quæſtio. Poſtremo infecta re utrinque & indefinita, exivit ab Ratiſpona ad urbem ſuæ ſedis eo comitatu quo venerat reducens. Sed à media via divertit, & ad partes ſecum facientes ſeceſſit. Quia denique inimicis CHRISTI & Eccleſiæ reſiſtere non potuit, relicta ſyndone nudus ab eis profugit, quia relicta ſede ſua in exilium ſecundo Idus Octobris receſſit: Anno incarnationis Domini milleſimo ſeptuageſimo octavo, & novem annos, nunc in Sueviam, nunc in Saxoniam transmigrando cum ſuis ſimilibus Catholicæ veritatis confeſſoribus in exilio tranſegit.

Perchtoldus Epiſc. Salisburgenſis.

REX Heinricus Perchtoldum quendam ſui erroris conſentaneum in cubile Salzburgenſis Eccleſiæ ingeſſit, qui & ejusdem Eccleſiæ theſaurum ditiſſimum diſſipavit, & multa noſtræ Admuntenſis Eccleſiæ ornamenta cum nonnullis ſanctorum pignoribus diripuit, ipſum vero locum noſtrum ad ſolitudinem fere redegit.

Inter cætera pretioſa quæ tunc temporis idem intruſus ſeu Exepiſcopus nobis abſtulit, Rationale unum ex auro & gemmis pretioſiſſimis intextum, aureis catenulis dependens, pene mille marcarum pretio æſtimatum, quod Imperator Græciæ, fundatori noſtro Gebehardo Archiepiſcopo, dum legatione Cæſaris illò functus, filium ejus baptizaſſet, pro munere donaverat, juſſit prætatus Perchtoldus exponi militibus ſuis hæc largiturus. Duodecim igitur milites cæteris præſtantiores, avaritiæ ſiti furentes, pro rapiendo illo in litem verſi, ante atrium baſilicæ certamen ineunt, & mutuis ſe concidentes vulneribus, octo ex his ibi ceciderunt. Quidam vero ex fratribus Nordwinus Presbyter, Sacriſtæ ſeu Cuſtodis functus officio, ad tantum facinus perhorreſcens, & aliorum quatuor, qui adhuc ſupererant, ſimili cæde jam perituris, vitæ conſulens, arreptum Rationale, in quatuor fruſta confregit, cuique illorum ſuam partem tribuens. Qui Monachus eodem anno diem clauſit extremum.

Præ-

Digitized by Google

Prædictus quoque Perchtoldus duas patellas ſalis, ad Paierhalle, nobis abſtulit, & Comiti Gebehardo de Purchuſen has in beneficio tradidit. SÆC. XII.

ANNO 1190.

TANDEM miſeratione divina inardeſcente zelo fidelium, anno exulationis ſuæ nono, præfatus Dominus noſter Gebehardus, ab Engelberto Comite, & ab aliis quibusdam Eccleſiæ miniſterialibus, & compluribus militibus reductus eſt in Epiſcopium ſuum comitantibus ſe ſuffraganeis ſuis Epiſcopis, Altmanno ſcilicet Patavienſi, & Meginwardo Friſingenſi, & à Clero, & toto pene populo in ſedem ſuam eſt receptus. Ubi confeſtim tam eum qui ſuam ſedem invaſerat, quam & eos qui loca prædictorum ſuorum ſuffraganeorum occupaverant, anathematizavit, ipſe & Coëpiſcopi ſui. Sicque duobus fere annis curam exercens Epiſcopalem ſupervixit. *Gebehardus in Eccleſiam ſuam revertitur.*

ANNO igitur incarnationis Domini M. LXXXVIII. tranſactis ab ordinatione ſua annis XXVII. menſibus X. hebdomadibus duabus, diebus duobus, exacto fœlicis agonis curſu, ad palmam ſupernam vocatus XVI. Calen. Julii, in caſtro ſuo, quod Werven dicitur, hujus vitæ terminum, beato fine ſortitur, & deinde tranſlatus in noſtro Monaſterio, debita veneratione ſepelitur, ipſo die depoſitionis, ſurdum & mutum, quem prædiximus, ad ſepulchrum proprium curavit. Quo primo aliisque deinceps miraculis vivere ſe in cœleſtibus regnis teſtatur. *Obiit an. 1088.*

HIC à S. Rudberto primo Juvavenſis ſedis Epiſcopo, viceſimus ſextus fuit. Ab Arnone primo ejusdem ſedis Archiepiſcopo, ſextus decimus. Vir hic erat ingenioſus ſatis & litteratus, orationibus ſtudens & lectionibus, canonum maxime ſcrutator, eleemoſynarum largus, in contemptores & contumaces ultor irrevocabilis erat, ſive banno, ſive alterius poteſtatis exercitiis uti in illis voluit. Dictavit idem de illa diſſenſione, quæ ſuo tempore in Eccleſia fuit, libellum ad Hermannum Metenſem Epiſcopum, quo & ſemet excuſaret, & quantos ex contraria parte poſſet huic, cui ille favebat, parti ſociaret.

ERAT eidem Domino & Patri noſtro Gebehardo germana uterina nomine Diepurch, quæ cuidam nobili & libero Baroni Bavariæ Werenhero in matrimonio erat ſociata. Qui ambo poſt mortem filii ſui Gebehardi pari devotione Monaſterium Canonicorum Richerſpergæ fundaverunt, & CHRISTUM ſibi inibi hæredem inſtituerunt. *Diepurch ſoror Gebehardi.*

QUID fles Admuntis Gebehardi funere triſtis?
Reſtet poſt fletus, quod tibi, cerne, decus.
Eſt tibi Pontificis corpus non gloria vilis:
Cui locus hic tumuli, præ tot Epiſcopii.
In te divinos qui fecit jugiter Hymnos,
Et decantari cantica Pſalmographi.
Fecit & hoc in te, ſint & ſolatia cuique.
Plurima nam tribuit de quibus hæc ſtatuit,
Eſuriens victum, petat ultrò nudus amictum.
Et vagus hoſpitium, vallis es ænivium.
Propter juſtitiam, toleravit & ipſe rapinam.
Regis ob hanc odium, fugit in exilium.
Malens ille miſer, quam ſchismatis eſſe miniſter.
Tranſiit ad partes lite ſibi ſimiles.
Complicibus banni, ſtuduit ſe diſſociari.
Servans Roma tuo debita judicio.
Poſt in Epiſcopium, plebs hunc nonnulla receptum.
Gaudebat cura poſt ut & ante ſua.
Hic pro lege Dei, neſcivit cedere Regi,
Vel cuiquam forti, vel quoque dedecori.

PASTORE igitur tali ſubtracto de præſentibus, quo dignus erat non mundus, ſcriptura illa impletur propheticæ veritatis: Percutiam paſtorem & diſpergentur oves gregis. Mox enim Perchtoldus invaſor præfatus, favore Regis Heinrici, Metropolitanam occupat, & more lupi, caulas oveſque Chriſti & Eccleſiæ atrociter laniat, locum noſtrum fortiter devaſtat. Sed Chriſtus Dominus recolens promiſſionem ſuam, *Perchtoldus iterum ſedem Salisb. invadit.*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190. ſuam, Petro & Eccleſiæ ſuæ à ſe factam, tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam: contra eundem Perchtoldum, ſuum & Eccleſiæ inimicum, per Spiritus ſui gratiam, ſuorum fidelium excitavit conſtantiam. Qui in unum convenientes electione Canonica venerabilem Thiemonem, S. Petri Abbatem in Archiepiſcopum conſtituerunt, eique ad defenſionem Eccleſiæ, caſtra & munitiones Epiſcopii tradentes præfatum invaſorem de finibus Salzburgenſis Parochiæ expulerunt.

Thiemo eligitur Epiſc. Salisburg.

HIc igitur (*a*) Thiemo ingenuis parentibus, alto Bajoariorum genere oriundus, in primæva ætate, Altenſi Monaſterio, tam regularibus quam ſcholaribus diſciplinis traditus eſt imbuendus. Huic ab adoleſcentia, ſanctitas, innocentia, humilitas, prudentia, omnisque ſcientiæ genus oblectationi fuit, ibique juventutem ſuam exercuit. Cumque eſſet non ſolum in eis artibus, quas liberales appellant, ſed & in mechanicis univerſis ſimul, pictura, fuſoria, ſculptoria, omnibusque hujuſce generibus, & ſpeciebus ſubtiliſſimus, ut in quibusdam Monaſteriis, & noſtro ſpecialiter, in ejus ſculpturis & picturis perſpicuum eſt cernere, converſationis quoque & vitæ merito elimatiſſimus: Abbate ſancti Petri, pro nimia & pro diutina debilitate à proviſione Monaſterii ſui abſoluto, aſcitus eſt communi electione in Abbatem & inveſtitus ab eximio Gebehardo Archiepiſcopo.

Non multo poſt, præfato Archiepiſcopo propter ſchisma à ſua ſede expulſo, religioſus Abbas Thiemo execrans communionem invaſoris Perchtoldi, conceſſit in Sueviam, & in Hierſawienſe Monaſterium ſe recepit, privatum & communem ſe fratribus gerens. Poſt triennium ad ovile ſuum rediens, iterumque contagionem lepræ prædicti Perchtoldi pertimeſcens, in vicinam eremum Admuntenſis cœnobii ſe contulit.

Hirſaugienſe.

Poſtmodum defuncto, piæ memoriæ, Gebehardo Archiepiſcopo, ad Metropolitanum, ut diximus, eſt provectus & ordinatus, anno incarnationis Domini M. XC. Venerabilis ergo Thiemo Archiepiſcopus, ſicut in Hierſawienſi cœnobio ſub reverendiſſimo Abbate Wilhelmo, monaſticæ religionis inſtitutione fundatus, prædeceſſoris ſui veſtigia in defenſione veritatis Catholicæ, & propagatione religionis divinæ omnimodis ſequi ſtuduit, per quod Deo, Deique fidelibus valde complacuit.

Qui inveniens locum noſtrum valde deſolatum, quaſi paſtor bonus religioni monaſticæ, quæ tota jam apud nos periit, paterna pietate condoluit, & de Saxonia Giſibertum Abbatem valde religioſum adduxit, qui in Hierſawienſi cœnobio ſecum quondam Chriſto militaverat, & ob evitanda anathematis contagia, aſſignatam ſibi in Turingia Abbatiam, ſcilicet apud Reinherſprunen, zelo Catholicæ religionis & communionis reliquerat. Hunc ergo noſtro Monaſterio Abbatem præfecit, & tam pro Chriſti, quam pro ejus amore, proque animæ ſalute ſuæ, Monaſterii noſtri terminos, qui usque ad id tempus nimis erant anguſti, ſuis donationibus copioſe dilatavit. Totam namque in valle Parochiam, cum omni jure ſuo, & alia plura nobis contulit.

Multa patitur.

SED quia omnes qui volunt pie vivere in Chriſto Jeſu perſecutionem patiuntur, prædictus Chriſti famulus reverendiſſimus Archiepiſcopus, hinc à Rege Heinrico, hinc à præfato invaſore Perchtoldo multas inſidias patitur, capitur & multis cladibus afficitur. Nullum genus ærumnarum, quod turpe, quod miſerum eſſet, in quinquenni captivitate expertus non eſt, dum etiam chariſſimi cognati ſui, in conſpectu ejus truncati ſunt. De qua demum captivitate per quendam fratrem in cappa conſtitutum, Chunradum nomine, datis ab eo cuſtodi XL. talentis, liberatur. Sic igitur XIII. annis, quibus præfuit, bellis, obſidione, gladiis, captivitate omnia extrema perpeſſus, inſtar beati Athanaſii Alexandrini Epiſcopi, nunquam pene liberum corpus, nedum libera authoritas fuit.

TANDEM comitante ſecum eodem Monaſterii noſtri Abbate Giſiberto, cum Welfone Duce Bavariæ, & Ita Marchioniſſa Auſtriæ, aliisque multis Hieroſolymam proficiſcitur, & à paganis (*b*) captus atque in Corrozaim urbem deportatus, multisque pro fide Chriſti ſuppliciis laniatus, tandem martyrio conſummatur.

Tunc

(*a*) Hujus vitam edidimus ad an. 1150. quo ſcripta fuit; ibi vide Obſ. BASN.

(*b*) In vita Thiemonis prius edita dicitur captum a Saracenis, nihilominus ad idololatriam impulſum: quod ſibi repugnat. BASN.

Digitized by Google

Tunc etiam prædictus Abbas Giſibertus Cal. Octobris apud Jeruſalem obiit. SÆC. XII.

POST hujus ergo exceſſum, invaſor Perchtoldus metropolitanam ſedem incubat, donec viſitatio emiſſa ab Altiſſimo, Chunradum, genere, ſcientia ac moribus egregium deſolatæ Eccleſiæ paſtorem & Archiepiſcopum idoneum (c) condonat. ANNO 1190. *Conradus Epiſc. Salisb.*

Hic namque VII. Idus Januarii Archiepiſcopus conſtitutus, poſtmodum eodem anno, ſcilicet XII. Cal. Novembris à Paſcali Papa ordinatus, & pallio honoratus eſt, Anno incarnationis Domini milleſimo centeſimo ſexto. Qui tanta morum probitate, & religionis auctoritate cœpit eminere, ut omnibus in Theutonico regno inſtitutioni & exemplo fuerit. Cujus quanta erga Deum fides, & ſanctam Eccleſiam zelus viguerit, in facto ſubter notato declaratur.

Rex Heinricus V. cum exercitu copioſo circiter XXX. millia equitum electorum Italiam ingrediens, habens in comitatu ſuo prænotatum Archiepiſcopum Chunradum, Romam usque acceſſit, benedictionem Imperialem à Domino Paſcali Papa ſuſcepturus. A quo nimirum Apoſtolico, cum Clero & populo Romano, ſummo cum honore ac tripudio eſt exceptus. Sed Rex continuo, quorundam ſceleratorum conſilio, ipſum Dominum Apoſtolicum captivavit, pro electionibus videlicet & inveſtituris Epiſcopiorum. Videns hæc venerabilis Juvavenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus Chunradus, zelo iniquitatis vicem Dei dolens, factum hoc improbavit. Cui dum quidam ex miniſtris Regis Heinrici, cognomento Caput, evaginato gladio mortem interminaretur, tanquam pro juſtitia mori optans jugulum præbuit, malens ſi minas ille ad effectum perducere voluiſſet, temporalem vitam finire, quam tanti piaculi ſcelus diſſimulare. *Henricus V. Pontificem captivum tenet.*

EX INDE odium Imperatoris & ejus fautorum in tantum incurrit, ut in ejus perſecutione, ſicut de beato quondam Athanaſio legimus, totum pene conjuraverat regnum, & commoti ſunt principes terræ, nec ei ullus locus tutus ſupererat ad latendum, dum ad inveſtigandum eum omnes moverentur. Infra vallem Admuntenſem in cujusdam ſpelunca montis dimidium pene annum eſt occultatus. Rurſus ejusdem infra Monaſterii cellulæ ambitum in cellario ſubterraneo XVI. hebdomadibus latitavit. In cujusdam gurgite amnis usque ad mentum immerſus diem integrum exegit. Inde clandeſtino diſceſſu Saxoniam petens à Magdeburgenſi Archiepiſcopo venerabili Adilgoz nomine, officioſiſſime ſuſceptus eſt & retentus. Qui etiam quotquot ad ipſum Patrem noſtrum Chunradum Salzburgenſem Epiſcopum occulte ob metum Cæſarianorum pedites veniebant, multis muneribus honoratos equites remittebat. *Conradi fuga.*

Miſeratione demum divina, pace redintegrata Eccleſiæ, à Luipoldo Styrenſi Marchione, in manu forti requiſitus, ad ſuam honorifice poſt novem annos reductus eſt ſedem.

RURSUM Eccleſiæ propriæ ſtrenue invigilavit, & inter cæteros ejusdem Salzburgenſis Eccleſiæ dignos per ipſum profectus, majoris Eccleſiæ Clericorum vitam in melius informavit, & communem vitam Canonicorum ſancti Auguſtini ibi initiavit, anno Dominicæ incarnationis M. CXXI.

HIC ergo Deo dignus Archiepiſcopus, noſtrum Monaſterium adiens, idque penitus deſolatum inveniens, interius quidem ſpiritalis vitæ religione, exterius vero rerum poſſeſſione, funditus indoluit, & inſtar beati Martini cœlitus ſibi reſervatum pauperem noſtrum locum, omnimoda nuditate deſpectum, religione ac poſſeſſionibus veſtire deliberavit, in quo ante creatoris ſui conſpectum æternæ gloriæ amictum comparavit. Præfecerat autem eidem loco ſecundo ſuæ ordinationis anno, venerabilem Abbatem Wezilonem, qui etiam apud Lambacenſe Monaſterium jam dudum primus Abbas claruerat, & ob virtutum probitatisque exercitia ejus juſſu Admuntenſis quoque Monaſterii curam adminiſtrabat. Quo poſt aliquos annos apud Lambach) rebus humanis exempto ibique ſepulto, Dominus Heinricus ex cœnobio Chremsmunſter) in Abbatem eſt electus. Hic à ſanctæ recordationis Paſcali Papa privilegium Apoſtolicæ defenſionis, & donationem ſanctorum Archiepiſcoporum Gebehardi & Thyemonis perpetuæ confirmationis Monaſterio noſtro conquiſivit: Anno incar- *De Monaſterio S. Petri.*

(c) Anno ſcilicet 1106. BASN.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190. incarnationis Domini M. CV. quod in ſacrario Eccleſiæ debita obſervatione conſervatur repoſitum. Qui poſt paucos annos iter faciens in Enſtall/ in amne Wizinbach/ eſt ſubmerſus & ad Monaſterium relatus, in atrio Baſilicæ ſanctæ Dei genitricis Mariæ ſepultus eſt, ubi & Iſingrinus primus loci Abbas eſt tumulatus. Sicque locus Abbate quatuor fere annis carebat. Ottone Priore, poſtea Milſtatenſi Abbate, ipſius loci proviſionem adminiſtrante. Interim ſtatus religionis & monaſticæ plurimum apud nos vacillabat. Proinde præfatus Archiepiſcopus legatum cum litteris in Sueviam ad Reverendiſſimum Abbatem Monaſterii ſancti Georgii, nomine Theogerum, deſtinavit, cujus tunc temporis in toto regno Teutonico fama celebris fuit, qui in fine vitæ ſuæ pro incomparabili ſanctitate, præcepto ſedis Apoſtolicæ Cathedram Metenſis Eccleſiæ coactus ſuſcepit, ejusque ordinationi, ipſe Archiepiſcopus, piæ memoriæ, D. Chunradus Corbeia Saxoniæ cooperator interfuit, ubi eundem legatus Apoſtolicæ ſedis, Dominus Chuno Prænestinæ Eccleſiæ Cardinalis Epiſcopus, venerabiliter conſecravit. Hunc ergo per legatum ſuum, nomine Odalricum de Elſendorf, poſtea Monaſterii noſtri Monachum, miſſis litteris ſuppliciter exoravit, ut ſibi venerabilem virum Wolvoldum, ſui Monaſterii profeſſum transmitteret, quem noſtræ Eccleſiæ Abbatem præficeret. Qui videlicet Wolvoldus quondam Friſingenſis Eccleſiæ Canonicus, poſtea monaſticæ profeſſus religionis Monaſterio Huſenhoven, quod poſtea Schiram translatum fuit, eſt prælatus, ſed perſecutionem advocati ſui ferre non valens, ac per hoc fructum ſibi in commiſſa vinea non eſſe videns, ſuæ ſaluti providit, relictoque infructuoſo habitationis agro ad Monaſterium S. Georgii, ſub obedientia præfati Domini Theogeri ſe contulit. Qui ſuper eum petitioni Domini Archiepiſcopi devotus annuit, & quia ſpiritu Dei plenus fuit, prophetiam quondam ſuper eum aſſignavit, quam poſtea rerum eventus manifeſte comprobavit. Dixit enim fratri Odalrico præfato Archiepiſcopi legato. Ducite eum in gaudio, & ſcitote pro certo, quia per eum in divino officio tota veſtra proficiet regio. Hunc ergo quaſi cœlitus à Deo ſibi transmiſſum Dom. Archiepiſcopus ſumma veneratione ſuſcepit, & ei ad Monaſterii noſtri reparationem & ſublimationem, tam in interioribus quam in exterioribus, tota cordis ſui devotione aſtitit.

Traditiones ſane prædeceſſorum ſuorum in membranis ſcriptas inveniens poſſeſſiones Eccleſiæ noſtræ quacunque diſtractas, in forti & potenti manu requiſivit, & eas aut pro excommunicationis ſententia, aut per datam pecuniam liberatas, loco noſtro reſtituit, ipſasque ſuis donationibus pie augmentavit. Nam præter eas poſſeſſiones, quas vel à prædeceſſoribus ſuis Eccleſiæ noſtræ traditas, ſed injuſte ablatas liberavit, vel quas ipſe ſua liberalitate donavit, multorum etiam fidelium donationes nobis ablatas, tum officii ſui auctoritate, tum pecuniæ ſuæ largitate Eccleſiæ noſtræ reparavit. Traditiones ſane ſive ſuas, ſive prædeceſſorum ſuorum, ſui privilegii auctoritate nobis confirmavit, quod ſui ſigilli impreſſione corroboravit.

Cujus auxilio & miſericordia prædictus Abbas noſter Dominus Wolvoldus in omnibus ſuffultus, & quaſi muro à dextris & à ſiniſtris undique vallatus copioſam meſſem fidelium tam virorum quam mulierum colligere cœpit, quia congregatis Monachis ac fratribus plurimis, ejus obtentu ſororibus quoque quas primus hic adunavit, undecunque advenientibus Monaſterium inſtituit apud nos. Cujus ſolertiam & prudentiam cernens memoratus Archipræſul, eum in partem ſollicitudinis ſuæ aſcivit, & Archidiaconum ordinatum cæteris Eccleſiæ Archidiaconibus præfecit. Cœnobium quoque ſanctimonialium apud S. Georgium, ejus curæ ac regimini commendavit, anno incarnationis Domini M. CXXII. quod & ipſe ad ſpiritualis apicem religionis decenter reformavit.

Sub hujus Patris magiſterio claruerunt in cœnobio noſtro quædam monaſticæ profeſſionis lumina: Reinbertus Prior, poſtea Monaſterii S. Petri Abbas, indeque in Epiſcopum Brixinenſem provectus: Et Rabanus poſt eum Prioris functus officio. Dietmarus qui poſtmodum Abbas apud Ozziach claruit, patruus Ekberti ſenioris Comitis de Putene. Engilſchalcus poſtea Burenſis Abbas, & tres illiterati ſecundum ſæculum quondam nobiles, ſed ſecundum Deum præſtantiores. Odalricus de Elſendorf qui prædiis ſuis Monaſterium noſtrum non minimum locupletavit. Item alius Odalricus longus. Magnus, qui cum filio & uxore ſua converſionis habitum apud nos expetens, prædia regalia nobis contulit, ſed & Witilo quidam religioſus.

Horum

Digitized by Google

Horum denique & aliorum plurimorum ſpirituali fervore, religio monaſticæ obſervantiæ in Admuntenſi Monaſterio egregie florebat. Sæc. XII. Anno 1190.

IGITUR præfato Patre noſtro Wolvoldo, poſt multos tandem Monaſticæ religionis fructus, fœliciter ex hac luce Calendis Novembris ſubtracto, anno incarnationis Domini M. CXXXVII. regiminis vero ſui anno XXIII. communi fratres electione Dominum Gotfridum Priorem Monaſterii ante S. Georgii, ſibi in Abbatem elegerunt, & per Monachos noſtros Odalricum præfatum & Witilonem, pro ipſo à congregatione directos, per Dominum Theodwinum ſanctæ Rufinæ Cardinalem Epiſcopum illum impetravit.

Qui videlicet Dominus Gotfridus prius in loco, qui dicitur Wingart, fuerat in Abbatem datus, ſed quia vineæ illius cultus erat infructuoſus, interventu Domini Theodwini, à Domino Papa Innocentio, canonicè inde eſt abſolutus, & noſtræ Eccleſiæ procurationi liberè dimiſſus.

HIc ergo paſtoris nomen factis ſolerter adimplens, gregi ſibi commiſſo diligenter invigilavit in tantum, ut divino munere, illiusque providentia, necnon & ſæpedicti, piæ memoriæ, Dom. Chunradi Archiepiſcopi opera & laboribus, quaſi novum denuo initium accipiens locus, tum variis modis, tum principaliter famæ gloria, obſervantiarum rigore, oblationibus ſeu donationibus fidelium, nobiliſſima Monachorum atque ſororum multitudine, neſcio an ſuper omnia Germaniarum Monaſteria non invaluerit.

Denique inter cætera ipſius patris Gotfridi egregie geſtorum monimenta, & magnorum Monaſterii proficuorum ſuo tempore emolumenta, privilegia Romanæ ſedis à duobus Apoſtolicis, Innocentio & Lucio obtinuit, Apoſtolicæ videlicet tuitionis. Sed & beatorum Pontificum Gebehardi & Thyemonis, & ipſius Domini Chunradi, traditionum perpetuæ confirmationis.

INCITABANT & cooperabantur tunc temporis ad ſtudium religionis, quidam ſpiritualis vitæ boni æmulatores, qui fama ſua & exemplo plures alios attrahebant. Rabanus Prior ſupradictus, & quatuor illi quorum ſupra mentionem fecimus illitterati, ſed & Wernherus ſecundi Prioris & armarii functus officio, qui poſtea Brulenſe cœnobium ſtrenue rexit. Perchtoldus cœnobii ſancti Emmerammi poſtmodum Abbas, ſed & alii plures, qui ob meritorum inſignia diverſis ſunt poſtea prælati cœnobiis.

Tredecim namque Abbates illo in tempore de noſtro ſunt Monaſterio, ad alia cœnobia aſſumpti. Præter hos & aliæ apud nos religioſæ perſonæ tunc enituerunt. Odalricus Sacerdos & ſacriſta. Perchtoldus ſcriba egregius, qui librorum multitudinem non parvam Monaſterio noſtro propria manu deſcripſit. Lampertus quoque ſcriptor ſolertiſſimus, ſed & Gotſchalcus, tam ſub Gotfrido Patre, quam ſub trium ſubſequentium Abbatum magiſterio præcentor, idemque ſcriptor egregius. Salmannus etiam Plebani curam adminiſtrans. Item tres illiterati, ſæculo quondam nobiles. Reginherus videlicet, qui cum conjuge ſua æque nobili, & filio Leutoldo, bonæ indolis puero, poſtea Monaſterii noſtri Abbate, ad converſionem veniens, prædia non minima nobis contulit. Arbo de Byberch: Wernhardus de Urle: Inſinricus quoque qui cellarii functus officio, providentia tam ſui, quam aliorum religioſorum fratrum cooperantium, res Monaſterii plurimum melioravit. Tunc etiam Heinricus de Nazawe miniſterialis ſancti Rudberti, cum uxore & quatuor filiis, ad converſionem veniens, prædia & beneficia, quæ plurima poſſederat, Monaſterio cum manu Domini Archiepiſcopi Chunradi obtulit.

PER idem tempus Sophia Ungarorum Regis Belæ filia, filio Chunradi Regis Romanorum deſponſata, & regaliter ipſi cum inæſtimabili pecunia tranſmiſſa, mundo quod ſuum eſt diligente, ſcilicet bona temporalia, & fidem & veritatem negligente, prædicta regina ſecus quam regiam dignitatem decuit habita, regnum cœleſte pro terreſtri commutavit. Conſilio namque & auxilio Comitiſſæ Ratiſponenſis Liukardis, Admuntenſe Monaſterium expetiit, & cum ſacris Dei virginibus, humillima cõverſione & converſatione cœlibem vitam deinceps duxit. Nonnulli etiam Principum ſeu Comitum, ſed & plures nobilium, filias ſuas Deo ibidem ſub regulari ſervituras inſtitutione offerentes, cœnobium ipſum cunctis pene, ut ſuperius diximus, in Germania ſanctimonialium Monaſteriis celebrius reddiderunt.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

Chunradus obiit an. 1147.

MEMORATUS autem, piæ memoriæ, Dominus Chunradus Archiepiſcopus, ab initio ordinationis ſuæ usque in finem vitæ ſuæ Eccleſiam noſtram miſericorditer fovens & protegens, prætioſumque ac præclarum opus Monaſterii, quod heu poſtea incendio periit, marmoreis columnis apud nos inſtituens, quadrageſimo ſecundo Epiſcopii ſui anno, ſenex & plenus dierum V. Idus Aprilis fœlici fine quievit. Anno incarnationis Domini M. CXLVII. dignus utique, qui cum Neemia Deo dicere poſſit: Memento mei Deus in bono, & ne deleas miſerationes meas, quas feci in domo Dei mei, & in cæremoniis ejus. Exceptis enim duobus Monaſteriis ſanctimonialium Chiemeſſe & Goſſe, quæ illum audire noluerunt, quæ ipſum contempſerunt, nulla Eccleſia vel Monachorum vel Clericorum aut ſanctimonialium in toto ejus Epiſcopio fuit, quæ non aut ſub ipſo conſtructa, aut per eum in rebus interioribus aut exterioribus meliorata & augmentata fuerit. Ipſe ergo accipiat benedictionem à Domino & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Ipſe nempe dilectus eſt Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione eſt. Hic eſt divinitus directus in expiationem provinciæ Salzburgenſis, quæ tulit abominationes impietatis, & erexit nobis cornu ſalutis & totius religionis.

Fuit autem nobiliſſimis ortus natalibus, patruus videlicet duorum Comitum de Ambinberch, Ottonis & Rapotonis.

Eberhardus creatur Epiſc. Salisb. anno 1148.

DEFUNCTO beatæ recordationis Domino Chunrado Archiepiſcopo, Clerus & populus Salzburgenſis Eccleſiæ, divina, ut non ambiguum eſt, inſpiratione, præcipue interventu Domini Gotfridi Abbatis Admuntenſis, unanimi electione & voto, Dominum Eberhardum Biburgenſem Abbatem in Archiepiſcopum elegerunt, anno incarnationis Domini M. CXLVIII. ſub Chunrado Rege, anno regni ejus decimo.

Hic ergo Eberhardus, dilectus Deo & hominibus, & nobilibus & religioſis parentibus oriundus, prius Canonicus Babinbergenſis, poſtmodum Monachus Pruvingenſis, indeque in Abbatem Biburgenſem fuerat aſſumptus, quod etiam cœnobium ipſe & ſui germani, auxilio & cooperatione, fœlicis memoriæ, Ottonis Babinbergenſis Epiſcopi, fundaverant. Divina itaque gratia & virtutum ſuffragantibus meritis, Archiepiſcopus ordinatus, gregi ſibi commiſſo, non ſolum verbo eruditionis, ſed & exemplo ſanctiſſimæ converſationis ſtuduit præeſſe.

Inter cæteras namque virtutes, his ſpecialiter Spiritus S. donis refulgebat, mira erga omnes humilitate, patientia & manſuetudine. Adhæc miſericordiæ ac eleemoſynarum operibus in tantum erat deditus, ut raro aut nunquam noſtra ætate ſimilem ejus, in compaſſione afflictorum, conſolatione lapſorum, ſuſtentatione miſerorum viderimus, vel fama perceperimus, qui ſic, inquam, omnibus omnia factus eſſet. Præterea ſanctæ Dei genitricis Mariæ ſedulum die ac nocte exhibebat obſequium, ut merito ejus cognominaretur Capellanus. De quo non amplius dicendum arbitror, quia qualis fuerit, luce clarius, toti jam mundo Deus innotuit, creberrimis ad ſepulchrum ejus miraculis.

HIc præ cæteris Epiſcopii ſui locis & Eccleſiis Admuntenſe cœnobium, prædeceſſorum more, familiarius diligebat, fovebat, & amplificabat, cui etiam incendio miſerabiliter collapſo annuatim quousque repararetur, XXX. libras argenti impendebat, & de redditibus ſuis plusquam XVI. marcarum æſtimatione, paterne ſubveniebat. Poſſeſſiones quoque ejusdem Monaſterii ſuis donationibus, & præcipue decimarum collationibus, large adauxit, & privilegiis communivit.

Cujus temporibus quidam Chriſti fidelis, converſatione laicus, prædives opibus, Gotfridus de Weterfeld, Chriſtum divitiarum ſuarum habere cupiens hæredem, Admuntenſi cœnobio pecunias ſuas in auro & argento contulit, cum quibus prædia nonnulla coëmpta ſunt, maxima vero pars in ædificio Monaſterii ſororum expenſa eſt. Quod Monaſterium prius ex alia parte fluminis, juxta Eccleſiam S. Amandi ſitum, Dominus Abbas Gotfridus in alium locum tranſtulit, & anno incarnationis Domini M. CXLIV. conſummavit.

Præterea prænotati Patris Gotfridi ſapientia & religione, ſed & univerſæ Admuntenſis congregationis diſtrictæ converſationis rigore inductus, Dominus Eberhardus Babinbergenſis Epiſcopus, vir tam litterali ſcientia quam ſæculari ſapientia cluentiſſimus, interventu Dom. Adriani Papæ, licet laborioſe, obtinuit, ut Monaſterium ſanctimonialium ad Pergin dictum, ſuæ ſedis dominio adjunctum, prædicti Abbatis

Digitized by Google

batis Gotfridi & fratrum ſuorum opera ad ſpiritualis obſervationis meliorem ſta- Sæc.
tum informaretur. Voti ergo ſui compos eſt effectus, & jam dictum cœnobium XII.
Admuntenſibus fratribus eſt aſſignatum, anno incarnationis Domini M. CLVI. quod Anno
deinceps tam in interioribus quam in exterioribus, ſicut in præſenti cernitur, fœlix 1190.
ſumpſit incrementum.

IN diebus quoque Archiepiſcopatus, Deo digni Antiſtitis Eberhardi, ſchismate pernicioſo Eccleſia cœpit laborare, dum ex parte Eccleſiæ Alexander Apoſtolicus habebatur; ex parte vero Imperatoris Friderici, & ejus ſequacium, Octavianus, qui & Victor, Apoſtolici nomine falſo extollebatur. Qua tempeſtate, iſte beatus Antiſtes, nutantem Eccleſiam in Teutonicis partibus, ad unitatem & fidem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ revocabat & roborabat.

Tandem bono certamine decertato, Domino vocante, apud Runa cœnobium naturæ conceſſit debitum, X. Calen. Julii, anno incarnationis Domini M. CLXIV. indeque Juvavum deportatus, debita veneratione eſt ſepultus. Ad cujus tumbam divinitus oſtenſa miracula, eum vivere in cœleſtibus atteſtantur.

POST cujus deceſſum Prælati cum Clero & miniſterialibus Eccleſiæ conſilio habito, elegerunt Dominum Chunradum Patavienſem Epiſcopum, ad Salzburgenſem Metropolitanum anno quo ſupra, videlicet incarnationis Domini M. CLXIV. III. Cal. Julii, virum ſane regio genere, ſcientia quoque & morum probitate nobiliſſimum.

Patre namque, bonæ memoriæ, clariſſimo, regni Principe Luipoldo Marchione Auſtriæ, ac matre Agneta, filia Heinrici quarti Imperatoris progenitus fuerat, germanus etiam Chunradi Regis Romanorum, ſed & duorum Ducum illuſtrium, Leopoldi & Heinrici. Friderici vero Cæſaris patruus. Sororius autem Heinrici quinti Imperatoris, habens ſorores Gerdrudem Duciſſam Bohemiæ, & Berchtam Duciſſam Polanorum, ac Itam Marchioniſſam de monte Ferrato, & conſobrinam Imperatricem Hiſpaniæ Gerdrudem. De tam, inquam, illuſtri parentela proles ipſa nobiliſſima, traxit originem. Sed tantæ prædictus Antiſtes Chunradus nobilitatis lineam moribus extulit, probis actibus decoravit.

De Patavienſi namque Eccleſia, cui XVI. annis præfuit, ad Salzburgenſem, ut diximus ſedem translatus, quicquid prius in ſe notabile reprehenderat, nunc quaſi novum hominem indutus, cœpit corrigere, & forma gregi ſibi commiſſo ſe non ſolum nomine, ſed & re & opere non ſegniter exhibere.

Eo tempore Octaviano ſchismatico mortuo, cum jam finem illius execrandi ſchismatis Eccleſia præſtolaretur, alter, proh dolor, pro jam dicto Octaviano, Guido dictus, à fautoribus Cæſaris intruditur potius quam inthronizatur, & noviſſimus error pejor effectus eſt priore. Itaque omnibus cum pene Germaniæ & Italiæ Prælatis, tali ſchismate ſeſe, tum timore, tum etiam favore Principis commaculantibus, & quod dictu horrendum eſt, Sacramento ut poſtea dicetur, ne ab hoc recederent, ſe obligantibus, prætaxatus Præſul immobilis columna veritatis, ſed & æquivocus ejus Chunradus Moguntinæ ſedis Archiepiſcopus præclariſſimus, nec non & Hartmannus Brixinenſis Eccleſiæ ſanctiſſimus Epiſcopus, murum ſe pro domo Iſraël opponebant, & pro conſervanda fide beato Petro & ejus Vicario viriliter agonizabant.

Prædictus tamen beatus Hartmannus menſibus VI. Archipræſulatus ipſius Domini Chunradi evolutis, poſtquam tam ei quam prædeceſſori ejus ſancto Eberhardo fideliſſime commilitaverat X. Calen. Januarii migravit ad Dominum. Chunradus denique Deo dignus Pontifex, primo conſtitutionis ſuæ anno, ad Dominum Imperatorem Papiæ poſitum accedens, regalia requiſivit, ſed obtinere non potuit, quia ſchismati communicare noluit.

ANNO deinde tertio ſcilicet incarnationis Domini M. CLXVI. curia Wirzburg ab Imperatore & cunctis pene regni principibus eſt celebrata, ubi Guidoni ſchismatico, tam Epiſcopi quam Abbates Germaniæ juraverunt, pauciſſimis ſe ab hac contagione ſubtrahentibus.

Eodem anno curia Loufe, vico Juvavenſis ſedis eſt habita, ubi ab Imperatore bona ejusdem Salzburgenſis Eccleſiæ ſunt publicata, & omnes regni fideles in perſecutionem Archiepiſcopi & ejus Eccleſiæ ſunt illecti. His ille malis imperterritus ſolemnes ordines Clericorum eodem anno, XV. Cal. Octobris, in Salzburgenſi civitate

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190. celebravit, ubi ſeptuaginta Sacerdotes, centum & octo Diacones, centum Subdiaconos & unum ducentos acolytos conſecravit. Hac igitur tempeſtate inexplicabilibus perſecutionum turbinibus, Dei agonitheta circumvallatus in Bavaria videlicet Plagenſibus & Palatinis Comitibus cum aliis illorum complicibus, in Carinthia vero Duce Carinthiæ, & Styrenſibus miniſterialibus rapinis ipſum & incendiis, ac multimodis inſidiis infeſtantibus, immobilis in templo Domini columna perſiſtebat, & tam Eccleſiaſtica cenſura, id eſt, communicationis jaculo illos feriebat, quàm materiali miniſterialium & aliorum Eccleſiæ ſuæ fidelium gladio, omnes eos revincebat. Et licet in talibus ærumnis poſitus militari manu ad munimen Eccleſiæ nunquam carere potuiſſet, nullatenus tamen poſſeſſiones Eccleſiæ pro hoc dilapidabat, ſcilicet nec prædiis, nec decimis Eccleſiæ ſuæ, ut plerisque in tali neceſſitate moris eſt, milites quantumcunque ſibi neceſſarios inbeneficiabat, ſed mobilibus quibusque rebus benevolos illos ſibi reddebat. Acceſſit præterea ſuper dolorem vulnerum ejus, quod divina permiſſione, quorundam, ut traditur, ſceleratorum factione, major Eccleſia S. Rudberti in Salzburg, admodum venuſta, & omnis civitas igne conſumpta eſt, nonis Aprilis, anno incarnationis Domini M. CLXVII. Hoc itaque illi pro defenſione veritatis irrogatum, & ad purgationem ejus à Domino permiſſum, quis dubitet? Multa tunc generi ſuo & ordini contraria, præfatus Pontifex, tum in propria perſona, tum in ſubjectis ſuis quibusque religioſis, necnon & in patrimonio Eccleſiæ ſuſtinuit, & tamen à veritatis tramite, nec terrore concutiebatur, nec ſuaſionibus Imperatoris & conſanguineorum ſeducebatur. His tribulationum preſſuris illum circumquaque quatientibus, in Admuntenſe Monaſterium ſeſe continue privatim & familiariter recipiebat, ibique à tumultibus ſæcularibus quantumcunque reſpirabat, cui etiam loco, tam conſilio quam omnimodo auxilio indies ſuccurrere, ac promotioni ejus intendere non deſiſtebat. Ad ſuſtentationem quoque pauperum quotidie ſupervenientium, decimas nonnullas hoſpitali eſt largitus.

Hujus Pontificatus anno ſecundo, qui ab incarnatione Domini M. CLXV. reverendus Abbas Admuntenſis Gotfridus, vir magnæ in Eccleſia Chriſti gloriæ & auctoritatis, ac multorum Pater Monaſteriorum, poſt multiplices fructus, quos Domino, & in propria converſatione, & in aliorum copioſa ædificatione fructificaverat, anno regiminis ſui XXIII. in bona ſenectute VII. Cal. Julii, diem clauſit extremum, & lachrymoſa filiorum & filiarum ſuarum querimonia, in feſto ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, debita veneratione corpus ejus terræ eſt commendatum.

Ejus ergo morte orbata congregatio Admuntenſis unanimi & Deo acceptabili electione, Dom. Liutoldum alumnum ſuum, in Patrem & Dominum, I. die Cal. Julii elegit, qui videlicet Liutoldus ab ineunti ætate probabili converſatione in eodem educatus Monaſterio, ſimplicem ac coram Deo & hominibus, ſine querela duxerat vitam. Nam & admodum parvulus à patre ſuo & matre ingenuis & nobilibus Domino ibidem fuerat oblatus, ipſis nihilominus parentibus cum unico pignore ad converſionem venientibus, & prædia magnifica cœnobio conferentibus. Non multo poſt igitur à memorato Archiepiſco inveſtituram ejusdem cœnobii ſuſcipiens, proximo deinde anno benedictione Pontificali in Abbatem eſt legitime conſecratus, XV. Cal. Maii, in die videlicet Palmarum.

HIc itaque oculis mentis anteponens ad quid vocatus eſſet, accinxit ut vir lumbos ſuos, & per omnia prædeceſſoris ſui veſtigiis inhærens, animarum profectibus ſpiritualibus & Monaſterii ſucceſſibus temporalibus pervigili cura inſudabat, & inter cætera prædiorum coemptionibus, poſſeſſiones Monaſterii, non minimum augmentavit. Sed quomodo, ut ait B. Auguſtinus, nemo Dei ſervus eſt ſine perſecutione: Tempeſtas perſecutionis, quæ D. Chunrado Archiepiſcopo, tunc temporis acrius incubuit, eum etiam & per totum Admuntenſe Monaſterium vehementer involvit, in tantum quod & Abbati & fratribus, res Monaſterii diſpenſantibus per aliquot annos, nusquam pene ſecurus patebat egreſſus & regreſſus, propter prædonum inſidias, quo ad usque divina miſeratione ipſa perſecutio, hac occaſione fuit ſedata.

Imperator Fridericus Monaſterium monialium in Niwenburch dictum, quod regiam ditionem ſpecialiter attinebat, volens ad meliorem ſtatum, tam in ſpiritualibus ordinis religione, quam in clauſuræ diſtrictione perducere, conſilio ſuper hoc, cum familiaribus principibus habito, per Admuntenſem Abbatem, & ejus fratres id potiſſimum digno effectui mancipare deliberavit. Proinde miſſa legatione ad Admuntenſem

Digitized by Google

tenſem congregationem, petivit inſtantius, Dom. Agnetem, magiſtram inibi virginum Chriſti, filiam Ottonis Comitis de Diezen & Wolfrathuſen prædicto loco in Abbatiſſam deſtinari, ad inſtituendam ibi Admuntenſis Ordinis obſervantiam, pollicens quod ſi quid petebat obtineret, pacem deinceps & omnimodam tranquillitatem, loco Admuntenſi affuturam. Sed & litteræ Principum regni illuſtrium, pro hoc ipſo ſupplicantium plures cum ſcriptis Imperatoriis ſupervenerunt. SÆC. XII. ANNO 1190.

Communi igitur totius congregationis conſilio, ac favore, prædicta Domina Agnes, cum quibusdam religioſis ſororibus, à Domino Liutoldo Abbate, tum pro animarum ædificatione, tum pro pacis apud nos forinſecus recuperatione, per venerabilem Dom. Rabanum Priorem, ad Niwenbergenſem locum honorifice eſt transmiſſa, & deputatis ei nihilominus & Sacerdotibus & cæteris idoneis fratribus ad exteriorum adminiſtrationem. Quo facto, ingruentium malorum utcunque ceſſavit quaſſatio.

POSTHÆC religioſiſſimus Prior D. Rabanus, poſtquam L. annis Prioratus officium ſtrenue adminiſtraverat, videns ſe præ nimia ſenectutis debilitate, ad regimen animarum minus ſufficere, abſolvi ſe ab hujusmodi cura inſtantiſſime poſtulavit, & neceſſitate exigente impetravit. In cujus locum unanimi congregationis applauſu, Dominus Iſinricus, vir tam vitæ quam ſcientiæ merito commendandus, & ejusdem loci alumnus, litteratus, profeſſus & conſecratus, à Domino Liutoldo Abbate regulariter eſt ſubſtitutus, qui etiam eodem anno nondum expleto in Abbatem Biburgenſem cum ingenti triſtitia omnium Admuntenſium eſt promotus, anno incarnationis Domini M. CLXIX.

REVERENDISSIMUS & DEO dignus Archimandrita Juvavenſis Chunradus, poſtquam bonum certamen certavit, curſum conſummavit, fidem ſervavit, quinto Archipræſulatus ſui anno, tunſionibus variis, lapis pretioſiſſimus Chriſto politus, apud Admuntenſe Monaſterium, quod ſemper unico ac paterno coluit affectu, IV. Calend. Octob. obdormivit in Domino, anno incarnationis Domini M. CLXVIII. ibique debita veneratione eſt ſepultus.

IGITUR poſt obitum virtuoſiſſimi Archiepiſcopi Chunradi, Clerus & populus apud Metropolim Juvavum coadunati, elegerunt unanimi voto in Archiepiſcopum, Dominum Adilbertum, filium Regis Bohemiæ Ladislai, & Gerdrudis ſororis prænotati Chunradi Archiepiſcopi, & Heinrici Ducis Auſtriæ, qui & ipſe pro fide Romanæ Eccleſiæ multis perſecutionibus, ut aurum in fornace eſt probatus.

POSTHÆC, fœlicis recordationis, Admuntenſis Abbas Liutoldus ſeptimo regiminis ſui anno, poſtquam utiliter, ſed admodum laborioſe, in vinea Domini deſudavit, anno incarnationis Domini M. CLXXI. tertio Nonas Septemb. Domino vocante, diem clauſit extremum: Quo etiam anno, beatus Thomas Archiepiſcopus Cantuariæ in Anglia, glorioſo martyrio eſt coronatus.

Poſt cujus deceſſum, in eligendo Patrem, fratres aliquandiu diſſidentes, quidam Dom. Iſinricum prænominatum Abbatem Biburgenſem, quidam Dominum Heinricum Abbatem Mûlſtatenſem, Popponis Comitis filium, & à puero ſimiliter in Admuntenſi educatum cœnobio, cœperunt expetere in Patrem & Dominum. Obtinuit tamen pars, quæ Dominum Heinricum elegerat, & altera pars cœpit huic aſſentire. Electus ergo Dominus Heinricus venire ad nos penitus abnuit, licet & multis & Epiſcoporum & Principum litteris pro hoc eſſet ſolicitatus, tum quieti ſuæ conſulens, tum priorem vocationem ſui & electionem in locum Mulſtatenſem obtendens, inſufficientiam ſuam ad regimen noſtri Monaſterii ſæpenumero proponens. Rurſus igitur, dum in electione Patris, vota eligentium ſcinderentur, & ob hoc diſſenſionum ſcandalis tota confunderetur Jeruſalem, tandem utcunque concordia facta: Rudolphus quidam Prior ſancti Lamberti eſt electus, cum item Dominus Iſenricus à pluribus religioſus eligeretur, & tamen ab aliis, ne illa electio effectum haberet, impediretur. Prædictus denique Rudolphus Admunti veniens, rigore obſervantiarum Ordinis noſtri ſibi hactenus inſolito & inuſitato, fratrum quoque exteriorum ſeu cappatorum rebellione puſillanimis redditus, poſt XII. hebdomadas loco ceſſit, & ab obedientia ſua fratres omnes abſolvit.

UNA-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

Irimbertus Abbas.

UNANIMI deinde electione, Dominus Irimbertus Abbas ſancti Michaëlis in Babinberg, noſter autem profeſſus, germanus Domini Gotfridi Abbatis, vir in ſacra ſcriptura apprime eruditus, ætate pene decrepitus, electus in Admuntenſem Abbatem, & miſſis nuntiis evocatus, per quinquennium & dimidium annum in ſancta converſatione loco præfuit, ac poſtea in nativitate Domini VII. Calend. Januarii, CHRISTO vocante, in ſenectute bona, migravit à ſæculo, anno incarnationis Domini M. CLXXVII. Scripſit hic in libros Regum quatuor, opus arduum ac luculentiſſimum, ſimiliter in librum Judicum & Ruth, egregie commentatus eſt.

MONU-

Digitized by Google

MONUMENTORUM
SALISBURGENSIUM
PARS SEPTIMA.

ARNONIS
SALISBURGENSIS ARCHIEPISCOPI,
Tempore Caroli Magni,

ANNOTATIO
SIVE
INDEX

Eorum quæ Eccleſiæ Salisburgenſi tradita ſunt

A

THEODONE
THEODOBERTO
HUCHBERTO
OTILONE
TASSILONE

DUCIBUS BAVARIÆ

Et aliis Nobilibus, Comitibus, ſive liberis Bojaricis.

Item

PRIVILEGIUM
PHILIPPI REGIS

Ad Confirmationem datum omnium locorum ſeu Privilegiorum Saltzburgenſis Eccleſiæ,

A D

EBERHARDUM II. ARCHIEPISCOPUM.

Primum è MS. Codice edita

Ab HENRICO CANISIO Noviomago, Juris Conſulto.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

JACOBI BASNAGII IN HUNC ARNONIS TRACTATUM OBSERVATIO.

DE *Arnone* plura diximus tum in Obſervationibus prævíis numero III. tum ad Catalogum Epiſcoporum Salisburgenſium; unum ſupereſt, ipſum ſibi tumulum erexiſſe, ut fert Epitaphium quod legitur Analectorum *Mabillonii* tomo Quarto:

Quisque velis Cryptam ſubſiſtens noſſe viator
Scito quod ipſe mihi vivus hanc Arno peregi
Qui fueram rector præſentis regmine ſedis
Ac opibus multis multoque potitus honore:
Nunc his omiſſis cunctis, mea membra quieſcunt.
Te rogo nunc Dominum precibus pulſare memento
Ut mihi det veniam ſcelerum quæcunque patravi
Quatenus æternam merear habitare quietem.

Peccat turpiter in proſodiam hic poëta; ſed Scriptoribus illorum Sæculorum plurima ſunt condonanda. De *Arnone* hæc habebat *Caniſius* in præfatione ad tomum ſecundum, quæ hic inſerimus. „ Arno is fuit quem Salisburgen„ ſes decimum Epiſcopum, Archiepiſcopum primum numerant: de quo hanc „ conjecturam tuto pro certa videor poſſe aſſerere, fuiſſe legatum à *Carolo M.* „ ad quæſtionem Romæ habendam in eos qui Leonem Pontificem excæca„ runt. Fideliſſimi, inquit Anaſtaſius Bibliothecarius, qui cum venerunt in „ Pontificale obſequium, *videlicet Gildivaldus & Arno reverendiſſimi Archie„ piſcopi.* Etiam alio tempore miſſus: Arnonem Archiepiſcopum miſimus, in„ quit Carolus M. capit. l. 7. c. 187. *ad Leonem Apoſtolicum, ut inter cæ„ tera quæ ferebat etiam eum & hoc interrogaret ut quidquid ſuper his de„ finiendum eſſet, Apoſtolica autoritate a noſtris Epiſcopis regulariter ſopire„ tur.* Denique hic eſt qui teſtamento Caroli M. interfuit, eumque Egin„ hardus Arn vocat, quo nomine hic non ſemel appellatur. „ Huc usque *Caniſius*, cujus conjecturæ cum veritate conſonant; nam *Arno* non modo miſſus eſt ut lites Pontifici intentatas dijudicaret ipſumque adverſus ſeditioſos tueretur; ſed & adfuit Arno cum Imperator inauguraretur Carolus Magnus Romæ an. 800. Alteram deinde legationem obiit anno 802. Agebatur tunc temporis cauſa *Chorepiſcoporum*: Plurimi tum clericorum tum Laïcorum ordinatos

Digitized by Google

dinatos ab ipſis Presbyteros rejiciebant, læſum potius quam conſecratum caput impoſitione manuum ab ipſis collata aſſerentes. Miſſus Romam Arno ut mentem Pontificis perſcrutaretur; definivit Pontifex irritas a Chorepiſcopis factas ordinationes reformari, ipſosque in exilium detrudi debere. Acerba nimis viſa eſt Pontificis ſententia Arnoni, qui juſſu Caroli Magni coacto Epiſcoporum cœtu Chorepiſcopos in Presbyterorum cenſum recepit, ita tamen ut nihil amplius de Epiſcopali miniſterio ſtatuerent, anno ſcilicet 803. Sub Ludovico Pio vixit ipſique Concilii Aquenſis decreta direxit Imperator, ut Metropolitani munere fungeretur cæterisque Epiſcopis ejus ope innoteſceret illa Synodus. Obiit anno 820. tumulo ſibi prius conſtructo, ut ſuperius notavimus. SÆC. XII. ANNO 1190.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

ANNOTATIO ARNONIS EPISCOPI

Tempore Caroli Magni Regis Francorum.

Episcop. Salisburgensis est Episcopatus Petri.

DE hoc vero quod ad Episcopatum beati Petri primi pastoris Ecclesiæ, sanctorumque Apostolorum principis, quod constructum est infra oppidum *Salzburg*, in pago *Labaocensium*, super fluvium *Igonta*, qui alio nomine *Salzaha* vocatur, ubi & Dominus *Rodbertus* Episcopus atque Confessor una cum Sociis corpore requiescit, & inibi traditum fuit, & ubi præest venerabilis vir per divinam misericordiam & mercedem Domini nostri Caroli excellentissimi Regis Arn. Episcopus.

Theodo Dux. Rodbertus.

PRIMUM quidem tradidit *Theodo* Dux prædictum oppidum simulque & castrum superiorem Domino *Rodberto*, cum terminis denominatis & confinibus vel omnibus appendiciis suisque adjacentiis, una cum campis, silvis, alpes, aquis, aquarumque decursibus, sicut ad supra memoratum oppidum, vel castro Saltzburch & reliqua loca vel possessiones, sicut inferius scriptum esse videtur. Simili modo tradidit idem Dux villa nuncupante *Pidinga*, in pago Saltzburchove, juxta fluvium *Sala* mansos XXX. inter vestitos & apsos, vel quicquid ad ipsos mansos aspicitur. Simulque & tradidit jam dictus Dux in eodem pago, in loco qui vocatur *Salinas Fornaces*. XX. & totidem pacellis, & tertiam partem de putiatorio ibidem concessit, quod barbarice dicitur *Galgo*. In super & jam dicto loco concessit decimam de sale de thelonio quod datur incenso dominico. Nec non & præfatus Dux tradidit Romanos & eorum tributales mansos LXXX. inter vestitos & apsos, commanentes in supra dicto pago Salzburgense, per diversa loca. Simul & jam fatus Dux tradidit in pago *Arragoe* secus torrentem *Fechilesaha* Romanos, & eorum mansos tributales V. inter vestitos & apsos. Itemque tradidit supradictus Dux in præscripto pago Saltzburgoe duos alpes, qui vocantur *Ganzo* & *Laduſa*, in quo sunt tantummodo pascua ovium. In pago vero Drunense tradidit memoratus Dux villulam, quæ vocetur Pachman, cum mansos X. inter vestitos & apsos, cum silva & prata vel pascua ad eandem villam pertinentem, & in pago etiam Tonaltgor tradidit ipse Dux secus amne Danubio jugeres vinearum duas, prope civitatem Reganesburcha dicta.

Teobertus Dux.

SUCCEDENTE vero filio ejus Theodberto Duce, qui tradidit villulam nuncupante Uzelinga in jam dicto pago Salzburchoe, secus fluvium Salzaha mansos XX. inter vestitos & apsos, cum omnibus appendiciis ad eam villulam pertinente. Itemque tradidit ipse Dux in loco qui dicitur Cucullos in supradicto pago Salzburgoe, super fluvio Salzsaha, id est mansos III. vestitos & prata vel pascua ibidem pertinentia. Ipseque Dux tradidit villam nuncupante Vualarseo in eodem pago secus stagnum Vualarseo mansos X. inter vestitos & apsos, & silvam vel aquarum decursionem in fluenta quæ vocatur Vischaha, & quidquid ad eandem villulam pertinere noscunt, simulque & locellum, qui vocantur Tal-goe in supradicto pago Saltzburgoe in quo est silva, prata, vel pascua. Pari modo præfatus Dux in supradicto pago tradidit villulam nuncupante Titamaninga, in qua sunt manſi XXIV. inter vestitos & apsos, (*a*) una cum silvis, campis, pratis, seu farinariis, (*b*) vel quidquid ad ipsam villulam pertinere videtur. In pago vero Isanagoe super rivulum Isana tradidit idem Dux villa nuncupante Ehardinge cum mansos XV. inter vestitos apsos, cum pratis & campis vel silvas atque farenariis ad eandem villam pertinente. Aliam vero villam in eodem pago tradidit ipse Dux

(*a*) Apsæ terræ sunt incultæ & opponuntur vestitis quas aravit Agricola. Sæpius hic repetitur illa vox eodem sensu BASN.

(*b*) Moletrina in qua conficitur farina BASN.

Digitized by Google

Dux nuncupante Tuzzlinga cum manſis XV. inter veſtitos & apſos, una cum terminis & confinibus ſuis ad eandem villam nuncupatam Opinga, in qua ſunt manſi XX. inter (*c*) barſcalcos & ſervos & inter veſtitos & apſos cum campis, pratis & ſilvis & omnibus appendiciis ſuis. SÆC. XII. ANNO 1190.

SUCCESSOR namque filius ejus Huchbertus Dux, tradidit in pago Rotagoe villa nuncupante Savarſtedi cum manſos XX. inter veſtitos & apſos, & cum terminis vel appendiciis ſuis. In pago vero Salzburgoe tradidit idem Dux in loco qui dicitur Endorff manſos veſtitos III. & apſo I. & terminum ſilvæ, quæ adjacet ſecus fluenta Fiſchaha, & in pago etiam Matagoe tradidit præfatus Dux in loco, qui vocatur Icinga manſos tributales IV. apſos. *Huchbertus Dux.*

POST hunc extitit Otilo Dux, qui tradidit in pago Iſnagoe villam nuncupatam Metumunhaim ſecus fluenta Iſana & in ea manſos XX. inter veſtitos & apſos, una cum omnibus terminis vel appendiciis ſuis. Tradidit idem Dux in pago Salzburgoe locillum qui dicitur Elleſnaunans, in quo prata & ſilva conſiſtitur, vel ſtagnum qui vocatur lacuſculus, ſimulque & Abriam lacum, in quo conſtat paſcua & prata vel ſilva, piſcatio atque venatio, & inibi aliquanti fratres propriis laboribus vivunt. *Otilo Dux.*

POST hunc vero ſucceſſit filius ejus Taſſilo Dux, qui tradidit in pago Tonagoe villam nuncupatam Poh cum manſos XXXIX. inter veſtitos & apſos, vel cum omnibus appendiciis ſuis ſeu terminis ad eandem villam pertinente, ſeu & territorium in eodem pago, in loco qui dicitur Chruchenperch, qui adjacet ſecus amne Danubio, in quo nunc ſunt plantagines vinearum inſtitutæ. Idemque Dux tradidit in pago Filusgoe, in loco qui vocatur Riute, manſos veſtitos duos. Inſuper tradidit prædictus Dux in pago Salzburchgoe villula nuncupata campus romanos cum manſos tributales XXX. inter veſtitos & apſos. Similiter tradidit ipſe Dux in pago Iſanagoe in fiſco dominico qui dicitur Poch manſum veſtitum unum. Itemque tradidit prædictus Dux in pago Salzburchgoe, in loco nuncupato Hal unum (*d*) puciatorium integrum, quod vulgariter dicitur Galgo. Tradidit ſiquidem præſcriptus in ſupradicto pago Salzburgoe in loco qui dicitur Regubertum ſervum, nec non & presbyterum cum omni domo vel poſſeſſione ſua, cum omnia, quidquid in ipſo loco habuit. Ipſeque Dux jam ſcriptus tradidit cellam quæ vocatur Garoz ſuper ripam Eni fluminis in pago Iſanagoe, quam conſtruxit Boſo clericus per licentiam jam dicti Ducis in honore Petri principis Apoſtolorum, & ipſe Taſſilo ipſum clericum commendavit ad ſupra dictum monaſterium una cum ipſa cella. *Taſſilo Dux.*

Item de hoc quod tradiderunt libri Bajoarii per licentiam Taſſilonis ad ſupradictum Epiſcopatum, quod fuit eis ex cauſa Dominica beneficiatum, ſimiliter & de illis poteſtatem non habent de ſe. Boſo liber qui & presbyter & Johannes frater ejus tradiderunt per licentiam Taſſilonis in pago *Pinnzgoe* loca nuncupantes *Biſonzio* & *Salafelda*, & in alio loco qui dicitur fico Romaniſco in pago *Salzburgoe* juxta fluvio *Sala*, id eſt in totum inter tributales & ſerviles manſos XV. & inter veſtitos & apſos, quod ſicut ſupra memoravimus ex cauſa dominica eis fuit beneficiatum, & ipſa traditione præfatus Dux ab ipſo loco plenius & firmius fecit confirmare: & in ſupra memorato loco Bizanzio ædificata eſt cella, in qua monachi labore manuum ſuarum vivunt. *Onno* & filius ejus Sigiwolff & Sigibaldus judex tradiderunt per licentiam, ut ſupra in jam dicto pago Salzburgenſe, in loco qui dicitur vico romaniſco manſos apſos. II. ſimili modo ex cauſa dominica ut ſupra *Mazzo* & *Appo* & Arbertus non poteſtatem habentibus tradiderunt per licentiam in pago *Iſanagoe* loca nuncupantes in Amfinga & in Widmbach & ad Hoccinhuſir idem in totum manſos VII. inter veſtitos & apſos. Hrodgaer & Gortſcals & Eparichar tradiderunt per licentiam ut ſupra in ſupradicto pago Salzburgoe loca nuncupantes in Wangin & in Walardorf ſeu ad Straza hoc eſt in *Liberi Bojarii.*

(*c*) *Barſchalci* ſunt liberi & ingenui; *Bar* enim Liberum, Gallis, *Libre & Franc* ſignificat: nihil frequentius ea voce in Teutonicis Rithmis. *Enbar* ſignificat Mancipium; quia *en* particula eſt negativa. Comites, Barones, nobiles, Scalcis & „ miniſtris bene de ſe meritis beneficia præſtabant, agros, „ ſylvas, domos cum libera facultare utendi & fruendi pro „ libitu; nec Dominis tenerentur ad alia officia quam corporis & imperii tuitiones: quod beneficii genus *Hoba ingenua*, „ *Vrihof*, hoc eſt, franca atque libera: cui repugnat *Hoba ſervilis*, qualis Caſatorum an Caſalium, qui Dominis ad ſervitia quæcunque & quocunque tempore poſtulata adſtricti. „ At *Hoba tributalis, Zinzhof*, Cenſualis, certa redituum ac cenſus conditione donata & tradita. Vide Hottoman: Lex feud. & Freher. ad Annal. Goldaſtum ad Parem vide hic ſæpius. Scriverius not. MS. Aliter paulo Cangius. A voce bar *Libero* originem duxere Barones. *Barſchalci* autem medium tenuere inter eos & *Schalcos*, hoc eſt, ſervos; fuerunt Baronum ſervi. *Cangius* in Gloſſ. p. 498. Ego potius Baronum Libertos. BASN.

(*d*) Legi debet Putatorium Scriverius not. MS. Male; eſt enim genuina lectio; putiatorium eſt vas quo hauritur aqua Salinaria. BASN.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

in totum manſos IX. inter veſtitos & apſos. Grimbertus Comes tradidit una cum permiſſione, ut ſupra in jam dicto pago in villula quæ vocatur Papinga manſos quatuor. Similiter ac cauſa Dominica Alexandra & Jacob filius ejus tradiderunt per licentiam, ut ſupra in pago Atragoe, vel in ipſo loco qui dicitur Atragœ manſos VI. inter veſtitos & apſos, quod & fuit ex cauſa Dominica eis beneficiatum. Gaerod tradidit per licentiam ut ſupra in pago Salzburgoe in loco qui dicitur Totenhuſir manſos tres, apſos ſimiliter ut ſupra. Helmcinus per licentiam ut ſupra tradidit in pago Drungoe in loco qui vocatur Chorinnbach, territorium quantumcunque poſſidere viſus fuit, quod nunc jacet apſum, qui fuit ſimiliter ut ſupra. Dignoldus tradidit per licentiam ut ſupra pago Salzburgoe in loco qui dicitur Liveringa manſos III. apſos, qui fuit ſimiliter ut ſupra: Egilulfus tradidit per licentiam ut ſupra in pago Matagoe in loco qui nominatur Steinbach manſos V. apſos qui fuit ſimiliter ut ſupra. Tiſa libera tradidit per licentiam Ottiloni Ducis in pago Salzburgoe in loco nuncupante monticulus, ſuper fluvio Salzaha manſos VII. veſtitos, qui fuit ſimiliter ut ſupra. Johannis ſervus tradidit per licentiam Taſſilonis in pago Salzburgoe, in loco qui vocatur Sura manſo I. veſtito qui fuit ſimili modo ut ſupra ex cauſa Dominica. Ermlint Deo ſacrata tradidit per licentiam ut ſupra in pago Rotagoe in loco qui vocatur Mallaking ſuper ripam Eni fluminis manſos veſtitos III. Simili modo ut ſupra. Gertlteaoz & Garmunt & Patto vendiderunt res eorum per licentiam Taſſilonis ex cauſa Dominica in pago Salzburgoe villa nuncupata Muldorff, id eſt manſos XXV. inter veſtitos & apſos. Theoderich tradidit per licentiam ut ſupra in pago Iſanagoe, in loco qui dicitur Perinbach manſos II. ſimiliter ut ſupra ex cauſa Dominica. Hildorf tradidit per licentiam ut ſupra in ſupradicto pago Iſanagoe in loco nuncupantes Rota, & ad Perck manſos X. inter veſtitos & apſos ſimiliter ex cauſa Dominica. Uvalco tradidit ſuum filium Odalhardam per licentiam ut ſupra, cum omni ſua hæreditate in pago Salzburchgoe in loco qui dicitur Dundilabrunna, id eſt manſos quinque inter veſtitos & apſos ſimili modo ut ſupra. Hrodbert tradidit per licenciam ut ſupra in pago Chimingoe in loco qui dicitur Pontena manſos V. inter veſtitos & apſos, qui fuit ſimili modo ex cauſa Dominica.

Tradidit Willipato clericus, qui & liber per licentiam ut ſupra in pago Sumdregaoe in loco qui dicitur Urdorff, ſuper rivulum qui dicitur Urpach manſos IX. inter veſtitos & apſos, ſimili modo ex cauſa Dominica, quam traditionem præfatus Dux manu ſua pleniter confirmavit. Tradidit Hereland per licentiam ſupra in pago Aguſtagoe manſos V. inter veſtitos & apſos, ſimili modo ut ſupra ex cauſa Dominica.

Cella quæ vocatur Auvæ, quam conſtruxit Baldun Presbyter in beneficio Dominico ſimulque & Rhrobertus Presbyter cum licentia Taſſiloni Ducis ſuper ripam Eni flminis in pago Iſanagoe, & quod ibi ex cauſa Dominica traditum fuit, idem in villa quæ dicitur Garoz in jam dicto pago manſos veſtitos IV. ſimiliter & medietate de villa, quæ vocatur Aſcauve manſos VI. tres veſtitos & tres apſos. Tradidit Taſſilo ad Eccleſiam ſanctiſſimi Petri principis Apoſtolorum quæ eſt conſtructa infra oppido Salzburhg.

Reliqua vero quod ibi traditum eſt, de genere nobilium hominum eſſe videtur, quum quidem aliqui homines injuſte eam ſibi uſurpare volentes, Dominus Rex in ſua elymoſina iterum priorem donationem, ad jam dicto monaſterio per miſſum ſuum diligenter requiſitam ſtuduit revocare.

Cella quæ vocatur Zottinge quam conſtruxit Guntharius Comes in jure hereditario in pago Hunnigaoe in honore ſancti Stephani protimartyris & quod ei Taſſilo Dux conceſſit in beneficio idem tributarios XIII. inter manſos veſtitos & apſos. Secus ipſum locum & villulam quæ vocatur Huſir, cum manſos VIII. inter veſtitos & apſos in pago Salzburgoe ſimulque & loco qui vocatur Uſinga, cum manſos VII. inter veſtitos & apſos in ſupradicto pago Chigo Chimingaoe ſecum ſtagnum qui vocatur Chiminſaeo tradendi ei licentiam conceſſit jam fatus Dux ad ipſum præfatum locum una cum permiſſione jam dicti Ducis ſupraſcriptus Comes ad Eccleſiam beatiſſimi Petri principis Apoſtolorum ad jam dicto Monaſterio Salzburch. Ipſam vero cellam injuſte abſtractam Dominus Rex pro mercedis ſuæ augmentum iterum revocandum absque ulla contradictione conceſſit.

Eccleſiæ. Iſtas Eccleſias conſiſtunt in Salzburgaoe & Chimingaoe pagibus. Item de Eccleſiis parochiales, quas in beneficium pertinent, & de Barſcalcis una cum ſervis ſive de eorum territorio dotatæ ſunt.

Ad

Digitized by Google

AD See Eccleſiæ cum manſo I.
Ad Jubemdorff Eccleſia cum manſo I.
Ad Fiſchaha Eccleſia cum manſo I.
Ad Antheringas Eccleſia cum territorio.
Ad Gethica Eccleſia cum territorio.
Ad Anna ſimiliter.
Ad Liveringa Eccleſia ſimiliter.
Ad Walahamus Eccleſia cum manſis II.
Ad Marciolas Eccleſia cum territorio.
Ad Salinas quod dicitur Hal Eccleſia cum manſo II.
Ad Tingihclinga Eccleſia cum territorio.
Ab Chirchaim ſimiliter.
Ad Balchlingas Eccleſia cum manſo III.
Ad Schildarius Eccleſia cum manſo I.
Ad Brumingas ſimiliter.
Ad Deorlekingas Eccleſia cum manſo III. apſos.
Ad Pohchirch Eccleſia cum territorio.
Ad Widaha Eccleſia cum villula, ſeu cum omni pertinentia ad ipſum vicum tradidit Ragenbertus cum manſo VI.
Ad Taharding medietas quæ ad ipſam Eccleſiam pertinet beneficium eſt, idem manſos VI.
Ad Erlaſtedi Eccleſia cum territorio.
In pago qui dicitur intervalles.
At Ratfeld Eccleſia cum territorio.
Ad Priſſlech ſimiliter.
Ad Buriom Eccleſia cum manſis III.
Ad Georgii Eccleſiam.
Ad Achingas Eccleſia tantum.
Ad Fuginas Eccleſia tantum.
Ad Oriano monte ſimiliter.
Ad Unzdorff Eccleſia cum territorio.
Ad Hroſſulza ſimiliter.
Ad Burones ſimiliter.
Ad Rordorff Eccleſiam cum manſo II. apſos.
Ad Lutrinpach Eccleſia tantum.
Ad Hucinnos Eccleſia cum territorio.
Ad Hrodheringas Eccleſia cum manſis II.
Ad Smſa Eccleſia cum manſis II.
Item in pago Iſnagoe.
Ad Hozzin Eccleſia cum manſo I.
Ad Cidlar Eccleſia cum manſo I.
Ad Turtin Eccleſia ſimiliter.
Ad Dinpſtadum Eccleſia II. cum manſo III.
Ad Rivolum Rota Eccleſia IV. cum manſo VI.
Ad Pohpah Eccleſia cum manſis III.
Item ad Pohpah Eccleſia cum manſo II.
Ad Lohkirch Eccleſia cum manſo II.
Ad Quantalas Eccleſia cum manſo III. apſos
Ad Brixina Eccleſia cum territorio.
Ad Pirchnawanch ſimiliter.
Ad Caofſtain Eccleſia cum territorio & cellula, ubi fratres noſtri manibus laborant.
Ad Epiſas Eccleſiæ II. cum territorio.
Ad Iſana Eccleſia cum territorio.
Item Eccleſia ad Pohpah cum manſ. III.
Ad Liubin Eccleſ. cum manſ. III.
Ad Rotaubi Boninaha in ipſa Rota egreditur Eccleſia cum manſis VI.
Ad Poizchurdorf Eccleſia cum manſis I.
Ad Wila Eccleſia cum manſis tribus.
Ad Holza Eccleſia cum tribus manſis.
Item ad Holza Eccleſia cum manſis IV.
Ad Perck Eccleſia cum manſ. III.
Ad Pohkirch Eccleſ. cum manſ. V.
Ad S. Stephanum Eccleſ. cum manſ. III.
Ad Richerihuſir de Conjectu
Barſalcis Eccleſ. cum manſ. I.
Ad Aharnowa Eccl. III. cum manſ. VII.

ITEM de monaſterio puellarum quod conſtructum eſt in honore Sanctæ Dei genitricis ſemper virginis Mariæ, juxta ipſum Epiſcopium in Caſtro ſuperiore quem Dominus Hrodbertus Epiſcopus ac confeſſor primum ædificavit quem & Salzburch appellavit, in quo & neptiam ſuam Chriſti famulam Erndrudam conſtituit cum aliis puellis, in quo loco honorifice requieſcit, & quod inibi traditum eſt à Theodberto Duce ſubter annectimus. Tradidit inprimis Theodbertus Dux in pago Salzburgoe villa nuncupante Ainheringa cum manſis XXX. inter veſtitos & apſos, & execitales viros & quod eandem villam pertinuit, cum farinariis in fluvio qui vocatur Sala. Nec non & tradidit illuc memoratus Dux in prædicto pago locellum qui vocatur Viſchaha manſos quinque inter veſtitos & apſos, & farinariis in fluenta, Viſchaha. Tradidit idem Dux in eodem pago Salzburgoe in loco qui dicitur Talgen, in quo eſt tantummodo Eccleſia, prata & ſilva & medietate de lacu piſcatione qui vocatur Mamnſeo. Tradidit idem Dux in ſupra dicto pago in loco qui dicitur Cucullos, ſecus fluvio Salzaha, in quo ſunt tantummodo prata ſilva. Tradidit ipſe Dux in ipſo pago in loco qui vocatur Hal ad ſal coquendum fornaces IX. tres ſunt veſtitos, & VI. apſos, & hoc decrevit cenſum dare unusquisque homo qui in Hal habitaret, quod barbarice dicitur Adalparo, tam hii qui in nana & mona manerent, quam & illi qui in ipſas Salinas manerent. A medio menſe Madio usque ad Feſtum S. Martini omni ebdomata in feria ſexta modo de ſale dari deberent excepto, IV. manentes. Tradidit etiam ipſe Dux in pago Salzburgoe ſecus fluvio Salzaha villa quæ vocatur Tita-

Nunnburg.

Theodbertus Dux.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190. Titamaninga, & in ea manſos LX. inter veſtitos & apſos & interexercitales & barſchalcos, (a) cum omnibus appendiciis atque adjacentiis & cunctis terminis ad eandem villam pertinentibus, nec non & farinariis in ipſo loco congruentibus. Similiter ipſe Dux tradidit in ipſo pago ſupra ſcripto tributarios romanos CXVI. inter veſtitos & apſos per diverſa loca, & venationem in ſilva quæ adjacet inter alpes à Gaizliberch usque ad pontes, quæ nunc vocantur ſtega, & alpes in eodem pago IV. Ita vocantur Cundicus & Cuculana apicula & lacuana monte, ſeu etiam partem de Abriani lacu piſcationem, ſimulque præſcriptus Dux tradidit in pago Chimingaoe, villa quæ dicitur Waginga, cum manſis XL. inter veſtitos & apſos, farinariisque & cum omnibus appendiciis ſuis, & in ipſo pago Chimingaoe cum manſos XIII. inter veſtitos & apſos, & inter ſervos & liberos, aquis, aquarum decurſibus & farinariis, cum omni ſoliditate, & cum omnibus appendiciis ſuis. Inſuper & in ipſo pago juxta fluenta Druna, tradidit idem Dux Romanos & eorum manſos tributales LXXX. inter veſtitos & apſos, cum omnia quicquid ad ipſos manſos aſpicere videtur. Nec non & in pago Adragaoe tradidit ſupradictus Dux Romanos & eorum manſos tributales III. Siquidem ipſe Dux tradidit in pago Drunenſe tributarios XX. apud manſos eorum. In pago vero Matagoe tradidit prædictus Dux tributarios IV. cum manſis eorum totidem inter veſtitos & apſos per diverſa loca.

De cella vero ſancti Maximiliani ita contigit, ut conſtrueretur ab inicio. Ibant duo fratres in locum qui dicitur Pongawi, nomen unius Tonazanus, & alterius nomen Urſo in venatione & ad aurum faciendum, & viderunt illuc multa luminaria pluribus noctibus & alia ſigna multa, & venientes ad dominum Hrodbertum Epiſcopum dixerunt ei quod ipſi ibi viderunt, & ipſe pergens cum eis vidit ibi ſimiliter. Tunc quoque perrexit dominus Hrodbertus ad Theodonem Ducem, & dixit ei ipſa miracula, roganſque cum licentia ſibi dare ut cellam ibi conſtrueret, & ita Dux Theodo ei licentiam dedit. Veniensque dominus Hrodbertus iterum ibidem cum hominibus ſuis, & cum prædictis fratribus, & cœpit ibi ſtirpare & locum mundare & oratorium facere. Facto autem oratorio venit iterum ad Theodonem Ducem & rogavit eum ſecum ibidem venire, venientes autem ibidem dominus Hrodbertus conſecravit ipſum oratorium; & Theodo Dux tradidit ipſum locum ad ſanctum Petrum ad Salzburg monaſterium, & ex omni parte miliarios III. & ipſi prædicti fratres cum licentia & cum conſenſu Theodonis Ducis tradiderunt ibidem omnem rem eorum quamcunque habebant & nepotes eorum commendaverunt ad diſcendum & ad tendendum ad Salzburch monaſterium, nomen unius Wrmhari & alterius nomen Ciſſimo, & dominus Hrodbertus miſit ibidem ſuos monachos ad officium DEI faciendum & ad ipſam cellam faciendam. Cum autem Wrmhari & Ciſſimo literas didicerunt, cœperunt rogare dominum Hrodbertum, ut medietas Epiſcopi rei quam parentes eorum ibidem tradiderunt, eis ad uſumfructuarium præſtaretur, usque ad obitum eorum; & ita fecit dominus Rodbertus, illam aliam medietatem juſſit ſervire ad ſanctum Petrum. Ipſi autem ſuis nepotibus illam aliam medietatem complacitabant usque ad obitum eorum, & ita inde fuit hoc in beneficio de monaſterio Salzburch usque ad tempus Otilonis Ducis, tunc quoque Urſo Capellanus Ottonis precit, ut ei ipſas res ex integro daret in beneficium, & ita Otilo fecit, & tulit hoc per vim de monaſterio Salzburgoe. Cœpit autem Virgilius Abba hanc ipſam cauſam querere ad Ottilonem Ducem, & Otilo voluit illud comparare cum eo quod habuit ad Laufom, & hoc Virgilius nullatelatenus conſenſit, & ita Otilo permanſit retinendo injuſte quod Salzburg monaſterio retraxit.

Otilo Virgilius.

NOTICIAM vero iſtam ego Arnonis una cum conſenſu & licentia domni Caroli piiſſimi regis, eodem anno quo ipſe Bajoariam regionem ad opus ſuum recepit à viris valde ſenibus & veracibus diligentiſſime exquiſivi à monachis & à laicis, & conſcribere ad memoriam feci. Iſta ſunt nomina monachorum; Vitalis Amandinus Præsbyter, Latinus Presbyter, Cuffulus Ziſſimo, Benedictus Diaconus, Suido Diaconus, Eno Presbyter, Baldo Presbyter, Leſſo, Karheri, Regenbrecht Presbyter, Materninus, Arnhelm Tazzus, Emico, Germanus. Laicorum nomina iſta ſunt, qui per ſacramentum factum ab anteceſſoribus ſuis ita ſe audiſſe teſtificaverunt, ut ſupra dictum eſt: Jumino Comes, Duno comes, Kerrad judex, Sigepald judex, Eparo, Julianus, Egilolf, Helmuni, Amalger, Luipram, Juniam, Aro Gislolf, & ego Benedictus Diaconus hanc noticiam dictavi & conſcribere juſſi.

Privi-

(a) De ea voce ſuperius actum. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

Pivilegium Domini Philippi Regis, ad confirmationem datum omnium bonorum ſeu privilegiorum Salzburgen. Eccleſ. ad Eberhardum II. (a) Archiepiſcopum.

Privilegium Philippi Regis.

IN NOMINE ſanctæ & individuæ Trinitatis Philippus divina favente clementia Romanorum Rex, & ſemper Auguſtus. Si rationabiles Eccleſiaſticorum peticiones Prælatorum ad Eccleſiarum ſuarum tendentes proficuum, clementer admittamus, ſperamus nobis apud Regem Regum, ad æternæ vitæ meritum & temporalis imperii proſperiorem decurſum proficere, & eos quos benigna exauditione honoramus, de cætero nobis devotiores ac magis benivolos fore. Noverit igitur omnis Chriſti & imperii noſtri fidelium præſens ætas & futura, qualiter dilectus conſanguineus noſter Adelbertus, Juvavenſ: idem Salzburgenſ: Eccleſiæ Ven: Archiepiſcopus honori & uſui Eccleſiæ ſibi creditæ ſtabilitatis & incrementi profectum addere intendens noſtram adiit celſitudinem, & proferens divorum Auguſtorum noſtrorum prædeceſſorum, Regum ſcilicet, ac Imperatorum vetera & recentiora privilegia, ſecundum diverſa regnancium tempora Eccleſiæ Salzburgen: ab eis collata, poſtulavit inſtanter, ut eadem privilegia noſtri munere præcepti renovaremus, jura quoque & poſſeſſiones quibus eisdem faventibus præfata Eccleſia munita videbatur & aucta, ei per noſtram auctoritatem concederemus atque confirmaremus. Hunc itaque ut clarum principem Imperii religionisque & prudentiæ dono venerabilem, & nobis naturalis affectu dilectionis familiarem in ſuis tàm congruis & honeſtis peticionibus honorare cupientes, noſtræque ſaluti & parentum noſtrorum conſulentes, perſpectis diligenter & intellectis præfatis anteceſſorum noſtorum privilegiis, traditiones, indulta, præcepta, quæ illis ſunt ſcriptis reperta, ſicut ibi continebantur, ita nos ea præſenti noſtræ Majeſtatis privilegio inſeri juſſimus, ac ea ſecundum benignitatem & inſtituta prædeceſſorum noſtrorum prænominato Archiepiſcopo, ejusque in perpetuum ſucceſſoribus, & Eccleſiæ Saltzburgenſi tradimus, concedimus & noſtræ auctoritatis robore confirmamus, inter quæ principaliter conſtituimus, quod ex præcepto Ludovici Imperatoris agnovimus, cujus præcepti exemplum ipſe quoque à ſui Genitoris ſacratiſſimæ memoriæ domini Caroli præcepto traxerat, ut ſcilicet Eccleſiam Salzburgenſem ipſam ſedem quæ eſt in honore ſancti Petri Apoſtolorum principis, in qua etiam ſanctus Rubertus corpore requieſcit, cum cellulis, Eccleſiis, perſonis Eccleſiaſticis & cæteris hominibus & rebus ac poſſeſſionibus ad ipſam pertinentibus, ſub noſtra tuicione conſtitutam ſpeciali patrocinio propenſius defendere debeamus. Quod conſtanter obſervare intendentes & ſucceſſoribus noſtris in Imperio Romano pro lege imponentes eandem immunitatis gratiam, qua illi inclyti Imperatores ſedem illam honorare & ſublimare dignati ſunt, eidem ſedi & Eccleſiæ noſtri vigore edicti in perpetuum confirmamus, ſtatuentes ut videlicet ea, quæ prætaxata Eccleſia hactenus recto titulo poſſedit & tenuit, & ea quæ noſtris diebus poſſidet ac tenet, & quæ in futurum DEO annuente rationabiliter acquiret, in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem Imperii noſtri conſtitutis, per hanc confirmationem noſtram, absque alicujus contrarietate de cætero poſſideat ac teneat, ita libere ac cum jurisdictione quod nullus judex publicus, nec quisquam judiciaria fungens poteſtate ad cauſas audiendas, vel ad (*b*) freda, aut tributa, aut telonea (quæ à vulgo dicuntur (*c*) muta) exigenda, aut manſiones vel paratas faciendas aut fidejuſſores tollendos, aut homines ipſius Eccleſiæ tàm ingenuos quàm ſervos, ſuper terram ipſius commanentes injuſtè diſtringendos nec ad ullas redibitiones aut illicitas occaſiones requirendas, noſtris aut futuris temporibus prædictæ Eccleſiæ poſſeſſiones ingredi audeat. Sed hæc jura & cætera ſimilia emolimenta, quæ fiſcus regalis inde ſperare poterit, aut exigere in uſum & facultatem Archiepiſcopi, quicunque prædictæ ſedi præfuerit, in integrum cedant, ut ipſe eo quiecius res Eccleſiæ ſuæ valeat diſpenſare, & noſtro imperio fideliter parere & quod pro noſtra incolumitate & bono Imperii ſtatu delectet eum impenſius orare, & orationes in commiſſo ſibi Clero conſtituere. Item ſecundum exemplar præcepti, quo Divus Auguſtus Otto prædictam Salzburgen:

Venerabilis.

Ludovicus Imperator.

(*a*) Legi debet Adilbertus; fuit is prædeceſſor Ebherardi, cui conceſſit illa privilegia Philippus II. Vide obſervationes noſtras prævias n. IV. BASN.

(*b*) Tributum quod pacis conciliandæ cum principe cauſa ſolvebatur, *Frid* enim Germanis eſt pax. Vaſallis igitur pacem frangentibus eandemque inire volentibus mulcta aliqua imponebatur. BASN.

(*c*) Idem eſt ac Teloneum aut Tributum. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190. burgen: Eccleſiam munivit ac ditavit, nos donationes eidem Eccleſiæ factas, & quoslibet contractus, quibus aliquid poſſidere cœpit, legitime per noſtræ auctoritatis clementiam renovamus & confirmamus, inter quæ poſſeſſiones in ipſius Regis *Ottonis* privilegio propriis expreſſas vocabulis, nos quoque ipſum in hoc ſequentes, huic feci-

Otto Imperator. mus paginæ annotari. Primitus caſtellum ſanctæ Erndrudis cum omnibus eidem caſtello juſte & legaliter attinentibus cum curtibus, venationibus, piſcationibus, id eſt

Hæc omnia in literis Arnulphi Imp. ſimiliter continentur. ab Eccleſia ſancti Martini, quæ reſpicit contra monticulum, qui vulgo Nochſtain nuncupatur, ſurſum ex utraque parte fluminis Luaris, usque in rivulum Quartinesbach. Inſuper etiam de rivulo venatione piſcatione ex utraque parte prævocati fluminis ad ſanctum Maximilianum, usque dum Tunta ex aquilonari parte perfluit in prædictum flumen, atque rivulus Gaſtuna ex Auſtrali parte: Item (*d*) Foreſtum à termino qui in Piſoncia incipit, hoc eſt de rivulo Erilipach, usque ad montem Waſſenburg propè Iſcalam in illo loco, ubi terminus Foreſti Rapotonis quondam Comitis ab iſto ſe disjungit, & in aquilonari parte de rivo Tinnilmbach usque in ſummitatem montis Cirnencus nominati, & jam dicto monte Waſſenburch usque ad præfatum monticulum Nochſtain illa montana omnia, quæ in poteſtate anteceſſorum noſtrorum fuerunt. Item Kiemſe Præpoſituram Regularium cum omnibus juſte ei attinentibus. Curtem quoque Biſchoffesdorff cum omnibus juſte ad eandem Curtem pertinentibus atque piſcationem in lacu Aterſee, ſine omni contradictione illos quondam Imperio pertinentes XII. privatos tractus ſagenarum ſicut Dominicalis terra in Paumgarten ipſi lacui ſe adjungit ſine alia communi piſcatione Aterſee ad Atterhof pertinente, in illis quoque curtibus quæ olim inibi in feudo ſive ex parte Imperatoris, ſive aliunde beneficiatæ fuiſſent proprietatem, quarum hæc nomina ſunt. Staforevelt, curtem & Eccleſiam cum decima, & ſicut terminus ille in Auſtrali parte incipit, qui Wachrein dicitur, usque Ibiſam, & in Occidentali, usque dum dicitur ubi Urnla, ſe dimittit in præfatum amnem, & quidquid in Orientali parte jam dicti fluminis regalibus attinere vi-

al. Civitatum. debatur. Inſuper ad Magelike tertiam partem civitatis, & ſicut ille terminus ſe disjungit de illis rebus in occidentali parte quas quondam ad ſanctum Emmerammum anteceſſores noſtri dederunt, exceptis tribus huobis: Præterea Arnesdorf idem in Wochawa, quidquid illis imperium habebat in vineas & ſaginatione & monte querceato, pratisque inter ipſum Querceatum montem ſitis & inter ſilvam paltam, (*e*) & ipſam ſilvam cum omnibus ad eam pertinentibus. Adhæc apud Grunzuitam quidquid ſuperfuit quinque hubis, quod fideli ſuo cuidam Dietero Anteceſſores noſtri dederunt, hæ ſunt (*f*) hubæ L. Inſuper Lubinam & ad Holumburg tertiam partem civitatum cum vineis XXX. & hubis XV. ſine curtili terra. Item Treyſniam civitatem & Eccleſiam ſancti Martini, cum decima, & ſurſum in auſtrali atque orientali parte fluminis Treyſine usque ad Potilineſprunnen, & ſicut Dieterichſpach fluit contra duos acervos exteriores qui in orientali parte campi ſunt poſiti, & ex inde usque ad Danubium in illum locum, qui Triboltz dicitur & ita ſurſum prope Danubium cum agris cultis & incultis, pratis, aviis, locis piſcationum, quæ Teutonice Arichſtette vocantur, & ita ſurſum usque ad illam marcham, quæ inter Treyſinam & Holemburg utrasque res diſcernendo dividit ad Benewanch quidquid prædeceſſores noſtri Reges habuerunt illic ad Eccleſiam Anſonis, quidquid illic habuerunt ad Witenesberch, quidquid illic habuerunt, excepto quod cuidam Moſogoboni datum eſt, hoc eſt hubæ centum Ellodis Eccleſiam. Eccleſiam Mutigonis presbyteri ad Gumpoldesdorf quidquid ibi reges habuerunt. Præterea Rapam Sabariam civitatem, & Eccleſiam cum decima & teloneis, vineis, agris, pratis, paſcuis, foreſtis montibus cunctis ad eandem civitatem legaliter pertinentibus. Inſuper ſiccam Sabariam & Pennichaha & Moſaburch Abbatiam, ubi ſanctus Adrianus requieſcit: nonam quoque de omnibus curtibus regalibus inibi cum theloneo in civitate & piſcina ad Salabingam curtem, cum trecentis manſis & totidem manſis & quidquid illic Reges attinebat Eccleſiam de Quartinacha, Eccleſiam ad Ghenſem, Eccleſiam ad Therenberch, Eccleſiam Gundoldi, locum quem vocant quinque Eccleſias cum Theloneis, foreſtis, & cum proprietate omni, quæ ab anteceſſoribus noſtris ibidem ante beneficiata erant. Ad Ruginesfeld quidquid ibi regalibus pertinuit. Ad Turnawa Eccleſiam quæ eſt conſtructa

(*d*) Jus utendi ſylva indeque ligna ſecandi, auferendi. BASN.

(*e*) Palaris Sylva ea eſt ex qua pali ſumuntur; quid autem ſit Palta Sylva valde obſcurum: ni fallor fuit ſylva cujus limites palis circumſcripti fuerunt; ſic enim apud Tertullianum Apol. c. 10. *Civitas quam Saturnus depalaverat Saturnia usque nunc eſt.* In quibusdam locis palos pro terminis poſuimus, inquit Siculus Flaccus. BASN.

(*f*) De hubis paulo ſuperius actum. Vadiano fuere pars fundi aliqua maxime paſcua. In manſo plures fuerunt Hubæ. BASN.

Digitized by Google

ſtructa in honore ſancti Rodberti cum monte Barwoz dicto cum vineis, pratis, ſilvis, & cum omnibus quæ ibi ſunt circa montem ſita. Ad Pettawa Eccleſiam cum decima, & totam civitatem cum Bannis, Theloneis, & ponte, & omnibus ad illum locum pertinentibus. In Ciſtenesfeld ſicut duo acervi prope Travum poſiti ſunt ex ſummitate ſuperioris & exterioris termini qui Wachrein dicitur, & ſicut ille Wachrein tendit usque dum Trevina fluit in amnem Travum. Ad Sulpam civitatem & Luip omnia quæ juſte & legaliter eo pertinent. In querceis campis, ſicut illa foſſa incipit à Mura, & tendit usque ad Louczkuick, & ut Louczwita & Sulpa de alpibus fluunt & Foreſtum Suſel cum Banno, ſicut in poteſtate Anteceſſorum noſtrorum hæc fuerunt. Venationem quoque in Suezzental, quam populus cum ſacramentis in poteſtatem anteceſſorum noſtrorum firmavit, ad venandos apros illic & urſos per tres ebdomadas ante æquinoctium autumnale, & poſtea usque ad feſtum ſancti Martini. Ad Luimingga juxta Rapam quidquid illic prædeceſſores noſtri habuerunt. Item Nezzilinpach & ad Sabinzam Eccleſiam & curtem cum manſis L. Item Rapam ad Judlerben ad Labanda Eccleſiam ſancti Andreæ cum decima, ut ibi conſuetudo eſt, & de curtibus quas anteceſſores noſtri ibi habuerunt decimas, ut in canonibus habetur, nec non ſaginationem in omni Labandæ valle, excepto monte Forſt nominato. Ligna quoque ſecanda ad Eccleſiam, & ad aliud ſervicium Epiſcopi, tam in ipſo monte, quam in aliis montibus omnibus, & unam foſſam lapidum in monte Gamanar ſemper per totum annum habendam. Item ad Garczczam beneficium Engilbaldi ad Karantanam Eccleſiam ſanctæ Mariæ cum decima, ſicut Eccleſiaſticus ordo præcipit de omnibus curtibus quæ ad Carantanam civitatem pertinent; imdem Trahof, Garundorf, Gurinnz. Ad Strelcz operarios ſervos duos in monte cum hubis eorum. Ligna ſecanda in ipſo monte ſine contradictione omnium hominum cum ſaginatione. Item Trebenam, Oſterwix, Grabenhuelt, Vitringa, Frieſach, Gurca, Grazluppa, Longaw, Sublich, Teufenbach, Katſche, Peliza, Gumbenza, Undrima, Luita, Liczinga, Brugga, Murza Luibena. Ad Strazmulam duo loca. SÆC. XII. ANNO 1190.

PRÆTAXATAS itaque poſſeſſiones, quemadmodum in privilegio regis Ottonis Auguſti ſignatæ reperiuntur, & ea lege ac ratione Salzburgenſi Eccleſiæ confirmatæ, ut nullus Imperii Romani ſucceſſor, nec Dux, nec Comes, nec ulla alia poteſtas aut perſona de prædictis rebus audeat quicquam ſubtrahere, ſed jure perpetuo ad ſanctumque Rudbertum ſtabiliter absque omni contradictione permaneant, ita nos quoque noſtri auctoritate præcepti confirmamus, conſiderata tamen temporum & eventuum varietate, ut ſua cuique juſtitia ſalva permaneat; quod ideo adjungendum decrevimus, ut ſi quis hoc forte noſtro moderno tempore aliquid usquam de præfatis bonis contra juſtitiam Salzburg. Eccleſiæ præſcriptam videatur tenere, is eidem Archiepiſcopo & Eccleſiæ Salzburgen. recognoſcat & reſtituat, aut ea ſe legitimo contractu aut juſto poſſediſſe titulo racionabiliter oſtendat. Præterea ex privilegio Ludovici regis Auguſti patenter intelleximus, quod idem Ludovicus Auguſtus præfatæ Salzburgen. Eccleſiæ, amore Dei, & beati Petri Apoſtoli & ſancti Rudberti in pago Salzburgoe dicto curtem Salzburghoven, quam Pilgrinus Archiepiſcopus antea in miniſterio ab eo tenere viſus eſt, in proprietatem & plenam poteſtatem contradidit integraliter cum curtilibus omnibus, ædificiis, campis, pratis, agris, paſcuis, ſilvis, lacubus, aquis, aquarum decurſibus, venationibus, molendinis, piſcationibus, viis, inviis, exitibus & redditibus quæſitis & inquirendis, terris cultis & incultis, mobilibus & immobilibus, mancipiis quoque pluribus utriusque ſexus, parſcalcis cum omnibus cenſibus in ſalina & extra ſalinam inter fluvios Sala & Salczaha, vocatos in auro & ſale, ac pecoribus cum Theloneis duobus, qui vulgo muta vocantur cum omnibus adjacenciis & rebus ad eandem terram pertinentibus. *Ludovicus Rex.*

Hanc igitur tradicionem & donationem, quam & poſt ipſum Ludovicum Auguſtus Otto Imperator ſuo privilegio ſuper hoc dato confirmavit, nos quoque præſenti noſtræ auctoritatis ſcripto confirmamus Salzburgenſi Archiepiſcopo & ſuæ Eccleſiæ, ſtatuentes & firmiſſime præcipientes, ut prædicta cum omnibus pertinenciis ejusdem curtis & quæcunque utilitas in hujusmodi catenis ſeu fodinis ſalis vel metallorum in quibuslibet fundis Eccleſiæ & fluminibus fluentibus per fundos Eccleſiæ meantibus, perpetuis temporibus à Salzburgenſi deinceps Eccleſia & ejus Archiepiſcopo absque omni obſtaculo inconvulſo veſtitu quiete poſſideatur.

Dignum præterea duximus præſenti inſerere privilegio, qualiter ex ſcripto Domini *Alexandri* Papæ hujus nominis ſecundi, inſuper ex privilegio *Henrici* Regis venit nobis in cognicionem quod *Gebehardus Juvaven:* idem Salzburgenſis Archiepiſco- *Henricus Rex. Gebehardus.*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190. pus de commiſſarum ſibi animarum proviſione ſolicitus, eo quod Epiſcopatum ſuum in montanis ſitum præ nimia parochiæ amplitudine, & viarum difficultate, per ſe ſolum regere non ſufficeret, ab utraque dignitate, Apoſtolica ſcilicet & regia impetravit, quod liceret ei infra parochiam ſuam, adjutorem ſui operis Epiſcopum & ſedem Epiſcopalem conſtituere. Placuit igitur eidem Archiepiſcopo *Gebehardo* ut indulto Apoſtolico & regio utens, in loco qui dicitur Gurca apud Eccleſiam ſanctæ *Mariæ* Kathedram Epiſcopalem faceret, & conceſſum eſt ei per utriusque poteſtatis Eccleſiaſticæ ſcilicet ac ſæcularis clementiam, ut eidem novæ ſedi, poteſtatem parochiæ ſuæ & de prædiis ac decimis, quantum conveniens videtur, attribueret, & ad eandem ſedem Epiſcopum ex ſua conſideratione ordinaret, ea videlicet ratione ut Epiſcopatus ille Salzburgenſi Eccleſiæ, & ejus Archiepiſcopo nunquam ſubtrahatur & nullus ibi unquam Epiſcopus ſive per inveſtituram, ſive alio quocumque pacto conſtituatur, niſi Archiepiſcopus Salzburgenſ. quicumque pro tempore illic fuerit, eligat, inveſtiat & conſecret, quod quomodo ſacra prædicti Papæ Alexandri & Regis Heinrici auctoritate firmatum dinoſcitur; Nos idipſum, ex præmiſſæ condicionis integritate, noſtra quoque Imperiali auctoritate confirmamus, ac ita ratum ac inconvulſum omni deinceps ævo permanere jubemus, ut contra hunc honorem & commoditatem Salzburg: Archiepiſcopi nulli unquam Eccleſiæ, aut perſonæ liceat ſe erigere, aut ſcriptum aliquid huic rei adverſum impetrare vel proferre.

Gurcen: Epiſcopatus.

Hæc igitur univerſa & in præſenti pagina conſcripta Salzburg. Eccleſiæ & ejus Archiepiſcopo perpetua ſtabilitate, per noſtram auctoritatem inviolabiliter confirmamus, ſtatuentes, ut ſi quis, quod abſit, hujus noſtri præcepti violator apparuerit, & Eccleſiam Salzburg: ullo ſuprapoſitorum in violenter gravare attemptaverit, Banno Imperiali ſubjaceat, & pro pœna centum libras auri optimi, medietatem fiſco noſtro, medietatem Salzburg: Archiepiſcopo perſolvat, præſumptionis tamen auſu in irritum ceſſuro. Ut autem omnia ſupradicta memoriter ſciantur, & inconvulſa de cetero firmitate obſerventur, privilegii paginam fecimus conſcribi, & appenſa majeſtatis noſtræ Bulla roborari. Hujus rei teſtes ſunt, Treveren: Archiepiſcopus; Auguſtenſ: Epiſcopus; Conſtantienſ: Epiſcopus, Argentinenſ: Epiſcopus; Hermannus Landgravius Turingiæ, Rudolfus Palatinus de Tuwingen, Sifridus Comes de Orlamunde, Fridericus Comes de Zolre, Ulricus comes de Berge, Emicho Comes de Liningen, Godefridus de Eppenſtein, Calochus de Kirchberg, Hartdus de Merenberch, Heinricus Marſclalcus de Chalandin, Ulricus Marſcalcus de *Rechberg*, *Chuno* de *Minzenberch*, Warnherus de Bolanden, Tiedo de Ravenſpurch, & alii quam plures.

Signum Domini Romanorum Regis invictiſſimi PHILIPPI SECUNDI

EGo Chunradus Hildenshaimen: Epiſcopus Erbipolenſis Electus Imperialis aulæ Cancellarius, vice Domini Chunradi Maguntini Archiepiſcopi totius Germaniæ Archicancellarii recognovi. Acta ſunt hæc anno Dominicæ incarnationis M. C. XCIX. *indictione II. Regnante glorioſiſſimo Romanorum Rege Philippo II. Regni ejus anno II. Datum Maguntiæ III. Kalend. Octobris.*

MONU-

Digitized by Google

MONUMENTORUM

SALISBURGENSIUM

PARS OCTAVA.

DONATIONES

FACTÆ ECCLES. SALISBURGENSI.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

IN NOMINE DOMINI.

Hic inſcriptio deeſt in vita S. Rudberti tom. 2. edita.

Hic continentur breves Notitiæ, de conſtructione Eccleſiæ ſive Sedis Epiſcopatus, in loco qui dicitur Juvave, qui vulgo dicitur Saltzburg/ *ſuper fluvium Juvarum, ſeu donationum quas ibidem Deo devoti Chriſtiani homines dederunt pro animabus ſuis, Deo & ſancto Petro, denique ſervis in eodem loco Chriſto fideliter ſervientibus, in illorum mercedem.* AMEN.

CAPUT I.

De donationibus Ducis Theodonis Ducis Bajoariorum.

Hic incipit caput tertium vitæ S. Rudberti tomo 2. edita.

DRIMO igitur Theodo Dux Bajoariorum, DEI omnipotentis gratia inſtigante, & beato Rudberto Epiſcopo prædicante, de paganitate ad Chriſtianitatem converſus, & ab eodem Epiſcopo baptizatus eſt cum proceribus ſuis Bajoariis.

Item Theodo Dux dedit ei poteſtatem circuire regionem Wabarorum & eligere ſibi locum ad Epiſcopii ſedem, & Eccleſias conſtruendas, & ipſos populos ad ſervitium Dei erudiendos, cum adjutorio Dei & ſui ipſius ſupplemento. Præfatus igitur beatus Rudbertus, multa circuiens loca, pervenit tandem in pagum Juvavenſem, juxta lacum vocabulo Wallerſee/ ubi exit Fiſchaha de eodem lacu, conſedit ibidem & conſtruxit Eccleſiam eamque dedicavit in honore beati Petri Apoſtolorum principis. Hoc facto beatæ memoriæ Theodo Dux tradidit ad ipſam Eccleſiam eundem locum cum confinio circumjacenti, in aquis, aquarumque decurſibus, ſylvis, pratis, paſcuis, & molendinis atque piſcationibus, curtem & caſam cum cæteris ædificiis, ſervos manentes in coloniis quatuor, & alios tributales manentes in coloniis, decem,

NON multo poſt tempore proſpiciens idem Epiſcopus aptum non eſſe eundem locum ad Epiſcopii ſedem, cœpit aptiorem ad hoc opus quærere locum una cum conſenſu & voluntate ipſius Ducis, pervenit ad fluvium Juvarum, qui alio nomine dicitur Saltzaha/ in loco vocato Juvavo. Inveniens ibi multas conſtructiones antiquas atque dilapſas, cœpit ibi hunc locum expurgare, Eccleſiam conſtruere, aliaque ædificia erigere ad Epiſcopii dignitatem pertinentia. Non longe poſtea venit jam præfatus Theodo Dux ibidem, dedit Domino & ſancto Rudberto Epiſcopo eundem locum ad Epiſcopii ſedem, cum finalibus locis ibidem adjacentibus, caſtrumque ſuperius cum montibus ex utraque parte fluminis illius & usque fagum ſtantem in medio campo in auſtrali parte ipſorum, quod dicitur vulgo Hagenbuha/ cum aquis ibi circumquaque currentibus, ac pro æterno remedio animæ ſuæ hunc locum ad Epiſcopalem honorem & ſedem cum omnibus adjacentiis ſuis perpetualiter confirmavit, tradiditque ibidem in villa quæ dicitur Glana, tributales manentes in coloniis XIV.

Poſtea vero Domnus & ſanctus Rudbertus Epiſcopus, Theodoni Duci dedit de proprio conqueſtu ſuo, in auro & argento ſolidos mille & comparavit ad eum villam quæ dicitur Pindinga cum ſervis ibi manentibus in coloniis ſuis XXX. curtem & caſam cum aliis ædificiis & territorio ibidem pertinenti, cum pratis & paſcuis, ſylvis ac montibus, molendariis, aquarumve decurſibus cum omnibus confiniis ibidem pertinentibus & æternaliter ad ipſam ſedem deſervire vulgariter ac publice confirmavit.

Similiterque tradidit ad eandem ſedem idem Theodo Dux, in loco qui dicitur ad Salinas, fornacium loca XX. cum patellis & ſervitoribus ſuis, & tertiam partem de illo puteo, quo ſal efficitur, & decimam partem de teloneo, qui ibi in dominicum tollitur, & rectam decimam de ſale.

Dedit etiam ad eandem ſedem idem Theodo Dux, de Romanis tributales homines LXXX. cum coloniis ſuis in diverſis locis. Ad cucullas dedit idem Dux ad eandem ſedem colonias tres, & ſylvam magnam cum pratis & paſcuis ibidem pertinentibus, & alpes duas his nominibus, Gauzo & Ludufo, ad paſcua pecudum. In pago dicto Atargau, dedit Romanos tributales ſuper Fechilaha manentes quinque, caſam & curtem cum territorio ſuo, aliisque rebus ibidem pertinentibus.

Dedit-

Digitized by Google

Deditque idem Dux Theodo ad jam dictam ſedem in pago Trunſe, in loco qui di- Sæc.
citur Pachmanna, curtem & caſam cum aliis appendiciis ſuis, terris, ſylvis, pratis XII.
& aquis, & manentem & caſam, ſervos & liberos cum coloniis ſuis. In pago etiam Anno
Danubii cenſe juxta ipſum amnem, in loco qui dicitur Chruchinperch vineas duas 1190.
cum vinitoribus ſuis. Hæc quoque omnia ſupraſcripta idem Theodo Dux in ſuam eleemoſynam dedit ad ipſum locum, S. Rudberto Epiſcopo, & ad ipſam ſedem perpetualiter confirmavit.

CAPUT II.

De viſione luminis in loco ubi ſanctus Maximilianus ſepultus eſſe dinoſcitur, & Eccleſia ibidem conſtructa.

INTEREA vero contingit, ut duo viri irent ſurſum per Salzaha in eremum ad venandum atque ad aurum faciendum, quorum unus erat ſervus S. Rudberti Epiſcopi, nomine Tonazan: & alter vocabatur Ledi, ſervus ipſius Ducis. Venientesque in illum locum, qui nunc dicitur Pongeu, manſerunt ibi, & laboraverunt aliquot dies, videruntque tribus noctibus pariter, quaſi duas candelas ardentes, & naribus ſuis ſenſerunt magnum odorem, miræ ſuavitatis fragrantem. De quo admirati valde, venerunt & annunciaverunt Domino Rudberto Epiſcopo. Quo ille audito, miſit mox Presbyterum ſuum ibidem cum ipſis hominibus, nomine Domningum, dedit ei unam crucem ligneam parvam quam ipſe conſecravit, præcepitque hanc cauſam diligenter agnoſcere, ſi ita verum eſſet, ſicut illi ſupradicti homines dixerunt. Qui venerunt illuc pariter, & idem Presbyter eadem nocte vidit ibi lucernas ardentes, & magnum odorem mirificæ ſuavitatis ibi ſenſit fragrare, & tres noctes pariter ita ibi invenit. Tunc quoque ſecundum mandatum S. Rudberti confirmavit ibi ſanctam crucem ipſam, & parvum tugurium fecit ſuper eam. Veniensque ad S. Rudbertum, narravit ei ita verum eſſe, ſicut ei prius dictum fuerat. Beatus quoque Rudbertus tunc miſit eundem Presbyterum Domningum, ad Theodonem Ducem, ut diceret ei hoc totum per ordinem, & ut rogaret ipſum Ducem, S. Rudberto dare licentiam Eccleſiam ibi conſtruere, & habitacula ſervorum Dei. Et Theodo Dux ita ei licentiam dedit. Venitque ibidem Dominus Rudbertus Epiſcopus, & cœpit ibi cum hominibus ſuis, extirpare & purgare ipſum locum, & parvam Eccleſiam, cæteraque habitacula ædificare.

Interea vero Dux Theodo infirmabatur, commendavitque filio ſuo Theodoberto Ducatum Bavariæ, & Domini Rudberti Epiſcopi cauſam fideliter tuendam & juniorum ejus, eique ad Chriſtianitatem ſuam, libenter obedire, & omne opus Dei diligenter illi auxiliari, & ut ad ipſum locum, in ſuam elevando mercedem, fideliter per omnia adjuvaret. Facta autem ibi Eccleſia, S. Rudbertus convocavit ibi Theodobertum Ducem, & nunciavit ei ipſam cauſam, per ordinem, & ita ab eo accepta poteſtate, conſecravit ipſam in honore ſancti Maximiliani, & ipſum locum nominavit Pongeu.

Tunc quoque Dux Theodobertus dedit ibidem de Forſte ſuo tria miliaria, in omnem quamcunque partem.

Hoc facto tradidit ibidem omnem poſſeſſionem quam habuit ibidem Ledi & Urſo frater ejus in villa Albina. Et Dominus Rudbertus Epiſcopus miſit ibidem Monachos ſuos & alios Clericos, fecitque ibi officium Dei fieri jugiter, die noctuque, ad laudem & gloriam Dei. Lædi quoque & Urſo frater ejus commendaverunt Domino Rudberto Epiſcopo nepotes ſuos, nomine Wernharium & Dulciſſimum, ad diſcendas litteras, & officium Dei ad Juvavenſem ſedem ſuam. Illi quoque enutriti & docti cœperunt ab ipſo Domino Rudberto per malum ingenium, hoc eo neſciente, rogare, ut medietas ipſius rei, quæ fuit eorum parentum in villa Albina, quamque Theodobertus Dux ad illam cellam ſancti Maximiliani ad Pongau tradidit, daretur eis in beneficium. Et ita fecit Dominus Rudbertus Epiſcopus, ſperans eos fideles fieri velle ad ipſam ſedem ſuam. Illi vero accepta hac medietate in beneficium, & multo tempore habentes, cœperunt iterum à rectoribus ipſius ſedis etiam ſuis nepotibus complacere. Quod dum factum fuiſſet multis temporibus, hoc habebant in beneficio ab ipſa ſede, quamvis verſuta intentione ibidem ſervirent. Interea contigit, ut à vicinis Sclavis, illi fratres, qui ad Pongau de Salzburgenſi ſede ibidem deſtinati erant, inde expellebantur: Et ita multis temporibus erat devaſtata eadem cella propter imminentes Sclavos & crudeles paganos. Quoniam igitur perdifficile eſt omnia pariter adnotare,

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

tare, quæ Dominus Rudbertus Episcopus his novellis temporibus Christianitatis in eadem regione perfecit: tamen necessarium duximus non reticere potiora.

CAPUT III.

De constructione claustri sanctæ Erendrudis, in Juvavo, & bonis quæ contulit illuc Theodobertus Dux.

COEPIT autem idem beatus Pontifex una cum consilio & voluntate Domini Theodoberti Ducis, in superiori castro sæpedicti Juvavensis oppidi, construere Ecclesiam ac Monasterium sacris virginibus ad habitandum in servitio Dei, & sanctæ Mariæ matris Domini, & peracta Ecclesia consecravit eam Domino in honore ejusdem sanctæ Dei genitricis Mariæ, posuitque ibidem, per licentiam & voluntatem Domini Theodoberti Ducis, Christi ancillam Deo sacratam neptem suam, nomine Erendrudem, cum aliis Deo devotis fœminis in servitium Dei & sanctæ Mariæ virginis Christique genitricis. Et ipse Dux pii studii ob voluntatem Dei omnipotentis tradidit ibidem in alimoniam ancillis Dei, & in mercedem genitoris sui & suiipsius, villam quæ vocatur Einheringa, cum commanentibus ibidem servis & aliis exercitalibus hominibus triginta, cum omnibus quæ habebant super fluvium Sala, ad puellarum Dei Monasterium deservire. Tradiditque ibidem ipse Dux Theodobertus villam cum tributalibus viris super Salzaha, quæ dicitur Glæsa, id est Glas, & aliam Marciago, id est Morck. Tradiditque tributales Romanos ad eundem locum in diversis locis colonos centumsedecim. Tradidit in Talgou Ecclesiam & prata & sylvam, & piscationis tertiam partem Mansee, & similiter in Parnsee tertiam partem piscationis. Ad Cucullas colonos sex, & prata & sylvam, & alpes quatuor. Tradiditque idem Dux Theodobertus ad ipsum Monasterium puellarum ad Vischaha, mansus sex, & molendinum & prata & sylvam, deditque ibidem ad Salinas loca fornacium novem, cum servis illuc pertinentibus. Dedit quoque ibi ad censum persolvendum ad idem Monasterium omnes, qui in Salinis habitent & Mona & in Nana, ut unusquisque eorum à medio mense Majo usque ad Missam sancti Martini, in unaquaque hebdomada donent feria sexta de sale modium unum, exceptis quatuor manentibus. Tradidit quoque illuc, quæ dicitur Waginga, cum mansis XL. & omnia quæ ad ipsam villam pertinent, aliam quoque villam in eodem pago nuncupatam ad Chameren, cum manentibus XIV. cum omnibus appendiciis suis. Juxta Trun quoque fluvium in eodem pago Trunwalha, dedit qui dicuntur Romanos tributales LXXX. Dedit etiam ibidem ad Tietramingen super Salzaha fluvium, casam & curtem cum omnibus appendiciis suis, & mansis LX. inter servos & tributales, necnon & exercitales homines. Nam & in Atergou dedit tributales quatuor cum colonis suis. In pago quoque Trunse dedit tributales XV. cum colonis suis. Dedit etiam idem Dux Theodobertus ad idem Monasterium puellarum venationem in sylva & alpibus à monte qui dicitur Reitzberg/ usque ad Stegen. Et hæc omnia perpetualiter ibidem confirmavit.

CAPUT IV.

Huc usque beneficia seu bona S. Erendrudis virginis. Rursum ad eandem sedem beneficia ab eodem Duce contradita.

AD ipsam namque Juvavensem Episcopii sedem tradidit idem Dux Theodobertus villam Uzilingam cum manentibus XX. & omni appendicio, quicquid ad ipsam villam pertinebat super Salzaha. Tradidit ad locellum Talgou, prata & pascua & sylvam: tradidit etiam ad Cucullas prata & pascua atque sylvam & alpes, atque manentes tres cum alia re ibidem pertinenti. Tradidit quoque in eodem pago Salzburgove villam quæ dicitur Titmanninge cum mansis XXIV. & ad Torleheim, Ecclesiam cum territorio ibidem pertinenti, cum aquis & pascuis, seu farinariis & sylva. In Isnkou quoque tradidit ad eandem sedem idem Dux, villam quæ dicitur Chartingen/ cum mansis XV. super Isnam fluvium & prata, aliud quoque territorium, & sylvam cum omnibus ibidem pertinentibus. Deditque locum, qui dicitur ad Purch, & ad Tisingen juxta villam dicta Tuzzlingen, & mansis XVI. cum omni appendicio suo. Tradiditque ad eandem sedem idem Dux Theodobertus in Sundergeu, villam dictam Opinga casam & curtem, cum territorio & sylvam, manentes XX. Et hæc omnia ibidem perenniter legitimeque confirmavit. Eadem quoque intentione Hucbertus Dux,

Digitized by Google

Dux, filius & ſucceſſor Theodoberti Ducis, tradidit in Rotagou (ſeu Totagou) villam nuncupatam Saverſteti, cum curtiferis & territorio, ac ſylva & manſis XX. cum omnibus appendiciis ſuis, ad Juvavenſem ſedem Epiſcopatus pro remedio ſempiterno animæ ſuæ. Deditque ibidem in villa quæ dicitur Inpindorff/ manſus IX. cum colonis ſuis, tributales, & ſylvam bonam ſuper fluvium qui dicitur Fiſchaha. Sæc. XII. Anno 1190.

CAPUT V.

De venatione quæ ad iſtam ſedem pertinere debet.

EX Orientali ſive Auſtrali parte juxta publicam viam quæ tendit in * Talgow, & ſic ad Eſelwanch, deinde ad lacum qui vocatur Labuſculo, & ſic ad Tinilpach, & inde in medium lacum qui vocatur Parnſee, & ſic ad * Zinkenpach, & ſic † ad Tinilpach, de iſta parte laci meridiana pleniter per omnia in forſte fieri debent ad iſtam ſedem Juvavenſem. Item de iſto flumine quod vocatur Salzaha, de illa petra quæ reſpicit contra Eccleſiam S. Martini, quæ ſita eſt in caſtro Juvavenſi, nulli liceret ſine licentia hujus ſedis Epiſcopi piſcationem habere vel caſtores apprehendere, ſive ullam exercere venationem, niſi tantum uno piſcatore dominico. Item de loco, qui vocatur Scratinpach ex utraque parte ſupradicti fluminis in forſte pleniter fieri ad iſtam Eccleſiam Dei ſanctam. Surſum ubi Schwarzaha exoritur, & ſic usque ad illum locum qui vocatur Purch, & ita fieri à poteſtativis viris ad iſtam ſedem definitum eſt. Madelhelmus quidam vir nobilis cum cæteris rebus ſuis, portionem venationis ſuæ ad iſtam Dei Eccleſiam, juxta ripam quæ vocatur Albina, hanc eſſe communem cum cohæredibus ſuis. Supradictus Hucbertus Dux dedit in pago Matalicenſi manentes tributales quatuor in loco dicto Itinga.

*Hoc eſt caput ſextum vitæ S. Rudberti tomo 2. editæ.
* Talgor.
* Sintenpech.
† à.

In illis quoque temporibus * Otilo Dux ab æmulis ſuis † (*a*) hujusmodi cauſa. Fratres duo Karlomannus & Pipinus, Reges Francorum * Odilonem Ducem Bajoariæ rebellare conantem bello ſuperant; fuit autem cum Domino Pipino Rege in Francia multis diebus. Inde reverſo & accepto ducatu ſuo, tradidit ad Juvavenſem ſedem villam quæ vocatur Metminheim/ & manentes ſuos XX. cum territorio & ſylva & molendinis cum omni appendicio ſuo. Dedit in eremo ejusdem loci appendente locellum qui dicitur Eſelwanch/ & lacus duos, & à Parnſee/ & in his locis venationem & piſcationem.

* Otilo.
† Hunis, nullo ſenſu.
* Udilonem.

CAPUT VI.

Otilo Dux habuit ſororem Pipini Regis nomine Hiltrud, ex quibus natus eſt Thaſſilo Dux.

IN peregrinatione Otilonis Ducis, fuit cum eo quidam Presbyter Capellanus ejus, Urſus nomine, qui de illa genealogia erat ſupradictorum hominum de Albina, quos Theodobertus Dux tradidit Deo & ſancto Maximiliano ad Pongou, quando Dominus Rudbertus Epiſcopus illam ibi Eccleſiam dedicavit. Et quia propter Sclavos crudeliſſimos paganos eadem cella multis erat temporibus deſolata. Idem vero Presbyter venit ad Otilonem Ducem, & petiit dari ſibi in beneficium, hoc ipſum quod Theodobertus Dux, ut prædictum eſt, dedit ſancto Maximiliano & Domino Rudberto Epiſcopo ad ſedem ſuam. Et Otilo Dux neſcius erat, qualiter Dominus Rudbertus eundem locum ad Pongou primo cœpit conſtruere, & Eccleſiam ibi ædificavit & conſecravit, concedentibus Ducibus Theodone & Theodoberto filio ejus. Sed & hoc neſcivit, quod Theodobertus Dux, ipſos homines ibidem tradidit, & ipſam cellam cum omni traditione ſua confirmavit ſancto Rudberto Epiſcopo, ad ſedem Juvavenſem Epiſcopatus ſui. Deditque Otilo Dux, ut prædictum eſt, Urſo Presbytero ſuo, hoc ipſum ad Albinam, & ipſam cellam in beneficium.

Poſtea vero cum Virgilius peregrinus donante Otilone Duce, ſuſcepit regimen ipſius Juvavenſis ſedis & Epiſcopatus, cognita ſupradicta cauſa, venit ad Otilonem Ducem & dixit ei omnem hanc cauſam ab initio per ordinem, rogavitque ſecundum juſtum judicium, hoc reddere ſancto Petro ad ipſam ſedem. Sed Otilo noluit eundem Presbyterum ſuum contriſtare, neque tollere ei illud beneficium. Tunc autem cœpit Virgilius Epiſcopus medietatem inde quærere propter illum ſervum ſuum ſancti

(*a*) Adde: agitatur. Basn.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

ſancti Rudberti Tonazanum nomine, qui hoc ipſum primo cum Ledi vicino ſuo invenit.

CAPUT VII.

De lite Virgilii Epiſcopi & cujusdam Urſi Presbyteri, ſuper bonis ſancti Maximiliani in beneficium ſibi conceſſis ab Ottilone Duce.

HOc igitur Ottilo Dux reddere noluit, ſed comparare hoc voluit à Virgilio Epiſcopo cum eo quod habuit ad Louffi. Sed Virgilius hoc omnino renuit & dixit Presbytero: Quo amplius tu illic laboraveris, & quo plus ibidem de tuo dederis, eo amplius habebit S. Petrus atque ſanctus Rudbertus. Nam ſi tu illis hoc injuſte abſtuleris, ſicut nunc factum, habes ad tuam perniciem, non ad tuam utilitatem; venient dies, cum illud reddetur per bonorum hominum, & Deo fidelium voluntatem ac poteſtatem. Illam tamen medietatem, quam quæſivit Epiſcopus, non potuit ei Otilo Dux contradicere.

Porro Virgilius Epiſcopus juſſit ibi domum ſuam ædificare, & omnem medietatem de eo quicquid ad ipſam Eccleſiam venerat, in omnibus quibuslibet cauſis S. Rudberto conquiſivit, & ſuos Presbyteros ibi jugiter manere fecit, qui hoc providebant, & ideo magna contentio ſæpiſſime contigit. Idem autem Urſus Presbyter una cum adjutorio Otilonis Ducis, fecit ibi aliam Eccleſiam, cum qua voluit ipſam medietatem S. Petro à Juvavenſi poteſtate abſtrahere, & unum vacantem Epiſcopum nomine Liuti ibidem advocavit, qui ipſam diſcordiæ Eccleſiam conſecravit. Quo cognito Virgilius Epiſcopus excommunicavit eam, & appellavit eam Diſcordia, & omnibus Presbyteris contradixit, ut nemo ibi cantaret Miſſam, nec aliud officium Dei. Et ita excommunicata permanſit, quousque Virgilius Epiſcopus vixit.

HÆc omnia Virgilius Epiſcopus à viris valde ſenibus atque veracibus, diligenter perquirere ſtuduit, poſterisque ad memoriam ſcripta dimiſit. Quidam vero ex eis, qui iſta illi dixerunt, diſcipuli S. Rudberti fuerunt, & juniorum ejus, quidam filioli, ex quibus erat Iſinhardus vir nobilis & filiolus beati ſenis Chunialdi Presbyteri, & Maternus, Dignolus quoque diſcipulus ſancti Rudberti, atque Joannes, alii quoque, qui hoc à ſenioribus audierunt, hæc ita omnia narrantes. Ex quibus Dulciſſimus Presbyter, Othmarus frater ejus Presbyter. Madelhoch Presbyter, filius Madelgori Cancellarii Theodonis Ducis. Ruffolus Presbyter, Amandus Presbyter, Latinus frater ejus, Ebo Presbyter, Paldo Presbyter, Reinbertus Presbyter, Heimo Presbyter, item Vitalis Presbyter, Salemon Presbyter, Benedictus Diaconus, Syndonius Diaconus, Joannes Subdiaconus, Wolfhardus Subdiaconus, Arnhalmus Monachus, Germanus Monachus, Tazzo Monachus, Emicho Monachus, & iſti laici, Ugo Comes, Immin Comes, Heimo Comes, Gerhardus judex, Sigibaldus judex, Anno, Eber, Rudloch, Salaho, Joannes, Egilolf: Omnes iſti nobiles & veraces viri fuerunt.

CAPUT VIII.

Hæc ſunt quæ dedit Otilo Dux ſancto Maximiliano.

PRÆFATUS quoque Dux Otilo, divino compunctus amore, cœpit ædificare & ampliare Eccleſias Dei & ſervos diligere, ipſam cellam ſancti Maximiliani, quam beatus Rudbertus Epiſcopus primo per conceſſum Theodonis Ducis conſtruxit, quamque idem Dux ad Juvavenſem ſedem tradidit, cœpit Otilo Dux diligere, & in amorem Dei ampliare. Congregari autem ibidem fecit Clericos & Deo ſervientes, pro remedio animæ ſuæ. Tradidit autem ibidem ad ſervitium Dei villam quæ dicitur Stamheim / ſuper Oenum fluvium in Ynſinkouue / Deo & S. Maximiliano, & ad Pongou / commanentes XXX. cum ſylva & venatione, & omni appendicio ſuo. Ad dotem quoque ejusdem Eccleſiæ ad Stamheim adjunxit Waldmannum ſervum cum conjuge & liberis eorum, & cum omni poſſeſſione eorum. Othpaldum quoque ſimiliter cum omnibus quæ habebat. Bondanam quoque fœminam cum ſex liberis. Subjunxit autem per ſingulas curtes aliquam ibidem partem, ad ſupra dictam traditionem S. Maximiliani. Ad Chiemgou Irmharium ſervum cum colonia ſua & alia poſſeſſione. Ad Oſtermuntingen ſervum unum. Ad Salzburg unum, in Mattakou unum, in Atergou unum,

Digitized by Google

unum, ad Elinchove unum. Tradidit quoque ad Chuchil caſam cum curtifero ſuo, & territorio & manentes IX. cum coloniis & aliis appendiciis ſuis. Ad Atanate vero Eccleſiam cum curte & manentes XX. cum adjacentiis ſuis. Tradidit etiam villam vocatam ad Loufi caſam & curtem cum territorio ſuo, & manentes XV. cum molendinis & aliis appendiciis ſuis. Ad Salinas vero dedit ibidem Lantonem cum fratribus ſuis, & loca fornacium IV. cum patellis. Et Vitalem cum omni poſſeſſione ſua. In vico dicto Ehingen manſus ſex cum omni poſſeſſione eorum. In vico Liveringe, manſus decem cum coloniis ſuis, caſam & curtem cum appendiciis ſuis. Ad Ponninwanch dedit duos fratres his nominibus, Ditnant & Wolfker, cum omni poſſeſſione eorum. Dedit quoque idem Dux Otilo ad eandem cellam S. Maximiliani ſurſum & verſum per Salzaha flumen ex utraque ripa ipſius fluminis, ſaltum ad venationem, atque ad paſcua pecorum alpes & ſylvam à loco qui dicitur Strupe & ad Purch, & illas alpes ubi Schwarzaha oritur, & ſic in Occidentem & Aquilonem ad Orientem & Auſtrum usque ad Stegen, & iſtud per omnia, ut ſupra ſcripta Otilo Dux in mercedem propriam, ac pro remedio æterno animæ ſuæ, ibidem Deo ſervientibus perpetualiter confirmavit. Ejusdem quoque Ducis temporibus Gotſchalckus quidam vir nobilis dedit Deo & S. Maximiliano, omnem proprietatem ſuam, quicquid habuit in loco dicto Kupulpach, quodque alii viri nobiles de facultatibus ſuis amplificaverunt. Gerhalmus vir nobilis dedit ibidem de proprietate ſua Deo & S. Maximiliano in loco dicto Herigiſinge manſus duos, & vineam unam. Gunpolt vir nobilis dedit ibidem de proprietate ſua ad Ehingen, manſus duos. Adalunch vir nobilis ibidem de proprio ſuo, ad Pidingen, manſus quinque. Dato vir nobilis dedit proprium ſuum quicquid habuit ad Moringen Deo & ſancto Maximiliano. Reinbertus & Gerbertus atque Reinhalmus, dederunt ibidem ad Stile loca nominata eadem, & manentes novem juxta Kupulpach. Santulus vir nobilis, dedit ibidem quicquid proprietatis habuit in vico Romaniſco, & ad Figun Deo & S. Maximiliano. Irmhart vir nobilis dedit proprietatem ſuam ibidem ad Hegelin. Teipozzo Presbyter, vir nobilis dedit ibidem proprietatem ad Truthersreute.

SÆC. XII. ANNO 1190.

CAPUT IX.

Hucusque bona ſancti Maximiliani. Iterumque ad Juvavenſem ſedem.

SOROR Domini Pipini Regis, nomine Hiltrut, mater Thaſſilonis Ducis, concedente eodem Rege poſt obitum viri ſui Otilonis Ducis, in eorum omnium bonam retributionem coram Deo & ſanctis ejus, dedit ad Juvavenſem ſedem, in pago Danubiacenſi, villam quæ dicitur ad Puche cum manentibus triginta novem, & cum omni appendicio ſuo, hæc quidem Meinhardo Comite, nobiliſſimoque viro, affectante in æternam coram Deo mercedem ſuam, proque remedio animæ ſuæ.

Thaſſilo quoque Dux, una cum matre ſua Hiltrude, concedente Domino Pipino Rege, dederunt Deo & S. Petro ad Juvavenſem ſedem, pro animabus ſuis, villam nuncupatam Campus, cum manentibus triginta & coloniis eorum, & cum omnibus rebus eorum ſuper Salzaha. Dederuntque ad Puoch, juxta Oetingen manſum unum, cum omnibus rebus ſuis. Similiter dederunt ibidem ad Salinas ad illum puteum, hoc quod dicitur Galgo.

CAPUT X.

Hucusque prænotatæ ſunt traditiones Ducum Bavariæ regionis, quas dederunt ad Juvavenſem ſedem. Ex hinc adnotantur traditiones nobilium hominum de propriis rebus eorum, quas ibi dederunt.

MILO quidam vir nobilis, temporibus Otilonis, dedit proprietatem ſuam DEO & ſancto Petro ad Salzburgenſem ſedem pro anima ſua, locum & alias poſſeſſiones ad Nozdorff cum manentibus XIII. & cum omni appendicio eorum in Salzburgove ſuper rivulum, qui dicitur Glanicle. Tiſa quædam nobilis fœmina Theodoberti temporibus, dedit proprietatem ſuam in loco dicto Monticulus ſuper Salzaha fluvium, Deo & S. Petro ad Juvavenſem ſedem, cum manſis ſex, & aliis rebus ſuis. Dego nobilis vir temporibus Otilonis Ducis, dedit de proprio ſuo, in loco dicto ad Glana, caſam & curtem ſuam, cum alio appendicio ſuo ſuper rivulum Glanæ, & manentes ſervos quatuor, cum coloniis ſuis.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

CAPUT XI.

De cella apud Ottingen.

Cella quæ dicitur Ottinga, temporibus Domini Pipini Regis, & Thaſſilonis Ducis nepotis. Guntherius quidam Comes in Pago Chiemingen in propria hæreditate ſua conſtruxit Eccleſiam pro amore Dei, & animæ ſuæ ſalute, ad ſervitium Dei & ſanctorum ejus. Convocavitque illuc ſanctum Virgilium Epiſcopum, eodem anno quo ad Epiſcopium ordinabatur, dixitque ei, ſe velle ibi Monachos congregare, ut victum & veſtimenta habere valerent, & quicquid ibidem cum proximis ſuis augmentare cum juſtitia potuiſſet ad Dei ſervitium & ſanctorum ejus promptiſſime hoc faceret. Tunc itaque Virgilius Epiſcopus requiſivit ab eo, in cujus dominio voluiſſet, ut ille Abbas eſſet & Monachi quos illic congregaſſet, & ille primitus ei hoc dicere noluit. Dixitque ei Epiſcopus: Neque ego tibi Eccleſiam conſecro, nec Monaſterium, neque Abbatem, niſi ſecundum canones ſciam, ad quem locum illorum rectitudo & donatio conſtare debeat. Et voluit inde abire. Denique idem Comes Guntherius divino compunctus amore cognovit, quod Epiſcopus ſecundum Canonum ſtatuta incedere vellet, promiſit ſe hoc ipſum quod ibi conſtructum habuit ad Monaſterium perficere velle, & cum omni proprietate ſua, eandem Eccleſiam ſi conſecraſſet, ad Salzburgenſem ſedem Epiſcopatus, & ad illam dominationem pleniter per omnia ſecundum canones tradere velle, & per omnia inde ita facere, ſicut Virgilius Epiſcopus illum doceret. Et tunc demum conſenſit Virgilius Epiſcopus & conſecravit ipſam baſilicam in honore S. Stephani, & omnem locum hunc. Quo facto, Guntherius tradidit per pallium Altaris Virgilio Epiſcopo ipſam Eccleſiam, cum omnibus quæ ibidem antea perdonavit tradere. Commendavit autem hoc pleniter Monaſterium in manus Epiſcopi, ad regendum ſecundum Canones, ſicut & cæteras Eccleſias diœceſis ſuæ, ut ipſum cum ſede ſemper eſſet. Poteſtatem vero Epiſcopo dedit regendi ipſam familiam, Abbatemque ibi ordinare & Monachos de ipſa ſede ibidem ponere ſive Canonicos. Tunc quoque tradidit ibidem de ſuo proprio villam quæ dicitur Holzhuſſ. cum manſis ſeptem & cum omnibus rebus ad eandem villam pertinentibus. Deditque aliam villam juxta lacum Chieminge Uſinga vocatam, cum manſis ſeptem. Poſtea vero una cum conſilio & conſenſu Thaſſilonis Ducis, petiit Dominum Pipinum Regem, qui conceſſit ei tributales viros de ſuo miniſterio manentes quatuordecim ibidem ad firmamentum, qui & ita fecit. Interea vero ipſe & uxor ejus Hadeburch, dederunt ibidem ambo pariter hæreditatem ejusdem Hadeburgæ in Auguſtkou ad Duringveld, & quicquid illa in eodem pago proprietatis habuit, vel quidquid ipſi ambo poſtea vel ibi, vel alicubi, cum proprio pretio comparare potuerunt, totum ibidem tradiderunt. Nomina prædiorum fidelium virorum fuerunt hæc: Donatio Lamperti ad Ehingen. Donatio Edwardi ad Luftinpach, Eccleſiam & medietatem de rebus Eccleſiaſticis. Donatio Herifridi ad Lamprechtshuſen. Donatio Engelfridi, in territorio ad Auſtrum. Item donatio Engelfridi & conjugis ſuæ Adalæ colon. I. ad Fuihte. Donatio Selpkeri de omnibus rebus ad Ehinge. Donatio Abfridi colon. I. ad Ehing. Donatio Mahtolini ad Mahtoleshuſen de toto quod ibi habuit mancipiorum quatuor juxta Ehinge. Donatio Ilbungi de territorio ad Inwarm, totumque dedit colon. I. ad Ehingen. Porro de illa Eccleſia ad Prun, placitum eſt habitum coram Ludovico Rege. Item Wenilo ad Liurun, donavit ſervos duos cum omnibus rebus eorum. Rurſus placitum eſt habitum de ipſa Eccleſia, Arnonis & Wenelonis, coram Richolfo & Geroldo, legatis Domini Caroli Regis.

CAPUT XII.

Nomina & prædia fidelium virorum & nobilium & mediocrium.

Buso Presbyter & Joannes frater ejus tradiderunt Deo & S. Petro, atque S. Ruddberto, ad Juvavenſem ſedem pro animabus ſuis, omne quod proprietatis habuerunt in villa quæ vulgo dicitur Walchwiſz & in Biſoncio, quod nunc Pinzcou dicitur, atque ad Salvelt, ſuper Sala fluvium, in toto manſus quindecim cum omnibus appendiciis ſuis. Ruther Comes & Gerbolt nobiles viri ac poteſtativi, tradiderunt ad prædictam ſedem, omnem proprietatem ſuam quidquid habuerunt in Pinzgou, atque

Digitized by Google

atque in Niwarm, manſus duos. Sigiboldus judex, & Anno frater ejus, filiusque ejusdem Sigboldi, tradiderunt ibidem omnes res proprietatis ſuæ, quas habuerunt in vico Walchſtorff Romaniſco & manſus duos. Grimbertus Comes, per conceſſum Pipini Regis, qui erat ei valde familiaris, & per conſenſum Thaſſilonis Ducis, dedit ad prædictam ſedem, pro anima ſua in villa quæ dicitur Papinga, caſam & curtem cum territorio & ſylva, & manſus quatuor. Aliud quoqe quod ibi ad iſtam ſedem pertinet, nobiles & poteſtativi homines de propriis rebus tradiderunt pro animabus ſuis. Rudker, & Ataker, Gotſchalcus, Eberger, nobiles viri, tradiderunt de eorum proprietate, quod habuerunt ad Wenge, ſuper lacum Wallerſee, & ad Strazza, manſus novem cum omni appendicio eorum. Madelhelmus & Kazzilo fratres ac nobiles viri, tradiderunt aliquas res proprietatis ſuæ ad eandem ſedem, in Wallerdorf, & ſuper rivulum Sura. Lantfrid vir nobilis tradidit ſemetipſum & proprietatem ſuam ad eandem ſedem quicquid habuit juxta Wallerſee, in loco dicto Summo lacu. Iſinhart vir nobilis tradidit filium ſuum Wolchenhardum, & ſuam proprietatem ſuper ipſum lacum. Eginc vir nobilis dedit ibidem proprietatem ſuam, in villa dicta Hohindorf & ad Prun, quicquid in his locis habuit. Adelhoh & Pato fratres, & Alo ſeu Richart nobiles viri, de ſua proprietate dederunt quod habuerunt in Hohendorf, ad eandem ſedem, aliud vero dimiſerunt liberis ſuis. Dignolus vir nobilis tradidit ibidem res ſuas in vico qui dicitur Liveringe I. colonia. III. cum aliis appendiciis ſuis. Severinus quidam dedit jurnales ſex. Angelus Presbyter, vir nobilis, dedit de proprietate ſua in loco dicto Figun, ad eandem ſedem. Adelfrit vir nobilis, dedit ſemetipſum & filium ſuum ad eandem ſedem Salzburgenſem, & totum quod habuit in villa quæ dicitur Cheſlindorf. Morich vir nobilis, dedit proprietatem ſuam ibidem ad Wallerſee. Erinbrich vir nobilis, dedit proprietatem ſuam ad eandem ſedem in villa Herluinga. Hiltpert vir nobilis, dedit proprietatem ſuam ibidem in Herliungem. Donatio Wigonis etiam in Herliungen. Jacob vir nobilis, tradidit tertiam partem hæreditatis ſuæ in Herliungen. Karl & Immin fratres. Sigibert, Sumpert, & Toto ſeu Leupſeu Leupwart, dederunt portionem hæreditatis ſuæ ad eandem ſedem ad Linbilnaha & ad Huning. Ad Wildorf quiddam dederunt viri nobiles. Quoddam vero comparavit Virgilius Epiſcopus ad viros nobiles & poteſtativos cum pretio taxato. Sigibertus dedit ibi virnales LXX. prata ad XXX. carradas. Dulciſſimo Presbytero dedit Adalunch quidam vir nobilis propriam hæreditatem ſuam ad Jubilndorf aliquot pretio pro anima ſua. Et idem Dulciſſimus Presbyter tradidit hoc ipſum Deo & S. Petro, ad Salzburgenſem ſedem, pro anima ſua, & illius. Majo & Wich, viri nobiles dederunt proprietatem ſuam in villa Saldorf. Item Wich, vir nobilis, dedit hæreditatem ſuam ad eandem ſedem, in Pidingen. Richart vir nobilis dedit proprietatem ſuam ibidem in Pidingen. Gotperth vir nobilis dedit de proprietate ſua in Pinzcou, manſum unum, & in Atergou manſus duos. Pato vir nobilis dedit de proprietate ſua quiddam in Papingen. Ato & Satwar uxor ejus dederunt Deo & S. Petro, quod habuerunt in Perndorf. Iterumque pro filio Meinſteino dederunt ſuam portionem ad Huningen. Helinger, Erchenger, Rudker, Alfrit, Wolfgoz, Leuperht, Guntpolt: Item Alfrit nobiles viri dederunt portiones proprietatis ſuæ ad eandem ſedem in Chircheim. Rudhoch vir nobilis dedit pro filio ſuo Gerhoho portionem ſuam in Walchwiſt. Egilolf vir nobilis dedit tertiam partem hæreditatis ſuæ, quod habuit in ſalinis & ad Muln, & totum quod habuit in Salvelt. Mazzo vir nobilis dedit proprietatem ſuam in villa Livaringa. Joannes Presbyter tradidit quicquid proprietatis habuit in Walwis. Eber vir nobilis dedit pro anima ſua ad prædictam ſedem omnia ſua quæ habuit in Walwis. Engelhart ad Fiſchaha dedit omnia ſua. Vitalis & Germanus dederunt molendina. Helmbolt Presbyter vir nobilis dedit ſuam proprietatem ibidem in Walwis. Adalſwint nobilis fœmina, dedit ibidem propria ſua in vico Romaniſco. Eberwalch vir nobilis dedit tertiam partem de rebus ſuis propriis in eodem. Ezzil donavit res ſuas ad Wizinpach. Kemmil dedit campos quinque in eodem. Rudhoh dedit omnem proprietatem ſuam in Wizinpach, & in Salinis. Rudhoh dedit colonia duo, & unum molendinum in Wizinpach. David & mater ejus præclari homines, dederunt proprietates ſuas in ſalinis & in Pinzgou. Wilpurch atque Sprata, nobiles fœminæ, dederunt proprietates ſuas in ſalinis & in Muen. Pato & uxor ejus Roſmut nobiles, dederunt proprietates ſuas quicquid habuerunt in Wildorf. Germunt dedit ſua in Wildorf. Machalm vir nobilis dedit ſemetipſum, & omnem proprietatem ſuam ad Offenwanch. Gunther vir nobilis dedit proprietatem ſuam ad Luibendorf. Gerhart nobilis homo, dedit pro-

SÆC. XII. ANNO 1190.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

prietatem ſuam ad Huning. Reginbolt nobilis dedit proprietatis ſuæ medietatem quam habuit ad Louffi. Reginolt de Lautpoting dedit ſemetipſum & proprietatem ſuam in eadem villa. Gotſchalcus vir nobilis, dedit omnem proprietatem ſuam in Piding, & ad Hegelin. Waninch nobilis dedit portionem ſuam ad Hegelin. Adalfrit, dedit omnia poſt obitum ſuum ad Hegelin. Ecko nobilis, dedit tertiam partem hæreditatis ſuæ ad Hegelin. Adelhart nobilis homo, dedit de proprietate ſua ad Hegelin. Gutlint & Eugeltrut nobiles fœminæ, dederunt propria ſua ad Hegelin. Helmo dedit portionem ſuam in Pinding. Rudunch nobilis vir, dedit portionem propriam in villa Otinaring. Et Adelhart ibidem dedit omnia ſua. Gerhart judex & vir nobilis dedit tertiam partem de omni proprietate ſua, quod habuit in Tuſindorf. Engelhoh nobilis homo, dedit colonias duas proprietatis ſuæ in Tuſendorf. Diethoh tradidit portionem ſuæ proprietatis in Tuſendorf. Helmo & Otacker viri nobiles, dederunt portionem proprietatis ſuæ in Tuſendorf. Kazzilo vir nobilis, dedit manſus duos in Tuſindorf, & mancipia ſex. Lietwar dedit omnia ſua in Tuſindorf. Rapot & Pebo, dederunt portiones proprietatis eorum juxta Tuſendorf. Wilhelmus nobilis dedit res proprias, exceptis pratis, ad Tuſendorf. Otacker dedit omnia ſua, & aliqua pro pretio in Tuſendorf. Geberhoh vir nobilis, dedit de proprio ſuo, jugera XXX. & prata ad Tuſendorf. Leitrat vir nobilis, dedit portionem ſuam, & quicquid ſui erat ad Tuſendorf, & manentes ſervos duos ad Megilingen. Reinhart tradidit, quicquid proprietatis habuit ad Tuſendorf. Wichart vir nobilis tradidit ſemetipſum & quidquid habuit ad Aſchah juxta Tuſendorf. Donatio Dorfwini Clerici & nobilis viri ad Trun & ad Tuſendorf. Engelpert nobilis dedit totum proprium ſuum quod habuit ad Sureberch. Gumpert nobilis dedit portionem proprietatis ſuæ ad Tuſenperch. Meinprecht vir nobilis dedit totam proprietatem ſuam ad Tuſendorf. Rathoh dedit omnia ſua in Tuſenperch. Rathoh vir nobilis dedit omnem portionem ſuam ad Tuſenperch. Chumbrecht homo nobilis, dedit omnem facultatem ſuam ad Tuſinberch. Rudprecht dedit tertiam partem proprietatis ſuæ ad Winpurch. Lantfrid frater ejus dedit portionem ſuam in Winpurch.

CAPUT XIII.

Notum ſit quod Arno Archiepiſcopus conquiſivit duas partes de Tuſenperch à Gotberto.

ADALFRID vir nobilis dedit portionem ſuam ad Hegilin. Engilbolt dedit portionem ſuam ad Egelin. Virgilius Epiſcopus comparavit hoc caſtellum ad Swickerum ad Louffi. Pernhart dedit tertiam partem proprietatis ſuæ ad Louffi. Lyra quædam fœmina tradidit pro filio in Weſtergou manſum unum & mancipia XIII. ad Louffi. Germunt quidam donavit ad Ezzindorf. Abbas Wolchardus & Gumbolt donaverunt ad Antheringen, & ad Pergę ſuper Wallerſee. Aliorum etiam donatio virorum, per nomina, fuit hæc: Donatio Engelberti & Hatonis in Antheringen. Donatio Waldrici de omni proprietate ſua in Antheringen. Donatio Eberhardi in ipſa villa Anthering. Rudhoh & Rathart dederunt proprium ſuum in Anthering. Erchinhard dedit unam colon. in Anthering. Traditio Sigiradi in villa nuncupata Patinga. Et donatio Babanæ uxoris ejusdem. Donatio Eberolfi & conjugis ſuæ Schafthildæ, ad Offenwanch. Donatio Goſwibe ad Arnoltingen. Donatio Sigiberti ad Wildorf. Donatio Albrici Diaconi, & Uronis fratris ejus ad Purgunſtetin. Donatio Lantwarii Comitis & filiæ ejus Diemut, ad Huningen & ad Uberſee, ac præſtaria I. lehen Arnoldi. Donatio Liuperti ad Nuzdorf, juxta montem, qui vocatur Hunſperch. Engelbertus poteſtativus homo, dedit totum proprium ſuum ad Perndorf. Item Gotawar nobilis fœmina dedit pro Atone viro ſuo & pro ſe, dotem ſuam cum omni quod ei idem Ato dedit in proprium ad Petndorf. Liuther liber homo dedit medietatem de omni re ſua in Perndorf. Diethalmus vir quidam ad Wels quæſivit donationem Atonis, uxori ſuæ, filiæ Atonis, ſed prævendicavit illud Arno Epiſcopus. Item Ihho frater Atonis quæſivit hanc ipſam ſibi, ſed revicit illum Arno Epiſcopus. Item de eadem re cum eodem Ihhone placitum eſt habitum pro ſylva & confinio ipſius traditionis Atonis ad Perndorf, ab Arnone Epiſcopo cum illis vicinis, qui ibi circumquaque habebant. Item Gumboldo, Liuperto, Herberto, item Ihho, Wilhalm & Socco atque Ampho, tradiderunt res eorum in Nandiſwanch.

Digitized by Google

wanch. Gotbrecht, Norbrecht, Altwich, tradiderunt res ſuas ad Spanſwanch. Et Tepizzo fecit ſimiliter in eadem villa de proprietate ſua. Adalhol & Pato fratres, viri nobiles tradiderunt pro fratre eorum Rudberto manſus duos in Atergou, cum omni poſſeſſione eorum. SÆC. XII. ANNO 1190.

Anno quidam dedit ibi res ſuas. Iterum Pato & uxor ejus Roſmut, tradiderunt totum quod habuerunt in Atergou, caſam & curtem & territorium, & manſus quinque cum omni appendicio ſuo, & ſextum manentem in Hohindorf. Jacob & Alexandra mater ejus poteſtativi homines, tradiderunt omnia quæ habuerunt propria in Atergou, & Jacob tradidit ſemetipſum. Gerwalch vir nobilis, tradidit quicquid habuit de territorio in Atergou. Dietrich & Pultrut, tradiderunt caſam & curtem, & vineam unam cum pomerio, & alio parvo territorio ſuper lacum Aterſe. Michel, frater ejus Wenil, illuſtres viri, tradiderunt totum quod habuerunt proprietatis in loco qui dicitur Pachmanna. Helmo illuſtris tradidit aliquas res proprietatis ſuæ pro ſe ad Grunnipach. Aliud vero vendidit precio Virgilio Epiſcopo. Hiltigoz dedit ibi Virgilio Epiſcopo prata viginti ſeptem. Heilrat illuſtris fœmina, dedit totum quod ei in dotem pervenit ad Grunninpach. Fridebert quidam ibi vendidit portionem ſuam Virgilio Epiſcopo ad Grunninpach. Gozpolt vir illuſtris & Turo frater ejus tradiderunt totam proprietatem ſuam quam habuerunt in Antheringe. Perchtgoz vir illuſtris tradidit ibi colonias duo. Batahilt uxor Perchtgozi tradidit ibi totum quod ei venit in dotem, & alia mancipia ſua Richart Clericus, homo nobilis tradidit hæreditatem ſuam in Anſering. Eckihart Clericus dedit proprietatem ſuam in loco dicto Filungeſtorf. Waltrud nobilis fœmina, tradidit emptionem, quam conquiſivit à viris nobilibus, in loco qui dicitur Frumholz. Ebo vir nobilis tradidit omnia propria ſua ad Ehingen, & filium ſuum ac ſemetipſum. Dilpolt vir nobilis dedit totam proprietatem ſuam ad Willinperch. Folcho vir nobilis tradidit totum quod proprietatis habuit ad Purn. Ilbunch poteſtativus vir, dedit omnem proprietatem ſuam ad Ehingen. Uto liber homo tradidit ſeipſum, & omnia quæ habuit ad Holhuſ. Joannes vir nobilis dedit de proprio ſuo in ſalinis, in harena virgas ſex, quæ virga habebat pedes viginti ſex & dimidium, hoc eſt in Orientali parte ipſius harenæ, & juxta fluvium virgas quatuor ejusdem menſuræ, deditque in Mun quidquid proprietatis habuit. Wichker filius ejusdem dedit in eadem Mun, & in ſalinis totam portionem ſuam poſt obitum ſuum. Hugo Clericus dedit ſimiliter in Mun & in ſalinis omnem rem proprietatis ſuæ. Goteſchrut vidua Egilolfi dedit poſt obitum ſuum infra ſalinas caſam & curtem & juger. I. de terra, & mancipia ſex. Snelwach de Marciolis dedit ſylvam unam prope illam Eccleſiam. Jonas poteſtativus homo dedit in villa quæ dicitur Nana, quicquid proprietatis habuit poſt obitum ſuum. Nepos quoque prædictæ Goteſchrudæ dedit in ſalinas pro patre ſuo Egilolfo juniore nomine, Wentilpert, jugera. III. & fornacium I. ac mancipia ſeptem pro anima ſua. Gozbrecht vir nobilis, dedit ad Wallerſee manſus duos, de proprio ſuo, & manſum unum in Waging. Otlant dedit omne quod proprietatis habuit in Hohindorf. Saxo quidam debuit unum Weregildum ſolvere ad Salzburg, comparavit ad Milonem colon. unam in Hohendorf, deditque ibidem. Adalot quidam dedit ibi proprietatem ſuam. Marich & Adalrich dederunt territorium ſuum proprium & ſylvam bonam ad Hohindorf. Gunthart dedit ibi jugera quadraginta. Richart dedit ibi territorium ſuum & manſum unum, & quod habuit in Niwarm. Erhart dedit tertiam partem proprietatis ſuæ in Wallerſee. Reginolt Diaconus dedit pro ſe & pro fratribus ſuis. Rabano & Wintramo dederunt proprietatem ſuam quam habuerunt in Wallerſee. Heimo dedit proprietatem ſuam quam habuit ad Vriſedorf. Donatio Alberti Comitis fuit ad Lutra, & donatio Reumberti Comitis pro ſe & fratre ſuo Norperto & complacitatio ejus. Iſti Romani de Fiſchaha voluerunt illam ſylvam juxta Fiſchaha habere in proprio, ſed Arno Archiepiſcopus per ipſos Pagenſes viros nobiles atteſtantes duabus vicibus conquiſivit ſancto Petro ad Salzburg. Placitum eſt habitum & quæſitio Ilbungi fabri, qualiter Socco eum conquiſiverit in ſervum. Aliudque placitum eſt de Weregildo, Wichelmi fratre. Tertium placitum qualiter dedit Socco territorium ejus ad Salzburg, pro anima Wichelmi.

C A-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

CAPUT XIV.

Traditiones in Trungove.

GRAMAN Comes comparavit ad Adalhardum filium Heliſæi proprietatem ſuam, ad Albinſvelt, in Trungou, cum condigno pretio, & hæc tradidit ad Salzburg pro anima ſua poſt obitum ſuum. Quodque poſtea Kozpert concambiavit ad Arnonem Epiſcopum, deditque proprium econtra ſuper Trunam fluvium. Ritant vir nobilis in Trungou ſuper Grunpach fluvium, tradidit portionem ſuam in territorio, & in ſylvam cum comparticipibus ſuis ad Salzburgenſem ſedem. Herman vir nobilis dedit jugera III. & in ſylva jugera. V. in longo & in lato, virgas XII. in Ufkou, ad Pachmannum. Arno Archiepiſcopus concambiavit ad Pachman I. territorium & ſylvam à tribus fratribus, id eſt, Reimbotone, Kozbotone, ac Putulungo, & dedit eis quod fuit ſancti Petri, de dato Eginolfi in Lambach. Ratbercht vir nobilis dedit ad Grunbach pro ſe & conjuge ſua jugera ſex. Helerger de Suanſe dedit de territorio jugera triginta tria. Matholt vir nobilis, ac Pachmann ſervum ſuum, Haderbertum cum conjuge & filiis, præter Heribertum, cum omni quod habuit idem ſervus.

CAPUT XV.

Notitia prædiorum ad Chyricheim.

DAVID Presbyter vir nobilis ad Salzburg, totum dedit quod habuit ad Chircheim. Affrit vir illuſtris, dedit omnes res ſuas quas habuit in Chircheim. Graman vir nobilis, dedit res ſuas proprias quas habuit ad Chircheim. Adalfrid vir nobilis, dedit quicquid habuit juxta Chircheim. Pazzerich vir nobilis, dedit pro matre ſua, jugera in agris triginta, & de pratis ſimiliter in Chircheim, & quicquid illa habuit, id eſt, Pazzerich dedit tertiam partem de rebus ſuis poſt obitum ſuum in Chircheim. Cætera vero omnia dedit Arnoni Epiſcopo in concambium, quod ibi habuit Hadebertus frater ejus in Chircheim. Quod concambium inter cæteras chartas continetur. Pillunch dedit Arnoni Epiſcopo, quicquid habuit in Chircheim. Eicho dedit Arnoni Epiſcopo in concambium totum quod habuit in Chircheim.

CAPUT XVI.

Ad Putlingen.

GUNDELBRECHT tradidit ſeipſum & totum quod habuit in Putelingen. Patahilt dedit coloniam unam in Putiling. Asfrio dedit duos manſus cum omni poſſeſſione ſua in Puteling. Graman dedit familias ſex cum omnibus quæ habuerunt in eodem loco.

Frumolt dedit totum territorium ſuum domus ſuæ pertinens in Puteling. Uto & Petto dederunt jugera ſeptuaginta in Putelingen. Ebermunt dedit colonias duas cum tribus mancipiis in eodem loco, in Puteling. Gotſchalch dedit medietatem domus ſuæ, & omnia ad eam pertinentia, & manſus tres cum tota poſſeſſione eorum in Putelingen.

CAPUT XVII.

Ad Tagahartingen.

EGILA illuſtris fœmina dedit dotem ſuam, quam Etih Comes & vir ejus dedit ei in Tagahartingen, cum omni ejus ibi poſſeſſione. Giſilpert illuſtris vir dedit omnia

Digitized by Google

omnia quæ habuit in Tagahartingen. Hiltrat dedit totum quod habuit juxta Tagahartingen ad Holz. Matholf Clericus pro fratre ſuo Richolfo dedit jugera triginta, mancipia duo in Tagaharting. Engelſchalch dedit ad Fuhte jugera novem. Oetinch dedit juxta Tagaharting, ad Ruzmos colonias duas. Graman & Walpercht fratres dederunt ſylvam bonam juxta Tagaharting. Wato & Adalunch, dederunt manſum unum cum omni poſſeſſione ſua ad Tagaharting. Rihholf omnia ſua dedit ad Tagaharting: Sed David gener ejus medietatem abſtulit. Altunch Presbyter dedit ſua ad Tagahart. Uto dedit quartam partem territorii ſui, & unum ſervum manentem cum omni poſſeſſione ſua ad Tagaharting. Ad Fuhto eſt vendicatio de ipſa re. Egilolf dedit domum ſuam cum omnibus ibidem pertinentibus, & de terra arabili jugera decem C. in Taharting. Præſtaria Engelfridi & Gunberti & Ofrici, quæ habuerunt de Tagahartingen. Chriſtina dedit omnia ſua propria in Tagaharting. Concambium factum eſt cum Grimberto qui dedit ad Megilingen, & ad Matfrideshuſen. Megilo Presbyter, & Erliran frater ejus dederunt ſua propria quæ habuerunt ad Fuihte juxta Tagahartingen. Confirmatio terminorum facta eſt de traditione ipſa, quam Wenilo venator quæſivit, ſed per veraces viros inventum eſt, & ſigna facta ſunt. Meingoz dedit propria ſua ad Tagahart. Cunrad dedit omnia quæ habuit propria in Taga. Into dedit omnia propria ſua in Tuningen, quod eſt juxta Tagaharting. Heimo Clericus, & Willipercht frater dederunt omnia propria quæ habuerunt in Gourichingen. Notitia qualiter Arno Epiſcopus conquiſivit traditionem Eginolfi à Wilhelmo filio ejus, ſive Etich Comitis ab Atan, idem Eccleſiam ſancti Joannis cum rebus ſuis & Chyemberch ad Tagahartingen. Leutſwint dedit ſua propria ad Paldilingen. Engelhart Presbyter tradidit ſeipſum & ſuam Eccleſiam cum omnibus quæ habuit propria juxta Tagahartingen & Megilingen.

Sæc. XII. Anno 1190.

CAPUT XVIII.

De Holzhuſſ & Torringen & circumjacentibus.

LEUPOLT liber homo dedit medietatem proprietatis ſuæ ad Holzhuſſ. Madehelm Presbyter dedit ſua ad Widaha. Noë & Chunrich fratres dederunt tertiam partem proprietatis eorum quæ habuerunt ad Holzhuſſ. Sitil tradidit ſemetipſum cum omnibus quæ habuit ad Holzhuſſ. Arno Epiſcopus concambiavit cum Williberto quod habuit ad Holzhuſſ, & dedit ei aliud æquale ad Holzhuſſ. Similiter & concambiavit cum Fridianto Presbytero quod ille habuit juxta Torringen, juxta Pechilingen, & dedit ei quod fuit Reinberti Presbyteri. Iterum Arno Epiſcopus concambiavit (*a*) cum Norberto & Irinhardo quod habuerunt ad Holzhuſſ, ſuper Dizzen, & dedit eis aliud ad Holzhuſſ, quale Patih dedit portionem ſuam quam habuit in Torringen. Welmut dedit totam proprietatem ſuam quam habuit in Torringen. Albertus & filius ejus Herde, tradiderunt quod habuerunt proprietatis eorum in loco qui dicitur Rorach. Wiſigart dedit quod ei Ugo de ſuo proprio dedit ad Heidenmoſe, & concambiavit cum Goteberto ad Frigolteſmoſe. Gerloch dedit ſuum proprium ad Titmaningen. Gothalm dedit ſuum proprium ad Torlheim. Elinhart & mater ejus dederunt omnia ſua propria ad Widaha.

CAPUT XIX.

Ad Timutingen.

OTTO dedit quod proprietatis habuit ad Timutingen. Meil dedit ſuum proprium ad Timutingen. Wolfkoz dedit ſuum proprium, quod ejus erat ad Timutingen. Adalbertus dedit ibi manſum unum. Richart Clericus dedit ſuum proprium ad Timutingen. Othmar de Pruningen tradidit ſua propria.

CA-

(*a*) *Id eſt, permutavit. Scriver. not. MS. in* CAN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

CAPUT XX.

De Raitenhaslach & Hadolvelſpach.

GOZBERTUS dedit ſemetipſum & omnia quæ habuit ad Raitenhaſelach. Chunrat tradidit quod habuit proprium ad Raitenhaſelach. Fœmina quædam tradidit quod habuit proprium ad Raitinhaſelach. Gundich dedit ibi proprium ſuum & e contra accepit aliud æquale ad Holzhuſſ usque ad obitum ſuum. Aſperth dedit ſimiliter ibi propria ſua, Affrid, & Landrich atque Attich, dederunt ibi propria ſua præſtaria Gumboldi ad Chomindorf. Wolfke tradidit propria ſua ad Rotenhaſlach. Chunrinch dedit poſt obitum ſuum quod habuit ad Hadelveſpach. Iſinper Presbyter dedit proprium ſuum ad Hadolveſpach. Ellinper Presbyter dedit proprium ſuum in Hadolveſpach. Cecilia dedit pro filia ſua nomine Hilta dimidietatem territorii ſui, quod dicitur Sellant, & III. colon. juxta Heuningen cum ſervis inibi manentibus ad Nigolteſowe.

CAPUT XXI.

De prædiorum traditoribus apud Moringen.

GRAMAN dedit pro ſe & matre ſua & ſorore proprium illorum communiter in villa Moringen. Maza uxor Gramanni & ſoror ejus confirmaverunt ſuperſcriptam traditionem ipſius ad Moringen. Welmut dedit ſuum proprium ad Moringen. Gerbolt tradidit ſemetipſum & proprium ſuum ad Moringen. Arnolt & Heitto ſua propria tradiderunt ad Moringen.

CAPUT XXII.

Item alia.

ARNO Archiepiſcopus concambiavit cum Rihhone, deditque ei ad Moringen, quod tradidit proximus ejus Graman, & accepit ab eo juxta Raitinhaſlach, in loco qui dicitur ad Hoize. Williher comes ad Hadolveſpach dedit omnem proprietatem ſuam ad Salzburg. Concambium factum eſt cum Adilberto Comite, deditque idem Comes Arnoni Epiſcopo ad Zilarn, quod ad Heribertum virum nobilem conquiſivit, & accepit ab eo ad Haſelach Eccleſiam & manſum unum cum aliis rebus ſuis. Concambium fecit Theodan Presbyter cum Utone nobili viro, deditque idem Utiloni ad Zilarn quod inconveniens erat, ad ipſam ibi Eccleſiam, aptiora. Concambium fecit Arno Epiſcopus cum Adalone viro nobili, tulitque ab eo ad Hadolveſpach, quod ſuum ibi erat proprium, & dedit illi æqualia in loco dicto Puch.

CAPUT XXIII.

Item ad Trun.

GEBEHART dedit omnem medietatem ſuam de rebus propriis ad Trun. Chumi dedit ibi omnia ſua propria. Ato dedit omnia ſibi in proprietatem pertinentia ad Trun. Alawart dedit ſuam portionem ad Trun. Inde habet Weidcher illa prata in beneficio. Arno Epiſcopus fecit concambium cum Wolfoliz & dedit ei ad Trun juxta ſuum proprium, & accepit ab eo ad Nuzdorf in eodem pago ad illam Eccleſiam. Weifher dedit proprium ſuum ad Nohendorf. Waſgrun dedit medietatem ſuam propriam ad Tanne, poſt obitum ſuum concambium factum eſt cum Pillungo & fratre ejus Williberto ad Uberſee, & illi ad Amarwange tulerunt. Weideman dedit ad Uberſe, & accepit ad Kadolteſperge.

CA-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

CAPUT XXIV.

De translatione sancti Rudberti.

Hoc est caput quartum vitæ S. Rudberti tomo 2. edita.

OCTAVO Cal. Octob. translatio sancti Rudberti Episcopi, quæ facta est ab Episcopo Virgilio, qui fuit octavus ab illo, cum quo transtulit & duos Presbyteros ejus: Sanctum Chunialdum & Gisilarium, quorum festivitas, quia nullo alio tempore aut die in anno habetur, eodem die nominatim, ad ipsam, ad quam translati sunt Ecclesiam, statutum est celebrari. Quorum translatio postea eodem die renovata est. Eodem die post ruinam, & consecrata Ecclesia, mutatis Altaribus, à beatissimo & sanctissimo Hartwico XXII. Episcopo, & XII. Archiepiscopo iterata est: Eorumque corpora tunc posita sunt ad corpus sui quondam & compatriotæ S. Patris Rudberti. Cujus translationis dies eo ipso die, id est, octavo Calen. Octobris, per totum Episcopatum illud Salzburg. statutus est celebrari. Quæ dies officiis dedicationis Ecclesiæ, in qua corpus jacet, in tantum est occupata, ut huic celebrationi ejus plene nequeat deservire.

Et dies transitus ejus VI. Calen. April. die resurrectionis Dominicæ, propter officia Quadragesimæ, vel ipsius Paschæ, raro sic, ut dignum est, contingit celebrari. Ideo postera dies, id est, septimo Calen. Octob. illi consuetudinaliter in officiatur, atque vacatur, sed intra urbem illam tantum. Ex qua consuetudine translatio ejus, quidam causæ ignari in diem eundem transscripserunt, sicut in quibusdam martyrologiis habetur. Et etiam congruum ac religiosum est, ut quicquid alia observario illius celebrationis diebus dormitionis illius ob reverentiam Quadragesimalis officii, vel Paschalis observantiam gaudii ademit, qui auctor sedis & Apostolus extitit regionis, hic saltem in domo requiei suæ, illa assumpta die translationis suppleatur.

Hæc in vitâ S. Rudberti tomo 2. edita desiderantur.

ANNO ab incarnatione Domini DCXXIII. ab ordinatione Bonifacii quinti Papæ tertio, & regni Eraclii Imperatoris decimo tertio, post obitum magni Gregorii viginti annis & quinque mensibus evolutis, die Dominicæ resurrectionis, ut legimus, beatus Rudbertus primus Juvavensis Episcopus ad Dominum migravit.

Anno incarnationis Domini DCCLXVII. Virgilius Episcopus cœpit ædificare Ecclesiam miræ magritudinis apud Salzburg indictione septima.

Anno incarnationis Domini DCCLXXIII. dedicata est primò Ecclesia sancti Rudberti à sancto Virgilio Episcopo anno vigesimo sexto regni Thassilonis Ducis. Eodem anno transtulit idem Episcopus sanctum Rudpertum & duos ejus Capellanos, beatum Kunialdum atque Gisilarium.

Anno ab incarnatione Domini DCCLXXXII. indictione quinta, consecrata est Basilica in insula Kiemesse stagno, & Monasterium constructum prima die Septembris.

Hic incipit caput quintum vitæ S. Rudberti tomo 2. edita.

NUMERUM annorum à transitu sancti Rudberti definite scriptum non reperimus, conjectura tamen horum potest fieri ex consideratione temporum, in quibus fuisse legitur. De temporibus ejus legitur sic: Temporibus igitur Hildiberti Regis Francorum, anno scilicet regni ejus secundo, venerabilis Confessor Christi Rudbertus in Wormatia civitate Episcopus habebatur. De die obitus ejus, qui in VI. Cal. April. celebratur, sic legitur: Die orto resurrectionis Christi, Missarum solemnia lætus persolvit, & munitus corporis & sanguinis sacramento, inter verba fratres confirmantia tradidit Spiritum. Et alibi: Sic suum contigit Phase, sacro Paschæ tempore. * Invento autem tempore Regis, invenire deceret tempora Episcopi. Temporibus igitur Tyberii Constantini, & Mauritii Imperatorum Romanorum, Hildibertus Rex Francorum, filius Sigiberti & Brinhildis extitisse legitur, anno Dominicæ incarnationis DLXXV. Tyberius Constantinus regnavit, anno incarnationis Dominicæ DLXXXVIII. Hildibertus XXII. Mauritius regnavit item anno incarnationis Dominicæ DLXXXVIII. Hildibertus filius Sigiberti super Francos regnavit anno incarnationis Dominicæ DXXXIII. Focas regnavit, qui post Mauritium factus est Imperator. Circa hæc tempora sanctum Rudbertum vixisse patet. Requirat autem nunc qui vult, ubi ante annum DCXXIV. Dominicæ incarnationis, aut post eundem annum Dominicus Paschæ in VI. Cal. April. evenerit, ut habet nec ante nec post illum terminum longius, quam humanæ vitæ mensura, idem, si quis hoc antè invenerit, invenire poterit, quot anni sunt à transitu S. Rudberti. Si autem alieno invento credulus esse maluerit, qui semet * hujuscemodi indaginis labores desperet attingere, sciat,

** Inventa autem tempora Regis, invenire docerent.*

** ad hujscemodi,*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

sciat, quod DCXXIII. dies, anno incarnationis Dominicæ, ante supra notatum annum, & post eundem * DCXXIX. dies Paschæ VI. Cal. April. in quo è duobus anno, ipse de quo sermo est, sanctus objerit, non legi. Considerata tamen superiori temporum conscriptione, dubium non est, eum in uno eorum obiisse. Et quamvis certum non sit, si supervixerit, DCXXVIII. quo dies Dominicus Paschæ in VI. Cal. April. venit, certum tamen est, eum non supervixisse * DCXXV. annum Dominicæ incarnationis, in quo similiter dies Dominicus in VI. Cal. Aprilis evenerat. Si autem annum incarnationis, in quo similiter dies Dominicus Paschæ in VI. Cal. Aprilis evenit, altius repetere voluerimus, ut videlicet sub primo Hildiberto Francorum Rege Chlodovei seu Ludovici filio, qui temporibus Justiniani magni & primi regnabat, sanctum Rudbertum claruisse contendamus, tunc in altero subscriptorum anno eum obiisse constat, sive DXXXIV. anno Dominicæ incarnationis, sive DXLIV. anno, in quibus ambobus dies Dominicus Paschæ VI. Cal. April evenit. Ideo, quod inter duo dubia certius est eligamus, & computemus annos de transitu S. Rudperti ab anno DCXXIII. Dominicæ incarnationis. Sunt autem à transitu ejus usque ad præsentem annum, qui est Dominicæ incarnationis annus millesimus, centesimus, octogesimus sextus, anni quingenti septuaginta tres. Ipse est annus trigesimus sextus, nonus regni Friderici Imperatoris.

*DCXXVIII.

*DCXXVIII.

Quo tempore vixerit Auctor.

MONU-

Digitized by Google

MONUMENTORUM
SALISBURGENSIUM
PARS NONA.
CHRONICA
SALISBURGENSIA
EX
BIBLIOTHECA
D. ALBERTI HUNGERI.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

CHRONICA SALISBURGENSIA.

CIrca annos Domini DLXXX. Hildebertus Rex Francorum, regni ejus ſecundo, beatus Rudbertus in Wormatia habebatur Epiſcopus, & inde exulat annis duobus.

Anno DLXXXII. ſanctus Rudbertus viſitatis liminibus Apoſtolorum, ſub Pelagio Papa ſecundo à *Theodone Duce Bavariæ ad prædicandum Chriſti fidem invitatur, acceptoque ab ipſo Duce locum ſibi competentem in faucibus montium prope fluvium *Yvarim, qui nunc Salzach vocatur, ubi extirpatis annoſis arboribus invenit ædificia urbis diruta, quam quondam Julius Cæſar, cum pugnaret contra Alamannos à juvando Juvaviam nominavit, ibique conſtructa ſede Epiſcopali rexit Eccleſiam annos XLIV. Hic fuit Apoſtolus Bavariæ usque ad inferiorem Pannoniam: moriens quoque in die reſurrectionis Domini, poſt Miſſarum celebrata ſolennia, beatum Vitalem ſibi elegit ſucceſſorem.

*Hic fuit tertius hujus nominis, baptizatus à S. Rudperto cum aliis duobus fratribus, videlicet Diet-boldo Rege Italiæ, & Ottone ſeu Uttone.
*Juvarim.

Eodem tempore ſcilicet anno DLXXXVIII. beatus Gregorius primus in Papam eligitur.

Hoc tempore Domini mulier infantem ſine oculis peperit, ſine brachiis, ſine manibus, à lumbis autem erat, ut cauda piſcis.

Tranſitus ſancti Rudberti ſub anno DCXXIII. factus eſt ſub Honorio Papa, Eraclio imperante: Francorum Rege Lothario patre Dagoberti.

Beatus Vitalis ſucceſſor S. Rudberti, primus Abbas S. Petri, quod S. Rudbertus fundavit, ordinatus eſt in Epiſcopum Juvavenſem, cujus cathedralis ſedes multis annis apud ſanctum Petrum habebatur: hic ſedit annis viginti duobus, obiit DCXLVI. in profeſto Urſulæ.

De ſucceſſoribus beati Vitalis usque ad tempora beati Virgilii propter ſimplicitatem vel incuriam ſcriptorum tempora non ſunt diſtincta.

Anno DCLXXIII. Anſologus Epiſcopus & Abbas Juvavenſem Eccleſiam rexit annis XXVIII.

Deinde Zaboludus Epiſcopus & Abbas præfuit Eccleſiæ ejusdem XIV. Aëtius Abbas & Epiſcopus ejusdem Eccleſiæ, præfuit XXIII.

Anno Domini DCXVII. Flobargiſus Epiſcopus & Abbas præfuit Eccleſiæ Salzburgenſi annis XLIII.

Anno Domini DCCLV. Joannes Epiſcopus & Abbas Salzburgenſem Eccleſiam XX. annis rexit. Hi quinque ſepulti ſunt, ut ajunt, apud ſanctum Petrum ante altare majus.

Hoc tempore Ernbertus poſt fratrem ſuum Corbinianum Friſingenſi, Gaubaldus Ratiſponenſi, ſanctus Burchardus Wirzburgenſi, & Willibaldus Aiſtetenſi Eccleſiæ præficiuntur.

Anno Domini DCCLXIV. Virgilius Epiſcopatum Salzburgenſem ſuſcepit, qui ſedit annos XXI. Et beati Rudberti Eccleſiam à fundamento inchoando conſummavit & dedicavit, & in ea ſedem Epiſcopalem conſtituit. Corpus ſancti Rudberti tranſtulit ab Eccleſia ſancti Petri, & in eandem Eccleſiam collocavit. Pipinus Rex Franciæ, Thaſſilonem Ducem Bavariæ præfecit, & ipſe eodem anno obiit.

Anno Domini DCCLXXVIII. Eccleſia in Chiemſee dedicatur: ſanctus Virgilius obiit, pro quo Berchtricus Abbas eligitur, & unum annum rexit.

Anno Domini DCCLXXXV. Arno Epiſcopus factus, à Leone Papa pallio honoratur, & rexit Eccleſiam Juvavenſem annos XXXVIII. Hic fuit primus Archiepiſcopus Salzburgenſis: ſucceſſerunt Amilon & Adalramus.

Anno Domini DCCCXV. floruit Rabanus, qui librum de officio Eccleſiæ ſcripſit Imperatori Ludovico, Caroli Magni filio. Tandem ſcripſit egregium libellum de laude

Digitized by Google

de ſanctæ crucis, qui Rabanus fuit Epiſcopus Moguntinenſis, Poëta magnus, in ſcientia Theologiæ præclarus. Sæc. XII.

Anno DCCC. Eugenius Papa, natione Romanus, ſedit annos tres, ab hoc Eugenio Adalramus pallium ſuſcepit. Anno DCCCXXVIII. obiit. Anno 1190.

Leuppramus ſucceſſor Adalrami à Gregorio Papa quarto pallio honoratur. Hic B. Hermetem anno Epiſcopatus ſui XVI. Salzburgam attulit, & Eccleſiam rexit annis XXIV.

Ludovicus ſecundus imperavit annos XXI. Hic anno regni ſui VII. & VIII. in feſto S. Martini ſolemniter affuit. Anno DCCCLV. Leuppramus Salzburgenſis Archiepiſcopus obiit.

Anno DCCCLIX. Adalbinus ſuccedit, qui à Nicolao Papa primo pallio honoratur. Hic corpora ſanctorum Chryſanti & Dariæ à Roma ad Juvavenſem detulit Eccleſiam, & ſedit in ea annos XII.

Anno DCCCLXXIII. Adalbertus Archiepiſcopus factus ſedit annos octo.

Anno DCCCLXXX. Diethmarus Archiepiſcopus, qui Adalberto ſucceſſit, rexit annis XVII. S. Vincentium Salzburgam detulit.

Dietmarus DCCCCII. Archiepiſcopus, Otto & Zacharias Epiſcopi in bello Ungarico occiſi ſunt, Pilgrinus Archiepiſcopus Diethmaro ſuccedit.

Pilgrinus Archiepiſcopus ſub Stephano Papa Salzburgenſem Eccleſiam rexit annos XVI.

Ludbertus præſedit cathedræ Salzburgenſi poſt Pilgrinum annis XXIII.

Adelbertus rexit Juvavenſem Eccleſiam annis XXIII.

Circa annum Domini DCCCCXX. ſanctus Udalricus Auguſtæ Epiſcopus ordinatur.

Anno DCCCCXXXV. Aegolfus ſuccedit Adelberto in Epiſcopum Salzburgenſem, rexit eandem ſedem annis VI.

Heroldus ſuccedit Aegolfo, ſedens in eadem ſede Salzburgenſi annis XVIII. Hic attulit corpus B. Martini Turonenſis Epiſcopi. Hic à Duce Henrico qui expulſus erat apud Müldorf excæcatur, & ipſe Dux eodem anno moritur.

Anno Domini DCCCCLVI. circa hoc tempus fuit in Vaſconia mulier ab umbilico ſurſum diviſa, habens duo pectora, & duo capita, una comedente, vel bibente, vel dormiente, altera quandoque neutrum faciebat, vixeruntque multo tempore, nec uno tempore mortui ſunt.

Anno DCCCCLVII. Fridericus primus Archiepiſcopus Juvavenſis conſecratur, & præfuit annis XXXV.

Titus Præpoſitus ſancti Rudberti Monachus fit, & eo anno Abbas ſancti Petri.

Anno DCCCCLXXXVIII. Fridericus Salzburgenſis Epiſcopus obiit. Hartwicus ſuccedit, & ſedit annis XXXIII.

Anno Domini M. I. Otto Imperator tertius in Italia obiit. Henricus Dux Bavariæ ſuccedit. Frater Kunigundis Imperatricis, quæ fuit Palatina Rheni, fit dux Bavariæ Nunberg Monaſterium monialium Rex & Regina conſtruunt. Hartwicus Salzburgenſis Epiſcopus obiit, cui Guntherus ſucceſſit & ſedit annos IV.

Anno M. XXIII. Diethmarus rexit Juvavenſem Eccleſiam annis XVI.

Anno M XLI. Baldwinus ſucceſſit, hic ſedit annos XX. cui ſucceſſit Gebhardus, & rexit eandem ſedem annis XXIX. annoque Epiſcopatus ſui XII. ab incarnatione vero Domini M. LXXXI. II. Nonas Maii Gurcenſem dedicavit Eccleſiam, conſtituens in ea ſedem Epiſcopalem, & Guntherum Epiſcopum ordinavit, & eidem ſedi præfecit.

Anno Domini M. LXXV. per eundem Monaſterium Admuntenſe fundatur.

Gebhardus Archiepiſcopus Salzburgenſis in exilium vadit, cui Thyemo ſuccedit.

Hujus Gebhardi coætaneus fuit Ellenhardus Friſingenſis Epiſcopus, fundator Collegiatæ S. Andreæ Friſingæ, cum XXI. præbendis, & officialibus, qui Ellenhardus obiit anno ſalutis M. LXXVIII. Pontificatu Gregorii VII. & Henrici IV. Imperatoris.

Anno Domini M. IXC. tempore Urbani Papæ ſecundi, Dux Boamundus cum Chriſtianis recuperavit ſepulchrum Domini. Eo tempore inventa eſt in Antiochia lancea Domini. Sub eodem Papa Monachi in Medlich & in Chotwich conſtituuntur.

Thyemo Archiepiſcopus Salzburgenſis electus VII. Calen. Aprilis, & in VII. Idus Aprilis

Digitized by Google

SÆC. XII. Aprilis conſecratur, ab Urbano Papa pallio honoratur. Et anno M. CI. apud Coroſaim martyrio coronatur ſub paſſagio Ducis Godefridi, rexit annis XII.

ANNO 1190. Chunradus de Abensperg Baro Archiepiſcopus Salzburgenſis, eligitur VII. Idus Januarii, XII. Calen. Novemb. à Paſchali Papa ordinatur & pallio honoratur, anno M. CVI. rexit annis XLII.

Anno M. CXIX. Hermannus primus Præpoſitus Salzburgenſis. Anno M. C. XXI. Communis vita in Eccleſia S. Rudberti à Chunrado Archiepiſcopo inſtituitur XIII. Calend. Februarii.

Anno Domini M. CXXVI. ſanctus Matthias Apoſtolus fuit inventus in Treveri tempore famis validiſſimæ, quæ ceſſavit. Hermanno Præpoſito defuncto, Gebno Præpoſitus Salzburgenſis ſuccedit anno M. CXXX.

Anno M. CXLIII. Gebno Præpoſitus Salzburgenſis obiit, & Lanzo primus Hallenſis Præpoſitus, Hugo Præpoſitus Salzburgenſis ſedit.

Anno M. CXLIII. Secove cœnobium conſtruitur.

Anno M. CXLIV. Chunradus Abbas de Manſee occiditur, Chunradus Salzburgenſis Archiepiſcopus obiit, pro quo ſedit Eberhardus Abbas Piburgenſis, amator pauperum, qui præfuit annis XVIII. electus anno MCXLVII. Hic ab Eugenio Papa pallio honoratur.

Anno Domini M. CXLIII. Hartwicus Canonicus Salzburgenſis fit Epiſcopus Ratiſponenſis.

Anno M. CLVI. ſanctus Eberhardus Epiſcopus Salzburgenſis obiit.

Anno M. CLXIV. Chunradus Epiſcopus Patavienſis patruus Imperatoris Friderici, frater Ottonis Friſingenſis, ad Juvavenſem ſedem transfertur, virtutum flore redimitus, dignus amore, ab Alexandro III. Papa pallio honoratus, ſedit annos V.

Anno M. CLXIV. Othacker Marchio Styriæ, Eberhardus de Purkhauſen, Sifridus de Liubenowe, Lintoldus de Plain Comites obierunt. Imperator curiam in Lauffen habuit: Salzburgenſis Eccleſia ibi diſtrahitur. Vacca vitulum in montanis peperit, duo capita, octo pedes, duas caudas habentem. Hugo Præpoſitus Salzburgenſis obiit, Siboto ſuccedit.

Circa annos Domini M. CLXXXIV. Siboto Salzburgenſis Præpoſitus obiit: Hoc tempore floruit Petrus Comeſtor, qui utriusque Teſtamenti hiſtorias utiliter exponendo in unum volumen redegit, qui liber Scholaſtica hiſtoria nominatur. His temporibus Imperator apud Salzburghofen curiam celebrans, Epiſcopatum Salzburgenſem in dedicationem accepit. Item apud Leimben colloquium habuit cum Prælatis. Gundatharus ſuccedit Siboto in Præpoſito Salzburgenſi.

Anno Domini M. CLXVIII. Chunradus Salzburgenſis obiit, cui ſuccedit Adalbertus filius Regis Bohemiæ, qui ab Alexandro Papa pallio honoratur, & multa mala à Friderico Imperatore patitur, quoniam in ſchisma jurare noluit, ſuppoſitis ſibi duobus Henrico Præpoſito Berchtesgadenſi, & poſtmodum apud Venetias Chunrado Moguntinenſi Epiſcopo, ſed tandem utroque eandem reſignante ſedem, reverſus eſt in eam communi voto in pace, ſedit annos XXVI. Hic Adalbertus Hallenſem civitatem exuſſit, & caſtrum quod Halburch dicitur, ædificavit. Hic circa fluvium, qui Lamer dicitur, à miniſterialibus Eccleſiæ capitur, & in caſtro Werven per XIV. dies captus tenetur, propter quam enormitatem divina in Eccleſia Salzburgenſi aliisque Epiſcopatibus vicinis interdicta ſunt, & eo dimiſſo cantatum fuit ſolemniter: *Liberaſti nos Domine ex afflictione.*

Anno M. CLXXI. Vitalis, Virgilius, Hartwicus Salzburgenſes & Pilgrinus Patavienſis Epiſcopi claruerunt miraculis. Heinricus II. imperavit circa M. CXCII. hic accepit Conſtantiam filiam Regis Siciliæ in uxorem.

Anno M. CXCVI. Gundatharus Præpoſitus Salzburgenſis obiit, cui Perchtoldus ejusdem Eccleſiæ Canonicus ſuccedit. Nonis Aprilis Juvavenſis civitas maxima ex parte incendio periit.

Anno Domini M. CC. Adalbertus Archiepiſcopus Salzburgenſis beatæ memoriæ VI. Idus Aprilis obiit. Cui Eberhardus Brixinenſis Epiſcopus ſuccedit. Perchtoldus Præpoſitus ejusdem Eccleſiæ Romam pro pallio ab ipſo deſtinatus, infecto negotio Romæ mortuus eſt. Ipſe vero Epiſcopus per ſe vadens Romam multo labore & ſudore tandem ab Innocentio Papa pallio honoratur. Hic Eberhardus Pater pauperum, ſedem rexit quadraginta quinque annis, qui tres Epiſcopatus inſtituit, Chyemenſem, Laventinenſem, Seccovienſem, & Capitulum ſuum honoribus & divitiis plurimum augmentavit. Pertholdus Romæ obiit, cui Bernhardus Præpoſitus Berchteſgadenſis ſuccedit.

Eo

Digitized by Google

Eo tempore Kunegundis virgo & regina uxor Imperatoris Heinrici Pii Pabenberg ſepulta, multis fulgens miraculis, ab Innocentio Papa canonizata eſt, & multis præſentibus Epiſcopis & Archiepiſcopis, inter quos adfuit & Dominus Eberhardus Salzburgenſis Archiepiſcopus, ab eis eſt translata. SÆC. XII. ANNO 1190.

Diſcordia facta inter Ducem Bavariæ Ludovicum & Epiſcopum Ratiſponenſem Chunradum, cui confœderatus Dominus Eberhardus Archiepiſcopus Salzburgenſis in manu valida venit in auxilium nullo reſiſtente, & diruta ſunt caſtra aliquanta, & ex utroque facta ſunt incendia plurima per univerſam Bavariam, villarum deprædationes & Eccleſiarum, ita ut non ab Altaribus abſtinerent, & reliquias ſanctorum inde aufferrent, aliaque quamplurimam nefanda & inaudita perpetrarent.

Hoc quoque anno Præpoſitus Bernhardus pridie Idus Auguſti Domino Eberhardo Archiepiſcopo apud Raſtat Prælaturam reſignavit, & deinde IX. Calend. Septembris obiit. Cui ſucceſſit Dominus Albertus Chyemenſis venerabilis Præpoſitus, communi omnium voto electus. Reverſo autem Domino Archiepiſcopo à Ratiſpona, magna ex parte VIII. Idus Novembris, civitas concremata eſt.

Ludovicus Dux Bavariæ, & Dominus Eberhardus Salzburgenſis Archiepiſcopus, & Chunradus Ratiſponenſis Epiſcopus in concordiam redierunt.

Anno Domini M. CCXII. Albertus Salzburgenſem Præpoſituram debilis reſignavit, cui Otto Præpoſitus ſuccedit. Otto Præpoſitus Salzburgenſis in Epiſcopum Gurcenſem eligitur.

Anno M. CCXIV. in quadam Synodo Romæ celebrata, Chyemenſis Epiſcopatus inſtituitur, & ad ipſam ſedem Rudigerus primus Epiſcopus ordinatur. Concilium provinciale à Domino Eberhardo Archiepiſcopo Salisburgenſi celebratur, cui interfuerunt Patavienſis, Friſingenſis, Chyemenſis Epiſcopi. Ratiſponenſis vero, qui propter ſeditionem ſuæ civitatis intereſſe non poterat: Præpoſitum, Decanum, Scholaſticum majoris Eccleſiæ pro ſe miſit: In quo Concilio Prælati Monaſteriorum totius provinciæ abſentes à Domino Metropolitano ſunt excommunicati, quam ſententiam Honorius Papa tertius confirmavit.

Rex Ungariæ, Dux Auſtriæ, Dux Moraviæ, Archiepiſcopus Salzburgenſis, & Comites, & plures alii nobiles circa annum milleſimum ducenteſimum decimumſeptimum cum manu valida ad ſuccurrendum terræ ſanctæ transfretaverunt, cum quibus Albero Præpoſitus Salzburgenſis, & Fridericus Præpoſitus Berchteſgadenſis, qui apud Bradioſium obiit, cui Henricus Canonicus ejusdem Eccleſiæ ſuccedit. Illo etiam tempore Ludovicus Rex Franciæ transfretavit ultra mare, habuitque lætum principium, ſed triſtem exitum, quare pene omnibus ſuis amiſſis, captus fuit, ſed volente Deo reſtitutus.

Heinricus Gurcenſis obiit, cui Udelſchaltus Canonicus Gurcenſis ſuccedit.

Anno Domini M. CCXIX. Seccovienſis Epiſcopatus à Domino Eberhardo Salzburgenſi Archiepiſcopo de licentia Domini Honorii creatur, & Carolus Friſacenſis Præpoſitus eidem ſedi præficitur. Albero Præpoſitus Salzburgenſis obiit. Cui Albertus ejusdem Eccleſiæ Cuſtos & Canonicus ſuccedit.

Comes Leutholdus de Plain obligatis quibusdam prædiis ſuis & beneficiis transfretavit, ibique pauperibus plurima largiens Deo devotus militavit, ſagitta percuſſus oculum perdidit, inde rediens Terviſium, obiit, & oſſa ejus à Domino Archiepiſcopo, & Rugero Chyemenſi Epiſcopo apud Hegelwerd ſepulta ſunt, à quibus etiam eadem die ipſum Monaſterium conſecratum eſt.

Crypta & Altare ſancti Joannis à Seccovienſi Epiſcopo primo Carolo conſecrata eſt, quarto Idus Februarii. Capella & Altare ad ſanctum Hartwicum ab Epiſcopo Chyemenſi Rudgero primo dedicata eſt ſeptimo Idus Septembris.

Ludovicus Dux Bavariæ cœpit munitionem Hallis in monte, quæ dicitur Grutte, quæ à Domino Eberhardo Archiepiſcopo ſub quadam forma compoſitionis deſtructa eſt. Et ob hanc cauſam prænominatus Epiſcopus homines ac reditus per omnia quos in Halle & circa habebat apud Altenſes comparavit.

Anno M. CCXXI. corpora ſanctorum Viti & Modeſti ab Archiepiſcopo Eberhardo, & Carolo Seccovienſi Epiſcopo in Eccleſia ſancti Andreæ apud Lavent inventa, & in Altari recondita, plurimis cœperunt coruſcare miraculis. Et eorum reliquiæ ad Eccleſiam Salzburgenſem præſentibus Patavienſi & Chyemenſi Epiſcopo cum multa frequentia & tripudio populi ab Archiepiſcopo ſunt tranſlatæ. Capella ſancti Heinrici III. Cal. Septembris, & Eccleſia Parochialis. III. Nonas ejusdem ab Archiepiſcopo cooperante Chyemenſi Epiſcopo ſunt dedicatæ.

Anno ut ſupra vel circa, Archiepiſcopus Eberhardus inſtituit ſedem Cathedralem apud ſanctum Andream in Lavent, cui præfecit Ulricum Plebanum in Harus.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

Anno M. CCXVII. Uxor filii Imperatoris Aquiſgrani præſentibus multis Principibus Alamanniæ coronatur: Et Domino Eberhardo Salzburgenſi Archiepiſcopo qui cum aliis Principibus Aquiſgrani interfuerat per Coloniam revertente, à quibusdam venientibus reliquiæ ſanctarum XI. millium virginum in bona quantitate Salzburgam ſunt allatæ.

Anno M. CCXVIII. Electus Brixinenſis in die Palmarum apud Venetias ab Archiepiſcopo Salzburgenſi in Epiſcopum conſecratur, præſentibus Archiepiſcopo Maideburgenſi, & Duce Auſtriæ, qui ad occurrendum Imperatori Italiam intraverant.

Otto filius Ducis Bavariæ apud Straubing, præſente Rege & multis aliis Principibus in feſto Pentecoſtes gladio accingitur. Ubi Udalricus primus Laventinenſis Epiſcopus ab Archiepiſcopo in Epiſcopum conſecratur.

Anno Domini M. CCXXX. Dominus Papa & Dominus Imperator mediantibus Principibus Alemanniæ, videlicet, Patriarcha Aquilegienſi, Archiepiſcopo Salzburgenſi, Epiſcopo Ratisbonenſi, Auſtriæ & Moraviæ & Carinthiæ Ducibus & quibusdam aliis, ad concordiam redierunt. Et Dominus Imperator ab excommunicatione, in qua ad tempus erat, abſolvitur, & poſt abſolutionem in hoſpitio & menſa à Domino Papa excipitur.

Anno M. CCXXXI. Carolus primus Seccovienſis moritur. Uſchaltus Epiſcopus Gurcenſis obiit. Ludovicus Dux Bavariæ præſente familia ſua à quodam ignoto, cultro percuſſus obiit. Præpoſitus Salzburgenſis, Abbas ſancti Petri, & Abbas Admuntenſis de licentia Domini Papæ in die ſancto Paſchæ mitris Pontificalibus ſunt inſigniti & privilegiati. Simon Abbas ſancti Petri ceſſit debilitate confectus, & Perchtoldus Abbas Admuntenſis ſuccedit.

Anno M. CCXXXII. Dominus Archiepiſcopus ab Imperatore reverſus Chunradum Friſingenſem, & Henricum Seccovienſem electos apud Friſacum in Pentecoſte conſecravit. Gebhardus Patavienſis Epiſcopus propter infamiam occiſionis Eberhardi Canonici Patavienſis, & aliorum criminalium ſibi objectorum, Epiſcopatum reſignavit. Dominus Archiepiſcopus ex licentia Domini Papæ Præpoſito Salzburgenſi uſum virgæ paſtoralis, & annuli chirothecarii indulſit.

Anno M. CCXXXII. ſanctus Virgilius à Papa Gregorio nono canonizatus eſt IV. Idus Junii.

Rudgerus primus Chyemenſis Eccleſiæ Epiſcopus auctoritate Domini Papæ Patavienſi Eccleſiæ præficitur.

Eliſabeth filia Regis Ungariæ, uxor Lantgravii, obiit, poſt obitum ſuum multis miraculis & ſignis claruit.

Magiſter Chunradus de Marchburg cum alio fratre de ordine Minorum occiditur, eò quod in partibus Rheni impugnabant hæreſim.

Otto Dux Bavariæ curiam Ratisbonæ celebrandam indixit, quam propter indignationem Regis & aliorum quorundam Principum ſibi non faventium apud Landshut celebravit. Cui Archiepiſcopus Salzburgenſis & alii Principes interfuerunt, ſed poſtmodum Rex cum multis Principibus & magno exercitu Bavariam intravit, Ducem deſtruens, ſed mediante Epiſcopo Salzburgenſi in gratiam eum recepit, & filium ejus puerulum in obſidem Regi dedit. Et tandem curiam ſolemnem Dux Ratiſponæ celebravit, cui Archiepiſcopus Salzburgenſis & omnes Epiſcopi Bavariæ interfuerunt.

Dux Bavariæ cum exercitu fines Ducis Auſtriæ devaſtavit, & clauſtrum in Lambach exuſſit.

Albertus Præpoſitus Salzburgenſis in Epiſcopum Chyemenſem ab Archiepiſcopo eligitur, pro quo ſubſtituitur Thuno ejusdem Eccleſiæ Decanus.

Sancta Eliſabeth canonizatur.

Anno M. CCXXXV. Dux Auſtriæ conſilio Judæorum terram Auſtriæ clauſit, nec per terram, nec per aquam annonam in partes ſuperiores ire permiſit. Nec tamen eò minus civitas Salzburgenſis, & tota provincia illius frumento de Suevia allato, vinoque Latino & Franconio abundavit.

Anno M. CCXXXVI. ſancta Eliſabeth de tumulo elevatur. Ubi aderat Dominus Imperator, cum Archiepiſcopis & Epiſcopis & aliis Principibus cum infinita populi multitudine.

Rex Bohemiæ ad mandatum Imperatoris vaſtavit Auſtriam, Dux Bavariæ, & Epiſcopus Patavienſis obſederunt civitatem Linz, & infecto negotio receſſerunt.

Anno M. CCXXXVII. Salzburgenſis Archiepiſcopus Eccleſiam Brixenſem dedicavit, & oſſa beati Hartmanni à terra reverenter ſublevavit.

Anno

Digitized by Google

Anno M. CCXXXIX. Imperator in Marchia Tervisina hyemavit, sed postmodum Imperatore à Tervisio exeunte cives à fidelitate ejus recedentes Archiepiscopum Salzburgensem cum sua supellectili spoliaverunt. Et Imperator per totam æstatem in manu valida fines Mediolani & Bononiæ devastavit. SÆC. XII. ANNO 1190.

Salzburgensis Archiepiscopus concilium Episcoporum, & Dux Bavariæ curiam communem consilio pro reformanda pace terræ apud Straubing indixerant, sed propter dissensiones Episcoporum & laicorum non perfecerunt.

Anno M. CCXLII. Chuno Salzburgensis Præpositus & Perchtoldus Abbas S. Petri obiit, pro quibus electi sunt Otto Canonicus ejusdem Ecclesiæ in Præpositum, & Richerus Prior in Abbatem.

Dux Bavariæ curiam Ratisponæ præsentibus Domino Eberhardo Archiepiscopo, & aliis Principibus celebravit. Ubi pro reformatione status aliqua addita fuerunt.

Anno M. CCXLVI. Eberhardus Archiepiscopus Salzburgensis obiit, pro quo Dominus Philippus filius Ducis Carinthiæ unanimi voto Canonicorum & ministerialium consensu eligitur.

Anno M. CCXLVII. Papa ignorans electionem in Salzburgensi Ecclesia esse factam, quendam Burchardum de Zigenhagen nescientibus Canonicis & ministerialibus Archiepiscopatui præfecit & consecravit, qui post modicum tempus non adepta potestate, vel inthronizatione diem clausit extremum. Unde Papa ad petitionem & instantiam tam parentum & amicorum D. Philippi, quam Capituli & ministerialium, electionem à D. Philippo factam confirmavit.

Anno M. CCXLIX. Concilium ad mandatum D. Papæ in Müldorf à D. Philippo electo celebratur, cui interfuerunt Frisingensis, Ratisponensis, Seccoviensis Episcopi, cum aliquantis Prælatis. Ubi Dux Bavariæ citatus tam per sententiam excommunicationis, quam gladio materiali ad Romanam Ecclesiam redire, & ei contra Dominum Fridericum adhærere compelli debebat.

Anno M. CCL. D. Electus Salzburgensis Marchiam intrans manu hostili possessiones quorundam Styriensium rapinis & incendiis devastavit.

D. Rudigerus Pataviensis Episcopus à Dom. Papa depositus est, & Perchtoldus frater Episcopi Ratisponensis sibi substituitur.

Anno M. CCLI. Capitulum Salzburgense super mutuo contractu per custodem ipsius Capituli in Curia Romana super litteras & sigillum ipsius Capituli pro negotiis D. Philippi electi eorum, cujus nuntius ipse custos fuerat, & in curia Romana per quinquennium retentus ad solvendum idem debitum à D. Papa citatur. Unde D. Otto Præpositus Capituli, in se recipiens periculum, Lugduni se Papæ obtulit, secum ab inde in Marsiliam, & à Marsilia in Genuam procedens, multis laboribus & expensis. Ubi D. Papa cognoscens de causa & intelligens, pecuniam evidenter mutuatam non in usum Capituli sed electi esse conversam, sententiavit de reditibus Episcopatus esse solvendam, assignando ipsi Præposito quosdam reditus Episcopatus, per quos eadem pecunia cum omni integritate, damno & interesse absolveretur. Hæc itaque posteris nostris præscribimus, ut sibi in consimilibus sciant imposterum præcavere.

Anno M. CCLII. Comes Tyrolensis & Gorcensis in manu potenti Griffenberg obsederunt, quibus occurrit electus Salzburgensis manu valida, inito cum eis campestri bello, ipsos devicit, captivando Tyrolensem & Eschellohensem Comites cum pluribus ministerialibus & auxiliaribus eorum, qui postea magnis se conditionibus & pecunia absolverunt.

Dominus Philippus electus Salzburgensis quendam ex fratribus Gurcensium Episcopatui Gurcensi præfecit.

Hyems asperrima fuit, ita ut multi homines & jumenta frigore interierint.

Anno M. CCLII. Dominus Philippus non obediens institutioni Papali, per homines nefarios castra & civitates munivit, multa mala per incendia & rapinas in diœcesi exercens. Capitulum Salzburgense nihilominus vocatis eis qui debebant, volebant, & poterant ad electionem commode vocari, ad Haellinum, in præsentia quorundam ministerialium, de consilio tamen omnium, Dominum Ulricum Episcopum Seccovienſem sibi in Archiepiscopum postulaverunt, super eadem postulatione admittenda & confirmanda Dominum Ottonem Præpositum ejusdem Ecclesiæ ad Romanam curiam transmittentes. Dominus Philippus hoc intelligens accitis sibi auxiliariis à Bohemia & Austria, armata manu terminos Episcopatus invasit, incendiis & rapinis tam intra montana quam extra omnia devastando. Cui etiam ministeriales obliti fidei & promissi quod in electione fecerant, quidam ob timorem, quidam ob promissionem re-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

rum & feudorum ſibi adhærere incœperunt. Res capituli ad mandatum ſuum mobiles & immobiles ſibi vendicantes Præpoſitum ejus cum Canonicis, qui ſecum ad curiam in negotio ierant capituli in periculo relinquentes. Papa dilationem faciens in confirmatione poſtulati, præfatum Philippum ad curiam per fratrem Henricum Chyemenſem Epiſcopum citari fecit, præcipiens ei ſimiliter, ut caſtra & munitiones Eccleſiæ ipſi Chyemenſi medio tempore obſervanda aſſignaret, addens talem pœnam, ſi non obediret, ut eum atque fautores ſuos aut auxiliatores & defenſores munitionum mucrone Eccleſiaſtico percelleret, Clericos ab obedientia, miniſteriales & vaſallos à fidelitate ab ſolveret, quæ omnia, cum dictus Philippus mandatis Papalibus parere nollet, Dominus Chyemenſis eſt exequutus, Eccleſiam & civitatem Salzburgenſem & totum diſtrictum pro eo, quod Epiſcopo Philippo adhuc adhæſit, tam ex iſta parte montium, quam ex altera, ſupponens Eccleſiaſtico interdicto, id eſt, fieri præcipiens ex mandato ſibi injuncto in omnibus Eccleſiis ſuffraganeorum. Civitas Salzburgenſis caruit hoc toto anno divinis, niſi quod Parochiales Eccleſiæ per quosdam nefarios Clericos ad mandatum Domini Philippi fuerunt inofficiatæ. Similiter Monachi & Moniales per tempus ad ſuam malam ſuggeſtionem & ob timorem ſui divina reſumpſerunt.

Anno M. CCLVII. Dominus Papa poſtulationem capituli de Domino Udalrico admiſit, ipſam confirmando. Atque intelligens Dominus Philippus, magis in capitulum cœpit tyrannizare, Canonicos & domeſticos pene omnes de civitate ejiciendo, reditus & poſſeſſiones eorum penitus evertendo & diſtrahendo: intrans etiam montana, omnia prædia Eccleſiarum & miniſterialium vice altera incendio devaſtavit. Dominus Udalricus Archiepiſcopus, & Dominus Otto Præpoſitus cum fratre Heinrico Epiſcopo Chyemenſi, cui Epiſcopatus à Domino Philippo totaliter eſt diſtractus, per annum & dimidium moram in curia Romana traxerunt. Unde propter tam diuturnam abſentiam eorum tanta mala increverunt Eccleſiæ.

Dux Auſtriæ collecta multa militia terrarum ſuarum, Bohemiæ, Moraviæ, & Auſtriæ, terram Henrici Ducis Bavariæ verſus Landshut intravit, cui occurrens Dux Bavariæ cum fratre ſuo manu valida ipſum fugavit, ita quod per civitates Müldorf & Lauffen eum fugere coëgit cum paucis, occiſis, ſubmerſis, & igne periclitatis de exercitu ſuo pene tribus millibus nobilium & ignobilium, & obſeſſis in Müldorf melioribus terrarum Bohemiæ, Moraviæ, & Auſtriæ, qui tamen ſub quadam forma compoſitionis, quam Dux Auſtriæ acceptavit, ſic poſtea ad concordiam redierunt.

Duo Canonici Salzburgenſes, ſcilicet Ulricus filius Comitis Hermanni de Ortenburg, & quidam dictus Gregorius Sacerdos, non attendentes quod binarius infamis eſt numerus, quia recedit ab unitate: Ab unitate capituli recedentes, Domino Philippo adhæſerunt, pro negotio ſuo ante confirmationem Domini Udalrici, iter ad Romanam curiam arripientes. In quo itinere Gregorius miſerabiliter obiit: alter ad curiam veniens, auditus à Papa, & ſatis deſpective dimiſſus ab eo domum revertitur.

Puer prope Radſtat in montanis naſcitur cum duobus cornibus, vox ploratus XIV. diebus antequam de ventre matris exitet, eſt audita.

Abbas ſancti Petri cum Conventu ſuo, & Monialium in monte, divina quoque ad mandatum Domini Philippi malo uſi conſilio, in ſcandalum Eccleſiæ & detrimentum plurimornm Clericorum eos ſubſequentium celebraverant ad mandatum Domini Udalrici Archiepiſcopi dimiſerunt.

Anno M. CCLVIII. Dominus Philippus intellecta ſua depoſitione, furiali modo contra Canonicos & miniſteriales incraſſatur, perſecutionem eis intolerabilem inferendo, terras eorum & reditus rapinis & incendiis devaſtavit. In tantum enim dominicalia Capituli diſtraxit, quod quatuor Canonicis, qui ſolummodo in Eccleſia remanſerant, omnibus aliis de loco perturbatis & ejectis, non poterant neceſſaria miniſtrari.

Dominus Ulricus Archiepiſcopus una cum Præpoſito & Epiſcopo Chyemenſi à Curia reverſus, Regem Ungariæ, qui cum maximo exercitu Marchiam intraverat, & Pettovienſem civitatem obſederat, propter quosdam miniſteriales ſibi rebelles, qui prius inſultum in ſuos fecerant, ſub quadam ſumma pecuniæ ſub magnis cautionibus & fidejuſſionibus obligando, poſtmodum aſſumptis pluribus armatis verſus civitatem Salzburgenſem iter arripuit, & dum Radſtat veniſſet, Dux Carinthiæ volens nocere ſibi, in crepuſculo à parte utriusque fuit acriter dimicatum, aliquantis ex utraque parte vulneratis & occiſis. Abbas ſancti Petri veſano uſus conſilio una cum Monialibus in monte mandatum tam Apoſtolicum, quam metropolitanum vice altera contemnen-

Digitized by Google

temnentes, in ſcandalum totius Cleri, & detrimentum clavium Eccleſiaſticarum divina reſumere temeritate propria præſumpſerunt, Choro Salzburgenſi in ſua obedientia permanente. SÆC. XII. ANNO 1190.

Anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo nono, maxima Cariſtia orta eſt per omnes terras, quam ſequitur maxima peſtilentia hominum. Abbas ſancti Petri moritur excommunicatus, fratres ejusdem Eccleſiæ irregulares & excommunicati eligunt Albertum Priorem ſuum. Dux Auſtriæ jam tertia vice miſit armatos Domino Philippo ad deſtruendam terram citra montes & ultra montes, ubi plurimi homines perierunt.

Anno M. CCLX. Dominus Udalricus Archiepiſcopus tranſitum faciens per vallem Aneſi, volens venire in Bavariam apud Admunt, de conſcientia Monachorum ab hominibus Ducis Auſtriæ capitur, & in caſtro Wolckenſtain aliquandiu detinetur, tandem ad mandatum Ducis relaxatur.

Dominus Udalricus Archiepiſcopus manens in Bavaria, licet poſſeſſiones Epiſcopatus non valeret adipiſci, tamen à Nuncio Domini Papæ excommunicatur pro quatuor millibus marcarum argenti, quas Papæ Curiæ promiſerat, & omnia jura Epiſcopalia ei interdicunt, ob quam cauſam ipſe appellavit, & iter ad Curiam arripuit.

Anno M. CCLXI. Capitulum Salzburgenſe jam per ſex annos multis tribulationibus & preſſuris attritum & deſtructum ad exhortationem inclyti Regis Bohemiæ & Ducis Carinthiæ, cum neminem propter imbecillitatem Domini Udalrici Archiepiſcopi, qui nec ſeipſum tueri poterat, haberet aſſiſtentem, mediantibus Principibus dictis, compoſitionem amicitiæ cum Domino Philippo iniit, ſalva tamen reverentia & obedientia Papali.

Anno M. CCLXII. Dominus Udalricus Archiepiſcopus reverſus ab Italia ſecum duxit quendam Epiſcopum Squillacenſis Eccleſiæ datum ſibi à Curia pro reformatione Eccleſiæ Salzburgenſis ſub quibusdam conditionibus, ſcilicet ut in certis terminis ſolveret promiſſam pecuniam Curiæ Romanæ, quod ſi non faceret, ab ipſo Epiſcopo auctoritate Apoſtolica excommunicaretur.

Dux Bavariæ Henricus, qui per vim, fas & nefas octo munitiones & poſſeſſiones Epiſcopatus & Capituli in initio hujus diſſenſionis occupaverat, accitis ſibi & coadunatis quibusdam miniſterialibus & aliis militaribus dictis de Wyſpach, qui prius adhæſerant Domino Philippo, & ab eo ditati & exaltati fuerant, de conſilio eorum inſultum faciens in civitate Salzburgenſi ſitam trans aquam, ipſam totaliter ſpoliavit, & poſtea præſentibus Domino Udalrico Archiepiſcopo & Squillacenſe, igne cremari juſſit, nec illo contentus, iterum conſilio eorundem prævaricatorum cum multitudine armorum ſalinam intrans, munitionem in detrimentum Eccleſiæ ſuper civitatem erexit.

Dominus Udalricus Archiepiſcopus, quod pecuniam non ſolvit Romanæ Curiæ, ab Epiſcopo Squillacenſi excommunicatur, & per totum Archiepiſcopatum denuntiatur.

Anno M. CCLXIII. Dominus Dux Bavariæ obſedit civitatem Salzburgenſem, quam cum non poſſet obtinere, fecit treugas. Ictu fulminis circa meridiem, cum maxima ſerenitas per totum firmamentum appareret in oppugnatione ejusdem civitatis conterritus retroceſſit.

Dominus Philippus ejicitur à civitate & à munitionibus Epiſcopatus Monachi & Moniales abſtinent à Divinis jam tertio.

Dominus Papa commiſit Regi Bohemiæ & Epiſcopo Olmucenſi Epiſcopatum Salzburgenſem tuendum & reformandum, qui omnes munitiones tranſmontanas de facili obtinuerunt.

Miniſteriales Eccleſiæ Salzburgenſis quidam adhæſerunt Regi Bohemiæ, quidam Duci Bavariæ, hæredes eorum ab Eccleſia alienantes, qui etiam in his tribulationibus nunquam Capitulo fidem vel Eccleſiæ ſervaverunt, imo poſſeſſiones Epiſcopatus & Capituli ſibi adjacentes his temporibus omnino venditaverunt; propterea quidam ex ipſis Gebhardus de Velwen dictus, obſidem magnum, ſcilicet Comitem Goriciæ, qui fidei ſuæ commiſſus erat, à choro & miniſterialibus præter omne conſilium & conſcientiam omnino pro octingentis marcis argenti relaxavit, quas in uſus proprios convertit.

Anno M. CCLXIV. Dominus Udalricus Archiepiſcopus vocatus à miniſterialibus & civibus intravit civitatem Salzburgenſem una cum Duce Bavariæ, ubi per quatuor menſes demoratus, ſuam recognoſcens propter malitiam plebis inſufficientiam, propoſuit renuntiare honori & oneri, & egreſſus è civitate in Marchia ſe recepit, ab inde dirigens

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

gens litteras ceſſionis ad Curiam Romanam, ſed Papa Urbanus jam objerat, unde negotium manſit in ſuſpenſo. Monachi ſancti Petri & Moniales in monte ad obedientiam & gratiam Capituli redierunt, facta aliqua recompenſatione damnorum, quæ Capitulum ex inobedientia eorum receperat.

Anno M. CCLXV. Dominus Udalricus Archiepiſcopus ceſſit oneri & honori, ceſſionem ſuam Domino Papæ per litteras tranſmitens, quas Papa & Curia acceptavit.

Dominus Otto Patavienſis Epiſcopus obiit, Clemens Papa quartus ſibi reſervans proviſionem utriusque Eccleſiæ, Dominum Vulodiſlaum Ducem Poloniæ Salzburgenſi præfecit Eccleſiæ, & magiſtrum Petrum Pædagogum Ducis Eccleſiæ Patavienſi.

Otto Præpoſitus Salzburgenſis obiit. Fridericus dictus de Walhen Canonicus ejusdem Eccleſiæ conſtituitur.

Grando ſæviſſima pluribus vicibus læſit Bavariam & præcipue vaſtans dominicalia Ducum, fora, civitates.

Rex Bohemiæ propter damna Eccleſiis Salzburgenſibus & Patavienſibus illata à Ducibus Bavariæ, grave prælium Ducibus ipſis movit.

Anno M. CCLXVI. Dominus electus una cum Epiſcopo Patavienſi Salzburgæ veniunt & glorioſe recipiuntur. Epiſcopatus Chyemenſis per Dominum electi fratri Henrico de ordine Minorum confertur & confirmatur.

Chuno Monachus ſancti Petri, quem Dominus Archiepiſcopus quondam præfecerat Abbatiæ, ipſam reſignavit: Et Dominus Simon ejusdem Monaſterii frater eligitur, & à Domino electo confirmatur.

Anno M. CCLXVII. ordinationes Clericorum celebrati ſunt in choro Salzburgenſi à Domino Patavienſi Epiſcopo cooperantibus ſibi Friſingenſi, Ratisbonenſi, Chyemenſi Epiſcopis in Sabbato Pentecoſtes, ubi Dominus Archiepiſcopus recepit ordinem ſacerdotalem, & die ſequenti ab eisdem Epiſcopis recepit conſecrationem Epiſcopalem, brevi vero facto intervallo à Domino Clemente Papa pallio honoratur.

Patriarcha Aquilegienſis à Domino Alberto Comite Goriciæ captivatur, qui poſtea per Dominum Archiepiſcopum ſub quibusdam conditionibus abſolvitur.

Anno M. CCLXVIII. Dominus Udalricus Epiſcopus Seccovienſis obiit. Bernhardus Decanus Patavienſis ſubſtituitur: Dux Carinthiæ pro multis damnis quæ Eccleſiæ Salzburgenſi intulerat, ſatisfecit Eccleſiæ per civitates, fora, & caſtra ſancti Viti, Chlagenfurt, & ſancti Georgii, dans proprietates Eccleſiæ & recipiens ea in pheudo.

Patriarcha Aquilegienſis obiit, & Dominus Philippus quondam Salzburgenſis electus pro eo eligitur: Dux Carinthiæ Ulricus, cujus ducatum Rex Bohemiæ una cum pheudis quæ ab Eccleſia Salzburgenſi tenuerat idem * Dux ſibi Rex indebite vendicavit.

* *videtur hic aliquid deeſſe.*

Anno M. CCLXX. Dominus Vulodislaus Archiepiſcopus obiit, pro quo eligitur Fridericus Præpoſitus ejusdem Eccleſiæ: Civitas Salzburgenſis maxima parte incendio periit.

Rex Bohemiæ conditionibus quibusdam mediantibus pheoda Principium Auſtriæ, Styriæ & Carinthiæ à Domino electo Friſaci manualiter recepit, homagium cum juramento ſibi faciens & Eccleſiæ Salzburgenſi.

Dominus Philippus quondam electus Salzburgenſis totum patrimonium ſuum Regi Bohemiæ reſignavit: inter quam reſignationem civitatem ſancti Viti, & alias munitiones ac fora, per quæ Dux Ulricus Carinthiæ Eccleſiæ Salzburgenſi pro multis damnis ſatisfecerat, ſibi vi uſurpavit.

Anno M. CCLXXII. Dominus electus Salzburgenſis iter arripuit ad Romanam Curiam pro ſua confirmatione.

Anno M. CCLXXVIII. Dominus Fridericus Archiepiſcopus confirmationem à Domino Papa recipiens, & ex mandato ſuo conſecrationem à Cardinalibus, prærogativa pallii meruit ab eo honorari: Et cum in Curia exiſteret magna ſibi quæſtio & gravis per creditores & campſores Romanos fuit ſuſcitata pro magna ſumma pecuniæ, quam tam Archiepiſcopus Ulricus prædeceſſor ejus, quamque Præpoſitus Otto ſuper membranas Capituli contraxerunt ante octodecim annos, Capitulo penitus neſciente, ſed per ſurreptionem membranarum ſigilli Capituli ſic eandem pecuniam mutuarunt, unde ad inſtantiam ſolutionis, quam Dominus Archiepiſcopus fieri inſtanter à Capitulo poſtulabat, Eccleſia noſtra grave incurrit diſpendium & jacturam, quia licet pro negotio Epiſcopatus eadem pecunia contracta fuerat, & pro nulla utilitate Capituli, tamen

Digitized by Google

men Capitulum oportuit ſolvere marcas ducentas puri argenti. Hæc præſcripſimus poſteris noſtris, ut de cætero ſciant ſigillo ſuo cavere. SÆC. XII.

Anno M. CCLXXIV. Dom. Fridericus Archiepiſcopus Salzburgenſis provinciale indixit Concilium, ubi convenerunt Friſingenſis, Patavienſis, Ratiſponenſis, Brixinenſis, Chyemenſis, Seccovienſis Epiſcopi, & Prælati Provinciæ, ubi diverſa & ſalubria promulgavit, Concilioque ipſo laudabiliter per Dei gratiam terminato, Eccleſiam Salzburgenſem in die omnium ſanctorum cooperantibus ſibi Epiſcopis prænominatus honorifice conſecravit: Celebritatem ipſam reddens inſignem largitione indulgentiæ Domini Alexandri Papæ, Patriarchæ Gradenſis & Archiepiſcoporum, Epiſcoporumque plurium, ſicut curioſus indagator in matricula ſuper hæc conſcripta *. ANNO 1190.

* *inveniet, vel aliquid ſimile.*

Anno M. CCLXXV. Rex Bohemiæ Salzburgenſem Eccleſiam hoſtiliter invadit ad æſtimationem publicam ad quadraginta tres marcas eandem damnificando, & maxime in diſtractione & exuſtione prædiorum.

Herbordus Laventinenſis Epiſcopus moritur, cui Eberhardus Abbas ſancti Pauli ſubſtituitur

Caſtrum Chalhaim à venerabili Salzburgenſi Archiepiſcopo Friderico propter enormitates innumeras ibi commiſſas funditus deſtructum eſt.

Anno M. CCLXXVIII. Dominus Henricus Dux Bavariæ per filium ſuum generum Regem Romanorum laborat ad Regis gratiam, quam tandem conſequitur per reſignationem terræ inter Danubium & Anaſum poſitæ, quam ab ipſo Rege Romanorum receperat titulo hypothecæ, propter hoc ſpecialiter, ut Romanum imperium contra Regem Bohemiæ adjuvaret, ſed & Dominus Fridericus Archiepiſcopus Salzburgenſis in hac concuſſione Romani imperii ſic ſe habuit fide & animo inconcuſſo, ut dum de fidelibus agitur ejus digne ſignanda memoria habeatur. Ipſe enim & Dominus Petrus Patavienſis Epiſcopus recta devotione perſpicui, & velut lampades inter alios Principes imperii coruſcantes, licet multo ingenio tentarentur ab hoſtibus reipublicæ, qui eorum fidem horrendo ſtudio quaſi lenones ad lupanar perfidiæ procabantur, velut columnæ immobiles perſtiterunt, eligentes potius rerum & corporum ſuſtinere jacturam, quam Romanum imperium deſolatum ſolum relinquere, & prophanis hoſtibus proſtituere fidem ſuam, qua in converſatione hominum nihil utilius invenitur: Quamvis autem in acie triumphante non fuerunt, tamen triumphantium & triumphi non ultimi, ſed quaſi præcipui promotores.

Anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono, Dietricus Gurcenſis Epiſcopus obiit: cui ſuccedit Joannes Chyemenſis Epiſcopus: Eidem ſubſtituitur Dominus Chunradus de Hindperch Canonicus Patavienſis.

Anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo primo, nix competens à Friſinga usque in Longau in die beati Alexii cecidit, ita quod omnes mirarentur.

Dominus Fridericus Concilium provinciale celebrat Salzburgæ: cui interfuerunt Friſingenſis, Ratiſponenſis, Patavienſis, Brixinenſis, Chyemenſis, Seccovienſis, Laventinenſis Eccleſiarum Epiſcopi: Et quia Prælati quarundam diœceſium, & præcipue Patavienſis, quocunque modo ſe abſentaverunt, Dominus Archiepiſcopus contumaces eos reputans, eos ſuſpendit ab officio, tandem ad inſtantiam honeſtorum virorum ſuffraganeorum de conſilio Capituli eidem ſententiæ ſuperſedit.

Generalis ſterilitas terræ facta eſt, adeo quod ejus ſimilem in terris pluribus pauciſſimi recordentur, plurimi etiam fame moriuntur, panis etiam de avena coctus, ſolemnibus viris charus habetur.

Novum genus vexationis oritur, nam quidam Paltuinus civis Viennenſis aliquando, nunc tyro quoad exercitium militare, provectus vero in annis, ob injurias quas Domino Archiepiſcopo & Eccleſiæ Salzburgenſi intulit, ſuſpenſus à divinis, Clericum quendam Sacerdotem miniſtrum Capituli captivavit, quem fame affectum coëgit prophanare divina, & eſt celebris opinio, quod id non præſumpſiſſet, niſi confiſus de ſubſidio Domini Henrici Ducis Bavariæ. In cœna Domini interea dum ſermo fieret ad populum, puella nata de Celle, habens annos circiter viginti, à nativitate muta, Salzburgæ per Dei gratiam & merita ac interceſſiones Patronorum noſtrorum Rudperti & Virgilii uſum loquendi recepit.

Anno Domini M. CCLXXXIII. Gotfridus Patavienſis & Leopoldus Seccovienſis Eccleſiarum electi pridie Nonas Martii Sacerdotes à venerabili Domino Henrico Ratiſponenſi Epiſcopo in Salzburgenſi Eccleſia ordinantur, & ſequenti Dominica à Domino Friderico Salzburgenſi Archiepiſcopo Epiſcopi conſecrantur.

Dominus Hertnidus de Wildonia Plebanus in Pels Gurcenſi Eccleſiæ præficitur.

Dux

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

Dux Auſtriæ occaſione unionis, quam cum Domino Friderico Salzburgenſi Archiepiſcopo, & excellenti Principe Domino Ludovico Duce Bavariæ iniit, Dominum Henricum Ducem Bavariæ diffidavit, collectoque exercitu adverſus eum ivit usque Welham, ubi etiam Dominus Archiepiſcopus acceſſit eum, unà ſecum proceſſurus, ſed viris ſolemnibus, videlicet Ratiſponenſi, & Patavienſi Epiſcopis & aliis honeſtis interponentibus partes ſuas, quibusdam interjectis conditionibus & pœna mille librarum vallatis, Dux Auſtriæ ad propria rediit, prius tamen tam Archiepiſcopus Salzburgenſis quam Dux Bavariæ per interpoſitas perſonas ad concordias redierunt.

Anno M. CCLXXXIV. Fridericus Salzburgenſis Archiepiſcopus ſeptimo Idus Maii obiit, cujus corpore decimo quinto Calendis Maii tradito ſepulturæ, undecimo Calendas ejusdem celebrata fuit electio de Domino Rudolpho Cancellario Imperialis aulæ, viro per omnia legali, adeo conſors, quod non fuit in toto Capitulo vel unus, qui in hujus electione diſſentiret.

Anno M. CCLXXXV. Gerhardus Laventinenſis Epiſcopus obiit, cui Chunradus Salzburgenſis Eccleſiæ Canonicus & Scholaſticus ſubſtituitur.

Dominus Papa Martinus auditis & intellectis litteris ſive legationibus Domini Rudolphi Regis Romanorum & Capituli Salzburgenſis, commiſit negotium Epiſcopis Conſtantienſi & Ayſtetenſi, nec non Abbati de Salem, ut ejus auctoritate Dominum Rudolphum electum Eccleſiæ Salzburgenſis examinarent, & ſi examinatum dignum invenirent, auctoritate Apoſtolica in Salzburgenſem Archiepiſcopum confirmarent. Condicto itaque ad exequendum mandatum Apoſtolicum termino competenti, Dominus Epiſcopus Conſtantienſis gravi dolore preſſus venire non potuit, collegæ vero ejus venientes, & in negotio præſidentes, probatis legitimis impedimentis Domini Conſtantienſis, examinandum Dominum Rudolphum electum octavo Idus Martii Sacerdos efficitur, ſubſequenti vero Dominica in paſſione Domini in Epiſcopum conſecratur: Directis ſubſequenter nuntiis, viris honeſtis & diſcretis Domino Mitterkirchenſi Canonico Salzburgenſi, & Magiſtro Henrico de Goſſe Præpoſito Friſacenſi doctore decretorum pro pallio poſtulando. Qui cum Paduam veniſſent, Dominus Papa Martinus quinto Calendas Aprilis moritur, & ceſſavit Epiſcopatus diebus quinque. Et ſic negotium Salzburgenſis Eccleſiæ protelatur.

Honorius quartus natione Romanus, ſedit, hic proſequi ſemper ſtuduit Teutonicos, & maxime Eccleſiam Salzburgenſem, ob hoc Dominus Rudolphus Archiepiſcopus pallio honoratur.

Gotfridus Patavienſis obiit: cui ſuccedit Wenhardus ejusdem Eccleſiæ Canonicus & Plebanus Wienenſis, cujus electioni tota civitas congratulatur.

Dominus Rudolphus diem indicit ad colloquendum cum Domino Henrico Duce Bavariæ, ubi recitatæ fuerunt litteræ continentes omnes tractatus inter Dominum Fridericum piæ memoriæ Salzburgenſem Epiſcopum, & Dominum Henricum Ducem Bavariæ habitos, & juramentis, ſigillisque eorum firmatos. Ubi de treugis inter eos firmatis usque ad octavam Michaëlis nondum elapſo termino: Civitas Müldorf, neſcitur utrum machinatione vel fortuitu, exuritur, quam ſtatim Dux Henricus cingit obſidione, & quia Dominus Rudolphus Archiepiſcopus nullos ſiniſtros eventus timuit, cum Dux in defenſionem eum & Eccleſiam recepiſſet, in Marchiam iter arripuit, ſcilicet in Grez, intellectis hujusmodi eventibus revertitur cum armatis, & facto inſultu in terram Ducis, largos diſtrictus ejus incendiis devaſtavit. Cui etiam Dux tanquam munitus exercitu copioſe ſe exponit, & civitatem Müldorf in deditionem accepit. Tandem Dux Ludovicus partes ad colloquendum invitat, tanquam medius, & pacem inter eos usque ad purificationem ſanctæ Mariæ reformat.

Judæi apud Monacum (*a*) fœminam quandam pecunia corruperant, quod puerum quendam furata cuidam ſuo vicino, ipſum dedit Judæis, quem occiſum pluribus puncturis confoderunt, ſanguinem ejus exhauriendo. Iterum eadem fœmina pecunia circumventa puerum alterum furata, quæ cum Judæis vellet illum deferre, patre pueri eam inſequente deprehenditur, & territa, prius facinus coram judicio confitetur, mox cives Monacenſes in unum convenientes Judæorum centum octoginta in quadam ſolemni domo in parte ſuperiori claudunt, & ſubter ignem ſupponunt, ita ultio divina nefas iniquiſſimum eſt ſecuta.

Anno

(*a*) Anno ſequenti narrat Aventinus. Sæpius autem impactum illud ſcelus Judæis, ut inde anſam arriperent Chriſtiani adverſus ipſos ſæviendi; ubi enim res in diſcrimen vocatur & coram Judicibus agitur, nulla occurrit ratio nec argumentum qua probatur Judæos humano ſanguine litare debuiſſe. quod obſervandum. BASN.

Digitized by Google

Anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſexto, Rex Rudolphus Curiam Auguſtæ in Epiphania celebrat præſentibus Dominis Archiepiſcopis Salzburgenſi, Colonienſi, Ratiſponenſi, Patavienſi, Baſileenſi, & aliis Epiſcopis & viris illuſtribus, L. & H. Ducibus Bavariæ, & aliis multis Comitibus & nobilibus, ubi reformat amicitiam inter Dominos Rudolphum Archiepiſcopum & Henricum Ducem Bavariæ, facto promiſſo inter ſex viros honorabiles ſuper quæſtionibus quas inter ſe habuerunt decidendis in octava Pentecoſtes. SÆC. XII. ANNO 1190.

Anno M. CCLXXXV. Gotfridus Patavienſis Epiſcopus obiit: cui ſucceſſit Bernhardus de Pranpach ejusdem Eccleſiæ Canonicus, qui beatorum Valentini & Maximiliani corpora in humili loco repoſita, in tumba honorabili de novo in medio Eccleſiæ Patavienſis erecta decentius collocavit, & incœpit reædificare de novo, & bono opere Eccleſiam Patavienſem.

Anno M. CCLXXXVIII. translatum eſt corpus beati Virgilii per Dominum Rudolphum Archiepiſcopum Salzburgenſem ſeptimo Idus Novembris in concilio quod eodem tempore per eum extitit celebratum, cooperantibus ſibi ſuffraganeis ſuis, videlicet Domino Emithone Friſingenſi, Domino Henrico Ratiſponenſi, Domino Bernero Seccovienſi, Domino Bernardo Patavienſi, N. Gurcenſi, Domino Chunrado Chyemenſi, Domino Chunrado Laventinenſi.

Anno M. CCLXXXIX. Rudolphus Salzburgenſis Archiepiſcopus obiit tertio nonas Auguſti: Et Dominus Stephanus filius Domini Henrici Ducis Bavariæ eſt in Archiepiſcopum concorditer poſtulatus: Sed Dominus Papa hanc poſtulationem propter defectum ætatis ipſius, qui jam vigeſimum primum annum habuit, non admiſit, deputavit autem in Archiepiſcopum ejusdem Eccleſiæ Dominum Chunradum Laventinenſem Epiſcopum, qui una cum aliis nuntiis in prædicta poſtulatione fuerat, ipſumque confirmavit, pallium ei per quod notatur plenitudo Pontificalis officii, aſſignando.

Eodem etiam anno cum Albertus Dux Auſtriæ cum Chunrado Archiepiſcopo diſcordaret, & ex utraque parte ſibi damna gravia intuliſſent, idem Archiepiſcopus confœderavit ſibi Ottonem Ducem Bavariæ, & unà cum prædicto Duce Carinthiam eſt ingreſſus, fiduciatus ab incolis, quod poſſet terram Styriæ obtinere. Sed tandem eos redire infecto negotio denſitas nivium compellebat. Sequenti vero tempore prædictus Archiepiſcopus cepit filium Ducis Carinthiæ, cujus liberatio magna occaſio fuit, quod pax inter eos extitit reformata, ſuper qua reformatione Henricus Ratiſponenſis Epiſcopus una cum Ludovico Duce Bavariæ ſollicite laboravit, qua concordia durante vix ad tres annos vel paulo plus, Dux Auſtriæ obſedit oppidum Radſtat ad duos menſes vel modicum amplius, à qua obſidione tandem propter inopiam victualium, qui per anguſta montium adduci ſufficienter non poterant, dicitur receſſiſſe, quia & Dux Otto cum exercitu usque in Salzburgam proceſſerat contrà ipſum.

Anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo, civitas Akaron, quam ſolam habebant Chriſtiani in terra ſancta, obſeſſa eſt per Soldanem Babylonenſem, & per quadraginta dies & noctes ſine intermiſſione impugnata, capta eſt, & ibidem multa Chriſtianorum millia capta ſunt & occiſa; aliqui autem per navigium aufugerunt, & quod multorum erat opinio, quod ſi fratres domorum ibidem, ſcilicet, hoſpitales, templarii, & Teutonici, & reliquus populus omnino concordaſſet, civitas capta non fuiſſet: Mandavit Dominus Papa Nicolaus omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Prælatis, ut Concilia provincialia celebrarent & deliberarent qua ope vel conſilio eidem terræ poſſet ſubveniri, & per concilium habitum Salzburgæ reſcriptum fuit Domino Papæ, & conſultum, ut prædicti tres ordines counirentur ad unum ordinem, melioribus eorum obſervantiis in unum redactis, & quod ad ſuccurſum eidem terræ ſanctæ Rex Romanorum cum Principibus vocaretur, qui nuntii antequam veniſſent ad Curiam, Papa mortuus, & ſic hoc negotium manſit infectum.

Eodem anno venit Dominus Chunradus Archiepiſcopus datus per Papam, de Curia, in die dedicationis Eccleſiæ Salzburgenſis.

Eodem etiam anno obiit Bernhardus Epiſcopus Seccovienſis circa feſtum nativitatis Domini.

Anno M. CCXCII. IV. Idus Januarii, obiit Chunradus Epiſcopus Chyemenſis Viennæ: Qui corpus ſuum in Salzburgam deferri fecit ad Concilium, quod Dominus Chunradus ibidem celebravit, in quo etiam per Epiſcopos qui aderant honorifice eſt ſepultus.

Eodem anno Henricus Præpoſitus Salzburgenſis factus eſt Epiſcopus Seccovienſis,

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1190.

cui ſucceſſit Fridericus Decanus ejusdem Eccleſiæ de Mitterkirchen, per electionem, in vigilia Palmarum.

Eodem etiam anno ad Eccleſiam Chyemenſem datus eſt Dominus Fridericus Præpoſitus Chyemenſis pro Epiſcopo.

Anno M. CCCVI. Albertus Rex Romanorum intravit Bohemiam, ducens ſecum Dominum Chunradum Archiepiſcopum Salzburgenſem, & Rudolphum filium ſuum Ducem Auſtriæ, & aſſerens ad imperium collationem ipſius regni devolutam, præfatum Dominum Rudolphum Ducem Auſtriæ in Regem ſubſtituit, ipſum regnum ſibi & ſuis cæteris fratribus jure hæreditario conferendo, qui etiam Rex Bohemiæ ſtatim relictam Domini Wenceſlai devoti Regis novercam prædeceſſoris ſibi in matrimonium copulavit.

Eodem anno obiit Dominus Joannes Brixinenſis Epiſcopus, cui ſubſtitutus eſt per Dominum Archiepiſcopum magiſter Joannes de Nockenwerd, qui fere octodecim menſibus in Curia ſtetit, & ibi vix confirmationem obtinuit.

Anno M. CCCVII. obiit Domina Eliſabeth Abbatiſſa in Nunburg, cui ſucceſſit Domina Margaretha de Gebing Monialis ſancti Petri.

Eodem anno Dominus Chunradus Archiepiſcopus Salzburgenſis circa aſſumptionem beatæ Mariæ ad juſſum Regis Romani Alberti Carinthiam intravit cum exercitu valido & forti: Et ibidem per ſex hebdomadas moram faciens, obtinuit civitates videlicet ad ſanctum Vitum, & Volckenmarckt, & Chlagenfurt, & alias munitiones munitas, & caſtrum Rabenſtain prope Friſacum expugnavit, ac funditus demolitus eſt: Et in monte ſancti Thomæ quandam munitionem conſtruxit.

Eodem anno obiit Helmwicus Decanus Eccleſiæ Salzburgenſis: Cui ſucceſſit venerabilis Weychardus de Polhaim ejusdem Eccleſiæ Canonicus.

Anno Domini M. CCCVIII. obiit Dominus Ulricus Seccovienſis circa feſtum Epiphaniæ, cui ſubſtitutus eſt Dominus Fridericus de Mitterkirchen Præpoſitus Salzburgenſis, pro quo electus eſt Dominus Fridericus de Leibniz Canonicus & Camerarius ejusdem Eccleſiæ in vigilia Palmarum. Cujus electionem Dominus Chunradus Archiepiſcopus Salzburgenſis pro eo quod non fuit expectatus cum electione, licet ad eum jus eligendi non pertineat, usque ad decimam hebdomadam diſtulit confirmare.

Anno M. CCCX. Dux Auſtriæ miſit circa feſtum B. Martini Dominum Ulricum de Walſee cum cæteris armatis in Titmaning contra Ducem Bavariæ, qui adjunctis ſibi hominibus Archiepiſcopi Salzburgenſis tam diſtrictum Salzburgenſis quam diſtrictum Ducis Bavariæ ſpoliis & incendiis devaſtarunt, in tantum ut propter frigus & famem tanta mortalitas hominum ſit ſecuta, ut in præfato feſto usque ad feſtum purificationis in uno cœmiterio Titmaning plus quam mille & trecenta funera ſint ſepulta, & mortalitas hominum per totam Bavariam fuit magna ſubſecuta.

Anno Domini M. CCCXII. in annuntiatione beatæ Mariæ virginis, Dominus Chunradus Archiepiſcopus obiit, qui revolutis annis eodem die natus eſt. Eodem anno Calendis Aprilis electus fuit Dominus Weichardus de Polhaim in Archiepiſcopum: Et in eodem anno in die B. Willibaldi extitit confirmatus. Et eodem anno * Abdon & Sennen per Clementem Papam quintum fuit conſecratus, pallio fuit eodem anno in vigilia Auguſtini decoratus. In vigilia ſancti Thomæ à curia receſſit cum magnis laboribus, ſumptibus & expenſis.

* *in die vel feſto.*

Anno M. CCCXII. Weichardus Archiepiſcopus Salzburgenſis XIII. Calendas Auguſti aperuit tumbam S. Rudberti, & invenit reliquias primo B. Rudberti cum capite: item B. Martini in magna quantitate: item B. Hermetis Martyris: item B. Chryſanti & Dariæ, & Giſlarii. Et eodem anno oſtendit populo, eaſdem reliquias ibi repoſuit & recondit. Iterum ſequenti feſto tranſlationis S. Virgilii conſecravit Altare S. Virgilii conſtructum per ſuum anteceſſorem Dominum Chunradum de Vanſtorf, aliter dictum de Praitenfurt. Et ibidem reliquias ejusdem ſancti repoſuit & recondit. Poſt octavam S. Virgilii prædicti, hoc eſt, quinto nonas Octobris percuſſus generali ſpaſmo in toto corpore & graviſſimo, & etiam lethargia: Et tandem pridie nonas ejuſdem menſis obiit.

Eodem anno, nono Calendarum Novembris Dominus Fridericus de Leibniz, Præpoſitus & Archidiaconus Eccleſiæ Salzburgenſis electus eſt in Archiepiſcopum ibi concorditer.

Anno M. CCCXVI. Dominus Fridericus de Leibniz electus octavo Idus Octobris extitit in privato Conſiſtorio per Papam Joannem XXII. confirmatus, tertio Calendas Novembris idem Papa cum multis aliis eandem confirmationem publicavit. Et eodem anno octavo Calendas Decembris de mandato Papæ Dominus Berngarius Tuſculanus

Digitized by Google

ſculanus Cardinalis ipſum & Patriarcham Gradenſem, & Archiepiſcopum Roſonenſem Græcum barbatum cum quinque Epiſcopis & quatuor Abbatibus conſecravit. In octava Martini juramentum Camerario pro communi obſequio præſtitit, & ſequenti die poſt Eliſabeth pallium à Papa petitum fuit & conceſſum. Sæc. XII. Anno 1190.

Anno M. CCCXVII. Dom. Fridericus de Leibniz Archiepiſcopus Salzburgenſis unionem & ſocietatem iniit cum D. Friderico electo de Auſtria & fratribus ſuis ad vitam ipſorum, contra inferiores Duces Bavariæ, qui in multis ipſum & Eccleſiam ſuam gravaverunt, & contra omnes excepto Papa & imperio, & Ludovico electo & Rudberto fratre ſuo, ita quod mutuo ſe juvare deberent laboribus ſumptis & expenſis contra omnem hominem ipſis nocere vel obeſſe cupientem.

Anno M. CCCXXII. circa feſtum B. Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ Dom. Fridericus electus de Auſtria, & Dom. Henricus frater ipſius: Item reverendi Patres, Dom. Fridericus Archiepiſcopus Salzburgenſis: Et Dom. Albertus Dux Saxoniæ Epiſcopus Patavienſis & Dominus Dietricus Epiſcopus Laventinenſis cum exercitu valido diverſarum nationum Bavariam hoſtiliter intraverunt, & inter Oettingam & Müldorf caſtra metati ſunt apud fluvium qui * Ihen vulgariter nuncupatur. Quibus Dom. Ludovicus electus de Bavaria, Dominus Joannes Rex Bohemiæ, & Dom. Henricus Bavariæ inferioris cum magno exercitu & valido occurrentes IV. Calendas Octobris, hoc eſt, in vigilia Michaëlis, apud dictum fluvium ſub monte Dornberg pariter bellum inierunt: Et interfectis ab utraque parte mille viris & amplius, Dom. Ludovicus triumphavit, Domino Friderico & Domino Henrico fratre ipſius, Ducibus prædictis cum omnibus ſuis, necnon omnibus miniſterialibus militaribus & aliis nobilibus Salzburgenſibus, Patavienſibus, Laventinenſibus captis, anno & die prænotato. * *Ibis.*

Anno M. CCCXXIV. in octava aſſumptionis B. Mariæ virginis, hoc eſt, undecimo Calendas Septembris, caſtrum & oppidum in Titmaning traditum & venditum ac amiſſum eſt per dolum & fraudem eorum qui in caſtro & oppido fuerunt, & eorum qui fuerunt ante caſtrum & oppidum, & illi principales traditores fuerunt ſervitores Eccleſiæ Salzburgenſis, quorum primus fuit Wolfgangus de Goldockh filius Ottonis, per quem multa alia mala ſuſtinuit Eccleſia Salzburgenſis, tamen ad ordinationem Domini Ludovici Ducis Bavariæ ſuperioris, qui electus fuerat in Romanum Regem & reprobatus per Papam Joannem XXII. ſuis demeritis exigentibus: Hæc traditio ordinata fuit, & proſcripſit Dominum Fridericum de Leibniz Archiepiſcopum Salzburgenſem, & in illa proſcriptione tandem fraudem de amiſſione prædictorum procuravit.

Anno Domini M. CCCXXVII. dictum caſtrum & oppidum in Titmaning poſt deſtructionem & deſolationem magnam oppidi & Comitatus ad ipſum pertinentes, rehabitum fuit per modum emptionis, gravibus * ſumptis laboribus & expenſis. * *forte ſumptibus.*

Poſt Chriſtum natum tria C, tot X, quoque mille,
Signis impreſſis Julio quoque tempore meſſis,
Fruges & arbuſta devorat quoque fœna locuſta.

Anno Domini M. CCCXXXVIII. electus eſt Dominus Henricus de Pirnprun in Archiepiſcopum Salzburgenſem, rexit annos V. Anno jam dicto locuſtæ ſenas alas habentes innumerabiles ab Oriente circa feſtum Afræ venientes in Bavaria reperiuntur, qui viam per quinque milliaria in die extendentes, omnia viridia in herbis & arboribus devaſtarunt.

Anno M. CCCXLIII. electus eſt Ortolfus de Weiſenögg, rexit annos viginti & unum, deinde anno quadrageſimo octavo lugubris & miſeranda peſtis pene per orbem, quæ in Aſia apud Indos incipiens, trium annorum ſpatio in omnes gentes deſævit usque in Britannos, in Bohemia, in Bavaria & Auſtria multa habitacula evacuans: Dein anno M. CCCXLIX. apud Villacum terræmotu mons corruit, qui magnam hominum multitudinem delevit. Sic per Pannoniam & Italiam nonnullæ civitates funditus corruerunt.

Anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo primo, ſtudium Pragenſe erigitur, deinde Wiennenſe, deinde Haydelbergenſe: Eodem anno * funditæ ſunt duæ magnæ campanæ in Salzburgenſi Eccleſia. * *fuſæ.*

Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quinto Pilgrinus Archiepiſcopus eligitur, qui Capellam cum ſex Altaribus & totidem Capellanis fundavit, in

Digitized by Google

Sæc. XII. qua & ſepultus eſt, rexit annis triginta duobus, & eſt in numero quadrageſimus quartus.

Anno 1190. Anno M. CCCLVII. Brigita devotiſſima de regno Sueciæ peregre profecta eſt.

Anno Domini M. CCCLXXXIII. Pilgrinus Archiepiſcopus in Raidenhaslach ſub ſtatutis captivatur. Eodem anno Eccleſia Salzburgenſis, totum Monaſterium & ad ea pertinentia, campanæ, vitra, organum & omnia ornamenta in præfata Eccleſia combuſta ſunt, ita quod nihil remanſit inibi: Et cum hoc media fere pars civitatis ejusdem verſus partem Ghay combuſta eſt in dominica paſſionis Domini.

Anno M. CCCLXXXVII. in depoſitione S. Virgilii Dux Fridericus Bavariæ duxit in captivitatem Pilgrinum Archiepiſcopum Salisburgenſem cum ſuis militaribus ſub ſalvo conductu in clauſtrum Raidenhaslach.

Anno Domini M. CCCLXXXVI. Sigismundus Ungariæ regnum ſuſcepit.

Anno Domini M. CCCLXXXVII. claruerunt Henricus de Oytta, Henricus de Haſſia, doctores in univerſitate Wiennenſi: Et Albertus Engelſchalck doctor Pragenſis, Bavarus, de Straubing oriundus.

Anno Domini M. CCCXC. Sigismundus Rex Hungariæ cum Francigenis Turcos invaſit, ſed victus ceſſit. Unde Teclæ cecidit Leodium.

Anno Domini XCI. feſtum viſitationis Mariæ celebrari mandatur. Sancta Brigita quæ alias in peregrinatione Romæ obierat, à Bonifacio Papa transfertur.

Anno Domini M. CCCXCII. per Bonifacium dantur indulgentiæ Jubilæi in Monacum.

Straubing incendio periit, & S. Petri* imago, quam quidam civis veneratus ſemper fuerat, ignis protexit.

*imaginem.

Anno M. CCCXCVI. Gregorius Schenck de Oſterwiz Archiepiſcopus rexit annis ſeptem.

Anno Domini M. CCCCI. magnus in cœlo apparuit cometa.

Anno M. CCCCIII. Eberhardus de Neuhauſen Archiepiſcopus rexit annis XXIV.

Anno M. CCCCVIII. regnante in Bohemia Wenceslao Rege, ſtudium Pragenſe univerſale * deſtructum eſt.

*forte exſtructum.

Hoc anno Henricus filius quondam Ducis Friderici de Landshuet cives in prandio cepit, & poſt depecuniavit. Sed altero anno in die Paraſceves ſeditione orta cives caſtrum aggrediuntur, ſed non proficientes, multi gravi morte ſunt occiſi, multi in exilium miſſi.

Anno M. CCCCXIV. Concilium Conſtantienſe celebrari cœpit, quod incredibili Principum & Prælatorum frequentia per tres annos duravit.

Anno M. CCCCXV. Joannes Pontificatu ſe abdicavit, ſimiliter & Georgius, Benedictus pertinaciter reſtitit facta ceſſione. Joannes XXIII. vigeſimo primo Martii Sole ad occaſum vergente, furtive mutato habitu in Schafhauſen, brevique tempore reductus à Papa, per ſententiam deponitur.

Anno M. CCCCXVI. Fridericus Dux Auſtriæ proſcribitur. Synodus illa Conſtantienſis videtur fuiſſe undecima.

Anno Domini M. CCCCXVIII. Sigiſmundo Rege decimam recipiendi per Alemanniam à Clero indulgetur.

Anno Domini M. CCCCXXI. caſtrum Töring per Ducem Henricum Bavariæ deſtruitur.

Anno Domini M. CCCCXXVII. Eberhardus de Starcknberg Archiepiſcopus rexit annos duos.

Anno Domini M. CCCCXXIX. Joannes Reiſperger Archiepiſcopus rexit annos XII.

Anno Domini M. CCCCXXXI. Concilium Baſileenſe inchoatur.

Anno Domini M. CCCCXXXII. Sigiſmundus Imperator à Papa Eugenio coronatus eſt.

Anno Domini M. CCCCXXXIII. eclypſis magna fuit feria quarta poſt Viti, circa horam veſpertinam: Eodem anno Rex Sigiſmundus unctus eſt in Cæſarem.

Bulla aurea Imperatorum Græcorum ſuper reductione & unione eorum ad Romanam Eccleſiam, anno M. CCCCXXXIII. eſt data.

Anno Domini M. &c. XXXVIII. Concilium Baſileenſe congregatur, leniter tamen, deinde privato Eugenio, Amodeus Sabaudiæ Dux ad Pontificatum eligitur, quem Felicem quartum vocarunt.

Anno M. CCCCXLI. Fridericus Truckhſaz de Emerberg Archiepiſcopus rexit annis decem.

Anno Domini M. CCCCXLIV. fuit ventus validus in die ſancti Georgii.

Anno

Digitized by Google

Anno Domini M. CCCCL. Jubilæo indicto incredibilis hominum multitudo Romam cucurrit. SÆC. XII.

Anno Domini M. CCCCLI. Jubilæi indulgentia ad diverſas mundi partes data eſt. ANNO

Anno Domini &c. LII. Sigiſmundus de Volckernſtorff Archiepiſcopus in ordine quinquageſimus. 1190.

Anno Domini &c. LXI. Burckhardus de Weyſprach Archiepiſcopus.

Anno ſequenti in die ſancti Dionyſii habitum & dignitatem Cardinalatus præſente Domino Ludovico Duce Bavariæ induit ac ſuſcepit in ſua Eccleſia Salzburgenſi.

Eodem anno propter impoſitionem ſteuræ per Archiepiſcopum tota ruſticitas montanarum partium Eccleſiæ Salzburgenſis ad reſiſtendum ſe erigit, introituſque montium omnes ad ſe munivit, ſed cum ipſa ruſticitas videret ſe deficere, per concordiam mediante Domino Ludovico Duce Bavariæ res ſopita eſt.

Anno Domini &c. LXIII. in Rattenberg vallis Eni, inventa notabili minera argenti, ex omnibus terris multitudo confluxit inextantium tot & tam variis contractibus, ut vix pecunia amplius æſtimaretur, adeo quod homines illi ad ditandum avidi fuerunt, & ſine ratione & prudentia pecunias ſuas effuderunt, ex quo eſt actum, ut ex his contractibus multi ad ultima pericula devenerint paupertatis.

Eodem anno in partibus Bavariæ & Salzburgæ graviter ſæviit peſtis.

Anno Domini M. CCCCLXVI. Dominus Bernhardus de Rör, in die ſanctæ Walpurgis in Archiepiſcopum eligitur: Dominica infra octavas corporis Chriſti civitatem introducitur, præſente Domino Sigiſmundo Duce Bavariæ, dominica ſequenti per Epiſcopos Friſingenſem, Ratiſponenſem, Gurcenſem conſecratur: Item dominica ſequenti Rudbertus Abbas ſancti Petri per Dominum Salzburgenſem benedicitur.

Anno Domini M. CCCCLXVII. Dominus Fridericus Pranckher Præpoſitus obiit: Dominus Caſpar de Stubenberg in die Primi & Feliciani in Præpoſitum eligitur.

Anno M. CCCCLXXII. in die ſancti Timothei Apoſtoli obiit quidam cæcus natus nomine Chunradus Pauman, ortus de Nörnberga, bonus muſicus & practicus in ſingulis inſtrumentis muſicalibus, ac optimus organiſta: Qui propter hujusmodi ejus ſcientiam in Italia fuerat creatus in militem, ſepultus in Monaco apud beatam virginem.

Eodem anno circa feſtum natalis Domini apparuit magnus cometa: Et omni nocte præcipue in crepuſculo viſus eſt cum cauda multum, durans ultra quinque ſeptimanas.

Anno Domini M. CCCCLXXVII. in vere tantus fuit æſtus, quod circa feſtum Gertrudis omnes arbores florerent.

Eodem anno Dominus Fridericus Imperator intravit civitatem Salzburgenſem in vigilia Paſchæ, proceſſione ſibi obviante: Et in die ſancto Paſchæ plures Principes ad eum confluxerunt, videlicet Georgius, Sigiſmundus, Chriſtophorus Duces Bavariæ: Feria ſecunda Paſchæ omnes & ſinguli receſſerunt tendentes ad Bavariam.

Anno M. CCCCLXXIV. Dominus Joannes dictus Tuelbeckh Epiſcopus Friſingenſis, præ nimia ejus ſenectute reſignavit Epiſcopatum Domino Sixto Tannberger Canonico Friſingenſi, qui erat etiam Præpoſitus Iſinenſis, & Plebanus in Lauffen: Qui in die ſancto Paſchæ benedictionem Epiſcopalem à reverendiſſimo Domino Domino Bernardo Archiepiſcopo Salzburgenſi recepit, aſſiſtentibus ſibi Epiſcopis, Domino Bernhardo Chyemenſi & Domino Joanne Solonienſi.

Anno Domini M. CCCCLXXV. Dux Burgundiæ inſidias poſuit Archiepiſcopatui Colonienſi colligendo exercitum, & obſedit quandam civitatem nomine Niſena: Dominus Fridericus contra dictum Ducem Burgundiæ iter arripuit, & dictam civitatem defendit ac victoriam obtinuit.

Eodem anno in civitate Tridentina perfidi Judæi in die Cœnæ Domini cœperunt quendam puerum citra annos tres ſuæ ætatis, quem pungendo & jugulando in deriſionem noſtræ fidei occiderunt: Corpuſculum pueri in Eccleſia ſancti Petri ejusdem civitatis eſt reconditum, circa illum Dominus DEUS multa miracula fecit, tandem Judæi damnati, igne conſumpti ſunt.

Eodem anno in die ſancti Abdon & Sennen Dominus Hadmarus de Laber Decanus Eccleſiæ Salzburgenſis obiit: Dominus Chriſtophorus de Belſperg in die inventionis ſancti Stephani, in Decanum eligitur.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1190.

EPISCOPI CHYEMENSES.

ANno Domini milleſimo (a) ducenteſimo decimo nono, Eberhardus primus Brixinenſis Epiſcopus, poſtea ejusdem nominis ſecundus Salzburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, decimo octavo ſui Pontificatus anno ſub Innocentio Papa quarto conſentiente ſibi Capitulo ſuo, tertio Calendas Januarii Epiſcopatum in Inſula Chiemenſi inſtituit: Quem poſtmodum Alexander Papa Neapoli confirmat primo Pontificatus ſui anno, nono Calendas Januarii, dictus Eberhardus, Archiepiſcopus præfati Epiſcopatus electionem ſibi & ſucceſſoribus ſuis reſervavit.

Rugerus de Radögg primus Epiſcopus Chyemenſis, poſtea Epiſcopus (b) Patavienſis eſt effectus.

Albertus Præpoſitus Salzburgenſis. (c)

Henricus de Ordine Prædicatorum. (d)

Henricus de Ordine fratrum Minorum. (e)

Joannes poſtea Epiſcopus Gurcenſis effectus: cui ſucceſſit

Chunradus Hindtperger (f) Canonicus Patavienſis, milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono.

Fridericus Fronaver quondam (g) Præpoſitus Chyemenſis.

Albertus Vanſtarffer olim Canonicus Salzburgenſis. (h)

(i) Chunradus de Liechtenſtain olim Præpoſitus Solienſis Eccleſiæ.

Gerhohus de Waldôgg (k) quondam Decanus Salzburgenſis ab Apoſtolico confirmatus, propter reſervationes tunc factas.

Hugo de Scherpfenberg olim Canonicus Salzburgenſis. (l)

Ludovicus Rakelhoffer, aliàs Visler vocatus, olim Canonicus & Plebanus Eccleſiæ Salzburgenſis. (m)

Fridericus (n) olim Notarius antedicti Chunradi de Liechtenſtain, poſt hæc Plebanus in Cell, & Officialis Domini Ortolffi Archiepiſcopi Salzburgenſis, deinde Epiſcopus Chyemenſis effectus.

Georgius de Neidperg, olim Canonicus Salzburgenſis. (o)

Eckhardus de (p) Perenögg, olim Canonicus Salzburgenſis.

Egelmarus Krâel, quondam Decanus Eccleſiæ Salzburgenſis. (q)

Fridericus Teiſs quondam auditor cauſarum Romanæ Curiæ. (r)

Joannes Ebſer, olim Canonicus Salzburgenſis. (s)

Sylveſter Flieger: (t) cujus epitaphium ſic ſonat: Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo tertio, die decima menſis Decembris, obiit reverendus in Chriſto Pater Dominus Sylveſter Epiſcopus Chyemenſis, decretorum Doctor, Imperialis Curiæ Conſiliarius, & quondam Curiæ Salzburgenſis, ac ex poſt per Ducatus Auſtriæ, Styriæ, &c. Cancellarius: Is ingenio & prudentia ſuis non parum ſacro utilis fuit imperio, nec minus paci ſanctæ Eccleſiæ Romanæ. Hic in ſui Epiſcopatus, necnon & hujus Eccleſiæ tam in ſpiritualibus quam temporalibus fidelis fuit reformator, in die Maximiliani hic ſepultus.

Ulricus Planckhenfelder, olim Canonicus Salzburgenſis. (u)

Bernhar-

(a) Aliter plane Stero in Annalibus; quippe narrat anno 1215. celebratam eſſe Romæ Synodum univerſalem, Lateranenſem ſcilicet ſub Innocentio III. in qua inſtituta eſt ſedes Epiſcopalis Chyemenſis & Ruggerus primus Epiſcopus ordinatus eſt. Chronicum Salisburgenſe ad an. 1214. retulit Bucelinus an. 1200. BASN.

(b) In Catalogo a Metzgeris fratribus edito Hiſtor. Salisburg l. 6. p. 1145 legitur Paſſavienſis.

(c) Anno 1233. an. 19.

(d) 1252. an. 14.

(e) 1266. obiit Romæ 1274.

(f) 1279. an. 13.

(g) An. 1292. an. 1.

(h) Fuit frater Conradi IV. Archiep. Salisburg. factus Epiſc. an. 1293. an. 28. ei ſubjicitur Udalricus de Montparis Canonicus Salisb. inſtitutus an. 1321. & rexit an. 8. in Catalogo a Metzgeris edito, BASN.

(i) An. 1330. an. 24.

(k) De Valdeck an. 1355. rex. an. 4.

(l) An. 1359. r. an. 1.

(m) Al. Raickhofer an. 1360. an. 6.

(n) Fridericus II. an. 1367. an. 19.

(o) Anno 2387. an. 8.

(p) De Perneck an. 1395. R. 4.

(q) An. 1399. an 22.

(r) An. 1422. an. 7.

(s) An. 1429. an. 9. Sepultus eſt in Eccleſ. D. Petri.

(t) De Canus Paſſavienſis Cancellarius Ducum Auſtriæ an. 1438: an. 16.

(u) Magiſter curiæ Salisburgenſis an. 1454. an. 12.

Digitized by Google

Bernhardus de Krayburg Cancellarius Eccleſiæ Salzburgenſis. (x)

DEO GRATIAS.

(x) An. 1467. an. 10.

Huic Catalogo Epiſcoporum Chyemenſium annorum numeros, qui deerant apud *Caniſium*, adjecimus, ut quo tempore rexerint illi Præſules facilius dignoſcere poſſet lector; deinde vero hic nomina Epiſcoporum plurimorum ex Catalogo à Mezgeris fratribus edito hic ſubjicimus.

Primus poſt Bernardum de Craiburg, ſequitur Georgius Altoffer Cancellarius Saltsburg. dein Epiſcopus Chyemenſis an. 1477. rexit an. 18.

Ludovicus Ebner, Officialis Salisb præpoſitus Zenonis an. 1495. rexit. an. 7. Bucelinus habet Ember.

Chriſtophorus Wendl. Cancellarius Salisb. Ep. an. 1502. an. 6.

Bertholdus Pirſtinger, SS. Canonum licentiatus & præſes Cameræ Salisburg. an. 1508 an. 12. Bucelinus illum vocat Purſtingerum & S. Theologiæ Doctorem.

Ægidius Rem, Canonicus Paſſavienſis, Ep. an. 1520. R. 16. hic etiam Theologiæ Doctor dicitur a Bucelino.

Hieronymus Meittinger, Canon. Paſſavienſis an. 1536. R. an. 21.

Chriſtophorus Schlatle J. V. Doctor an. 1558. R. an. 39.

Sebaſtianus Cataneus, Ordinis Prædicatorum Mediolanenſis Theologus an. 1589. an. 21. dicitur à Bucelino in Italiam profugum ibi vixiſſe ad an. 1609.

Ehrenfridus L. B. a Khuenburg, Canonicus Salisburg. & Ratisbonenſis an. 1610 an. 9. hic ceſſit juri ſuo ut pacem turbatam reſtauraret diſſidiumque componeret. Obiit an. 1617.

Nicolaus L. B. a Wolckenſtain, Canonicus Salisb. & Ratisbon. an. 1619. an. 7.

Joannes Chriſtophorus ex Comitibus de Lichtenſtain, Canon. Salisb. & Paſſavienſis an. 1625.

Franciſcus Vigilius ex Comitibus de Spaur, Canonicus Salisb. an. 1643. Bucelinus, cujus hic definit Catalogus 1644.

Joannes Franciſcus de Preiſing in Hoenaſchau Canonicus & Senior Salisburg. & Paſſavienſis an 1670. an. 17.

Sigismundus Ignatius, ex Comitibus de Wolkenſtain, confirmatus an. 1690. BASN.

Bucelin. German. Sac p. 1. p. 49.

FRIDE-

Digitized by Google

Digitized by Google

FRIDERICI

PRIMI

IMPERATORIS,

COGNOMENTO

BARBAROSSÆ,

EXPEDITIO ASIATICA

AD SEPULCHRUM DOMINI,

A B

Æquævo Auctore conſcripta.

A Caniſio primùm ex MS. Codice Monaſterii Salmenſweilenſis edita.

Beneficio Cl. V. Matthæi Cloc Juriſconſulti, qui apographum MS. communicavit.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1194.

JACOBI BASNAGII DE HOC SCRIPTO ET SCRIPTORE OBSERVATIO.

NOn modo Hiſtoricum, ſed Poëtam fuiſſe qui *Friderici* expeditionem chartis commiſit, duo demonſtrant. Primo quod ipſe refert multos dicere, *illum ſomniaſſe in Parnaſſo*: ſecundo verſus quam plurimi quos frequenter his pagellis inſeruit.

Hunc *Friderico* ipſi coævum aſſerunt multi, ex verbo quod legitur in præfatione: *Succincte ſcribere propoſui de geſtis & via peregrinorum Noſtrorum:* Annum autem 1194. aſſignavimus, eo quod cum obierit *Fridericus* anno 1190. debuit aliquot annorum ſpatium interfluere antequam nunciis ea de re in Germaniam allatis, author animum ad ſcribendum intenderet. Deinde vero non modo mortuum *Fridericum* celebrat, ſed & Sueworum Ducem Imperatoris Filium, qui aliquanto poſt parentem Febre correptus, dum Chriſtiani *Accaronem* obſiderent, obiit.

Præſens non adfuit expeditioni; id ipſum teſtatur dum Imperatorem ſuos ſic alloquutum *ut dicitur*, narrat; illud enim *dicitur* abſentis eſt. Ideo caveas ne Herbipolenſis Epiſcopi aut Imperatoris orationes de verbo ad verbum deſcripſiſſe tibi fingas, more veterum Scriptorum unicuique verba quæ ipſi videbantur aptiora, adſcripſit; id patet ex oratione Imperatoris *Friderici* ad legatos Græcorum, quam diverſo plane modo retulit *Tageno*, qui Paſſavienſis Epiſcopi in eo itinere comes fuit indivulſus, orationemque Imperatoris ex ipſius ore fluentem potuit excipere. Quamquam autem expeditioni non adfuerit hic author, multa tamen habet non contemnenda. Simplicior multo eſt *Tageno*, quem *Freherus* edidit Hiſt. Germaniæ in appendice tomi primi. Sed cum Anonymus ab eo non multum diſcrepare videatur, & monumenta plurima quæ hoc Sæculo edebantur, oculis potuerit luſtrare, fides ipſi eſt adhibenda. *Tageno* caſum Imperatoris dum in fluvio nataret, ſiluit: ſic plura apud cum legas quæ non reperias alibi: ab altera parte ſunt apud *Tagenonem* Epiſtolæ Patavienſis Epiſcopi, *Friderici* Imperatoris, *Sybillæ* Hieroſolymorum reginæ, quas hic incaſſum quæras, ideo qui hanc expeditionem voluerit enucleatius indagare, geminos has ſcriptores ſimul conferat.

INCI-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1194.

INCIPIT PROLOGUS IN HISTORIAM PEREGRINORUM.

In apographo m. ſ. etiam hic titulus Germanicus erat: Repſer Friderici Barbaroſſe Reiſzzum H. Grab.

SÆpe, diuque, vir venerabilis, proprias vires conſului, quid ferre recuſent, quid valeant humeri, & quod dudum parvitas diſſuaſit ingenii, tandem adgredi tua me præceptio compellit. Quocirca licet forte ironicè me ſomniaſſe dicant aliqui in Parnaſſo, mihi tamen tolerabilibus judico, Muſam meam apud illos argui præſumptionis, ſive morſibus detractionis exponi, quàm prorſus tuæ contradicere juſſioni. Et ſi minus in hoc opuſculo venuſtas carminis, ſeu verborum ſchemata, lectoris aures demulceant; perorare ſaltem poteſt ad veniam ſtyli incultioris, auctoritas materiæ, de qua, prout dictandi facultas ſuppetit, leviter & ſuccincte ſcribere propoſui, ut de rebus geſtis, & via peregrinorum * noſtrorum nudam eliciens veritatem, nullum annectam figmentum, nil inſeram fabuloſum; præſertim inter cætera dignum ducens memoria, quomodo Chriſtianiſſimus & invictiſſimus Romanorum Imperator Fridericus vir utique magnæ experientiæ, ſtrenuitate Karolum repræſentans, nec non & inclytiſſima ejus proles, illuſtris ſcilicet Suevorum Dux, patrii nominis, & probitatis hæres non degener, velut duo candelabra lucentia, & propugnacula Fidei Romanæ, ſub vexillo ſalutiferæ Crucis, favorabiliter & ſtrenuè militantes, duces & rectores fuerunt exercitus Chriſti; & ut exinde merito & retributionis æternæ ſtipendiis fruantur in cœlis, & in terris fama illorum celebrior impoſterum extendatur.

* Hinc auctori auctoritas conciliatur ut æquavo.

Tu enim Domine Deus ſimul cum ipſis dux fuiſti in miſericordia tua populo tuo, quem redemiſti, ut nec Græcorum perfidiam, nec Turcorum fraudes & prælia in eum ſineres prævalere. Quippe non humanæ potentiæ, ſed divinæ virtutis miraculum fuit, quod tàm modicus Dei populus, clauſuras & fines Græciæ triumphaliter ingreſſus, totam ferè terram usque ad deditionem perdomuit, poſtmodum per multiformes anguſtias, per diverſa tribulationum genera, quæ ſuis in locis ſequens explicabit hiſtoria, tandem laqueo proditionis contrito, & ſexcentis millibus Turcorum equitum debellatis, Iconium expugnavit. Contra quem paulo antè, quaſi ſecurus & glorians de triumpho, dicebat inimicus: Et perſequar inimicum, & comprehendam, & dividam ſpolia; implebitur anima mea. Sed longè aliter ordinatio divina proviserat, ut rei poſtea probavit eventus.

Apud modernam ætatem interdum fortia veterum geſta legendo revolvere, & juvat Auditores & congruit incitamento virtutum. Verùm quid dignius memoria? quid magis congruum ædificationis, quàm labores peregrinorum ſive agoniſtarum ſanctæ crucis recolere? qui noſtris temporibus pro Chriſti nomine multa malorum & bellorum experti diſcrimina, æmulandæ ſtrenuitatis & patientiæ reliquerunt exempla. Siquidem arcta eſt via, quæ ducit ad vitam; & quoniam gaudet patientia duris, fiducialibus à Chriſto retributionis æternæ expectant præmium, qui devoto & intrepido corde pro ipſo pati dura & aſpera elegerunt. Et verè felices, quorum animus nec laborum metu obtunditur, nec corporalibus terretur incommodis, quin talium incitetur exemplis. Non iniquus enim ille, qui eſt vitis vera, purgans palmites ſuos, ut fructum plus afferant, & in camino adverſitatum dilectos ſuos examinans, eos vocare conſuevit ad præmia per tribulationum amaritudinem & laborem. Ad proſequendum igitur ex ordine tractatum hiſtoriæ, præmittendum eſt, quæ & quanta peregrinandi neceſſitas contra nefandam Turcorum gentem tot egregios exciverit bellatores.

Matth. 7. Joan. 15.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1194.

INCIPIT HISTORIA.

Psalm. 77. Saladini Querela non audiuntur.

ANNO Verbi incarnati milleſimo centeſimo octogeſimo ſeptimo, peccatis hominum exigentibus, viam fecit Dominus ſemitæ iræ ſuæ ſuper ſanctam civitatem, & univerſum regnum Jeruſalem, ut rurſum Threni Ieremiæ poſſent competere miſerandis ejus doloribus & ærumnis. Nec abs re, ſed divino judicio tota ferè Chriſtianitas tranſmarina data eſt in excidium & ruinam. Quippe veritas non erat in terra, fides & juſtitia claudicabant. Totius mali fomes & ſeminarium vigebat, cupiditas hominum corda ſubvertens & avertens à ſemita veritatis. Nam ſecundum illud poëticum, *quid non mortalia pectora cogit auri cæcus amor?* pace ſiquidem inter regnum Jeroſolymitanum & Saladinum pridem compoſita, & juramento utrobique firmato in ſeptennium ..... contigerat infra eundem terminum, congregationes negotiatorum Saladini, quos vulgariter *Caravennas* vocant, cum inæſtimabili pretioſarum opum mercimonio tranſmeare ab *Aleph* in *Babyloniam*, non nullis comitantibus Admiraldis. Quibus in dolo & proditione ſeorſum vocatis & comprehenſis, commilitones & ſatellites *Renaldi*, qui fuerat vitricus *Boamundi* Principis Antiochiæ, velut catuli leonum rugientes, ut rapiant, liberius in cæteros, & in pecuniam manus rapaces injecerunt. Renaldus verò quia gravatus erat alieno ære, turpiter falcinatus amore pecuniæ, maluit impudenter perjurii reatum incurrere, quam pro reſtituenda præda, memoratæ pacis intuitu, Saladini precibus obaudire. Sic ad ſuam ac totius terræ perniciem & ignominiam, & ſibi retinuit prædam, & homines carcerali cuſtodiæ mancipavit. Saladinus igitur ad *Guidonem* regem incunctanter miſit legationem, poſtulans, ut ex conſideratione Baronum & Juriſperitorum in curia ipſius regis id de præda reſtituenda ſive retinenda fieret, quod ipſa jura & conſuetudines Chriſtianorum dictarent. Quod cum nullatenus obtinere poſſet, omni querimonia ſuperſedere, & omne damnum ablatæ pecuniæ volebat remittere, ut ſaltem ſui, qui detinebantur in carcere liberati reſtituerentur. Qua in re ſimiliter paſſus repulſam, vehementer indignatus eſt, legatos ſuos inefficaciter remeaſſe. Ex eo nimirum tempore, quærens opportunitatem, ut adverſus regnum Jeroſolymitanum inſurgeret, de peregrinis Sarracenorum nationibus magnum valdè & fortem exercitum congregavit.

Timuit univerſa terra, & ſtatus regni Jeruſalem jam nutare inceperat ex diſſenſione, quæ inter Regem & Raymundum Comitem *Tripolis* emerſerat, cujus cauſa hæc extitit & origo.

Diſſidia inter Regem Jeroſolym. & Comitem Tripolis.

Rex, peregrinus fuit & advena, Pictavienſis natione, mediocris quidem genere, ſed miles elegantis formæ & armis ſtrenuus; in quem cum Regina oculos injeciſſet, ut amans, ut fœmina, indulgens animo, & nupſit ei præter ipſius Comitis & aliorum principum voluntatem; exinde accidit ut Comes in odium Regis ſe familiarem redderet Saladino. Barones tamen & optimates Regni una cum templariis & hoſpitalariis in tantæ neceſſitatis articulo, ſaluti & defenſioni terræ volentes proſpicere, feſtinanter partes ſuas ad bonum pacis interponere ſtuduerunt. Interea decem millia Turcorum clam convenerant inter Tabariam & montem Thabor, qui in inſidiis tranſitum illorum obſervabant, qua venturi erant ad Comitem propter pacem, de qua promiſſum eſt, reformandam. Comes autem ut Turcorum inſidias deprehendit, ad ſe venire parantibus, ut eas præcaverent, celeriter nunciavit. Illi vero de ſua nimium præſumentes audacia, propoſita via nihilominus proceſſerunt, & quo usque Turcis undique in ipſos irruentibus inſidiæ patuerunt. acre bellum committitur, in quo noſtri, licet temere congredientes, ea die ſuos enſes multo Turcorum ſanguine imbuerunt. Sed tandem prævalentibus Turcis, quorum major erat numerus, *Rogerius* hoſpitaliorum magiſter, cum multis aliis, non ſine magna ſtrage hoſtium, in bello occubuit. Qui autem evadere potuerunt, pervenerunt ad Comitem, & inter Regem & ipſum pace, illis mediantibus, reformata, Comes miſit ad Saladinum, prædictæ familiaritatis amicitiam contradicens.

Bellum a Saladino illatum.

Saladinus cum peregrina manu Sarracenorum, terram ingrediens, in odium Comitis Tabariam obſedit. Rex verò & exercitus ejus interim convenerunt ad fontes *Tabariæ*, & diſſuadente Comite, inde progredientes, caſtra metati ſunt in loco, qui vulgo dicitur *Marſcalcia.*

O res

Digitized by Google

O res mirabilis, ô terribile vicinæ cladis præſagium. Ea nocte in tentorio Patriarchæ, ubi erat ſancta *Crux*, in matutinali officio caſualiter evenit legenda de archa fœderis à Philiſtæis capta in prælio & deducta. Unde nimirum cunctorum audientium & intelligentium corda metu ſubitò percelluntur, quod juxta illud poëticum; peſſimus in dubiis augur timor. SÆC. XII. ANNO 1194.

Manè autem facto Saladinus Regi obviare feſtinans, cum innumerabili exercitu appropinquavit ad bellum. Turci fortiter ſe accingunt ad prælium, buccinis & ſagittis noſtros acriter cientes ad pugnam. Inprimis acies Templariorum congreditur, & demiſſis haſtis veloces equos urgens calcaribus, Turcorum Cuneos audacter irrumpit. Quæ cùm de hoſtibus ſtragem feciſſet innumeram, tamen recollecto agmine redeundi non habuit facultatem. Nam undique denſis Turcorum vallata agminibus, tota ferè ab ipſis intercepta eſt & retenta. Hoc viſo infortunio Comes *Tripolis*, cum paucis ſuorum, abjectis armis aufugiens, venit *Japhet*. Turci verò qui ignem miſerant circa exercitum Regis, videntes exercitum æſtu & ſiti jam miſerabiliter fatiſcentem, inſiſtunt audacius, aſſultum in noſtros undique inceſſanter, & cominus facientes; tandem permiſſione divina, capta *Cruce* & Rege, Turcis applaudit victoria, noſtris iraſcitur Deus & fortuna. Quidam enim ex eis miſera nece occumbunt celeriter, quidam in vinclis ad longioris pœnæ cruciatus reſervati, & poſt conſummatam belli victoriam adducti in præſentiam Saladini, de præcepto illius in ore gladii trucidantur.

Saladinus victor.

S. Crux capitur.

Peracta cæde tàm miſerabili, & * Renoldo, de quo ſuperius mentionem habuimus, manu propria Saladini perempto, Saladinus cum triumpho Tabariam reverſus, qui fortioribus & præſtantioribus regni jam peremptis in prælio, & liberius non ſolùm..... illam, verum etiam * *Accon*, *Aſcalonam*, & cum tota ferè terra ipſum *Jeruſalem* ad deditionem coegit.

** Otto de S. Blaſio vocat Reinaldum Principem Antiochia. * alii Accaron.*

Interea nutu Dei, qui in iracundia novit miſericordiæ reminiſci, & ne in partibus illis reſiduum Chriſtianitatis omninò ſuccumberet, contigit *Conradum* Marchiſium de Monte Ferrato, peregrinando navigare à Conſtantinopoli ad ſepulchrum Domini adorandum. Et hic natione Italicus erat, de conſanguinitate ſereniſſimi Imperatoris Friderici, vir utique ſolers & ſtrenuus, in rebus bellicis longo armorum exercitio ſapienter edoctus. Hic cùm jam pararet portum navigando attingere, videns civitatem Achon, & totam terram adjacentem nuper debellatam, & à Turcorum agminibus occupatam, frena maris vertere maturavit, & in ſecundo vento navigans apud Tyrum appulit, quem cives velut acephali & gubernatoris præſidio deſtituti, gratanter excipiunt, ſe & civitatem ejus tutelæ & moderamini ſupponentes. Comes verò Tripolis jam apud aliquos de perfidia ſuſpectus, de Tyro egrediens, venit Tripolim, ubi poſt modicum tempus, ſecundum quoſdam, letifera veneni potione ſuccubuit; ſecundum alios, propter mala & deſolationem terræ, vitam tædio & angore finivit.

Conradus de Monteferrato dux Tyriorum.

Porrò Saladinus venit *Tyrum*, *Reinerum* Marchionem de Monte Ferrato, quem in bello ceperat, ſecum adducens, quòd per illum ſaltem filium ejus Conradum ad deditionem urbis de facili ſperabat induci. O quàm memoranda, quàm pia impietas, quæ patris amori amorem Dei judicat præferendum. Saladinus conſtantiam viri liberatione patris labefactare non valuit, non minis flectere, non promiſſis. Abiit ergò ad tractanda, quæ ſibi incumbebant negotia de regno & urbibus nuper ſubjugatis, & in eis Satrapas & Judices ordinavit, Admiraldos inſtituit, quorum regimine tenerentur. Poſt modicum temporis intervallum cum exercitu magno rediens, Tyrum duobus ferè menſibus terra & mari tàm acriter obſedit, ut cives jam vehementer & extra bellico premerentur aſſultu, & intus penuria victualium arctarentur, nihil aliud jam habentes, niſi nuces avellanas, quibus utcunque ſuſtentabantur. Tandem callide nacti bellandi opportunitatem cives cum paucis navibus, quas habebant, nocte quadam navali bello eos aggrediuntur, qui per mare urbem obſederant, & ita navibus Saladini partim captis, partim confractis & ſubverſis cum hominibus ipſum Archipiratam debellatum, & captum cum tumultu & plauſu maximo in urbem adducunt.

Tyrus obſidetur.

Audito navalis belli tumultu, & qui erant in obſidione terreſtri ſuorum tamen adhuc infortunium ignorantes confeſtim machinis & aſſultu bellico ad expugnandam urbem communiter ſe accingunt. Turci autem muralibus vi effractis, jam interiorum partem murorum diruerant, jam urbis mœnia conſcendebant. Conradus verò ut vir magnanimus & gnarus bellandi, cum ſuis jam animatis ad pugnam egreditur, facta ad Deum invocatione ſtatim clamore & congreſſu bellico viriliter irruit, &

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1194. per virtutem Dei victrici dextra illorum fortitudinem diſſipavit. Trecenti ex Turcis ibi nece merita occumbunt, cæteri vertuntur in fugam, & eorum caſtra cum machinis fabricatis ad urbis excidium incenduntur. Noſtri ſpoliis ditati gloriantur in Domino, qui ſuis civibus Tyri duplici triumpho cornu ſalutis erigens civitatem, & populum liberavit.

Præterea Hugo de Tabaria privignus memorati Comitis Raimundi, & aſſumpto militari agmine de Tyro egreſſus venit Arſur. Quo expugnato & ſpoliato, & Turcis rebellantibus, qui intus erant interfectis, capto etiam Admiraldo, qui præfato oppido præſidebat, lætus cum victoria remeavit. Saladinus itaque turbatus vehementer, ſed ut erat elati animi, pro tempore infortunium belli diſſimulans abiit, &, exceptis adhuc aliis duabus civitatibus, Antiochia ſcilicet & Tripoli, & paucis caſtellis, reſiduum terræ & munitiones potenter obtinuit, & ferè univerſa terra ſiluit in conſpectu ejus.

Pontifex Fridericum impellit ad liberandam Hieroſolymam.

Poſtquam fama ſolito pernicior index, cum lugenda refert, apud Romanam ſedem Jeroſolymitani Regni cladem & exterminium divulgavit; Romanus Pontifex paterno nimirum affectu, tantum Chriſtianitatis conſpiciens detrimentum, vehementer indoluit, & propter ingruentem neceſſitatem, maturioris habita deliberatione conſilii, neceſſarium duxit incunctanter mittere legationem ad Reges & Principes, præſertim ad invictiſſimum Romanorum Imperatorem Fridericum, à quo tunc maxime, utpote maximo & excellentiſſimo ſanctæ Matris Eccleſiæ tutore & Advocato, ſpes & fiducia hanc propulſandi injuriam dependebat. Legatio verò ſcripti ſeu prædicationis officio generaliter ad omnes uſibus armorum idoneos, qui Chriſtiano cenſentur nomine deſtinatur, eos auctoritate Apoſtolica in remiſſionem peccatorum ad dominici liberationem ſepulchri monens attentius & invitans.

Reverendæ ſedis Apoſtolicæ nuncii directo itinere profecti in Germaniam, ab Imperatore alacriter & benignè recepti ſunt apud civitatem *Argentinam* ſecus fluvium Renum ſitam, ubi curiam pro tractandis negotiis Imperii indictam, tunc ipſe Imperator celebrabat, terrarum Principibus convocatis. Nec caſualiter, ſed divino nutu magnam illuc ſublimium virorum conveniſſe multitudinem, ut de Jeroſolymitana expeditione lætis ibidem inchoaretur auſpiciis, quod poſtmodum apud *Maguntiam* curia Dei & peregrinorum, de qua dicetur inferius, tractavit plenius & promovit. Poſtera die ſimul reſidentibus Epiſcopis, cæteriſque Principibus coram Imperatore, quo etiam ingens militum civiumque multitudo convenerat, indicto ſilentio præfati nuncii verbum Dei de exhortatione Jeroſolymitanæ expeditionis, in auribus aſtantium ſeminare cœperunt; ad quorum prædicationem, licet gratioſa eloquii ſuavitate conditam, inter tot millia, miles unicus, zelo devotionis accenſus, ibi aſſumpto *Crucis* ſignaculo, ſe ſponſione itineris obligavit.

* *Fuit Baro ab Haſenburg. Bruſchius in 57 Ep. Argent.*

Argentinenſis autem venerabilis Epiſcopus * *Henricus* nomine, vir utique tàm divinarum quàm ſecularium rerum gnarus & providus, videns, & dolens omnium ferè corda ad hujus exhortationem negotii, de ſomno obſtinationis minimè excitari, tanquam divinitus audiviſſet, Aperi os tuum, & ego implebo illud; nacta opportunitate loquendi, hoc modo Tullianæ ſuadela facundiæ cunctorum ſibi conciliavit auditum:

Pſal. 89.

O res miranda, ô milites egregii, quos animoſitas & probitas innata, armorum exercitio famoſos reddidit, & præ cæteris gentibus inſignivit: miramur plurimum, & miratione dignum eſt, quod in tanta neceſſitate erga Deum, ſic modo turpiter alget & torpeſcit veſtra devotio; quòd obliti eſtis virtutis aſſuetæ, velut degeneres & ignavi. Veſtrum utique auditum mimus aliquis, ſeu fabula theatralis demulcendo alliceret; & verba Dei vobis non ſapiunt, quæ tàm difficili & ſurdo percipitis intellectu. Proh dolor in corde omnium charitas refriguit. Proh pudor, omnes declinaverunt, ſimul inutiles, non eſt qui faciat bonum; non eſt quem ſui moveat Salvatoris injuria, ut rurſum dicere poſſit, Torcular calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.

Pſal. 13.

Eſa. 63.

Et viderit ſi veſtrum quiſpiam dominum ſuum terrenum exterminii ſive exhæredationis injuria moleſtari; certe pro illo arma non ſumere turpe dicitis & probroſum. Quanto magis omnes unius capitis membra, Chriſti ſcilicet, ei debemus totum quod ſumus, quod vivimus, quod habemus? Et de plenitudine ejus accepimus omnes. ſed arbori non reſpondent ſurculi, palmites vitis beneficium non attendunt. Pietatis eſt flere cum flentibus; nec vos movet ad lacrymas terræ Jeroſolymitanæ dolor & deſolatio, quod nuper audita, omni animæ fideli amaritudinis & mæroris calicem propinavit? Neceſſitas amicum examinat. Et ecce rurſum patiens Chriſtus ſuos examinet

Joan. 1.

&

Digitized by Google

& probet; ad ſuum vos invitat auxilium, qui pro veſtra redemptione humanatus, & crucis patibulo affixus, operatus eſt ſalutem veſtram in medio terræ. Hæc eſt terra hæreditas Domini, ubi ſteterunt pedes ejus. Unde primum per Prophetas, deinde per Apoſtolos primitiva fidei noſtræ plantatio in orbe terræ eſt propagata. Et cum in omni loco dominationis ſuæ glorificandus ſit Deus, ea præſertim loca propenſiori veneratione amplecti nos convenit, quæ Dei filius ad noſtram redemptionem exhibendam, prælecta, & tactu ſuæ præſentiæ conſecravit. SÆC. XII. ANNO 1194.

Compungat igitur corda veſtra, moveat vos & incitet ad vindictam, quod mater & nutrix noſtræ fidei ſancta civitas Jeruſalem, deleto & eliminato ab ea Chriſtianæ cultu Religionis, prophanis paganorum ritibus ancillatur. Si enim, quod abſit, non eſt qui adjuvet, vel conſoletur eam, ex omnibus charis ejus; quid reſtat deinceps, niſi ut gravius Chriſtianitatis emutiletur plantatio, & latius paganiſmi propagines extendantur? Si quilibet veſtrum ad prædam, vel aliud maleficium opem alterius flagitaret, profectò multos de facili inveniret complices iniquitatis ad iniquitatem. & de tot millibus vix unicum Dominus ſibi militem adquiſivit. Penſate igitur milites egregii, quàm felix, quàm favorabile & excellens militandi genus, quàm fructuoſus labor; cujus merces, peccatorum remiſſio, quam revera Dominus ſuis ſpondet & exhibet peregrinis.

His dictis cunctorum, quaſi prius dormitans, excitatur devotio, de cordibus compunctis erumpunt lacrymæ pietatis: Comites & Barones plurimi, nec non & multa millia tàm equitum quàm peditum, ad ſuſcipiendum crucis ſignaculum catervatim accurrêre. In brevi rumor iſte longè lateque divulgatus, remotas etiam & diverſas nationes gentium excivit.

Imperator vero, ut vir *multividæ circumſpectionis, quod jamdudum intra ſe voverat de peregrinandi voluntate, adhuc diſſimulabat, quo usque major Principum ac aliorum virorum copia crucem ſine retractatione arriperet, quorum ope & opera annitente, facilius & efficacius poſſet expeditionis negotia promovere. Ad hoc igitur provida & neceſſaria deliberatione ordinandum peregrinis ſpecialiter in media quadrageſima, quæ * tunc evenit ſexto Kalendas Aprilis, curiam indixit apud *Maguntiam*, quam rectè *curiam Dei* voluit appellari.

*al. juſtividæ.

*Anno 1188. *Vide Ottonem de S. Blaſio. cap. 31. Legatus ſacram militiam prædicat.*

Interea vir quidam religioſus litterarum ſcientia præclarus, & ſuavis eloquio *Henricus* ſcilicet Albanenſis Epiſcopus, Cardinalis, de latere ſedis Apoſtolicæ miſſus in eadem legatione, ut prædicator egregius, primò, ut dignum, adivit Imperatorem. A quo, ut decuit, ſatis accurate receptus eſt & benigne. Qui cum de bono Imperatoris ipſius animo, circa peregrinandi negotium, familiari inquiſitione & alloquio cognoviſſet, gaviſus eſt in Domino, & abiens per Alemaniam, verbi divini ſemine jacto in terram bonam, multos ad viam Jeroſolymitanæ expeditionis in brevi temporis ſpatio lucrifecit. Deinde profectus eſt ad ſereniſſimum Francorum Regem (*a*) *Philippum*, & *Henricum* Regem Angliæ, qui tunc diſcordes erant; ſed ejus ſermone perſuaſorio, pacis revocati ad concordiam, cum multis utriusque Regni Principibus *Crucis* ſignaculum acceperunt. Inde in Germaniam redire decrevit ad præfatam *curiam Dei*, cujus terminus inſtabat.

Statuto curiæ termino adveniente, ſereniſſimus Imperator, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Duces, Marchiones, Comites perplurimi & Barones, ad locum deſignatum cum innumerabili peregrinorum & aliarum gentium multitudine convenerunt. Lætatur ſe nominatam & electam, ad determinandum in ea tàm favorabile communis cauſæ negotium, & ſuis applaudit hoſpitibus civitas *Maguntina*. Cum ingenti apparatu de divinis negotiis celebratur Curia, communi favore & veneratione omnium amplectenda.

Conventus Moguntiacus.

Affuit inibi venerabilis Herbipolenſis Epiſcopus (*b*) *Gothefridus* nomine, vir diſcretus & eloquens, propter honeſtatem & alias virtutes ſibi inſitas commendabilis & famoſus. Hic ſalutiferæ crucis peregrinus, & verbi divini ſeminator egregius, lepido ſermone & placido ſibi concilians intellectum audientium, multa ad exhortationem viæ congruentia benè & efficaciter perſuaſit.

Nam ipſe Chriſtianiſſimus Imperator, & filius ejus Dux illuſtris *Sueviæ*, (*c*) multi quoque

(*a*) *Errat Otto de S. Blaſio ibi cum Ludovicum vocat. Nam Philippo Ludovicus natus eſt anno* 1187. *teſte Roberto de monte, ex edit. Joan. Piſtorii tom.* 1. *Ger. ſcript. Quando Henricus rex Angliæ cum filio Richardo Crucem accepit, vide Rigordum de geſtis Philippi edit. Pithoei fol.* 181. *&c.* CAN.

(*b*) *Godefridus à Piſemberg, Friderici I. Cancellarius, cathedralem Eccleſiam Herbip. de novo conſtruxit, moritur in hac expeditione Antiochia. Ex hoc loco patet error Bruſchii circa annos hujus Godefridi.* CAN.

(*c*) *Præcipuos nominat Tageno Patavienſis, in expeditione Aſiatica Friderici I inter quos Epiſcopus Herbipolenſis, & Bertholdus Dux Meraniæ ex Bavaria de caſtro Andechs natus, qui fortè eſt frater Mechtildis, cujus vitam ſuprà dedimus, nam de patre vix credo.* CAN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1194. quoque Episcopi & Principes, cum aliis viris sublimibus de manu ipsius assumentes crucis signaculum, ibi publicè se voto & promissione itineris astrinxerunt. Fervet in ipsum tot aliorum devotio; tot & tantorum virorum audacia; quasi viso hoste, avida bellandi contra odiosam Turcorum gentem, mente & desiderio jam decertat; quòd ex rumore tanti apparatus bellorum, meritò & Christianis accrescit lætitia, & formidationis terror incutitur Sarracenis.

**Friderico.* De præfato verò * Duce maximè gaudendum fuit omnibus peregrinis. Nam postea, sicut facta ipsius testantur, celsitudo sanguinis & animi sæpè, imò semper per multa bellorum discrimina, & gravium experientiam laborum, pro statu exercitus Christi animositatem illius ad actus strenuos invitavit; & ipse strenuitate sua sibi omnium favorem ascivit.

Imperator itaque videns, & gaudens, militiam Christi sic læto affluere incremento, edicto prohibuit, ut nemo pedes, nemo usibus armorum minus idoneus, nullus etiam, qui ad minus in (*d*) biennium sumptus itineris habere non posset, peregrinationis viam secum arriperet: Quoniam ad tàm laboriosam expeditionem magis impedire, quàm expedire vulgus imbelle & debile consuevit.

Cæterum quia tàm arduum negotium moram & inducias ad præparamenta itineris composcebat, de consilio Principum seorsum habito, visum est Imperatori, ad quod etiam omnes unanimiter consenserunt, ut proposita expeditio à solennitate instantis Paschæ in annum protelaretur, & nono Kale. Aprilis in festo sancti Georgii peregrini omnes simul apud Ratisbonam in itinere convenirent. Constitutionis hujus negotio diffinito singuli ad propria remandi licentiam habuerunt.

Bellum a Friderico indicitur. Quia verò sereniſſimus Imperator, & *Saladinus* tàm per nunciorum, quam per donativorum alternam missionem à longo tempore amici fuerant ad invicem; Imperator suæ Majestatis prospiciens honestati, duxit conveniens, ad eum præmittere legationem, & cum denuntiatione belli se illius hostem fateri, nisi sanctam *Crucem*, in prælio Christianis ablatam, redderet cum terra Jerosolymitana, quam suæ subjugaverat ditioni.

Ab *Henrico* verò de *Diech*, rogatu Imperatoris suscipitur hæc ad Saladinum legagatio deferenda. Præter hæc alia ab Imperatore legatio destinatur in Hungariam ad Regem *Belam* pro mercato, pro viæ securitate & pacis certitudine utrobique firmanda. Similiter & in Græciam ad Ysachium Imperatorem; nec non (*e*) *Soldanum Iconii*, apud quem à multis diebus, propter bona de ipso per internuncios remandata jam sæpius & audita, specialem dilectionis & amicitiæ fiduciam obtinebat.

Rex (*f*) Hungariæ super jam dicto negotio Imperatoris petitioni & negotio peregrinorum benignè & alacriter adquievit.

Porrò Cancellarius & Legati Constantinopolitani Imperatoris accedentes ad præsentiam sereniſſimi Romanorum Imperatoris, benignè ab eo recepti sunt apud *Noeremberc*. Ubi per eos tractatum est de negotio memoratæ pacis. Unde ab inclyto Suevorum Duce, & cæteris Principibus, ac potentibus viris, qui aderant, securitatem juratoriam receperunt; & è converso seipsos in in idipsum jurejurando astringentes, ad plenariam pacis ordinationem, persuaserunt, magnos & sublimes nuncios adhuc mittendos esse Constantinopolim, pro majori securitate per eos ibidem recipienda, & pace plenius confirmanda.

Inter cætera verò forma condictæ pacis id specialiter continebat expressum, ut peregrini, ex promissione, fructus arborum, olera hortorum, ligna ad ignem, sine vastatione domorum, gramen & paleam ad usus equorum acciperent; cætera competenti foro secundum statum regionum & temporis exigentiam compararent.

Ad hujus legationis executionem honesti nuncii, scilicet venerabilis (*g*) Monasterienſis Episcopus, Robertus Comes de Massouve, & Henricus Junior Comes de Diech, ex deliberatione ipsius Imperatoris, & Principum eliguntur; & ita præfatus Cancellarius cum suis collegis ab Imperatore munificè & honestè dimissus, in Græciam remeavit.

Præter

(*d*) *Hinc intelliguntur ista Ottonis de S. Blasio cap.* 31. *Pauperioribus ad minus trium marcarum expensam, ditioribus pro posse expensas præparare indicens. Egentibus autem pondo trium marcarum sub anathemate profectionem fecit indici, nolens exercitum vulgo minus idoneo pragravari.* CAN.

(*e*) *Otto de S. Blasio c.* 31. *Nuncii Soldani regis Iconiensis ad Imp. venerunt, fœdusque quamvis in dolo, renovantes, commeatum per totam Ciliciam cunctoque exercitui, si pacificus veniret, ex parte domini sui obtulerunt.* CAN.

(*f*) *Extat tomo Germ. script. Urstisii Epistola cujusdam de expeditione hac Friderici I. ubi hæc: Ab amantissimo rege Ungariæ Lela honorifice recepti, & benigne ab ipso & humaniter tractati.* CAN.

(*g*) *Prædicta Epistola. fol.* 560. *Regnum Gracia intravimus, in manus furum & latronum incidimus, nulla in Gracis fide reperta. Nam contra communem non violandorum legatorum legem, Episcopum Monasterienſem, & Comitem Rupertum ceperant. Vide Annales Godefridi mon. S. Pantaleonis anno* 1189. *&c.* CAN.

Digitized by Google

Præter hæc jam dudum contigerat, alios Legatos ad Imperatorem accedere, omne bonum amicitiæ de Soldano mendosè pronunciantes, non solùm pro mercato, & viæ securitate, verum etiam de antiqui amoris perseverantia, ac totius honoris exhibitione, quem, ut ajebant, illi præsentialiter impendere peroptabat. Sed ut rei probavit exitus, quidquid mandaverat, vacuum erat à fide, & minimè veritati consonabat. Dignum ergò erat illi accidere sicut & accidit. Nam postmodum detecta fraude, sicut de patrata perfidia meruerat talionem recipere fallax & mendosa ejus promissio, meritò in ipsius detrimentum & ignominiam redundavit. SÆC. XII. ANNO 1194. *Legati à Soldano missi.*

Imperator itaque vanæ promissioni credulus, & qui in omnibus pridem circumspectus sollerter sibi præcaverat, modò incautus, & à verbo mendacii circumventus, præfatos nuncios, cùm eos benignè receptos apud se diutius & accuratius, quàm cæteros tenuisset, benignissime à se dimisit, quendam nomine *Gothefridum* simul cum ipsis in legatione pacis & amicitiæ dirigens ad Soldanum.

Designato peregrinationis termino jam instante, zyzaniorum seminator, & malorum omnium inventor diabolus (*h*) rediviva dissensione pacem turbaverat inter Regem Francorum, & Regem Angliæ. Qua de causa tàm ipsi quàm alii, multi bellorum occupationibus impliciti, tunc à via proposita remanserunt. Nonnulli etiam elegerunt navigio transfretare; revocati à proposito terrestris expeditionis, quæ plus laboris & periculi videbatur habere. Quidam verò prætendentes occasionem ad excusandas excusationes in peccatis, penitus retro abierunt. Sed nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno cœlorum.

Christianissimus tamen Imperator, ut erat magnanimus, nihilominus animo constanti iter arripuit. Dignum ducens & favorabile, si tandem in divino obsequio, sequentibus triumphorum titulis, quibus antè claruerat, digna virtutum suarum consummatio responderet.

Nono igitur Kalendas Aprilis peregrini apud Ratisbonam, sicut statutum fuerat, convenerunt.

Monasterienſis Episcopus, Rubertus Comes de Nassowe, & Henricus junior de Diech, missi Constantinopolim, in præfata legatione, jam præcesserant, ducentes secum centum milites, & alios multos ipsorum agmini adhærentes. Qui cùm per multos labores Bulgariam & Macedoniam transivissent, Constantinopolim pervenerunt; ubi aliquandiu morati sunt, Imperatoris Constantinopolitani qui tunc aberat, reditum præstolantes.

Imperator reversus illis venientibus ante suum conspectum, hilarem vultum exhibuit, ac si de ipsorum peregrinorum adventu non modicum lætaretur. O scelus inauditum, ô immanis perfidia. Revera juxta illud Claudiani: *Imperatoris Græcorum fraudes.*

Edidicit simulare fidem, sensusque minaces
Protegere, & blando fraudem prætexere risu.

Legati ergò frustra exhilarati ad hospitia revertuntur.

Cur autem subdolus Imperator contra Christianitatem se exhibens petram offensionis & scandali, pacis, & fidelitatis, hilarem vultum prætenderat, quandoquidem illorum exitium rogitabat? Sequenti die, illo præcipiente, nuncii capti, spoliati, affecti injuriis, ad ultimum inter secures per diversa terroris & metus genera ducti, & miserabiliter distracti, in locum pœnarum & carceris detruduntur; & sic antiqua nunciorum & hospitii jura turpiter in viros insontes & pacificos temerantur, ad favorem & gratiam *Saladini*, cujus legationem nuper admiserat amicabiliter sceleratissimus Imperator, qui prius attendere debuisset, illud saltem gentilis dictum:

Turpius ejicitur, quàm non admittitur hospes.

Interea sereniſſimus Imperator *Fridericus* ignarus tanti, à Ratisbona descenderat navigio ad partes Austriæ, exercitu cum equis & curribus per terram eunte. Et oppidum *Mutusin*, situm in ripa Danubii, flamma vindice funditus everterat, eo quod habitatores illius vectigal indebitum à peregrinis transeuntibus arroganter præsumpserant extorquere. *Friderici iter in Græciam.*

Cùm

(*h*) *Godefrid. Monach. S. Pantaleonis Coloniæ in annalibus anno* 1188. *hat: Philippus rex Franciæ, & Richardus rex Angliæ, abruptis crucibus, bella renovant, terras mutuò devastant, & nulli ætati parcunt. Postea confœderati contra patrem ejusdem Richardi prælia instaurant, donec eo defuncto ad rediviva iterum bella relaxantur.* CAN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1194.

Cùm autem *Winam* perveniſſet exercitus, *Lupoldus* Dux Auſtriæ, qui apud omnes liberalitatis præconio famoſus & celebris habebatur, neceſſitati peregrinorum laudabiliter conſuluit, tùm in miniſtratione mercati, tùm de rebus propriis hilariter largiendo.

Inde progredientes in ſpatioſa camporum amplitudine, qui vulgo *Virivelden* vocantur, caſtra metati ſunt ſecus Danubium præterfluentem, in oppoſita ripa (*i*) *Boſomium* quod *Presburc* Teutonitè nuncupatur. Ibi quatuor diebus quietare diſpoſuerunt, quousque univerſus exercitus illuc conveniſſet. Cæteris autem luſibus armorum & quieti vacantibus, imperialis tamen induſtria minimè vacans à curis, interim tractabat de ſeriis, & expeditionis cauſas, atque negotia ſollicita deliberatione penſabat. Nam (*k*) ibidem ex conſultationibus principum & virorum prudentum, ad regendum facilius & coercendum exercitum, ſub edicto & juramento pacis novarum legum condidit inſtituta, quibus ſecundum differentiam emergentium caſuum, transgreſſorum enormitas animadverſione debita puniretur.

Sic die ſanctiſſimo Pentecoſtes ibi ſolennizato, ante portas Ungariæ pervenerunt. Ubi Epiſcopi & cæteri optimates terræ, nuncii ſcilicet Regis Ungariæ magnifice venerunt obviam Imperatori, ipſum ex parte Regis ad introitum regni ſui benigne & alacriter invitantes. Imperator ergò cum exercitu ingreſſus eſt fines Ungariæ, & Pannoniæ partes tranſiens, pervenit *Strigonium*, ubi ab ipſo Rege & Regina plenius, & cum majori honoris exhibitione præſentialiter ſalutatus, magnificè, ſicut decebat, ab eis receptus eſt, & jucunde. Ibi etiam diebus aliquot demorante exercitu, Rex filiam ſuam inclyto Duci Sueviæ deſponſavit, & in collatione victualium multa impendit beneficia peregrinis. Cùm autem inde placuiſſet abſcedere, Imperator & Rex in ſylva quadam venatica, undique amœno decurſu Danubii circumfluentis ſepta, quatuor diebus commorati ſunt in venatione; exercitu interim per terram ſatis opimam & paſcuis refertam moroſius præcedente.

Ibi tunc primùm ſuperveniens exercitus de Boëmia gratanter ſe noſtro exercitui ſociavit. Deinde venientes ad (*l*) Thravum fluvium, nec eum invenientes vadabilem, illum tunc, licet cum difficultate, navigio tranſierunt. Inde per regionem bonis omnibus opulentam, vicum ſancti Georgii, Francam villam, & * Smirmium, civitatem olim quidem famoſam, ſed modo dirutam tranſeuntes, quarto Kalendas Julii ad Savum ſiue Sovuam fluvium pervenerunt. Huc usque in tranſitu regni ſui noſtris ſatis accommodus & benignus extiterat Rex Ungariæ, niſi in quibusdam poſtea ſe ſuſpectum reddidiſſet.

* leg. Sirmium.

Poſt tranſitum Savi fluvii, noſtri jam tunc in finibus regni Græciæ in Bulgaria conſtituti, caſtra metati ſunt apud (*m*) *Belgranum;* ubi quidam ex peregrinis propter violationem pacis membrorum truncatione plexi ſunt, quidam etiam propter graviores exceſſus coram Imperatore capitalem ſententiam ſubierunt. Unde cunctis potuit evidenter innoteſcere, in quantum Imperator & exercitus Chriſti pacificum per terram illam tranſitum exoptabant.

Sed inſtinctu perfidi Imperatoris *Iſachii*, nequiſſimo Duce *Brunduſii* procurante, *Græci*, * *Blacci*, *Bulgari*, cum innumerabilibus aliarum populis nationum, jam noſtris * exitiales machinabantur inſidias, & conventicula eorum de ſanguinibus, & de pernicie gentis noſtræ. Exercitus verò de *Belgrano* digrediens, & duorum dierum itinere incedens per ſylveſtria, pervenit ad * *Marubium*, quem etiam navigio transmeavit; & defixis tentoriis ſecus *Danubium* in campis *Brunduſii*, ſeptem diebus continuis quieti vacavit, quo & *Hainricus* Comes de *Salme* cum civibus *Metenſibus*, & agmen peregrinorum Ungariæ ſupervenit.

* Valachi.

* Vide Tagenonem, & Godefrid.

* Godefrid. Marowum.

O nefanda & innata Græcorum perfidia! de quibus non ab re legitur; timeas Danaos & dona ferentes. Dux Brunduſii & majores Provinciæ, præmiſſis donativis ſuis, Imperatorem ſub ſpecie dilectionis adeunt, hunc labiis honorant, mala autem in cordibus eorum. Porrò quia neceſſarium erat, tantam multitudinem, utpote

(*i*) *Latini recentiores vocant Poſonium. Lazius Piſonium, ex ſcriniis ejusdem urbis, à Piſone quodam videlicet, cujus opera Tiberius Pannones ſubegit. Boſa in Pannonia, quod Bresburg, inquit Otto Friſingenſis. Vide Ortelii theſaurum Geograph.* CAN.

(*k*) *Erat autem exercitus ejus* XXX. *millia hominum, inquit Godefrid, inter quos erant* 15. *millia electorum militum. A prædicta ergo urbe (Ratisbona) per decurſum Danubii iter moventes venerunt in civitatem, quæ dicitur Brisburc, & eſt initium Hungariæ. Ibi in die Pentecoſtes Imp. conventum habuit, & jurata eſt pax ab omnibus, & lex malefactorum lata eſt, & de proceſſu itineris actum eſt. Feria quarta inde moverunt; & in octava Pentecoſtes occurrit eis rex Ungariæ cum regina, obtulitque Imperatori tentorium operoſum, quod portare vix poterant tria plauſtra, & alia inſignia. Filiam quoque ſuam filio Imperatoris Friderico deſponſavit.* CAN.

(*l*) *Godefri. Emenſa Ungaria ventum eſt ad flumina Marowam, Sowam & Drowam, quibus navigio tranſitis, &c.* CAN.

(*m*) *Habita eſt ibi ab Imp. ait Godefrid. curia in villa quæ Belgrave (Belgradum) dicitur, ad quam duo nobiles de Alſatia pro violata pace decollati ſunt.* CAN.

Digitized by Google

pote per terram nemorosam, & viam difficilem transituram, per agmina divisam incedere; SÆC. XII.

In primo agmine instituti sunt *Ungari & Boemi*; ut ad explorandum de situ locorum & viarum transitu antecedant. ANNO 1194.

In secundo verò Dux *Sueviæ & Ratisponensis* Episcopus cum suis.

In tertio tres Episcopi cum suis *Herbipolensis* scilicet, *Laodicensis*, *Basiliensis*.

In quarto & ultimo agmine Imperator; & reliquum robur exercitus designantur.

Interea præfatis hostibus, quorum veloces pedes ad effundendum sanguinem, ad latrocinandum egressis, armigeri de castris egredientes, ad comportandum gramen sive pabulum ad usus equorum, de die in diem necem toxicatis eorum sagittis incurrunt. Nonnulli etiam de castra spoliati & saucii reverturtur. Nostri tamen vana & frustratoria spe decepti, super his omnibus Constantinopolitani Imperatoris conscientiam excusantes, & suspensa ultione adhuc patienter hæc duxerunt incommoda sustinenda.

Relictis ergo navibus, & curribus oneratis, à Brundusio castra moventes, prius ordinatum iter arripiunt. Præcedunt Ungari & Boemi in manu armata, flammis atque securibus, præclusos viarum transitus referantes. Dux verò Sueviæ cum suis illos subsequens in sylva, ubi nocte præterita castra posuerant, sine requie pernoctavit. Nocturnis enim excubiis adhuc in agmine suo minus provide ordinatis, damnum inopinatum ab hostibus recepit, qui ex improviso de nostris intra castra pluribus sauciatis, unum militem & quosdam alios occiderunt. Nostris tamen expergefactis, protinus expelluntur. Dux itaque ex damno sibi illato cautior effectus, sequentem exercitum, & præcipuè patrem suum celeriter præmunivit.

Imperator verò callidè cum armata manu militum præfatis hostibus tetendit insidias, qui meritò in foveam, quam nostris paraverant incidentes, addicti patibulo pœnas debitas exsolverunt. Quosdam quoque impatienter vivos retinuit, quorum judicio quosdam ex civibus *Brunduſii*; nec non & alios multos suorum maleficiorum complices in quadam munita munitione nuper ab eis constructa obsedit, & comprehensos ad necem similem patibulo commendari præcepit. Et quoniam fraus Constantinopolitani Imperatoris, & Ducis Brunduſi, ex illorum quoque confessione innotuit, pars militiæ reversa, Brundusium prorsus incendio devastavit. Procedente ergo exercitu, & prædonum malitia in nostros, cæde, rapina, furto, de die in diem redivivis assultibus, degrassante, quidam ex nostris incautè transeuntes, illorum sagittis intereunt. Sed plures ex hostibus ubicunque in manus nostrorum incidunt, velut canes immundi, seu lupi rapaces, à pedibus sursum, & deorsum cervicibus, secus viam arboribus suspenduntur.

Inter hæc dum transiret miles quidam egregius, *Fridericus* scilicet de *Berguem*, equum, cui insidebat, ictu sagittæ repente vulneratum aspexit, & circumquaque intuens, & nusquam auctore vulneris comparente, miratus est vehementer. Tandem suspiciens quendam ex hostibus in summitate arboris vidit inter frondosos ramos infeliciter latitantem, quem ad ipsam arborem cui miser male inhæsetat, firmo alligavit suspendio, sociis suis prius ad tàm monstruosæ rei spectaculum convocatis.

Sic peregrini variis casibus bellorum decertando pervenerunt ad oppidum *Rabbinel*, pæne omnino dirutum & destructum. Ibi accessit ad Imperatorem nuncius Regis *Ungariæ*, excusantis moram generi sui, Imperatoris scilicet Constantinopolitani; quòd jam dudum Hellespontiacum mare, quod dicitur brachium sancti *Georgii* transierat, obsidere *Philadelphiam*, tunc temporis sub quodam *Theodoro* nomine rebellantem. *Vide Leunclavium in pandectis hist. Turcica cap. 128.*

Præterea venit & alius legatus in dolo deferens litteras Cancellarii Constantinopolitani, quarum tenor per omnia bonum mendaciter promittebat: Imperatorem videlicet Constantinopolitanum valdè mirari se nondum certificatum fuisse de adventu Imperatoris & exercitu peregrinorum, ut eis honestorum virorum procuratione mercatum cum honore debito faceret exhiberi. Præter hæc quoque missos esse à Constantinopoli viros sublimes, qui apud urbem * *Stralicium* magnificè præstolabantur adventum exercitus, ut Imperatori decenter occurrerent cum præparatione fori, & honoris debiti exhibitione. Sed prorsus vana & sterilis hæc erat promissio. Nam iniquus Dux Brunduſii jam præcesserat, qui ubique fuga omnibus indicta, frangi molendina præceperat, & mercatum subduci. **alii vocant Stral. iz, & Straliten.*

Inter bellorum turbines serenitate tunc temporis arridente, nostri jam appropin-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1194. quabant (*n*) *Niſſæ* civitati, quam cum tota adjacente Provincia de Conſtantinopolitano præceptam Imperio *Neaman* & *Chrazimerus* magni Comites de *Servigia* & *Raſſia*, cum tertio fratre *Mecchillao* nuper in ſuam redegerant poteſtatem. Illi ſiquidem gratanter egrediuntur obviam peregrinis, maxime Imperatoris adventum, pro ut decebat, cum ingenti pompa & apparatu magnifico ſalutantes. hunc honorant propenſius, hunc benignis ſtipant obſequiis; ſingulis etiam Principum boves, oves, vinum, frumentum, & hordeum dividentes munifice, & mercatum omnibus miniſtrantes, omnimodum ſpondent Imperatori obſequium, adverſus quamlibet gentem, & maxime contra Conſtantinopolitanum Imperatorem, voluntarium offerentes auxilium, tàm de ſe, quàm de ipſorum conjuratis & amicis, *Kalopetro* ſcilicet & *Aſſamo* fratre illius, qui quoque partem *Bulgariæ* circa Danubium, & partes *Thraciæ* ſibi ſubjugatas virtute bellica obtinebant.

Suadent etiam, ſummopere cavendum eſſe à fermento Græcorum, & de manu ipſius Imperatoris quærunt recipere memoratam civitatem Niſſam cum illius compertinentiis, & totam aliam terram ipſorum, non metu Imperatoris Conſtantinopolitani, ſed ſolo Romani amore imperii, cui per hominium deſideranter ſubjici affectabant.

Ad hæc ſereniſſimus Imperator, ut amator pacis & fidei, ſollerter pro tempore & convenienter reſpondit, ſe, quia crucis geſtabat ſignaculum, contra Jeroſolymitanæ terræ invaſores velle inſurgere; nec veniſſe ad terram Chriſtianorum debellandam; ſi tamen per Græciam pacificum tranſitum poſſet obtinere. ſin autem, divino cooperante auxilio, viam ferro facturus erat ſibi & ſuis fratribus peregrinis. Apud Niſſam igitur ſex diebus continuis ad recreationem exercitus demoratus, præmiſſis gratiarum actionibus, de honore & commoditate percepta, præfatis comitibus valedixit.

Exercitus à Niſſa digrediens ordinatè, ſicut prius, & diviſus per agmina incedebat. Qui cùm jam per quorundam abrupta montium, & ima vallium, laborioſè tranſiret, reiteratis bellorum aſſultibus, acriter infeſtatur ab hoſtibus, qui jam pridem undique convenerant, necem & incommoda peregrinorum palàm & clanculo machinantes. Ibi ex noſtris (*o*) unus miles occiditur, multi vulnerantur ſagittis, nonnulli etiam currus in agmine *Patavienſis* Epiſcopi, & Ducis *Meraniæ*, militari abſente præſidio, ſpoliantur.

Inter hos bellorum tumultus accidit, ut cum hoſtium protervitas die quadam in peregrinorum agmen inſurgeret. Unus ex militibus noſtris graviter ægrotans, & nimium imbecillis, bajularetur in feretro, qui audito clamore bellico, & cominus viſis hoſtibus, velut ſibi reddita ſanitate, protinus lorica indutus, de ſtrato proſiliit, & uno ex illis viriliter proſtrato, cæterisque in fugam verſis, reverſus ad lectum, quem tàm audacem timor fecerat, infirmitate decubuit recidiva.

Noſtris deinde in quandam vallem aliquantum ſpacioſam ingreſſis, rurſum prædones tàm equites quàm pedites ex omni parte conveniunt, illos dieque noctuque irremediatis incommodis premunt; hos occidunt, illos ſauciant, & in quos prædandi facultas non datur, furtiva diſpendia moliuntur.

Ventum erat ad quandam nemoroſam vallem, & anguſtam, ubi hoſtes, inter quarundam fauces rupium, qua noſtri erant tranſituri, viam præcluſerunt muro, & denſitate nemorum exciſorum. Hac tamen Ungari & Boëmi cum manu armata, diruto murorum obſtaculo, præceſſerunt; hac quoque illuſtris Dux Sueviæ vi bellica tranſivit indemnis, niſi boves abductos à prædonibus amiſiſſet. Poſt hos quidam incaute nimium gradientes, inciderunt in manus hoſtium, à quibus ſpoliati ſunt, duobus ibi peremptis militibus, & aliis multis, qui currus minabant, lethaliter ſauciatis. Porrò accidit, ut dum eadem via *Bartholdus* inclytus Dux *Meraniæ* vellet tranſire, ecce hoſtium magnus valdè exercitus ab utroque latere aſſiliens, erumpit de montibus, quorum clamore terrifico totum nemus & concava montium echonizant, quibus undique nimis acriter inſtantibus, noſtrorum paucitas illorum multitudini jam ultra reſiſtere non valebat. Cum ipſe Dux haud ſegniter aſſumens proprium vexillum, ſuos jam quærere meditantes fugæ præſidium, ad pugnam revocat, & hortatur. Et velut trux aper fulmineo dente ſe ingerit mediis canum latratibus; ſic vir magnanimus audacter

(*n*) *Tageno Paſſavienſis, Decimo Kal. Auguſti venimus ad civitatem Niſſeam, ibi magnus Comes Servia, cum magno apparatu obvium nobis venit, quem dominus Imperator honeſte excepit, & multa cum eo pertractans, honeſta ei donaria dedit, ſicut & ipſe magna ab eo recepit. Similiter omnes Principes à prædicto Comite vino, medone, & animalibus multum honorati fuerunt.* CAN.

(*o*) *Tageno : honeſtus miles de Hals ibi occiſus, & ait acciſſe 3. Kalen. Aug.* CAN.

Digitized by Google

dacter in medios hoſtes viam ſibi ferro aperuit, quousque cedere compelluntur. Nostri reſumpta audacia ſui Ducis exemplo viriliter inſiſtentes, varia ſtrage hoſtes afficiunt; hos membratim truncant, illos de arboribus, quos deliteſcere fruſtra ſperabant, præcipitando in necem paratam excipiunt, & ad terrorem aliorum, ſecus viam in uno patibulo triginta ſuſpendunt. Qui autem præſidio fugæ potuerunt evadere, viſa ſuorum ſtrage, perterriti. & exinde illorum aliquandiu ceſſavit protervitas quouſque ſubſequens peregrinorum exercitus petranſivit.

SÆC. XII. ANNO 1194.

Cùm autem peregrini inde duorum dierum itinere proceſſiſſent, ingreſſi ſunt aliam vallem, in imo arctiſſimam, hinc inde montibus in altum porrectis, quam labore maximo tranſierunt. ubi quia quoddam agmen noſtrorum contigit vehementer infeſtari ab hoſtibus, qui deſuper inſultando in peregrinos deorſum mittebant lapides & ſagittas. Quid ergò facerent noſtri ſic undique intolerabiliter laceſſiti? eis nullatenus licebat procedere; retroire non poterant; ad hoſtes cominus bellando propter arduitatem montium attingere non valebant. Jam hæſitabant, jam currus meditabantur deſerere, utrum ſic interim fugiendo aliquatenus poſſent evadere, dum hoſtes ad tollenda ſpolia properarent. Tandem unus eorum ſpiritu fortitudinis animatus, fugam omnimodis dehortatur. Et inventis paucis, qui ſecum tanta audeant ſubire diſcrimina, collem alacriter aſcendit, & ſtricto ferro in medios hoſtes irruens, quoſdam necat, quoſdam mittit in præcipitium, ac demùm firmiter apprehenſo illorum duce & ſignifero, conluctantur ad invicem, ſicque conluctando per declivium montis usque ad imum vallis inſimul devolvuntur. Noſtri verò celeriter accurrentes duellum dirimunt, prædonem adjudicantes ſuſpendio, peregrinum de virtute audaciæ commendantes. Poſtquam autem pervenerunt ad urbem *Stralizion*, quam invenerunt à civibus derelictam; Imperator edixit, ut primi ultimos expectarent.

Tageno ab pervenisse tertio Idus Augusti.

Jam multos in exercitu cupiditatis morbus, licentia prædandi indulta ex neceſſitate, per avaritiam ultra metas Imperialis edicti nimium evagante. Quos *Herbipolenſis* Epiſcopus ad monitionem Imperatoris redarguit hoc ſermone exorſus:

Herbipolensis Episcopi abhortatio.

Pollutus eſt populus anathemate, non ero cum eis, niſi mundentur. Illud videlicet innuens & proponens de furto Jericontino Achan, propter quod peccatum unius univerſus populus dicitur corruiſſe, ubi etiam legitur Dominus dixiſſe: Anathema in medio tui eſt Iſrael, non poteris ſtare contra inimicos tuos. Poſt hæc rumor in caſtris inſonuit, innumerabilem Græcorum exercitum expectare in campeſtribus Græciæ, qui noſtris ad portas ſancti *Baſilii*, ubi erat ultima & firmiſſima clauſura *Bulgariæ*, parabat congreſſu bellico obviare. Exinde Græcorum fraudes jam evidenter pateſcere cœperunt. Imperator ergo in exercitu, quinque bellicas turmas inſtituit, ut ſi fortè hoſtes ſupervenire contingeret, noſtros paratiores & munitos ad bellum invenirent.

Joſue 7.

Prima ſiquidem acies fuit inclyti *Suevorum* Ducis, *Ratiſponenſis* Epiſcopi, & quatuor Comitum de *Bavaria*, cujus ſignifer *Bertoldus* Comes de Nuwenburc in Briſigaudia.

Secunda Boëmorum & Ungarorum, utraque gente ſuum habente ſigniferum.

Tertia *Bertholdi* Ducis Dalmatiæ ſive Meraniæ, & quinque Epiſcoporum Wirziburgenſis, ſeu Herbipolenſis, Laodicenſis, Baſilienſis, Patavienſis, Oſnabrugenſis, hujus vexillarius ipſe Dux & Popo Comes de Henniberc, Herbipolenſis Epiſcopi.

Quarta ipſius Imperatoris, in qua Tharentaſianus Archiepiſcopus, & Miſſinenſis Epiſcopus, Comes de Hollant cum germano ſuo, & reliquum robur militiæ computantur.

Quinta & major de armigeris & peditibus poſtmodum apud *Philippopolim* eſt inſtituta. His ita providè ordinatis, inde progreſſi, caſtra metati ſunt apud *Monochon*. Ibi tunc primùm ſupervenerunt *Petrus Tullenſis* Epiſcopus, & *Gobertus* de aſpero monte cum ſua militia, laborioſe per Bulgariam ſubſecuti; ubi & noſtrorum cadavera defunctorum nuper exhumata de tumulis, viderant ab arboribus dependere. O dira & inaudita vindictæ ſpecies! ô perſecutio monſtruoſa! Quid putas feciſſent, quorum ira, imò furor ſic deſævit in mortuos, ſi in vivos ulciſcendi locum & copiam habuiſſent? Hominem poſt fata perimere velle, crudele & veſanum.

Ad tranſitum verò præfatæ clauſuræ Dux à patre ſuo juſſus præcedere, quingentos milites loricatos elegit de præſtantioribus agminis ſui, quorum etiam ferreos equi habebant amictus. Sub tanto & tali Duce talis acies, talibus inſtructa armis, quorum ſplendor reverberat intuitum cernentis, ut quendam terrorem hoſtibus poſſit incute-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1194.

re, quasi ad bellum progreditur ordinata: quam ut viderunt Græci, qui fuerant præmissi ad *Portas* sancti *Basilii*, confestim timor & hebetudo mentis cecidit super illos. Et reversi quantocius divulgaverunt per universum exercitum Græcorum, indomitam & ferream *Alemanorum* Gentem in equis ferreis advenire, & esse tutius maturare fugam, quàm illorum terrificos expectare incursus.

His auditis exercitus valdè extimuit, & retro abiit festinanter, reversusque *Philippopolim*, civibus fugam indixit, denuncians adventum gentis *Almanicæ*, cujus fortitudini vis humana in bello obsistere non valebat. Interea nostri effractis omnibus & succensis clausurarum repagulis, cum armata manu libere transeuntes, ingressi sunt terram adjacentem * *Circuiz*, terram scilicet planam, fertilem & amœnam, ubi messis trituratæ, & uvæ, jam maturæ ad vindemiam & omnium bonorum copiam invenerunt. Deinde venerunt Philippopolim * nono Kalendas Septembris, ubi, antequam urbem ex præcepto sereniſſimi Imperatoris intrarent, aliquot diebus in castris extra mœnia commanserunt.

* *Tageno: Circuicen.*

* *Tageno ait 8. Kal. venisse.*

Epistola Imp. Graci.

Est autem Philippopolis urbs prædita & sublimis metropolis in capite *Macedoniæ* sita, ubertate glebæ & pingui territorio adjacentis Provinciæ circumquaque referta. Ibi Imperator de captione nunciorum suorum certificatus est, cui quidam *Pisanus* nomine *Jacob*, impetrata prius securitate, obtulit (*p*) litteras, hoc modo in ipso salutationis exordio Constantinopolitani Imperatoris fastum & arrogantiam exprimentes: (*q*) *Isachius* à *Deo constitutus Imperator Sacratissimus, Excellentissimus, Potentissimus, sublimis, moderator Romanorum, Angelus totius orbis, hæres coronæ magni Constantini*, dilecto fratri imperii sui maximo Principi Alemaniæ, gratiam suam & fraternam & puram dilectionem.

Et erat continentia literarum, ipsum de præsumptuoso Imperatoris & peregrinorum adventu in Græciam contra sui voluntatem Imperii plurimum indignari. Attamen, quia peregrini erant, si pacificum desiderabant transitum, & mercatum, exceptis nunciis, quos apud se detinebat, adhuc erat necesse prius sibi dari obsides, ipsum scilicet filium Imperatoris Ducem Sueviæ cum aliis sex de Episcopis & Principibus cæteris, quos mallet eligere inter omnes.

Sed nondum sciebat superbus & stolidissimus Imperator à quanto & quali principe ad ignominiam suam tàm superba & ardua requirebat. Multis enim non indigne cedit in contrarium, qui in superbia & abusione præcogitant & disponunt. Audito itaque literarum tenore, peregrinorum ira vehementer efferbuit in gentem Græcorum. Imperator verò licet de captione nunciorum suorum interno angeretur dolore, exterius tamen tàm vultu quàm sermone solitam modestiam exhibebat, & secundum illud Virgilianum:

Spem vultu simulat, premit alto corde dolorem.

Præfatus ergò nuncius sine responso pacis Constantinopolim remeavit.

Erat oppidum quoddam haud longè à Philippopoli in arduo montis situm, nomine *Scribention*, tàm naturali positione loci, quàm mœnibus turritis firmissime communitum. (*r*) Illud tamen ab *Henrico* de *Callendin* Imperialis curiæ Marschalco in primo assultu coactum est ad deditionem, cui tenendo Imperator militarem custodiam deputavit.

Interea relatu quorundam strenuo Suevorum Duci innotuit, Græcorum exercitum in propinquæ regionis confinio demorari, ad insidiandum nostris; si forte aliquos incaute contingeret in prædam exire. Dux igitur assumpto sibi agmine militari, ad illos nocturno tempore properavit. Qui in primo diei diluculo licet præmuniti fuissent, non tamen omnes terribilem nostrorum incursum potuerunt evadere. Perempto ibi signifero & aliis quinquaginta de populorum *Alanorum;* qui erant conductitii milites Imperatoris Græcorum. Sic hostibus inde exterritis, & acceptis spoliis terræ, Dux ovanter regreditur cum triumpho.

Paucis

(*p*) *Non mireris, cum Tageno ait literas Imp. Const. à Friderico acceptas* 12. *Kalen. Sept. Nam ex Godefridi annalib. patet ternos nuncios missos. Ibi* (*Philippoli*) *responsales regis Graeciæ, ait Godefr. ad eum venerunt, per quos ei demandavit, se salvum esse, & nihil aliud. Iterato per alios ei demandavit, se post Deum esse dominum dominantium. Tertiò ei demandavit, quod si regnum Romanorum dare vellet in manus ejus, & ab eo loco hominii recipere, conductum ei daret per terram suam, & mercatum sufficiens.* CAN.

(*q*) Obs. verum esse quod notat Tageno, nomen Friderici tanquam ignotum Imperatori Græco, in inscriptione Litterarum omissum fuisse. Isaacius autem Græcorum Imperator fuit ex vilissima prosapia; familia enim Angelorum penitus ignota antequam Alexius Comnenus filiam nuptum dedisset Constantino Angelo. Ipse autem Isaacius interempto Andronico Comneno an. 1185. proclamatus fuerat a plebe Imperator. BASN.

(*r*) *Henrici de Calendin* (*qua familia hodie de Bappenheim dicitur*) *fortitudo.* CAN.

Digitized by Google

Paucis diebus evolutis fama rursum advolat, apud urbem (s) *Veroi* nuper alium Græcorum exercitum convenisse, quem præfatus Dux & consanguineus ejus Dux *Meraniæ* in forti manu similiter adire disponunt. Græci verò intellecto nostrorum adventu, turmis ad prælium ordinatis de urbe exeunt, velut se facturos aliquid grande promittentes. Sed postquam agmina & arma nostrorum coruscantia cominus aspexerunt, protinus urbe relicta, stupidi velut oves ad incursus luporum diffugiunt ad montana. Nostri urbem introeunt cujus præda & spoliis ditati in equis & curribus victorioſe *Philippopolim* revertuntur. SÆC. XII. ANNO 1194.

Præter hæc in brevi temporis spacio nostri in manu forti obtinuerunt circiter decem oppida, duabus aliis civitatibus *Permis* scilicet & (t) *Brandevoi* ad deditionem coactis. Sic in conspectu gentis nostræ terra silente, incolæ supplicantes pro pace, mercatum promittunt, & sub tributo pace Imperatoris impetrata, & exercitus, revertuntur ad propria, promissionem fori satis fideliter adimplentes.

Jam numerositas curtuum in prædam egrediens, totam terram depopulando spoliis & victualibus onusta redibat. Oves & boves, insuper & pecora campi tot erant in exercitu, quod bos unus quinque denariis, & duobus vel tribus unus aries emebatur. Quicunque affectabant prædam, aurum, argentum, & pecuniam multam nimis de facili conquirebant. Præ multitudine spoliorum operosa tapetia, & serica indumenta nihili pendebantur. Providè, qui:

Luxuriant animi rebus plerunque secundis.

Luxus & superbia ex temporalium bonorum affluentia cœperunt in exercitu pullulare; juxta illud Rabani dictum; Plerumque subjectorum inflatur animus, dum in luxum superbiæ ipso potentiæ fagistio lenocinante corrumpitur.

In cunctis tamen vir modestissimus Imperator sollicitabatur plurimum, & super tàm tædiosa exilii prolongatione intra se anxius, nunciorum etiam suorum captioni misericorditer condolebat. Nec minus perfidus Imperator *Constantinopolitanus* interno metu & tædio tristabatur, sic videns, sui statum Imperii ruinosis distractionibus pessum ire.

Contigit ergò tandem hinc inde pace mittendis nunciis impetrata, alternas legationes intercurrere, ad bonum pacis & concordiæ reformandæ. Deinde memoratus *Jacobus*, & quidam Græcorum proceres accesserunt ad Imperatorem apud *Philippopolim* ad bonum reconciliationis, nunciorum liberationem & fædera promittentes. Sed fide non adhibita verbis eorum, inefficaciter redierunt. *De pace inter Imperatores agitur.*

Postmodum jam nostris desperantibus de pace reformanda, & de reditu nunciorum, ecce rumor præambulus, illos jam absolutos; ac *Cancellarium* quoque & alios quatuor Græcorum Principes, ratione dignitatis Græco vocabulo (u) *Sebaston* dictos, cum eis denunciat advenire. Quibus peregrini in festivo gaudio desideranter (x) occurrunt, gaudentes merito de receptione fratrum, qui quasi mortui fuerant, revixerunt, perierant & inventi sunt. O quanta gaudia, quàm jucunda fuerunt illis oscula! ubi ipse piissimus Imperator lacrymatus est præ gaudio, suorum tàm desiderabili exhilaratus adventu.

Græcis itaque conductis ad hospitium, coram Imperatore conticuere omnes intentique ora tenebant, Episcopo Monasterienſi suorum casuum & laborum seriem exponente. Post miserandorum verò & inexplicabilium malorum narrationem idem Episcopus subjunxit de perfidia Græcorum, de confœderatione scilicet Imperatoris *Isachii* cum *Saladino*, de prædicatione (y) Patriarchæ, quomodo Græcis injunxerat in remissionem peccatorum peregrinos occidere & delere de terra. Præterea de machinationibus fraudium, quomodo in transitu maris, quod dicitur brachium sancti *Georgii*, Græci terrestri & navali prælio peregrinorum delere exercitum intendebant;

(s) *Tageno Verea, leg. Beroe. Vide Ortelii thes. Geogr. verbo, Berrhoea.* CAN.

(t) *In apographo m.s. erat: Potest etiam legi, Brandeum.* CAN.

(u) *f. Sebastos. Quis Protosebastos, quis Sebastocrator, vide in Curopalata de officiis aulæ Constantinop.* CAN.

(x) *Tageno: plus quàm* 3000. *electissimorum militum cum lanceis & scutis, equos in gyrum vertentes crebro, sex pene miliaria nostris nunciis occurrerunt; ita ut Cancellarius Græcorum, & alii Græcorum optimates multum terrerentur, timebant, insidias sibi paratas fuisse. Quod cum audisset Dux Suevia & alii proceres, statim depositis scutis Græcos benigne exceperunt, dicebant, talem esse consuetudinem Teutonicorum, & factum fuisse ad latitiam & honorem excipiendorum, & gloriam Græcorum. Deinde nuncius Græcorum in hospitiis collocatis, nuncii nostri ad Imperatorem usque magno tripudio deducuntur, quibusdam cantantibus. Advenisti desiderabiles. Et etiam quibusdam cantantibus,* Hutte ist Herr din tach. *Dominus verò Imp. de domo sua exiens, in amplexus Episcopi & Comitis irruit, cum multis lacrymis eos suscepit, dicens: Gratias ago Deo, quia filii mei mortui fuerant, & revixerunt, perierant, & inventi sunt. Hæc Tageno, apud quem extat Epistola Friderici ad Luipoldum Austriæ Ducem, ubi dicitur, legatos venisse in festo S S. Simonis & Juda.* CAN.

(y) *Tageno: Græci Hæreticos nos appellant, clerici & monachi dictis & factis maxime nos persequuntur.* CAN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1194.

bant; qui etiam idcirco in Græcia moram noſtrorum in hyemis aſperitatem protraxerant, quando illos tranſituros ſperabant; ut vel ſic qui per eos bello domari non potuerant, in Romana, utpote terra frigida & ſterili, tabeſcentes fame & frigore deperirent. Græci noſtris has machinabantur inſidias; ſed fuſtrà jacitur rete ante oculos pennatorum.

Oratio Friderici ad legatos.

Poſtera die Cancellarius & ſui collegæ imperatorio ſe repræſentaverunt conſpectui, parati jurejurando in dolo confirmare pacis capitula, quæ jam pridem ipſo *Cancellario* procurante apud *Noeremberc* fuerant ordinata. Illos igitur verbis Imperator talibus affatur:

Sublimes viri (z) eſtis, & magni proceres, ſatis vos commendat honeſtatis opinio, ut juramento veſtro fides ſit adhibenda. „ Sed aquâ læſo fervidâ, frigida ſuſpecta „ habetur. Novit ipſe Cancellarius quis fecerit irritum quod apud *Noeremberc* jura„ mento firmavit. Quæ ab initio ſufficere potuiſſet ſacramenti ſecuritas, jam nobis „ minus ſufficiens, & incerta videtur. Per multa jam damna ſatis experimento di„ dici, quàm integra, quàm ſecura eſt pax Domini veſtri, qui indigni faſtus exhibi„ tione per literas jam ſæpius mihi gratiam ſuam demandavit. Sciat autem me nec „ ſua, nec ullius egere gratia, niſi ſolius Dei, & apud Deum bonorum hominum in„ terventu. Deſinat ergo. Vel de ipſo non fero æquanimiter, ſi tàm arroganter me „ præſumat de cætero ſalutare.

„ Anne ſcit Dominus veſter quis ſim? nondum forſitan me agnovit? Sum utique „ & dicor *Fridericus Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus*, à quadringentis an„ nis Romani ſceptrum imperii legitima & ſucceſſiva anteceſſorum meorum poſſeſſio„ ne mihi tranſmiſſum, tricennali poſſeſſione huc usque inconcuſſè tenui, & adhuc „ obtineo, nullo Principum reclamante. Quod qualiter propter deſidiam, & tar„ dum ſuccurſum cujusdam ex prædeceſſoribus Domini veſtri à Conſtantinopoli Ro„ mam tranſlatum ſit, teſtificantur illi, qui geſta Romanorum & Friderici ſeriem „ revolverunt. Non ergo *Romanorum*, ſed potius *Romaniorum* moderatorem ſe di„ cere debuiſſet.

His auditis Cancellarius & cæteri Græci exiſtimantes, jam ſibi carceris imminere ſupplicium, timuerunt valdè; & viſus eſt eis noviſſimus error pejor priore. Imperator verò metum illorum conſiderans, & notans palloris indicia, verbis prioribus hæc continuando adjecit.

„ Manifeſtum eſt omnibus, nec nos latet, in quantum Dominus veſter erga nos „ contra ſuæ debitum dignitatis exceſſit: nec tamen convenit, hoc in veſtrum re„ dundare diſpendium. Quia non eſt conſuetudo imperii; nec veſtrorum movemur „ exemplis; legatos aliquos læſionis injuria moleſtare. Unum tamen de fratre meo, „ Domino veſtro confido, ut antequam regni ſui fines egrediar, ad plenum reſtituat, „ quidquid adhuc de rebus & ſpoliis nunciorum meorum dignoſcitur detinere.

Hæc locuto Imperatore, Græci dixerunt; ſe non veniſſe inſtructos vel miſſos ad talia reſpondere. Sic indeterminato pacis negotio reverſi ſunt Conſtantinopolim, nihil aliud niſi rumorem diſſenſionis & minas bellorum annunciantes.

Interea coram Imperatore inter Principes habita deliberatione ſuper negotia & ſtatus exercitus; quidam ſuadebant hyemandum eſſe apud *Philippopolim;* præſertim quia jam tempus hyemale inſtabat, tempus ſcilicet movendis caſtris minime opportunum. Alii verò expeditius eſſe dicebant, dimiſſis in urbe cuſtodibus, ad aliam terram debellandam procedere, Græcorumque exercitum, & urbem *Adrianopolim* in manu forti adire: quorum ſententia demum placuit univerſis.

Tranſactis itaque ibi undecim hebdomadibus Imperator cum exercitu inde egreſſus eſt, quatuor Epiſcopis *Laodicenſi* ſcilicet, * *Monaſterienſi*, † *Patavienſi*, & * *Tullenſi*, & aliis multis remanentibus ad cuſtodiam civitatis. Deinde progreſſi caſtra metati ſunt apud *Glismon*, ubi bonorum omnium ubertatem, quæ humanæ vita ſunt neceſſaria repererunt, & feriati ſeptem diebus continuis, inde ad urbem (a) Coſtaution pervenerunt.

* *Hermanno.*
† *Theobaldo.*
* *Berchtoldo.*

Imperator verò qui nuper acceperat legationem regis *Ungariæ*, licentiam revertendi petentis Ungaris; neminem ferentem crucem in angaria curabat ultra ſecum ducere; ſciens utique, & attendens, quod coacta ſervitia Dominus non acceptet.

Rever-

(z) *Lege apud Tagenonem orationem Friderici.* Diverſa enim eſt ab ea quam hic refert Anonymus, quamque de ſuo forſan finxit: ſaltem Oratio quæ legitur apud Tagenonem Imperatori melius convenit quam illa in qua adagia neſcio quæ inſerit. BASN.

(a) *Lego Conſtantinam. Tageno. Anno* 1190. *pars illa exercitus noſtri, quæ hiemaverat apud Philippopolim, ſecuta eſt dominum Hadrianopolin verſus* 18. *Kal. Feb. Convenit Conſtantinam* 12. *Kal. Feb. venit ad Imp, Hadrianopolim* 8. *Id. Feb.* CAN.

Digitized by Google

Reverſus eſt ergò * Jabarenſis Epiſcopus, & omnes alii peregrini de Ungaria, præter paucos, ducentes turpe, referre pedem, & ab incepto itinere revocari. SÆC. XII.

Inter hæc rurſum nuncius quidam obtulit Imperatori litteras plenas faſtu & arrogantia, quarum tenor hic erat: *Conſtantinopolitanum* videlicet Imperatorem gaudere plurimum de adventu noſtrorum, quia ſic illos intra ſua retia, de quibus evolvi non poterant, detinebat, quod retroire vel procedere jam nequibant. ANNO 1194. *ſ. Javarenſis.

Fruſtra tamen ſperabat, magnanimum Imperatorem, videlicet his minarum tonitruis deterreri. Siquidem,

Extorquere minis dum ſic putat, ut timeatur.
Qui terret plus ipſe timet, trepiduſque minatur.

Porrò dum noſtri in manu potenti procederent, tota terra circumquaque urbium, oppidorum, & villarum incendiis relucente, Græcorum exercitus illos ſine mora fugiens anteibat. Quo veniente *Adrianopolim*, & nullam ibi expectationis moram facere jam audente, non immerito civium corda metu diffidentiæ quatiuntur. Tollentes igitur quæcunque ſecum ferre vel ducere potuerunt, protinus urbe relicta egreſſi ſunt; quorum pars *Conſtantinopolim*, pars verò ad urbem (*b*) *Dimothicon* fugiendo pervenit.

Urbs autem *Adrianopolis* à fundatore nomen accepit, urbs ſcilicet tàm loci amœnitate, quàm fertilitate adjacentis Provinciæ commendabilis & famoſa. Quæ licet à meridionali & occidentali plaga duorum fluminum amænis decurſibus ſit munita, exterius tamen murorum & turrium ſuarum jactitans firmitatem, intus etiam ſuperbire videtur altis palatiorum ædificiis inſignita. Hanc noſtri decimo Calendas Decembris ingreſſi, diſpoſuerunt ibi tranſigere tempus hyemale.

Illuſtris verò *Dux Suevorum*, ut audivit oppidum * *Dimothicon*, quod urbi imminebat, munitum & plenum eſſe rebellantibus *Græcis*, illuc aſſumpta ſibi militia feſtinavit, & ſtatim in circuitu ſitu munitionis explorato, licet ſibi inexpugnabilis videretur, de ſua tamen ſuorumque confiſus audacia, omnes ad bellicum animavit aſſultum. *Lg. Didymotichon. Graci vicli.

Omnibus ergò extra unanimiter, & undique ad impugnandum inſurgentibus, Græcis verò intus fortiter inſiſtentibus defenſioni murorum, tandem contigit *Hugonem Wormacienſem*, & ſigniferum Ducis primos audacia militari muros conſcendere, quibus cæteri ſtatim ſubveniunt, portis effractis viriliter irrumpentes. A quibus de militia Conſtantinopolitani Imperatoris, *Græci* cæteri, *Alani* mille & quingenti ſtrage miſera perimuntur.

Hac peracta belli victoria, quis ſpolia, quis opes referat in oppido & urbe acceptas? Interea militare agmen *Ratiſponenſis* Epiſcopi, quæ ad aliam urbem nomine *Probaton* debellandam exierat, illam obtinuit, in qua immenſam victualium copiam & ſpolia multa nimis accepit.

Præter hæc pincerna Imperatoris, & *Marchoardus Seneſcalcus* expugnaverunt oppidum *Nikiz*, unde Conſtantinopolitano Imperatori annua penſione tributum toxici mittebatur. Ibi ab incolis didicerunt in multis jam ſæpius locis latices, & ollas vinarias infectas fuiſſe toxico ad perniciem noſtrorum; quos tamen Deus ſuæ miſerationis antidoto conſervavit. al. Niriæ

Porrò quorundam exercitum, *Cumanorum* ſcilicet & *Græcorum*, qui armigeris peregrinorum inſidiantes, quotidie neci illorum invigilabant, contigit ab oppido vulgariter dicto *Manikava* rebellare. Illorum agmina die quodam egreſſa ad inſidias, noſtri viriliter propulerunt in fugam, quousque fugientia ſe infra oppidum receperunt.

Peregrini verò ſuorum cæde, ſed tamen modica laceſſiti acriter ad pugnam, vi bellica expugnaverunt; ubi de hoſtibus circiter quatuor millia tùm armis tùm incendio perierunt.

Deinde cùm *Fridericus* Suevorum Dux, & quædam peregrinorum agmina intraviſſent urbem *Archadiopolim*, contigit quosdam ex noſtris caſualiter ſupervenire, ubi erat quidam exercitus *Cumanorum*, & ſic inter eos bello acriter inchoato, rumor ad urbem devolat, peregrinos in prælio cum hoſtibus decertare. Dux igitur & ſui celeriter, equis velocibus inſidentes, noſtris parabant auxilium ſubvectare; cùm jam aliquot

(*b*) *Tageno Demotege, quod fuit egregium caſtrum circa maritima. Legendum eſt Didymotichon. Vide Cantacuzenum.* CAN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1194.

quot ex peregrinis, ſed multo pluribus de hoſtili agmine peremptis in prælio, *Cumani* vexillum Ducis eminus conſpicati, dimiſſa pugna ſtatim fugiunt, & noſtris inſtantibus, fugiendo, ſpolia multa, & trecentos equos de ſuis relinquere compelluntur, & unam mulierem in virili habitu armatam mirabiliter arte & exercitio ſagittandi edoctam.

Duce Adrianopolim reverſo, noſtris arridet bellorum proſperitas, *Græcis* dolor & trepidatio cumulatur.

Interea verò rerum copia ſic exuberante, ſuperfluitas noverca modeſtiæ, & otium fomes laſciviæ nonnullos abducebant à ſemita diſciplinæ. Quibus exinde procliviоribus ad inſolentiam jam effectis, prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum. Quorundam enim animos ſupra ſe extulit tumor elationis, nimis intra ſe de proſperis gloriantes.

Sic leviter faſtus alludit proſperitati.
Nec facilè eſt æqua commoda mente pati.

Sed juxta illud Salomonis dictum, Proſperitas ſtultorum perdet illos. Chriſtianiſſimus Imperator, velut alter Phinees zelum legis habens, in multos de transgreſſoribus iram effudit. Quidam enim propter graviora flagitia plectebantur capite, quidam in fornicatione deprehenſi, unà cum mulierculis denudati flagellis cæſi, & turpi expoſiti ludibrio vapulabant.

Dux autem interea ducebat honeſtius militaribus inſudare negotiis, cujus erat labor & otium primum caſtella & urbes finitimas expugnare, deinde potenter armata manu perquirere & ſcrutari ſtatum urbium, & terrarum in maritimis, quas deſolatas inveniebat, à facie illius fugientibus univerſis.

Inter hæc rurſum contigit legatos Græcorum ad Imperatorem accedere, dicentes, ſe veniſſe ad pacem procul dubio reformandam. Quibus ſecretum habentibus cum Imperatore colloquium, conſilio virorum prudentum tractatur de pace, & forma illius prius redacta in ſcripto, deinde in propatulo recitata. *Græci* ſolita tergiverſatione uti volentes, inficiati ſunt quædam capitula, quæ redintegrationi pacis videbantur plurimum expedire; & ſic caſſatis omnibus, magis cum denunciatione belli, quàm concordiæ revertuntur. Trepidat ergò tota urbs *Conſtantinopolitana*, jam ſuum excidium & exterminium ſuæ gentis exiſtimans imminere.

Dum hæc gererentur *apud Adrianopolim*, qui erant in urbe *Philippopoli*, jam circa remotiores partes terris & urbibus ſubjugatis, regionem *Gradniz* ingreſſi ſunt. Ubi quoniam in picturis templorum & ædium viderunt Græcorum imagines equitando peregrinorum cervicibus inſidere, totam terram præda & incendio vaſtaverunt.

Sic tempore effluente noſtris jam erat neceſſarium de ſtatu exercitus maturo & communi peregrinorum conſilio deliberare in dubiis quid expeditius videretur. Sed his qui erant apud *Adrianopolim* incertis de ſtatu aliorum in urbe Philippopoli exiſtentium, illi ſimiliter, quid iſtis contigiſſet, penitus ignorabant.

Dux igitur *Meraniæ*, & magnus Comes *Hollandiæ*, & *Fridericus* de *Berguen* cum trecentis electis militibus *Philippopolim* ab Imperatore mittuntur; ante quorum adventum quatuor milites, & quidam alii de noſtris, dimiſſis ad cuſtodiam ejusdem urbis, nuper in bello fuerant ab hoſtibus interempti. Dux verò *Meraniæ* in ultionem illorum ſtatim exſurgens, adverſus exercitum præfatorum hoſtium apud *Baccon*, ubi noſtros occiderant, ex eis in prælio trecentos peremit. Deinde univerſus exercitus, qui erat apud Philippopolim, urbe diruta, ne hoſtibus eſſet refugium, adivit *Adrianopolim*, ſicut ab Imperatore acceperat in mandatis.

Walachi. Interea *Kalopetrus*, qui cum *Aſſamo* fratre ſuo dominabatur populis *Blacorum*, miſit legationem *Adrianopolim*, diadema regni Græciæ de manu Imperatoris capiti ſuo rogans imponi, & adverſus Imperatorem *Conſtantinopolitanum* promittens ſe venturum illi in auxilium cum quadraginta millibus *Cumanorum*. Imperator verò illius petitioni amicabile & placens pro tempore dedit reſponſum. Quamvis alia cura & majori ſollicitudine propoſitum iter perficere moneret. Amplius namque deſiderabat partibus tranſmarinis ſuccurrere, & videre bona *Jeruſalem*, quàm in Græcia demorando alienum ſibi imperium vendicare.

Pax conficitur. Porrò Imperator Conſtantinopolitanus videns in deſolationem terræ omnia proditionum ſuarum molimina redundare, ſero pœnitentia ductus, rurſum pro pace legatos *Adrianopolim* deſtinavit: & quod pridem ſibi dari ad firmandam concordiam arrogan-

Digitized by Google

arroganter exegerat, jam à ſe recipi humiliter flagitabat. Legatis ergò proponentibus firmandæ pacis capitula, ſereniſſimus tamen Imperator nondum fidem adhibuit, ſed nuncios ſuos una cum illis direxit *Conſtantinopolim*, ad rei veritatem ſuper his plenius inquirendam. Cognita demum rei certitudine, paci finaliter tractandæ impenditur labor & opera. Revertuntur nuncii, condictæ pacis capitula reportantes in ſcripto, hæc ſcilicet: SÆC. XII. ANNO 1194.

Imperator *Conſtantinopolitanus* omne damnum in rapinis rerum, in deſtructionibus civitatum, in mortibus hominum, cunctamque ſibi injuriam inexplicabiliter illatam voluntariè pureque remiſit; & in tranſitu (c) *Gallipolis*, vel inter (d) *Siſton* & *Abidon* navium ſufficientiam exhibebit ad transfretationem glorioſi Imperatoris *Romeos* exercitus Chriſti; & forum rerum venalium.

Et ſuper promiſſorum fide ac certitudine habenda, obſides lectiſſimos de ſanguine regio quatuordecim, gratiaque ducatus Domino Imperatori *Iſachius* dabit Imperator filium fratris imperii ejus *Johannis*, Dominum *Andronicum*, & alios judices ſex, & de melioribus *Conſtantinopoleos* alios ſex, & Dominum *Michaelem* filium patrui ſui, & alios nobiles viros * quinque degant cum Imperatore, & ambulent cum eo, donec ſecure poſſit ambulare citra *Philadelphiam* civitatem, inde reverſuri ſine læſione. * al. qui.

De damno quoque quod receperunt apud *Conſtantinopolim* Epiſcopus *Monaſterienſis*, & Comes *Rubertus*, ſociique ipſorum, faciet Imperator Conſtantinopolitanus ſecundum voluntatem & conſilium victorioſiſſimi Romanorum Imperatoris.

Et ad hæc omnia conſervanda juraverunt intra templum ſanctiſſimæ Dei magnæ Eccleſiæ ad ſanctam *Sophiam*, præſente Patriarcha *Doſytheo*, quingenti viri ſublimiores civitatis & imperii.

Hujus itaque pacis capitulis perlectis, & approbatis in medio Doctorum, etiam ex noſtris, ad poſtulationem Conſtantinopolitani Imperatoris præſtiterunt juramentum concordiæ tenendæ, ſi erga ipſos inviolabiliter teneretur.

Sic pertractato pacis negotio, legati *Soldani* & *Melich* filii venerunt *Adrianopolim*, flexis genibus, & manu Imperatoris deoſculata, ſimulantes gaudium magnum valde in dolo, cauſabantur Græcorum perfidiam, à quibus fuerant & detenti. Sed malorum omnium, quæ in captione pertulerant, ſe oblitos dicebant; quandoquidem jam eis erat liberum tamdiu deſideratam Imperatoriæ Majeſtatis præſentiam intueri.

Poſt hæc adulatoriæ prælocutionis verba obtulerunt Epiſtolam *Soldani*, in qua ſe maximum Dominum *Turcorum*, *Armeniorum*, & *Syriorum*, nominans, & Imperatorem, quaſi affectuoſiſſime ſalutans, omnimodum ejus * filium ſolatium & auxilium contra hoſtes quoslibet promittebat. * forte: filiique.

O mira aſtutia, quæ ſic callebat ſub melle blandiloquii doloſæ mentis abſynthium occultare! Quis tàm cautus, quis tàm circumſpectus, ut tot inſidiarum tendiculas perpendere, tot proditionum laqueos indemnis valeat declinare? Imperator revera jam in terram ſcorpionum devenerat, quibus non eſt in facie, quod timorem incutiat, ſed pungunt à cauda. Legati ſiquidem ſecundum tenorem Epiſtolæ talia perſuadere cœperunt.

Epiſtola Soldani ad Fridericum.

„ Maxime & excellentiſſime Romanorum Imperator, ille tuus tibi ſpeciali amo-
„ ris fœdere colligatus, Magnus ſcilicet *Soldanus* & *Melich* filius ejus, tuum cum
„ maximo deſiderio præſtolantur adventum; cupientes de tua voluntate prænoſcere,
„ qua terras ipſorum ingreſſurus es, ut cum copioſa fori præparatione & magnifice
„ & jucundè veniant in occurſum. Qui inter eos diſcordiam belli ſeminaverat, me-
„ ritæ necis pœnas exſolvit; & ambo, ſicut illi accidit, optant omnibus hoſtibus
„ tuis evenire: tibi verò incolumitatem, & proſperam dierum longitudinem arridere;
„ ambo idem volunt, in idem conſentiunt; præſertim ad exhibenda tibi omnimoda
„ dilectionis & honoris obſequia ſcilicet invicem concordantes.

„ *Melich* patris ſui gratiam adeptus illius hæres verus & legitimus comprobatur.
„ A te igitur, quaſi hæreditario jure repoſcit & dignum eſt, ut deinceps illa antiqua
„ & ſpecialis amoris tui ſinceritas transfundatur in filium, quia patrem hactenus di-
„ lexiſti. Cùm regnum *Soldani*, quod tuum fiducialiter reputare potes, intraveris,
„ quaſi in propria terra & munitione conſtitutus ſecure & pacifice ambulabis; tota
„ terra

(c) *Lego: Callipolis. Tageno vocat Callipolin. Vide Ortelii theſ. geograph. v. Nicopolis.* CAN.

(d) *Lego: Seſton & Abydon. Vide de hoc maris tranſitu Joann. Leunclavii pandectas hiſt. Turcica cap.* 128. *ubi de brachio S. Georgii differit copioſe.* CAN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1194. „ terra ad tui ſpem exhilarata adventus intimo exardeſcit deſiderio te videndi. His verbis credulus Imperator nuncios receptos benigniſſime apud ſe tenuit. Sed malè & ad detrimentum ſervantis fovetur vipera in ſinu, ignis in gremio, mus in pera. Siquidem

Teſtor, & edico, quisquis ſe credit iniquo,
Jure datus venum, recipit pro melle venenum.

Porrò ne aliquorum inconſtantia diſcordiam & ſciſſuras mentium operetur, in exercitu Imperator attendens ſollicite, quia melior eſt obedientia quàm victimæ, ſacramentum ſubjectionis exegit ab omnibus: quod unanimiter & voluntariè cuncti præſtiterunt.

Et receptis obſidibus tertio Calendas Martii de præcepto Imperatoris omnes ab urbe *Adrianopoli*, in qua jam quatuordecim Hebdomadibus commanſerant, exierunt, & antequam pervenirent *Roſſam* civitatem, plurima incommoda in caſtris pertulerunt, nimio ſuperincumbente gelu, & inundantia pluviarum. Unde nonnulli ex vulgo Græcorum ſequentes mercatum, paſſim in exercitu & in campis deficientes frigore occumbebant. Quorundam etiam peregrinorum currus, una cum hominibus & jumentis, in tranſitu cujusdam rivi ſubita vi torrentis rapti ſunt & ſubmerſi.

Inde prætereuntes oppidum *Brachol* venerunt (*e*) Gallipolim, ubi dimiſſis curribus Dux *Suevorum* inprimis cum ſua militia transfretavit. Imperatori verò ad ultimum tranſeunti Græci ſolenniter applauſerunt, tota claſſe buccinis, tibiis, variiſque Muſicorum inſtrumentorum generibus reſonante.

Transfretat in Aſiam exercitus Friderici Ut autem univerſus transfretavit exercitus, omnes obſides, exceptis quinque, impetrata ab Imperatore licentia redierunt Conſtantinopolim. Sic omnibus per *Helleſpontiacum* mare tranſvectis de *Europa* in *Aſiam*, mox in *Romaniæ* partibus conſtituti, ingreſſi ſunt minorem *Aſiam*, olim diſtinctam duabus Provinciis, *Phrygia* ſcilicet & *Pamphylia*.

Et duorum dierum itinere promontana & ſylveſtria tranſeuntes, & veterem Trojam relinquentes à leva, die tertia ſecus fluvium (*f*) *Dyga* ante urbem *Spigaſt*, caſtra metati ſunt, ubi mercatum biduo receperunt. Deinde duobus itinerantes diebus, pervenerunt ad magnum fluvium *Avelonica* dictum, quem difficilem ad tranſeundum, & vix vadabilem invenerunt.

Haud procul inde Græci latrocinantes nuper quosdam de armigeris peregrinorum occiderant, inter quos peregrinus quidam natione *Suevus Ulmenſis*, civis germanum ſuum invenit, miſerabiliter interemptum. Unde nimio commotus dolore, cum ad inquirenda prædonum veſtigia ſecum aſſumptis decem viris armatis, circumquaque nemorum abdita exploraſſet, aſpexit decem ex hoſtibus. Sed locus in quo ſe receperant, palude undique ſtagnante, inacceſſibilis videbatur. Sociis ergo reditum ad caſtra ſuadentibus, ait ille, cui dolor de nece fraterna audaciam ſuggerebat, Expectate paululum, & ego vado requirere de manibus iſtorum ſanguinem fratris mei. Sic locutus continuo miſit ſe in lacum.

Ulmenſis fortitudo. Cùm autem nando ripam oppoſitam attigiſſet, ſolus decem adire non veritus, in illos fortem exercuit dextram, & ſtricto mucrone ſuper hoſtes ictus ictibus inculcare non deſiit, quousque novem illorum proſtratis, decimum in fugam propulit, qui viſa ſtrage ſuorum ſociorum exterritus fugiendo in gurgitem ſe conjecit. Sic peregrinus hoſtibus peremptis victor ad ſocios remeavit.

Sic rediens tantæ virtutis adeptus honorem,
Funereum peragit fratris de funere morem,
Dum de fratre dolet, doleat licet interiorem,
Solatur tamen & munit vindicta dolorem.

Poſtquam peregrini à flumine *Avelonica* iter moverunt inter oppidum *Ypomenon*, & civitatem *Archangelon*, ad caſtra, tranſeuntes calamos per terram montuoſam & ſylveſtrem, ad urbem *Thyatiram* devenerunt.

Græco-

(*e*) *Leg. Callipolin. In margine m. ſ. undenis demptis annis de mille ducentis, eſt Chriſtus natus, tranſit mare rex Fridericus, qui duo verſus ſunt apud Ottonem de S. Blaſio cap. 32. hoc modo: Annis undenis demptis de mille ducentis, Chriſtus ut eſt natus, tranſit mare rex Fridericus.* CAN.

(*f*) *Tegano: 4. Non. Apr. tranſivimus Digam fluvium, ſequenti die Anelonicam.* CAN.

Digitized by Google

Græcorum verò latrunculi & prædones noſtros aſſiduis moleſtabant inſidiis. Sed *Ultricus* Comes de *Kiburc*, *Fridericus* de *Berguen*, & multi alii militari ſtrenuitate proni ad vindictam quotidie ſtrage miſera illorum audaciam retundebant. *Conradus* quoque Comes de *Doremberc* cum ſuis, die quadam præmiſſis, viarum tranſitus explorare, vidit in introitu cujusdam vallis tentoria prædonum, qui venerant peregrinis machinari inſidias. Noſtris itaque cum clamore bellico impetuoſum curſum equorum illuc dirigentibus, prædones ad cœnam jam diſcumbentes repente exterriti fugiendo de tabernaculis equos, ſpolia, vaſa argentea reliquerunt. Quibus acceptis *Conradus* & ſui cum gaudio redierunt ad caſtra.

SÆC. XII. ANNO 1194.

Deinde noſtri per diruta Meleos tranſeuntes venerunt ad urbem dictam * Agios, ubi *Cosmas* & *Damianus* fuerunt martyrio coronati. Et procedentes ad aliam urbem, quæ vocatur *Sardis;* Inde etiam digreſſi ad urbem *Philadelphiam* acceſſerunt. Ibi culpa noſtrorum, qui ante portas civitatis ſegetes nimis damnoſe & inclementer ſecabant, & mercatum enormiter requirebant, inter ipſos & cives rixam contigit exoriri. Qua de cauſa quidam ex noſtris, ſed multo plures de civibus vulnerati & perempti.

* leg. Ægeä.

Philadelphiam accedit.

Quidam ergò Imperatori ſuadebant, ut civitas expugnaretur, quod ſapientiores ob Eccleſiarum & ſacrorum reverentiam, omninò dehortabantur; præſertim quia locus ille ſolus in illis partibus ab incurſibus *Turcorum*, *Chriſtianis* erat refugium & tutamen. Dux verò qui præerat civitati, humilitatem ſatisfactionis exhibens Imperatori, ſacramento ſe & cives de culpa diſſenſionis penitus excuſavit. Cùm Imperator dimiſſis à ſe Græcorum obſidibus, receſſit à *Philadelphia*, quingenti equites inde poſt illum egreſſi, temerè inſecuti ſunt exercitum in aſcenſu montium circa *Hierapolin* à *Turcis* dirutam; ubi paſſus eſt beatus *Philippus*. Imperator autem & alii qui cum eo retro exercitus gerebant cuſtodiam, hoſtes ſupervenientes viriliter exceperunt, & de illis pluribus interfectis, alii victi & diſperſi in fugam, *Philadelphiam* cum detrimento & dedecore coacti ſunt remeare. Multos enim peſſumdat & deprimit, quod injurias ſuas acerbius ulciſci contendunt.

Hierapolim.

Sic noſtri potiti victoria prætereuntes *Hierapolin Laodiciam* venerunt; ubi quoniam intraturi erant deſerta & ſylveſtria *Turkiæ*, feriati ſunt propter forum. Deinde invenerunt eos mala, & viginti diebus continuis inremeabiliter vexati ſunt à tribulatione malorum & dolore, ex quo ingreſſi ſunt terram horroris & ſalſuginis, terram ſiccam, ſterilem, inamænam. Prima ſiquidem die inveniebant ſecus viam tabernacula *Turcorum* & pecora. Sed Imperator fruſtra ſperans bona de *Soldano* edixerat, ne aliquis diriperet res illorum, ſicque via nimis prolixia gradientes, nec invenientes gramen ad refocillationem animalium, vix pervenerunt ad locum ubi propter graminis & alimentorum penuriam jumentis labore & fame deficientibus, multi equites in brevi pedites effecti cœperunt miſeriarum & caſus & labores inſolitos experiri.

Laodiceam veniunt.

Eſt autem conſuetudo incolarum illius terræ, qui *Sylveſtris Turci* ſive *Bedebbini* dicuntur, carere domibus, & omni tempore degendo in tabernaculis, de paſcuis ad paſcua ſe transferre cum gregibus & armentis. Hi ſemper in armis ad bella proni ſunt & accincti, horum innumera multitudine jam contra peregrinos ad bellum undique confluente, noſtri deinceps ipſo neceſſitatis articulo edocentur propriæ defenſione viriliter inſudare.

Turci Sylveſtres Bedebbini.

Turci primùm paulatim ſe oſtentantes, & emergentes de montibus, mox undique catervatim conveniunt, quaſi cum noſtris bellorum præludia incepturi. Nec mora cum accedentes propius inſurgerent in aciem, quæ retro tuebatur exercitum, decem ex illis, qui equis præſtantioribus inſidentes animoſiores cæteris videbantur, à noſtris intercepti, celeri nece, diſſenſionis & bellorum primitias exſolverunt. Sic noſtri procedentes ſecus fluvium quendam caſtra metati ſunt, ubi ad refocillationem equorum & jumentorum modicum graminis invenerunt.

Die poſtera illuceſcente, innumerabiles Turcorum Phalanges in quodam colle ſecus viam, qua noſtri erant tranſituri, conveniunt, ſuo more belli incitamenta, buccinarum & tympanorum ſonitu inchoantes. Nonnulli etiam inprimis aciem pone ſequentem ad bellum provocant. Quibus Imperator parans inſidias, jam collectis omnibus aliorum tentoriis, in ſuo nondum detenſo milites armatos abſcondit, & in circuitu ignem mitti præcepit, ut ſic tenebroſitate fumi intus latentes inſidiæ celarentur. Cum autem exercitus inde paululum proceſſiſſet, Turci videntes tentorium illud, metu & ſocordia noſtrorum exiſtimabant derelictum. Quò dum accurrerent, quaſi ad diripienda ſpolia feſtinantes, noſtri haud ſegniter erumpunt de inſidiis, & il-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1194.

los * non modica cæde bellando afficiunt; extrema ipsius peregrinorum acie festinanter in auxilium revertente.

Cætera verò Turcorum agmina jam acriter cum exercitu præcedente inceperant decertare. Sed tamen fortius nostris insistentibus cedunt. *Turci* collem quem occupaverant, secus viam coguntur deferere, quingentis suorum strage misera ibidem peremptis. O mira nefandæ gentis atrocitas! quæ armis propriis equos proprios, ne in usus nostrorum cederent, eviscerabat, cum exspes vitæ jam videbat fugæ divortia sibi ulterius non prodesse. Quin jam semineces, & lapsi proprio palpitabant in sanguine, saxa & cespitem, ut in nostros jacerent, avellebant de terra.

** Tageno: occisos 300. ait.*

Turci fugantur.

Videntes autem nuncii *Soldani*, qui adhuc erant apud Imperatorem, hanc suorum stragem, turbati sunt valdè; sed dolum & dolorem intrinsecum simulatione gaudii palliabant, dicentes: Gens ista, gens odiosa, sylvestris, indomita, & effrena, nullius est subdita ditioni; hi sunt prædones, qui soliti devastare terras transfinitimas, ipsum etiam *Soldanum* inquietare non verentur bellis frequentibus & rapinis. O quanto jam gaudio fluctuaret animus *Soldani*, si sciret hoc eis infortunium accidisse!

Post hujus belli triumphum exercitus præterivit *Susopolim*, & cum duorum dierum itinere ambulasset per regionem ab omni amœnitate vacuam & immunem, rursum innumera agmina *Turcorum* ad bellum conveniunt; quia nostri erant inter quendam lacum, & montes contiguos transituri. Jumentis ergò cum sarcinis & vulgo debiliore in medio constitutis; Imperatore verò cum suis retro tutelam exercitus procurante, acies Ducis prima fervens studio militandi, ad tentanda belli imminentis discrimina antecedit.

Facta itaque irruptione bellica in hostes, & ex illis protinus quadringentis occumbentibus, sic alii omnes terga fugæ dedere, ut quasi ex densitate fugientium tota ipsorum montium superficies videretur nutare. Ibi de spoliis victorum nostri libentius tulerunt panem, hordeum, & farinam, quia jam nimis in exercitu victualia rarescebant. Progredientes itaque cum triumpho secus præfatum lacum tentoria defixerunt.

Jam apud Imperatorem bona spes de *Soldano* pridem habita titubabat, & exercitus Christi ductore gnaro viarum carebat. Quid ergò nostri facerent, sic in arcto positi? nisi ille, qui sperantes in se non deserit, opportunum & maturum eis solatium providisset.

Dum in tanta perturbatione sic corda illorum titubantia tristarentur, ecce nutu divino unus ex hostibus, qui nuper in manus nostrorum inciderat, vinctus adducitur, quem ante se jussum adduci sic alloquitur Imperator: „ Quoniam ut ipse vides, tua „ vita in nostro consistit arbitrio, si teipsum cupis à morte redimere, expedit, ut de „ his locis desertis & inviis via compendiosiore ad *Turciæ* campestria nos educas, „ alioquin gladius imminet tuo capiti, ut de medio tollaris. Ad hæc *Turcus* fertur „ hujusmodi dedisse responsum: Nemo tàm prodigus vitæ, ut libenter, si potest, „ imminentis mortis laqueum non evadat. Ego utique nihil adhuc reputans mihi „ dulcius vita, sub illius obtentu, si mihi adquiescitis, salutare vobis consilium „ exhibebo. Noveritis ergò quod si hac via, quæ ad dexteram, inceditis, profecto mors & proditio vos manet inevitabilis, quia terram intrabitis sterilem, inaquosam, & inviam; ubi etiam ad præclusos transitus infinita *Turcorum* millia vos „ expectant.

Turca dux itineris.

Verum si sano adquiescere vultis consilio, me duce ad levam declinabitis, quam viam utique invenietis difficilem, sed securam & ante crastinam noctem in campestribus *Turciæ* vos constituam, ubi & aquæ sufficientia vobis non deerit, & deinceps plano itinere de urbibus ad urbes usque *Iconium* per terram opimam poteritis ambulare. Sic *Turcus* ferrea catena sibi ad collum nexa, ducatum exercitus sub obtentu capitis recepit, & nostri illo prævio subsequentes eodem die repererunt in montibus armenta & greges *Turcorum*, unde opportunum levamen suæ necessitatis & indigentiæ perceperunt. Quibus de vertice montium ante se ad ima speculantibus, mox sub eis spaciosa terræ amplitudo cœpit se illorum visibus explicare. Unde admodum gavisi sunt, adhuc tàm laborioši descensus pericula ignorantes. Siquidem in descensu montium nimis difficili, eo die nonnullos equos, & plurima jumenta cum sarcinis & victualibus lapsa in præcipitium amiserunt.

Prælium cum Turcis.

Imperator verò interim retro more solito pro tutela exercitus portans pondus diei & æstus, quod via superiore descendens per abrupta montium hostes arcebat à læsione exercitus, qui descendendo sub rupibus pertransibat. Cùm autem ad repellendos

Digitized by Google

lendos intolerabiles hoſtium aſſultus jam ſibi incumberet neceſſitas petendi ſuccurſum, Duci filio ſuo celeriter nunciavit, ſe nimis graviter infeſtari à *Turcis* retro inſurgentibus, qui ipſum intolerabiliter premebant lapidibus & ſagittis. SÆC. XII. ANNO

Nec mora filio reverſo, & prono in auxilium patris, pugnatur acriter, ubi de noſtris quibusdam ſauciis, & perempto uno milite, ipſe Dux ſibi ab hoſtibus fracto uno dentium vulneratur. Quam ob rem mox tàm ipſius Ducis quàm aliorum ira incanduit ad bellum; ſicque noſtris prævalentibus cedunt hoſtes, & ſexaginta de fortiſſimis illorum in bello cadentibus, cæteri compelluntur ad fugam. 1194.

Ut autem Imperator & Dux ſic triumphantes, ad exercitum deſcenderunt, depoſitis armis pater filii vulnus aſpiciens, illum ſic allocutus eſt ſubridendo; „ Hujus „ cicatrix vulneris, fili, in te de cætero erit virtutis & militiæ favorabile inter„ ſignum, quod te jam Deo militaſſe indicat & teſtatur. Equidem bellatoris eſt „ ſtrenui dimicando ferire fortiter & feriri; ſed miles delicatus & ignavus in „ hoc certamine, & apud Deum ſtipendiis, & apud homines laude ſtatuit ſe in„ dignum.

Porrò exercitus turmis rurſus ad pugnam de more bellantium ordinatis, inde profectus eſt quatuor diebus continuis, antequam veniret ad urbem *Philomenam*, ſic bellando cum hoſtibus, & ex eis plurimos occidendo.

Inter hos quotidianos bellorum ſtrepitus die quadam accidit, ut dum noſtri *Turcos* in fugam propellerent, equus cui inſidebat *Fridericus* de *Huſen*, omine ſiniſtro corrueret inter hoſtes, unde, proh dolor, quia miles ſtrenuus & famoſus, lapſus in mortem, nequivit reſurgere; merito ille caſus lacrymabilis totum exercitum conturbavit.

Deinde qui erant majores inter *Turcos*, cùm viderent noſtros ſic intrepidos propriæ defenſioni conſtanter inſiſtere, Imperatoris tentantes conſtantiam, illum verbis per internuncium convenerunt: „ Quoniam ſtipendarii milites ſumus, ſi „ vis nos ab infeſtatione tua deſiſtere, cum malle debeas partem pecuniæ tuæ „ nobis dividere, quàm totam vi amittere, expedit tibi, ut de illa nobis munificè „ largiaris.

„ Ad hæc magnanimus Imperator ſic ironicè fertur reſpondiſſe; Quandoquidem „ pacem veſtram pretio oportet nos conducere, de noſtro vobis omnibus largiemur „ unum argenteum, ita ſcilicet, ut inter vos æqualiter dividatur. Hæc audientes Turci, vehementer admirati ſunt de magnanimitate illius, qui ad ſtrepitus tot bellorum cedere & flecti neſcius, cum ſua gente tàm bellicoſa & inſuperabili quotidiè ſic ordinatè & triumphaliter incedebat.

Præter hæc nuncii *Soldani*, qui adhuc comitabantur exercitum, quærentes in dolo occaſionem, qua ab Imperatore poſſent recedere, dixerunt ad illum; „ Si ſedeat „ Majeſtati; nos, operam daturi eis, quæ ad pacem, comitante uno ex militi„ bus tuis ibimus ad *Admiraldum Philomenæ*, quatenus illo jubente ſive com„ pellente, gens iſta ferina & fœtida, quæ ſic nos quotidiè infeſtat, ad propria „ revertatur.

Imperatore igitur huic doloſæ annuente ſuaſioni, nuncii *Philomenam* ingreſſi ſunt, ubi retento Imperatoris nuncio, mox ad illum miſerunt, & mentientes ſe à *Turcis* detineri in captione, quæ apud eum de rebus ſuis diviſerant, repoſcebant. Et licet fraus illorum per hoc evidenter pateſceret, Imperator tamen nihil ſibi de rebus eorum voluit ſibi retineri.

Ut autem exercitus appropinquabat urbi, infinita item hoſtium multitudo jam noſtros fame & inedia confectos exiſtimans, in illos protervius ſolito inſurrexit; & jam veluti certa de triumpho ſpolia parabat accipere, cùm *Ultricus* de *Lucelenhart*, & alii ſtrenui bellatores exercitus, hoſtiles turmas viriliter repulerunt à caſtris; Sicque noſtri ab occaſu ſolis totam ferè noctem duxerunt inſomnem intra urbem, & extra, vacantes cædi hoſtium, quo usque ex illis circiter quinque millia proſtraverunt.

Quibus inde profectis rurſum *Turci* innumerabiles, barbaris circumquaque perſtridentes clamoribus, & ad pugnam acriores ſolito, denſatis agminibus incedebant. Quantò enim plures cadebant in prælio, tantò major illis numerus quotidiè novis ſupervenientibus videbatur accreſcere, velut Hydra reddito ſibi fœcundior damno capitum abſciſſorum.

Edicto *Soldani Turci*, quorum infinitus erat numerus à facie noſtrorum victualia terræ abſconderant, vel longè ad abdita ſylvarum & montium aſportaverant

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1194.

rant & gentis noſtræ paucitas, quæ non ſufficiebat diviſioni, ad illa quærenda ſecedere non valebat, ab hoſtibusque obſeſſa tàm graviter, ut nec modicum graminis ad refocillationem equorum ſine quotidiana decertatione poſſet accipere prope caſtra.

Ad laborum itaque & miſeriarum cumulum jam apud noſtros famis invaleſcebat anguſtia, quæ ad eſum carnis equinæ ſive aſininæ magnos etiam viros & nobiles compellebat. Quippe bos unus duodecim marcis; & quinque ſolidis immò pluris modicus panis emebatur; nec ſibi emptor prodigus videbatur, cùm magis de nimia ciborum venalium raritate, quàm de immodica ſolvendi pretii quantitate doleret. Sic ventri famelico res, licet magni empta, parvo conſtare videbatur, unde famis remedia ſentiuntur.

Heu quid non cogit rabies famis imperioſæ!
Quanta nefanda jubet vis peſtis perniciosæ,
Cum nimis eſuriat jejunans impatienter?
Nil ſibi turpe putat ſuadens immania venter.

Siquidem nonnulli ex noſtris tàm famis, quàm bellorum anguſtiati incommodis coacti ſunt apoſtatare, ſeipſos hoſtium ſervituti miſerè mancipantes. Sed melius temporali necis ſupplicio libertatem ſibi perpetuam acquirebant, qui fame, ſive corporis imbecillitate feſſi, nec jam ulterius valentes procedere, res ſuas dividebant cæteris ad bella fortioribus ut ſtando pro fide fortiter dimicarent. Mox in formam *Crucis* ſolo proſtrati, ſic ſeipſos martyrio, tranſeunti exercitui exponebant.

Quàm feliciter perſeverat, ſic ſeipſum offerens in ſacrificium, cujus conſtantiam timor necis à ſoliditate fidei non avellit.

Quàm benè pro Chriſto pugil in certamine fortis
Dimicat, & ſuperat ſic guſtans pocula mortis.
Perpetis hic vitæ cupiens attingere portum,
Lætus obit, gaudetque mori feſtinus ad ortum.

Inter has tribulationes noſtri fortiter & miſerabiliter agonizando cum hoſtibus, pervenerunt ad fluvium quendam, ubi vicini lacus gurgitem influebat. Quibus rurſum inde caſtra moventibus, Dux cum ſuis videns exercitui pone ſequenti grave & importabile bellum à tergo incumbere, convertit ſe ad aciem patris ſui, & ſimul cum illa reflexis loris rurſum equorum, ad hoſtes accelerans, agmina Turcorum irruptione bellica penetravit.

De quibus centum ilico proſtratis, nonnullis quoque è noſtris fugam illorum à terra prævenientibus, metu mortis mortem in gurgite incurrerunt. Haud procul inde mons quidam in media camporum latitudine ſitus verticem porrigebat in altum, ſub quo interea pars anterior exercitus jam tranſibat. Quæ deſuper laceſſita ab hoſtibus, mox colle alaciter aſcenſo, & undique à noſtris celeriter occupato bellando plurimos interfecit, Sic propter duplicis laborem victoriæ, noſtri ea die non longo itinere proceſſerunt.

Inde rurſum aliquot diebus inter bella, aſſuetis viæ laboribus inſiſtentes, ſacrato die *Pentecoſtes* in loco ſterili, & nudo paſcuis caſtra poſuerunt, ſic ipſius neceſſitatis articulo compellente. Rumor enim certus præconabatur * *Melich* cum (*g*) d. millibus equitum appropinquantem ad prælium noſtris velle in craſtino obviare.

* *Tageno: Melach.*

Ad edictum igitur imperiale, unius, ſed electi proceres & bellatores exercitus, convocati ſimul in unum coram Imperatore in forti, ſed miſerando habitu conſederunt. Quippe qui prius delicatè & ſplendidè viventes, ad tàm ſacratæ diei ſolennia præfomentari balneis, & mollibus veſtiri conſueverant; modo longis attriti jejuniis, in ſqualore, & armorum ferrugine, aſperioris vitæ incommoda ſentiebant; & ex eis multi facti pedites incedebant quotidiè loricati, unde nimirum mala inaſſueta illos vexare durius videbantur. Siquidem

Cui

(*g*) *An legendum, quingentis, an ducentis, an duobus? Tageno ait, Turcas innumerabiles veniſſe. Cerè paulo poſt numerantur his quadringenta millia Turcorum.* CAN.

Digitized by Google

Cui venit in morem consuetum ferre laborem,
Fert tolerabilius jam tolerata prius.

(*h*) *Herbipolensis* verò Episcopus stans in medio illorum, indicto omnibus silentio sic fari incepit: *Episcopi Herbipolensis adhortatio.*

„ De commonitorio vestræ salutis aliqua vobis dicere & veneranda diei solennitas, „ & ipsa ingruens nobis necessitas me compellit. Ante adventum spiritus sancti, „ quem hodierna repræsentat festivitas, discipulorum corda nondum confirmata, ad- „ huc sub perfectæ charitatis ignorantia titubabant. Accepta verò illius consolatio- „ ne, mox igne divini amoris ita accensa sunt, ut etiam pro nomine Christi diversa „ pœnarum & mortis pati genera non timerent. Hinc illorum passionibus adulta „ crevit Ecclesia; hinc prima & novella Christianitatis plantatio surrexit; postmo- „ dum sanctorum *Martyrum* latius propagata exemplis. Nos autem, fratres charissi- „ mi, sicut videmus, quotidiè pro Christo in agone mortis & martyrio desudamus; „ pro quo si morimur, & benè erit nobis, vitam acquirendo perpetuam, & mor- „ te nostra titulus Christianitatis poterit exaltari. Aliter enim fides nostra non „ accepisset incrementum, nisi, ut præmissum est, sanctorum exemplis Martyrum „ niteretur.

„ Faciamus itaque hoc tempus nobis pœnitentiale, nec in tabernaculis cordium „ murmuremus contra Dominum. Pro illo potius ista patienter incommoda susti- „ nentes. Teste etenim beato *Gregorio*, vera patientia, quæ & ipsum amat quod „ portat. Nam tolerare, sed odisse, non est virtus mansuetudinis, sed velamentum „ furoris. Proinde sic jam in arcto positi, necesse habemus propter peccata nostra „ recogitare annos nostros in amaritudine animæ nostræ, ut in vera pœnitentia & „ confessione nosmetipsos ei pro quo hæc pati elegimus, placentem hostiam exhibere „ possimus. Ita pro certo idem Consolator Spiritus, cujus adventus hodiè recolitur, „ erit nobis adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis.

Confortamini ergò, orantes beatum (*i*) *Georgium*, ut ipsius interventu labores nostros respiciat, nec vos deserat in tempore malo Dominus Deus vester.

Nonne in sacra legitur scriptura, unum mille, & duos decem millia fugavisse? Fiduciam habete in Domino. Nam in brachio virtutis ejus hæc facta sunt. Nec vos pigeat laboris, in brevi per illius misericordiam gratius desideratæ quietis solatium habituri. Siquidem

Post mala dulcescit magis usus deliciarum,
Dulce sapit melius, si prægustetur amarum.
Sic optata salus post hæc mala nostra levabit
Omnia. Forsitan hæc olim meminisse juvabit.

His dictis ipse quoque constantissimus Imperator omnes animabat, & exhortabatur ad pugnam. Mox omnes simul una voce cantum bellicum extulerunt de more Alemannico, & reversi ad tentoria, discumbendo ad mensas tenues, citra saturitatem, & nimis exiliter cœnaverunt.

Mane facto celebratis *Missarum Solenniis* singuli acceperunt (*k*) *Viaticum*, & quoniam præter expectationem majoris belli ante imminentis, hostes undique solitos attentabant assultus, totus exercitus in formam trianguli per tres equitum acies ordinatur, primæ gubernandæ duo præficiuntur Episcopi, *Monasterienſis* scilicet & *Herbipolensis*.

Secundam retro dextris moderatur *Imperator*. Dux regit tertiam à sinistris. Inter has vulgus imbelle ab utroque latere stipatum militibus & peditibus incedit; balistariis & sagittaris opportunè ad defensionem exterius constitutis.

Interea vir quidam magnus in exercitu *Melich*, brachium unius *Turci*, quod nuper invenerat cum lorica truncatum, Domino sui *Melich* obtulit, hæc dicens ad illum: *Melich aciem instruit.*
„ Non sunt imbelles dextræ, non enses obtusi, qui sic hominem loricatum demem- „ brant. Non est tutum tali genti talibus armis instructæ cominus in bello occurrere.

„ Non

(*h*) *Godefrid. vocabatur Herbip. Ep.* CAN.
(*i*) *Tageno: inspiravit in corda Episcoporum, & ipsi populum excitarunt, & hortati sunt ad implorandum Deum, & S. Georgium.* CAN.
(*k*) *Sacrum communionem intelligit, sicut & de alio die dit Tageno: audita sacra missa, communione accepta.* CAN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1194.

„ Non eſt leve tam fortes milites, tam edoctos armorum uſibus, armis in prælio ſu-
„ perari.
„ Præterea non modicum terroris poteſt incutere, illa *terribilis Candidatorum*
„ *Acies*, quoniam & armis ejusdem coloris ſic procedens videtur ad prælium expedi-
„ ta. Nam ubi tot ſimiles, quot putes eſſe alios diverſi coloris, voluntate & animo
„ bellandi conformes? Facilius, crede mihi, ex dilatione belli victoria nobis indem-
„ nis proveniet; & gens iſta ferrea ferro indomabilis, levius ſine bello domabitur;
„ vincetur fame, & in brevi deficiet & tabeſcet.

De hac viſione paulò poſt plura.

Poſt hæc verba *Melich* nihilominus in ſua confidens virtute & multitudine, noſtris vi bellica obviare parabat. Illi è contra propinquabant ordinatè, more bellantium, & cantu bellico divinum implorantes auxilium, jam animati & velut obliti famis & laborum, pugnam deſiderio ferventi gliſcebant. *Melich* verò, ut primam noſtrorum aciem ſic vidit intrepidè accedentem, & jam cominus parantem dextras bellicoſas ad pugnam exerere; mox cum tota fortitudine ſua cedens ad aciem Imperatoris divertit.

Imperator itaque primæ aciei gradum ſiſtere præcepit *Ducem*, & ad ſuum invitans auxilium, quatenus ſecum in *Melich* & exercitum ejus inſurgere non differret. Et ſtatim inito conflictu, noſtri divino freti juvamine, in brachio extento *Turcorum* agmina penetrant & dirumpunt, obviantia quæque dantes in interitum & ruinam. Ipſe quoque *Melich* dejectus ab equo, ſed heu nimis feſtino ſuorum reſurgens auxilio, jam fugam accelerat cum ſuis usque *Iconium* per abrupta & devia propinquorum montium revertendo.

In ipſo bello quidam eques *Armenius* de exercitu *Melich* ad noſtros ſe contulit, de *Legione Candida*, memoratam, *Turci*, præmiſſo modo, allocuti ipſum *Melich*, referens viſionem.

(*l*) Quidam etiam potens in exercitu noſtro *Ludovicus* nomine, vir utique bonæ opinionis, & vita commendabilis, bonorum hominum probatus teſtimonio, eandem viſionem ſibi contigiſſe dicebat. Idipſum ſub atteſtatione ſuæ peregrinationis & ſancti *Sepulchri* perhibens; & *Candentis Ferri Judicio* ſe paratum exhibens, ad pleniorem ſuper hoc fidem ac certitudinem faciendam.

Noſtri ergò ſuper his benedicentes & laudantes Dominum incedebant, lætique de triumpho nuper adepto. nondum tamen ſciebant, quanta ipſos manebat vicinæ noctis adverſitas & ærumna.

Siquidem memoratus *Turcus*, qui erat ductor exercitus, ea die, prodigus vitæ ſuæ, ut mala mortis & perditionis ſuper noſtros induceret, ad loca inaquoſa & deſerta ex induſtria deviavit.

Jam noſtris fame laborantibus, labor viæ prolixioris, & immoderatus ſolis æſtus, ardorem ſitis nimium incitabant. Unde aliqui illorum avidè incubabant cadaveribus equorum in via deficientium, ut eorum ſanguine immoderatam ſitis anguſtiam temperarent. Quod videns manſuetiſſimus *Imperator*, ſuper his pietate motus, talia verba ſuis dixiſſe militibus memoratur: „ Siſtite gradum milites egregii, quoniam
„ libenter iſti vitam ſuam producerent. Sic ecce videtis, ſubveniamus fratribus
„ noſtris, ne pereant, & interimantur ab hoſtibus, qui nos à tergo jam iterum inſe-
„ quuntur.

Inter has miſerias via longiore fere usque ad noctis crepuſculum inceſſerunt. Hinc pulvis & noctis propinquitas ſuperinducebant tenebras: inde hoſtes redivivis aſſultibus circumquaque obſtabant. In loco ergò ſterili, carente omninò aqua & paſcuis, defiguntur tentoria, ſibi invicem plus ſolito conjunctione funium intricata, propter hoſtes exterius impugnantes.

Heu quàm tenues ſomni, quàm inamœnum & ſiccum doloroſæ noctis hoſpitium! Ubi in locum quietis, labor, inedia, fletus, & ejulatio ſubierunt. Hi ſanguine de venis equorum elicito, illi propria urina, alii telluris ceſpites ruminando ſibi ſitis nimiæ quærebant levamen. Præ nimio ſitis ardore minus cruciare famis anguſtia videbatur. Fit enim,

Quando ſuperveniunt mala vulneris aſperioris,
Immemores faciunt plagæ nos eſſe minoris.

Die

(*l*) *Tageno: videtur loqui de viſione hac. Cuidam etiam religioſo laico apparuit angelus, haſta proſternens Turcos. Et paulò poſt: S. Georgius cum S. Victore viſus eſt aliquoties cum agminibus Angelorum nos comitari & adjuvare.* CAN.

Digitized by Google

Die postera vix expectata, nostri inde miserandum iter arripiunt, equos & jumenta plurima, fame & siti pereuntia, relinquendo. *Imperator* verò ibidem rumore accepto, de quorundam apostasia, sic ad nostros dicitur fuisse locutus: SÆC. XII. ANNO 1194.

„ Oportet in exercitu nostro cribrari granum de palea & mundari. Vix aut nulla„ tenus aliqua nobis arrideret fortunæ prosperitas, quandiu isti essent apud nos, qui „ sic apostatando, filios perditionis & diaboli se demonstrant.

Nostris in hunc modum laborioscè progredientibus, tandem, sicut venantes fugiens cervus desiderat ad fontes aquarum, sic aqua palustri visa de longe mox illuc gens properat sitibunda; cui latex palustris & corruptus potum sapere nectareum videbatur. Ibi propter gramen ad recreationem exercitus qualemqualem, nostri duabus noctibus remanserunt. Ubi ab hostibus supervenientibus circumquaque obsessi: & omninò carentes lignis ad ignis materiam, de propriis vestibus, & equorum subselliis fovendo ignem fumosum; carnem equinam sive asininam studebant utcunque decoquere. Et sic ad famis remedium majores viri, nedum minores, malecoctis, & miserabilibus vescebantur pulmentis, absque salis & piperis condimento. Quidam quoque ad mitigandam ventris esuriem, herbis & effossis de terra radicibus utebantur.

In tanta eis malorum accumulata congerie contigit legatos *Soldani*, pace impetrata, ad (*m*) *Imperatorem* accedere, sic dicentes: *Soldani legatorum Oratio.*

A magno Soldano & Satrapis missi venimus, quatenus si pace illorum & misericordia illorum frui desideras, eis trecenta auri centenaria incunctanter transmittas, alioquin cum tota sua fortitudine cras procul dubio bellum tibi indicet.

Quibus *Imperator* respondit; non esse sui moris, velle redigi sub alicujus tributum: nec dignum videbatur, viam peregrinorum Christi, apud aliquem pretio debere conduci.

Legatis itaque inde abeuntibus, nostri vehementer anxiati sunt, & multorum animi coram *Imperatore*, circa deliberationem sanioris consilii cœperunt ab invicem dissentire.

Quibusdam enim tutius videbatur, in quantum procedendi facultas suppetebat, de terra hostium festinare in *Armeniam* sine expectatione *Iconium* transeundo. Cùm tanta civitas à tàm paucis * posse expugnari credatur: tot præcipuè intus & extra rebellantibus; à quibus etiam in campis mediis, gens nostra clausa & obsessa quotidiè, vix poterat se tueri. **fort. non posse.*

Quisquis verò animosior & fortior, in contrarium suadendo dicebat: Etiamsi hostes bello supersedeant; nobis tantùm victualibus denegatis; sic tamen, ut vides, procedere, & diu vivere non valemus. *Armenia* adhuc nimiùm longè distat; & equis nostris innumerabiliter deficientibus nos ipsi deficimus, longiore fame, & miseria jam devicti. Nobis magis expedit audacter pugnando, honestiùs in bello occumbere, quàm trepidè languendo morte deficere tàm ignava. Equidem nullus adeò timidus, quin semel malit cadere, quàm semper pendere.

Malo semel mori, quàm sæpius, & sine meta.
Aut cita mors veniat, precor, aut victoria læta.

Hoc demùm ab omnibus approbato consilio ipse Christianissimus *Imperator* publicè votum vovit, Domino se fundaturum *Basilicam* ad titulum beati *Georgii*, si per ejus auxilium à Deo sibi concederetur evincere necessitatem eminentem.

Inde simul percepta consolatione, & fiducia concepta ex prædicatione *Herbipolensis Episcopi*, ad urbem iter arripiunt; & prope illam aliquanta hostium prius strage peracta, castra ponunt juxta (*n*) hortum ferarum.

Ubi super tàm urgentissima necessitate inito rursum consilio, inter se deliberant, & disponunt, quomodo in crastino procedant ad pugnam.

Præ nimia paucitate militum, armis militaribus & equis adhuc nitentium, qui in toto exercitu, vix mille poterant æstimari. Omnes equites, pro ut possunt, æqualius in duas tantùm acies dividuntur: una ut ad urbem expugnandam antecedat,

Duci

(*m*) *Tageno: Id. Maii, sicut præmortui, itinerantes, aquam in palustribus locis invenimus, & in illis equi aliquantulum refocillati sunt. Ibi Magnus Melach Satrapa Soldani, misso legato, dixit: Si Imp. noster & exercitus darent 300. centenarios auri, & terram Armeniorum, velint Turci transitum concedere, & post tres dies forum exhibere.* CAN.

(*n*) *Tageno: Imp. licet clam angebatur de castris crastina diei, qua habere proposuit in ferali horto & viridario Soldani, dixit amicis suis: Si cras, Deo juvante, prosperè tentoria figere poterimus, maximum erit argumentum tranquillitatis futura.* CAN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1194.

Duci committitur; altera ſubeſt *Imperatoris* regimini, extra urbem quadringentis millibus Turcorum equitum obſtatura. De cuſtodia verò ſarcinarum, & vulgi imbellis, nihil aliud reſtat ordinandum; niſi ut inter bellorum eventus, ſine aſſignatione militaris præſidii, fortunæ caſibus exponantur. ubi inter milites duo reperiebantur fratres, unus in acie una, alter conſtituebatur in altera; hinc pietate fraterna ad lacrymas utroque commoto.

Dum iſta inter eos de ordinatione belli, pro ut melius datur perficere, ſtatuuntur, *Imperator Ducem* inter hæc ſic affatur;

Friderici oratio ad filium.

„ FILI, utrique noſtrum grandis incumbit ſarcina; tibi urbem expugnando; mihi „ tot hoſtes exterius ſuſtinendo. Quidquid igitur ſive bonum, ſive ſiniſtrum am„ bobus accidat, nullum tibi feram præſidium, nec aliquod à te ſubſidium expectabo. „ Tu autem ſatage quatenus ad invictæ virtutis exercitum te invitet, & urgens „ neceſſitas, & probitas indefeſſa.

„ Omnibus verò graviter hoc edico, ut nemo ante conſummationem belli præ„ dam appetat, aut contingat; nullus cadentem amicum ſublevet, ſed conculcans „ illum ad hoſtes debellandos tranſeat viriliter procedendo. Qui aliquid habet ali„ mentorum, ſubſidium impertiat non habenti. cras enim, quidquid nobis contin„ gat, ditabimur omnes. Quia vel de hoſtibus triumphando, alimentis & ſpoliis eo„ rum replebimur; vel moriendo pro Chriſto, cum ipſo bonorum cœleſtium uber„ tate fruemur.

Poſt hæc verba cum ſolis occaſus nocturnas ſuperinduxiſſet tenebras, & jam cuncti in ſollicitis jacerent cubilibus; mox velut deſuper ruptis cataractis cœli, tàm graviter infeſtantur imbribus & tonitruis, ut præ nimia imbrium inundantia, de ſtratis ſurgere compellantur. & modo de nimis aquoſo queruntur hoſpitio, quos malè prius vexaverat inaquoſum.

Poſt tàm pluvioſæ verò noctis intemperiem, cœlo nubibus deterſo, & ſole matutino jubar clarius effundente, omnes celebrato *Miſſarum Officio communicant*. Et madidantibus vix collectis tentoriis, præſcripto ordine procedunt ad bellum.

Procedunt pariter, tendunt ad prœlia læti.
Sic animosque viresque dabat fiducia leti.

Hæc videns *Soldanus* jam ſibi & urbi timendo, *Imperatorem* de pace per nuncios requiſivit. Imperator verò ſole jam altiore incipientem æſtum die ſentiens imminere, mandavit *Duci*, quid ſtaret, quid moraretur ingredi urbem. Ac ſi id parvum ac facilè videretur.

Duce igitur procedente, & *Turcis* obviantibus, ante portas urbis bellum ingens comittitur. Et jam aliqui ex noſtris, qui quodam anguſto tranſitu inter foſſatum & muros vix proceſſerant, à nimia *Turcorum* obviantium denſitate, & telorum grandine retrocedere compelluntur. Cùm ipſe Dux fugam illorum arguit in hunc modum:

„ O viri ſtrenui, quorum animoſitas, & virtus per multa bellorum diſcrimina „ huc usque ſatis enituit; ut quid modò ad ignominiam ſanctæ *Crucis*, & veſtræ *Pe„ regrinationis*, velut degeneres & trepidi, ſic vitando bellum ante vos, fugitis in „ interitum; cùm retro major hoſtium denſitas parata ſit excipere fugientes. Nuſ„ quam patet fuga. Hic neceſſe, ut ipſa ſtrenuitas veſtra ſit nobis refugium. Hic „ totis viribus eſt nitendum. Eia milites egregii, redite ocius ad pugnam, & ve„ ſtram incitet audaciam illius diei memoria, qua *Salutiferæ Crucis Signaculum* aſ„ ſumpſiſtis.

His verbis cuncti pariter animati ad bellum redeunt, à quibus mox *Turcorum* agmina, qui prius acriter oppugnabant, per portas ſe infra ſepta murorum recipiunt fugiendo.

Sic tandem noſtri bellica, immo divina virtute, effractis portarum liminibus, & mœnibus aſcenſis irrumpunt.

Dum itaque Dux intus urbem occupat expugnatam; *Imperatori*, adhuc illius ſtatum & victoriam belli, quæ ſibi proſperè ſucceſſerat, neſcienti, & extra urbem, cogente neceſſitate, interea cum hoſtibus decertanti, ſimiliter triumphus arridet.

Melich fugatur.

Quis hoſtium ſtragem enumerare, quis valeat opes & ſpolia duplicis æſtimare triumphi? Præda accepta in ſolo palatio *Melich*, æſtimata eſt ad (*o*) decem millia marca-

(*o*) *Tageno: aurum & argentum plus quàm* 100000. *marcarum inventa in domo magni Meloch, theſaurus maximus, qui à Soldano cum filia illi dos datus erat.* CAM.

Digitized by Google

marcarum. Et hæc contra noſtros à *Saladino* illuc miſſa fuerat, ad opus ſtipendiorum exercitus conducendi. SÆC. XII.

Qui paulò antè fuerant egentes & miſeri, modò inventis equis, mulis, aſinis, & à fructu frumenti, vini, & olei multiplicati ſunt & ditati. ANNO 1194.

Sic optata quies feſſis datur; & nimiorum
Creticus ille dies noſtris fit meta malorum.
A cunctis igitur de tanto jure trophæo
Redditur, & canitur (p) gratia, lausque Deo.

Soldanus & Melich, ut viderunt ſe in foveam, quam fecerant, cecidiſſe; de oppido in quo erant, ſed magis de ſe ipſis timentes, conturbati ſunt, & commoti; ſcilicet timor apprehendit eos. Miſerunt ergò nuncios ad Imperatorem dicentes:

Soldanus culpam ſuam, & tuæ manſuetudinis lenitatem attendens, adhuc apud te de venia non diffidit, cum ad rumpenda antiqua amoris fœdera, prius ſuggeſtionibus, & vi ſuorum coactus ſit, ut vir jam annoſus, decrepitus & imbellis, pro pace & miſericordia tibi ſupplicat; ut ſibi, civitati & terræ ſuæ tua parcere dignetur Majeſtas. Pacem ſecuriorem, & ſufficiens forum equorum & victualium usque ad exitum regni ſui promittit. Ad certitudinem ſuper his habendam, paratus, excepta ſola perſona *Melich* filii ſui, obſides, quantoſcunque volueris, exhibere.

Imperator ſuper his communicato peregrinorum conſilio, attendens hinc nimiam adhuc hoſtium multitudinem, inde noſtrorum paucitatem, quæ urbi tenendæ, & terræ occupandæ non valebat ſufficere; nec aliundè *Chriſtianæ* gentis auxilium expectabat; hæc locutus eſt ad legatos:

„ *Soldanus* de pace immeritò nos requirit; ſiquidem plurima nobis jam dudum „ bona promiſerat, nos ad terram ſuam officiosè invitans. Sed ubi nunc illa bono- „ rum promiſſio? ubi obſequia præmandata? *Melich* cum tota fortudine ſua nobis ve- „ nit obvius; & illius agmina malis & ingratis ſtipantia nos obſequiis, circumdederunt „ nos ſicut apes. Aurum *Soldani* verſum eſt (q) in ſcoriam, & malè exinanita eſt „ fides illius, ſimplicitati dolum, paci bellum, odium dilectioni rependens.

Attamen de his omnibus liberavit nos Dominus, qui civitatem hanc dedit in manus noſtras; & redemit nos ab his, qui oderunt nos iniquè.

Verùm quia ſupplicat, ut pax & miſericordia noſtra fiat ſuper eum, precibus illius flectimur; ſi tamen ea, quæ à vobis ſunt propoſita executioni mandentur.

Legatis reſponſum hoc in oppidum reportantibus, ab his qui intus erant, fit ingens lætitia, datisque obſidibus pacis, & mercati promiſſio confirmatur. *Imperator* à *Soldano*, Dux à *Melich* donativis plurimis honoratur magnificè.

Deinde noſtri poſt dies aliquot, accommodatos quieti, egrediuntur urbem, quatriduanis mortuorum cadaveribus jam fœtentem: & caſtris haud longè poſitis, quatuor diebus mercatum à *Turcis* recipiunt, tàm in equis, quàm victualibus quilibet ſibi neceſſaria comparantes.

Mox inde quatuor dierum itinere pervenerunt ad urbem dictam vulgò (r) *Larendam*, quæ dividit *Armeniam* à *Lycaonia*. Illuc usque quædam *Turcorum* agmina illos inſecuta deinceps penitus ab infeſtatione ſolita deſtiterunt.

Ibidem quoque exercitu dormiente in caſtris noctis canticinio auditus eſt veluti ingens & terribilis armorum ſtrepitus & tumultus. Unde univerſi protinus expergefacti & attoniti, inquirendo quid illud eſſet, nullatenus addiſcere valuerunt. Quod tamen poſtmodum à ſapientibus memoratum eſt, vicini infortunii augurium extitiſſe.

Poſtquam exercitus gentis noſtræ à primo ingreſſu *Armeniæ* quatuor dierum itinere via difficili proceſſit, gaudens ſe de tantis bellorum diſcriminibus, & proditionum laqueis ereptum, quaſi per ora leonum, terram ſecuritatis jam attigiſſe, die quadam infauſta nimium, & novercante fidei Chriſtianæ, inopinatus & triſtis caſus repente illius citharam convertit in luctum.

Erat utique via nimis arcta & difficilis nunc per abrupta & crepidinem montium, nunc

(p) *Tageno: Sequenti die 14. Kal. Jun. gratias egimus Deo; Miſſa, Charitas Dei diffuſa, & Epiſtola, in qua Iconii mentio fit, lecta eſt.* CAN.

(q) *Tageno alibi etiam hac phraſi utitur: 4. Non. Maii &c. aurum Soldani & amicitia ſit verſum nobis in Scoriam.* CAN.

(r) *Tageno: 3. Kal. Jun. venimus in civitatem Larandam, quæ dividit Ciliciam, id eſt, Armeniam à Lycaonia. Iconium enim caput eſt Lycaoniæ. Nemo referre poteſt famem, ſitim, perfidias, fraudes, inſultationem, clamores die nocteque ſine intermiſſione, qua pertulit hilari animo Imperator & exercitus pro Chriſto.* CAN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1104. *Friderici mors.*

nunc per ima vallium, ſecus deſcenſum fluvii præterfluentis civitatem *Saleph*; (*s*) & peregrini laborioſè gradientes nimio caumate laborabant.

Quibusdam ergò equitibus de ſubſequente agmine Imperatoris prætentantibus, ſi fluvium usquam vadabilem invenirent, *Imperator* diſſuadentibus his, qui ſecum erant, ad refrigerandum ſe & lavandum inrevocabiliter fluvium intravit, & cùm ſeipſum ad tranſnandum expoſuiſſet, mox in amne medio feſſus, & jam incipiens mergi, cujusdam ſui militis, qui ſecum aquas intraverat, opem miſerabiliter invocavit.

Cui feſtinanter ille affectans ſuccurrere in mediis undis eum arripuit; ſed tandem amnis impetu prævalente ab eo vi avulſus, naufragium vix evaſit.

Alius verò equo inſidens, celeriter, ſed ſerò *Imperatorem* fluitantem in gurgite comprehendit. Et ſic, proh dolor, *Imperator* exercitus ad conturbationem & detrimentum exercitus expiravit.

O quàm dirum, quàm miſerabile *Chriſtianæ* gentis infortunium! cujus peccatis exigentibus ſic juris & fidei columna dejicitur. O fatalis & odioſus fluminis alveus! in quo totius lumen extinguitur probitatis. In parvo gurgite caput, & ſumma totius orbis intercipitur, cujus.....

Deſunt reliqua.

(*s*) *Tageno: juxta prædictam aquam Selephica nomine. Ortelius in theſauro Geogr. verbo, Calycadnus, hæc de iſto fluvio:* καλύκαδνος *Ciliciæ fluvius Ptolemæo. Quidam Calydnum vocat, ut Stephanus ſcribit. Seleuciam adluere ſcribit Ammianus* 14. *Niger Saleſo appellat. Fortè Salepho, quem Matthæus Pariſius Saphet nominat: alii Selephium, ut Auguſtinus, Juſtinianus in ſua Genuenſi hiſtoria, qui addit eum hodie dal Forte vocari.* CAN.

VITA

Digitized by Google

VITA
SANCTÆ VIRGINIS
MECHTILDIS,
PRINCIPIS BERCHTOLDI

Comitis de Andechs filiæ,

FRIDERICI I. BARBAROSSÆ
IMPERATORIS COGNATÆ,
ABBATISSÆ

In Dieſſen, deinde in Oetilſtetten.

AUCTORE
ENGELHARDO

Abbate in Lanchaim.

A Caniſio primùm ex membranis MS. Monaſterii Dieſſenſis edita.

CANI-

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1195.

CANISIUS

Ad Lectorem.

*DIxi hanc Mechtildis vitam nunc primùm lucem videre. Nam licet D. Philippus Dobereiner Decanus ad B. Virg. Monachii, ex Latino-Germanica paraphrasi traduxerit, ediderit*que*, tamen neque Latinè neque auctoris nomine præscripto, unquam integre, quod ego sciam, prodiit. Nolui latere tantum thesaurum. Graviter conscripta, & solidis plena virtutibus hæc vita virginis est; ut non immeritò quis thesaurum esse censeat. De Mechtildis parentibus Berchtoldo Comite, & Sophia, hæc Hundius in metrop. Salisbur. verbo, Diessen. Tertia fundatio facta, anno 1132. juxta Bullam Innocentii II. Nam alia fundatio non extat, per illustres Principes Berchtoldum Comitem de Andechs, & Ottonem Comitem de Wolfratzhausen, unà cum uxoribus, Sophia, & Laurita, & liberis earum, qui arcem suam Damasiam (id est, Diessen) verterunt in Monasterium, construentes ibi Ecclesiam, in honorem B. Mariæ virginis, dotantes eam mobilibus & prædiis, nec non pluribus privilegiis, &c. Hæc Hund. Patet Berchtoldum (qui cap. 22. in vita dicitur Comes; cap. 21. dicitur Princeps) fuisse etiam dominum in Dyengen ad Isaram, & cap. 1. Mechtildis nata est in Diessen, ubi de hac donatione. In cap. 1. dicitur de Imperiali sanguine originem ducere, & cap. 17. vocat Fridericus I. Imp. cognatam.*

Quis auctor sit hujus vitæ, si quæras, constanter affirmo esse Engelhardum Abbatem in Lanchaim, cujus Epistolæ duæ, una ad Præpositum, Fratresque Diessenses, altera ad Comitissam Abbatissam Diessensem, in fine vitæ erant subjunctæ. Nos has ad initium revocavimus, quò nimirum debebant. indeque conjectura, ut putamus, certa assequimur, auctorem vitæ esse Engelhardum, luculentum sanè & disertum, prudentemque laudatorem hujus virginis. Lancheim invenio monasterium ab Ottone Bambergensi fundatum, cujus mentio est in vita S. Ottonis.

Sed quia S. Mechtildis Abbatissa fuit in Oetilsteten, sciendum est ex Bruschio lib. de Monast. Germaniæ fuisse Edelsteten, seu Oetilstetin, seu Ottlinsteten, pulcherrimum in Suevia cœnobium, Urspergensi vicinum, medio fermè itinere inter Augustam & Ulmam, fundatum anno Christi 1126. à Domina Gisila Wernheri Comitis de Schwabegck & Balzhusen fundatoris Urspergensis germana sorore, quæ apud Laugingiacum etiam Xenodochii, & domus vectigalis fundatrix ac ædificatrix fuisse celebratur. Subjungit postea catalogum Abbatissarum, quarum prima fuit Gisila; altera S. Mechtildis Comitissa de Andechs, Bavara, soror S. Ottonis Episcopi Babenbergensis octavi, Pomeranorum Apostoli, in Damasiano apud Bavaros monasterio sepulta. Hæc Bruschius, &c.

JACO-

Digitized by Google

JACOBI BASNAGII

DE AUCTORE VITÆ

S. MACHTILD:

OBSERVATIO.

QUod his temporibus, 1195. vixerit author vitæ *Mechtildis*, dubium esse non potest duplici argumento. 1°. Quod capite duodecimo asserat se *Mechtildem* cognovisse, ipsiusque parentes illi narraverint quidquid chartis commisit. 2o. Asserit author capite decimo septimo *Fridericum Barbarossam* mandasse *Machtildi* ut ipsum conveniret quod Ratisponæ factum est : hunc autem Biographum *Engelhardum* esse asserunt omnes.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1195.

EPISTOLA CUJUSDAM ABBATIS.

DOMINO Præpoſito & fratribus univerſis in Dyezzem, Engelhardus, pauper & modicus non modicè in Domino valere.

Servitium ſervivi vobis neſcientibus, neſcio an & nolentibus, utinam & patienter ferentibus. Theſaurum veſtrum prodidi ego, quæſo ignoſcite, hoc cogitantes, *Tob. 12.* quia ſecretum regis celare bonum eſt, Dei autem gloriam revelare honorificum eſt. In hoc ſcrupulus, quod mea non intereſt prodidiſſe; veſtrum fuit hoc. & fortè cauſamini cum Eſau, quod ego præripui benedictionem veſtram. Si facerem hoc ſecundò, rectè cauſaremini. Supplantavit enim, inquit, me altera vice. *Gen. 27.* Semel operatus ſum pro vobis in ſcribendo vitam beatæ Mæthildis, utinam benedictionem patris in ea meruerim, & ipſa ſit Rebecca pro me, ne inducat ſuper me maledictionem pro benedictione. Utinam Deus alteram Mæthildim mihi det, in qua ſecundam benedictionem promerear, ſcribendo verum, laudando Deum, proponendo exemplum, extollendo miraculum. Hæc facta ſunt in Mæthilde veſtra, immò noſtra, de qua multum rogatus, ſed parùm eruditus ſcripſi quod ſcripſi, & plus feciſſem ſi plus vel melius ſciſſem. Vellem apud nos jam & alter Apollo inter vos fieri, fiducialiter agens pro ſancta, eſſetis & vos mihi Priſcilla & Aquila, docentes me quæ neſcio, ad hæc fortè ſcribenda. Eſt tamen locus nobis benedictionis promerendæ, ut omiſſa mea ſuppleatis, errata mea corrigatis, falſa mea deleatis, & laborum meorum in charitate veſtra gloriam faciatis. Chriſtus eſt Dei virtus & Dei ſapientia, virtus infirmis, ſapientia ſtultis, utrisque corrigendis ipſius vobis officium in me ſumite, infirmum ſupportando, ſtultum emendando. Et hoc cogitate, quia panis *Eccleſ. 24.* eſt. Qui edunt me, inquiens, adhuc eſurient. ſed & fons, Qui bibunt me, adhuc ſitient. Poſtremò quia ſapientia, Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. &, quod prius eſt, ultimum ponam, lapis eſt, Qui operantur in me, ait, non peccabunt.

IN-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1195.

INCIPIT PRÆFATIO

A quodam Abbate edita de Lanchaim.

DOMINÆ *Illuſtræ Comitiſſæ N. Frater * E. quondam dictus Abbas, nunc autem pauper Chriſti in Lanchaim, orationes peccatoris & ſervitium pauperis.*

* Engilbaldum intelligit.

Rogatus à vobis vitam ſcribere beatæ Mæthildis Abbatiſſæ, vix audeo acquieſcere, cùm ſciam difficilè doctis indocti verba placere, qui ad pondus & menſuram & rationem more Dei volunt cuncta conſtituere, & conſtituta oſtendere. Mallem illos arripuiſſe opus, & mihi calumniandi occaſionem vel cauſam abſtuliſſe. Sed ipſis dedignantibus, & circà leges vel decreta occupatis, ego ruſticandi ſtudioſus vitam aggrediar fœminæ beatæ, ſanctitatis ejus auctorem ſanctum invocans ſpiritum, ut bona quæ illi contulit facere, mihi largiatur edicere. Ad omnia illius non attingo, quia neſcio. nam ut ſcitis, vix hora una vobis aſſedi, qua capitula nobis recitante collegi. ſed nec ipſa cùm viveret, ſua vel aliqua ſciri voluit: cum exemplo dominico jubens de ſe taceri, virtutes latere non poſſent, ſed virtus ipſa clamaret. Adſit mihi pietas ſanctæ, juvet immeritum meritis ſuis, ut ſi magiſtris & ſapientibuss mundi ſcribendo diſpliceo, placeam ei cui ſe ſancta probavit, quæ in vita laudari noluit, quia timuit. poſt mortem, quia non timet pia, laudem pietatis admittit.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1195.

INCIPIT VITA BEATÆ MÆTHILDIS IN DYEZZEN.

1. GITUR Mæthildis nobilis carne, ſed mente nobilior de ſanguine (a) imperiali duxit originem. Sed genus eſſe Dei, pluris habuit per pietatem. Ad hanc ſe totam converterat, hanc æmulabatur, huic ſtudebat, ut alium patrem ſuum neſciret, quàm Deum, nec aliam matrem, quàm illam in quâ oblata fuit, Dyezzenſem Eccleſiam videlicet, illius Eccleſiæ tunc magiſtram. Equidem de Dyezzen ſanguinem, inde traxit & ſanctitatem, principis terræ filia, & filio Dei cœli in eodem monaſterio ſolenni oblatione deſponſata. Sponſo ſuo placere contendit in tantum, ut terrena deſpiceret, & amaret cœleſtia; ſciens duobus dominis non poſſe ſerviri, nec virginem ſequentem amatores
Pſalm. 44. ignobiles à nobiliſſimo poſſe amari. Audierat à David: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & concupiſcet rex decorem tuum. Et factum eſt ita. Audivit in tremore, nunc videt in exultatione. Inclinavit aurem ſuam humilem, & hilarem exhibens obedientiam, & hoc in eam regis excitavit concupiſcentiam. Quinquennis intravit monaſterium, non pedem poſuit foràs, non linguam, non animum, ſed nec de ore ejus auditum eſt unquam ſeculare verbum. Dulcis infantula infantilia ſua tàm maturè geſſit, ut maturas ætate, non verbo ſed exemplo corriperet.

II. *Adulta Carne & Vino abſtinuit.*

CRevit corpore, crevit & mente, crevit & virtute, amplius etiam quàm ætate. Audiebat in fortitudine ſæpè mittere manum ſuam ad fortia, domare carnem ſuam carnis abſtinentia; non ut creaturam Dei, quæ bona eſt, rejiceret, ſed ne car-
Epheſ. 5. nem edens carnis vitia nutriret. Abſtinuit & à vino, in quo eſt luxuria, ut vinum
Eccleſ. 40. illud lætificans cor hominis in crapula ſæpè biberet, & diceret in lætitia cordis ſui:
Cant. 1. botrus Cypri dilectus meus mihi. Denique carnem illam agni paſchalis agni peccata mundi tollentis in remiſſionem peccatorum ſuorum frequenter accepit, edens illum potius mente quàm dente, & parans ſe illi templum mundum tàm corde, quàm corpore. Parum fuit hoc in oculis ejus, adjecit majora præſumere, ſpiritu infirmitatem ſexus adjuvante. Contempſit & balnea cum Petro audiens: qui lotus eſt non indiget, niſi ut pedes lavet. quos etiam ipſam laviſſe negaverim, ne audiret illud tonitruum: ſi non lavero te, non habebis partem mecum.

III. *Quod medicinam carnalem non adhibuit.*

2. Cor. 12. SÆpius infirmata cum Paulo dixit: Cùm enim infirmor, tum fortior ſum & potens, libenter glorians in infirmitatibus ſuis, ut inhabitaret in ea virtus Chriſti, certa & experta quod virtus in infirmitate perficitur: unde & medicinam carnalem corpori ſuo nunquam exhibuit; Agathæ jam ſodalis, & ſimilis; non quod huic gladius in morte defuit; gladio tamen verbi Dei cottidiè vulnerabatur, totum ad ſe trahens, quod in ſermone, quod in lectione legeret vel audiret, carnem ſuam crucifigens cum vitiis & concupiſcentiis, timens gehennæ ſupplicia, & ambiens promiſſa cœleſtia.

IV. *Quod obediens ultra hominis menſuram fuit.*

NIhil tamen ſuo fecit arbitrio. Ab ore magiſtræ tota pendebat, & quod illa prohiberet, iſta nunquam præſumeret, quod juberet, nunquam negligeret, nunquam

(a) Creditur fuiſſe cognata Friderici primi Imperatoris, ut fert titulus. BASN.

Digitized by Google

quam differret. Sic obediens fuit, ut antiquum obediendi miraculum ſibi traxiſſet in uſum, & quodlibet opus imperfectum relinqueret, mox ut vocantis vocem vel jubentis audiret. Scribere ſolita & docta apices inchoatos ſæpius inventa eſt ad ſonum vocantis magiſtræ vel campanæ non impleſſe, ut audiret de ſe præconium domini: in auditu auris obedivit mihi. Sed & viro forti ſe comparans, de quo Salomon: Vir, inquit, obediens loquetur victorias. Victorias loquebatur Mæthildis noſtra vincendo cor ſuum, vincendo ſexum, vincendo diabolum, & in ſpiritu Dei facta cum Deo ſpiritus unus & cor unum. Siquidem teſte Paulo qui adhæret domino, unus eſt ſpiritus. Jam mente quaſi in monte mundo ſupereminens erat: aſpexit & deſpexit ſub ſe omnia, cantans & pſallens in corde ſuo canticum illud caſtitatis, canticum charitatis: Regnum mundi & omnem ornatum ſeculi contempſi propter amorem Domini mei Jeſu Chriſti, quem vidi fide recta, quæſivi ſpe firma, dilexi charitate perfecta. Sic Mæthildis noſtra in medio juvencularum tympaniſtriarum cantavit in viis Domini, quoniam magna eſt gloria Domini.

Sæc. XII. Anno 1195.

Prov. 2.

1. Cor. 6.

V. Quod patiens in infirmitatibus fuit.

VIrtutem virtuti conjunxit, obedientiam patientiæ præferens; omne flagellum infirmitatis à Deo, adverſitatis à proximo, tentationis à diabolo; ad nullum horum murmurans, indignans, vel repugnans. nam cùm tentaretur à diabolo, huic ſe tota virtute oppoſuit, reſpuit & contempſit, neminem etiam præter eum unquam inimicum habuit. Omni major invidia, invidias ſi quæ fuerunt, charitate ſuperavit, virtute confudit, authoritate obruit, humilitate proſtravit, ut ſibimet feciſſet, ſi qua moliretur aliquid contra illam. Nam nobiliſſima omnium omnibus ſe fecit ancillam; nulli ſe præferens, nulli comparans, facta ipſa vas ſibi perditum, ſed utile & in honorem omnibus qui erant in domo Dei. Si qua tamen, ut fieri ſolet, aliquando loqueretur, quod poſſet offendere, ſurdis auribus ſtuduit præterire; obdurans aures ſuas ſecundum Prophetam, ne audiret ſanguinem: ſed oculos ſuos avertens, ne videret vanitates. Silentium tantum indixerat ſibi, ut mutam crederes; ſi verò loqueretur, cum angelo te conferre putares.

Eſai. 33.

VI. Quod mendacium fugerit.

MEndacium ſic cavit, ſic abhorruit, ut non argueret eam omnis caro, ſed & talis eſſe ſtuduit in conſcientia, ut ſecundum Job non reprehenderet eam cor ſuum in omni vita ſua. Hinc dilecta Deo & hominibus, cum multorum peteretur affectu, multorum munuſculis tentaretur, turturi ſuo turturem ſe cuſtodiens, contempſit munera, reſpuit blandimenta, fugit colloquia. Inde & fratres ſuos Principes vix videre conceſſit, & tàm breviter, ut puncto eis aſſediſſe ſuffecerit: hinc eis carior quò eorum colloquia renuit. Sciebat in multiloquio non deeſſe peccatum, quia vix ad interrogata reſpondens linguam placabilem lignum vitæ in ſe oſtendit. Ex hoc non ſororem, ſed dominam ſuam eam nominaverunt, coluerunt & honoraverunt.

VII. Quàm diſtricta ſibi, aliis pia & clemens fuerit.

TAm, nihil ut proprium, & nihil diceret ſuum: tàm communia faciens ſua ſingulis, ut ſingulare nihil pateretur habere præ cæteris; tàm pia, tàm clemens erat omnibus, tàm patiens, tàm compatiens univerſis, ut cujuſcunque dolorem ſuum crederet. gauderet denique Pauli exemplo cum gaudentibus, fleret cum flentibus, cum infirmis infirmaretur, & aliorum ſcandalis ureretur. His cana ſenſibus, his affectibus ſancta juvencula, ætatem ſenectutis, vitam immaculatam geſſit, majori placens & minori. Omnibus debita reddidit, prælatis ſubjectionem, ſenioribus honorem, junioribus amorem. Sed & ipſis ancillis rogans imperavit, ne ſe dominam dicerent, ſed ſororem. Et ſic dum fugeret, non effugit honorem; dum exhibet omnibus, omnium habet vel invita favorem.

Rom. 12.

VIII. Quod in magiſtram eligitur.

TEcta ſub modio, lucerna lucens & ardens, latere voluit; ſed voluit, non potuit. poſita eſt ſuper candelabrum, ut luceat intrantibus in domum. Domus illa Dyezzenſis viduata eſt magiſtra ſua, mœror fit & luctus omnium. Sed præ omnibus

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1195. Mæthildis, quæ ſeſe orphanam tunc primùm ſentiret, cùm ut prædictum eſt, aliam ſe matrem habere neſciret, aliam contemneret. Verſata ſunt conſilia de alia ſubſtituenda. ſed omne tulit punctum qui miſcuit utile dulci. Quid utilius quæque diceret, quid dulcius audiret, quàm Mæthildis noſtra regat, nos gubernet, nobis imperet! Verbum abbreviatum fecit dominus, vocem ſequitur effectus, effectum lætitia, lætitiam perſeverantia. Mæthildis ſit magiſtra, dolet, renuit, reclamat, quæ nihil injunctum, nihil rogatum ante renuerat. Cogitur in virtute obedientiæ, obediens opus facit Evangeliſtæ, monens & ſuadens de regno Dei cum fide, cum fervore, cum dulcedine. Salvandæ uni animæ prius intenderat, intendit pluribus nunc ſalvandis; *1. Cor. 9.* caſtigans corpus ſuum, & in ſervitutem redigens, ne fortè aliis prædicans, ipſa reproba inveniretur, & dicerent ei quaſi in occulto, Medice cura teipſum. Multum *Judith. 12.* jejunaverat antè, vigilaverat plus, oraverat plurimum; nihil putat ſe egiſſe. Accin- *Heſter. 7.* gitur primùm nunc arripiens arma militiæ Dei, arma ſpiritalia, arma potentiæ Dei, fit altera Judith pugnatura cum Holoferne; fit Heſter Aman hoſtem peſſimum deletura; fit denique Maria cum tympanis & choris populum Dei præceſſura. Exhorta- *Exod. 15.* tur ſubditas ſuas: Cantemus Domino, glorioſè enim honorificatus eſt, laudans ipſa nomen Domini cum cantico, & magnificans eum in laude; incipiens cum Jeſu facere *Act. 1.* & docere. Prima omnium chorum intravit, ad opus conſedit, & diſciplinæ tenax omnia pietate permiſcuit, ſciens ſecundum Apoſtolum: quia corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt. Nulla in victu, nulla in veſtitu differentia fuit, non quod ipſa *1. Tim. 4.* vilioribus utebatur; nec poſſet inter alias aliundè dignoſci: nam veſte non immunda quidem, ſed omnium viliori. Signum cognitionis ejus humilitas & hilaritas vultus tàm nobilis, tàm inſignis, in eo ut angelum exhiberet; tàm gravis, tàm matura, ut nihil petulantia, nihil levitas coram ea præſumeret. Sic denique ſe, ſic ſuas egit, ut ſchola Chriſti eſſet domus illa, tàm Deo conjuncta per amorem, ut ſecundum Prophetam nullius os loqueretur opera hominum, & quisque adveniens, audiens, & recedens verè teſtaretur: quia Deus eſt vobiſcum. hodieque Mæthtildis quaſi vivens in corpore, eſt eis ſanctitatis exemplum.

IX. Quod in Abbatiſſam eligitur in Oetilſtetin.

AUrum fuit Mæthildis noſtra, quod per ignem tranſierat: purum viſum eſt omnibus, etiam in coronam ſummi regis glorioſi transferendum, malleis productum, ſed adhuc melius producendum. Non ſuffecit Deo, quod laboraverat; ad laborem denuò vocat eam, acquirere ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum, & vocare non plebem Dei, plebem Dei. Erat domus una de antiquis Eccleſiis, nobilis in perſonis, dives in ſubſtantia, cujus abierat Abbatiſſa, & religio ſimul deceſſerat, vel ante ipſam, vel cum ipſa. Eſt enim ſolitum & juſtum Dei judicium, ut negligentia diſciplinæ certiſſimum ſit rerum & facultatis excidium. In illis diebus non erat Rex in Iſraël, & unusquisque quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat. Fuerat domus dilapidata ſubſtantia, ſublata diſciplina. De reſtauratione cogitabant, quibus id curæ, vel cordi fuit, ut in loco Dei Deus haberet gloriam, refloreſceret diſciplina, deſinerent vitia, virtutes denuò plantarentur. Quæſitum eſt, per quem iſtud fieret, & nemo inventus eſt dignus, qui aperiret librum, niſi leo de tribu Juda, & Mæthildis ejus ancilla Dyezzenſis magiſtra. Hanc eligant, ajunt Principes, in hanc ſuadet antiſtes, huic obediemus, inquiunt, ſorores, hanc eligimus, hanc petimus, dicunt omnes. Fit electio, fit exultatio. Acclamatur, Deo laus & gloria, imprecantur electæ fauſta, domui pax, rebus abundantia, moribus diſciplina. Affuit his Deus agendis, movendis & promovendis, & beato fine complendis. Mittit pro ea electionis titulus pontificalis, commendat authoritas, junguntur Principum preces, ſororum humilis, & devota petitio, totius familiæ ſupplicatio, ſed & provinciæ ſerviendi larga promiſſio. Omnia hæc in comitatu nuntiorum, commendata literis, firmata teſtimoniis, approbata perſonis. Venit ad locum, aperiunt nuntium, dant nuntiis litteræ teſtimonium, quorum nobilitas pluris potuit eſſe, quàm ſcriptum. Domum fama pervolavit & invadit omnes mœror, quòd theſaurum vix inventum, & optimam margaritam eſſent amiſſuræ, cujus amore amor Dei coaleverat eis, ut alios amores neſcirent, niſi Dei tantùm & Mæthildis. Petitio venit ad ipſam, erubuit, renuit, reclamavit, poſuerunt me, inquiens, cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodivi: ſatis eſt mihi in judicium unam non cuſtodiſſe, quàm poſt hanc illam quoque negligere. Prævaluit enim Epiſcopalis authoritas quam juvit nunciorum & actorum facundia, ut cederet, & fieret voluntas Dei major quàm ſua. Sorores tamen & familiæ

Digitized by Google

miliæ perſtiterunt in triſtitia, damnum intelligentes maximum, unaquæque profectum ſui quem habuit in ejus præſentia. Acquieſcit altera Rebecca, vadit cum pueris Abrahæ, venit ad Iſaac filias ei paritura non paucas, qui & occurrit ei ad puteum viventis & videntis. Illic invenit eum poſſidens in patientia animam ſuam. ſiquidem & Rebeccæ patientia ducens ad riſum qui eſt Iſaac, deambulans ad puteum viventis & videntis ſcripturæ. nam alius riſus non eſt viventis, niſi qui de promiſſione ſermonis Dei. Sed nec videns, niſi cujus revelat oculos Deus, ut conſideret mirabilia de lege Dei. Sic proficiſcitur Rachel altera, oves patris ſui adaquare: nam gregem ipſa paſcebat, illa pecorum, iſta hominum. & ecce Jacob hauriens ei aquam de puteo, & adaquans oves cum ea, faciensque reduci ad paſcua. Nunquid non & Sephora fuit, quam Moſes à paſtoribus violentis defendit, ut gregem cum ea pariter adaquaret, poſtremò & paſceret? Hæc in figura illis contigerunt. Mæthildis pro tribus illis, Iſaac dico, & Jacob, atque Moſe, Chriſtum habuit, gregem ſecum paſcentem pane illo, qui deſcendit de cœlo, & dat vitam mundo; adaquantem illo etiam de fonte, qui de Paradiſo egreditur, & deinceps in quatuor capita dividitur, quia in quatuor principales virtutes ſeſe partitur. Ad hunc proficiſcitur domina Mæthildis cum Regina Saba audire ſapientiam Salomonis, oſtenſura ſe amicam, columbam, formoſam, non ſuis meritis, ſed dono gratiæ Salomonis. proficiſcitur, inquam, lætantibus & exultantibus, qui eam deducerent; flentibus & lugentibus, qui eam dimitterent. Quis perdat aurum, & auri maſſam non doleat? quis margaritam fulgentem, & gemmam carbunculi pretioſam; & æquanimiter ferat? Id tibi cogita de Mæthildi. Sed quod gravius eſt illis illam amiſiſſe. ſed quid viam prolongem longam ſatis, & non hanc in ſua deducam? ſuis exhibeam? Venit expectata, & benedictio Domini cum ea. Excipitur cantu lætitiæ, oſculis exultationis, familiæ in amplexus novæ matris irruunt filiæ, ſed & tota clientela inclinatur ante faciem dominæ. Defertur ad requiem: ſed non eſt requies ubi videt laborandum, nec ſine labore gravibus damnis conſulendum. Induit animum viri, mulier fortis, cujus pretium non prope, ſed procul & de ultimis finibus invenitur. Laborat ac ſi nihil egerit prius, & laborem lætitiæ ſequutus eſt fructus.

SÆC. XII. ANNO 1195.

Gen. 24.

Gen. 16.

Gen. 29.

Joan. 6.

Prov. 31.

X. Qualiter vixerit in regimine.

CAuſam cum hominibus pugnandi non habuit prius, nec agere terrena cogebatur: nunc ad nutum ejus cuncta pendebant, & de Maria Martha effecta fuiſſet, niſi ad pedes Domini optimam ſibi partem elegiſſet. Unde & reſpondit Dominus pro ea, providens illi ſuæ ſollicitudinis ſolatia, viros foris, ſorores intus conlaborantes, & fideles & prudentes in rebus agendis, ſupponentes ſe totos in parte ſollicitudinis, & Dominæ deferentes plenitudinem poteſtatis. Soror Mæthildis contendit appellari ſine Dominæ adjectione; altum omne contempſit in nomine; ſed uſus exegit domus, & Monaſterii regula, ut Domina vocaretur & Abbatiſſa. Ad hoc nomen habuit ordinari, & ab Epiſcopo ſolenniter benedici, ad quod utique non conſenſiſſet, niſi & domum ſuo jure minuere, & domum Dei in ſe reſpuere timuiſſet. Conſenſit ergò: benedicta eſt, & benedictione aucta, aucta dico per gratiam, ſublimata ad gloriam, non tam nominis, quàm conſummatæ virtutis. Videres in ea pleno plenius adjici, perfecto perfectius, & delitias præteriti temporis nova carnis caſtigatione redimere putaretur ab eo, qui neſciret in quanto prius rigore vixiſſet. Cæterum ita domuerat carnem, ut jam non contra ſpiritum concupiſceret, ſed tanquam Domino ancilla ſerviret, non nolens, aut coacta, ſed volens & ſpontanea, & virtutis ſuavitate delectata. Cantabat ergò in viis Domini, quoniam magna eſt gloria Domini, dicens Deo in orationibus ſuis, in via teſtimoniorum tuorum delectata ſum, ſicut in omnibus divitiis. Hoc fecit, hoc docuit & eodem affectu poſt ſe gregem ſuum traxit, ſimilis ipſa mulieri Evangelicæ, quæ in ſata tria miſit fermentum, donec fermentaretur totum. Non tamen facile inchoanti: nam durum aſſueta relinquere, & licentias illas illicitas illicitis magis velle prohibere: ſed prohibitæ ſunt Domino Abbatiſſæ cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Quæris quibus? Primum ſignum quod ſancta dedit, ipſa fuit, Juvencula nobilis, forma herilis, viſu amabilis, talis erat in motibus, talis eloquio, talis contubernio, ut non argueret eam omnis caro; ſed nec mentiri auderet fama de illa, quod maximum eſt decus teſtante S. Ambroſio, quo commendatur virgo. Talis fuit mater Dei Maria, talis & Mæthildis pediſſequa ejus, imitans eam in omni diſciplina, imitans eam, dico, usque ad partum illum divinum, qui Mariæ fuit ſingulare privilegium, & ei præ conſortibus ſuis plenitu-

Psal. 118.

Matth. 23.

Ambroſius?

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1195. nitudine gratiæ ſequeſtratum. Cæterum qui Mariæ filius hic Mæthildis eſt ſponſus, tam dulcis ei, ut nihil non dulce crederet, non ſuave reputaret, in quo illi placere potuiſſet. Ad ſuadendum tam efficax fuit, ut duriſſima corda molliret, & ſermone verbi ſalutaris leves quasque ad maturitatem corrigeret & diceret correcta illud B. *Job. 6.* Job: Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt. Sic fe- *Rom. 6.* cerat timoratas, ſic vitæ præteritæ pœnitentes, ut audirent ab Apoſtolo: Quem ergò fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt. At ipſa timoris Dei forma erat illis in mandatis ejus ſervandis, in tantum, ut *Job. 31.* cum S. Job dicere poſſet: Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui. Hinc faciles erant flecti, & quidquid eſſet retortum vel recurvum, redegit ad lineam, ad normam revocavit, in pondere, menſura, & ratione cuncta conſtituens, & poëticum illud apud ſe dicens:

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Recto ſic intendit Mæthildis, ut miſericordiam & judicium cantaret Domino: Sed uno dono miſericordiam ſuperexaltaret judicio. Sic moderatur omnia, ſic ſingula ſeparat, ut & fortes plus laboris pro Deo appeterent; & infirmæ non refugerent. Di- *Gen. 33.* cebat in ſpiritu diſcretionis illud Jacob, Si greges meos in ambulando plus fecero la- *Eccl. 9.* borare, morientur cuncti uno die. Fortiter illud Salomonis exhortans ait: quod- cunque poteſt manus tua facere, tu inſtanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec *Rom. 8.* ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas, & conſolans adjecit: Non ſunt condi- dignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Item: momentaneum & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublime æternum gloriæ *1. Cor. 2.* pondus operatur in nobis. Sed & illud admirans: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe; quam, inquit, talia ſunt, & tanta, ut pro his leve ſit ferre vigilias, jejunia, vel quælibet aſpera. Hoc vita probavit & lingua, apponens manum linguæ, opus verbo; imò digitum ſuperponens ori ſuo, ut dictis facta præeminerent, nec alias doceret, quod plus & prius ipſa non feciſſet. Tanta pietatis clementia præerat, ut non verbo vel officii nomine mater haberetur, ſed opere & veritate, tantum cuique apud ſe præbens fiduciæ, ut nihil eam celarent conſcientiæ ſuæ, ſed inſtar Adam & Evæ ſibi nudæ eſſent, nudæ dico corde, non corpore; puritate, non temeritate; non impudentia, ſed innocentia.

XI. Quod apertum Clauſtrum ipſa recluſit.

ADjecit adhuc fructum facere majorem in gloriam ſponſi, acceſſus prohibere virorum, ut veritas caſtitatis haberet & ab his teſtimonium qui foris ſunt; nec haberet adverſarius aliquid loqui de eis obtrectandi gratia. Loquitur ſuper hoc ſororibus, contra dicentes aliquas audit, ſed non exaudit. Inſtat eis loqui de propoſito caſtitatis votum grande profeſſione firmatum, fragilem ſexum, multiformem inimicum, nec cum eo in campo congredi fæminis tutum, ſed juxta Martini ſententiam, ſatis eſſe ad laudem, ſi ſe intra caſtra contineant; fædiſſimum autem, ſi vel illi illas, vel illæ illos frequenter adeant. Flores quoque ſcripturarum ad caſtitatem ſuadendam decerpſit multos. odoratæ ſunt plurimæ odorem vitæ ex eis, adeò, ut ſui clauſuram expeterent; quædam odorem mortis acciperent, ut claudi omninò renuerent. Venit foras verbum, acceptatum eſt tanquam à Deo miſſum, & Deo oratione commiſſum. Advocatur Epiſcopus, panditur verbum prius abſconditum; quæruntur voluntates; inveniuntur diverſæ. Sed poſtremò præter paucas, omnes poſt Abbatiſſam converſæ. Laudes Deo & gratiæ referuntur, clauduntur volentes, remanere claudi nolentes, dimittuntur voluntati ſuæ. Tum demum floruit hortus Domini, & emiſſiones ejus *Cant. 2.* tanquam paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Illa prius cum militibus uſitata colloquia verſans, ad angelos, & in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ verſabantur columbæ, in vulneribus Chriſti & Angelorum frequentia felices, à ſe fuerunt occupatæ. Percurrebant deſiderio paradiſum, & per jubileas amænitates cordibus ferebantur, & ſponſum fletibus invitabant ad hortum, ut paſcatur inter lilia, quo ſingulis virtutibus ſibi quæque Deo: quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel & favum ori meo. loqui autem de ſeculo, amarius eſſet abſynthio. Ita floruit hortus Domini, quem conſeverat ei Mæthildis, adjutorio ſpiritus ſancti, pulcher

Digitized by Google

cher ad videndum, dulcis ad guſtandum, ſuavis ad odorandum, ſed tener ad tractandum. Nova enim plantaverat, & ne incautè moverentur lingua ſeculari, diligenter cavebat. Porrò ſpiritales viros litteratos gaudebat admittere rigatores, rogans ſingulos, effundere phialas ſuas, & verbo Dei refrigerare plantas ſuas, fovere areolas, areolas aromatibus conſitas. Sic faciebat Mæthildis, dies per ſingulos offerens holocauſta per ſingulas, dicens Deo: Perfice vineam quam plantavit dextera tua, & ſingularis ille ferus longè ſit ab ea: ſpiritus tuus bonus bonum operetur in ea. Igitur filiæ Dei à filiis hominum ſemotæ, ſupra homines eſſe nitebantur, cum Maria ſedentes ad pedes Domini, & audientes verbum illius, matre ſuper eas lætante, quod laudarentur voce Dei, quia partem optimam elegiſſent ſibi.

SÆC. XII. ANNO 1195. *Pſal.* 79.

Quam frequens in Eccleſia fuerit, XII.

QUid ipſa ſtudii, quid fervoris habuerit, non tacui ante, ſed jam quaſi de novo incipiens, & velut aquila juventutem ſuam in Dei ſervitio renovans, cœpit ardua petere, & quaſi non ambulare ſuper terram, ſed dicere cum Paulo: Noſtra converſatio in cœlis eſt. Frequens in Eccleſia fuit, veriſſimè cohærens mente Deo, converſatione angelis, cohabitatione ſanctis, quorum ſe gaudebat adeſſe reliquiis. Si quis eam alibi quæreret, non inveniret, ſed illic inventam, pulſare non auderet, ſtante ſuper eam ſponſo, prohibente, & dicente: Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit. Talem ſe hora orationis exhibuit, ut Deo videretur injuriam facere, qui ab eo voluiſſet eam abſtrahere, & ipſum dicere Mæthildi: Qui tangit te, tangit pupillam oculi mei. Hinc ipſa Deo adhærens, & unus cum eo ſpiritus exiſtens gloriabatur: Læva, inquiens, ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me, & ſic in pace in idipſum dormiam & requieſcam. Quam ſuaviter dormivit, abſcondita in abſcondito vultus Dei à converſatione hominum, protecta in tabernaculo Dei à contradictione linguarum! O felix anima, quoties tibi datum eſt aſcenſiones in corde tuo diſponere in valle lacrimarum, & ire de virtute in virtutem, poſtremò videre Deum deorum in Syon, & dicere cum Paulo: Nos omnes revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur de claritate in claritatem, tanquam domini ſpiritu. Quoties tibi contigit ad inſtar Moyſi velare faciem tuam ob genas tuas madentes lacrimis accipienti à patre tuo cum Axa irriguum ſuperius & inferius: & quaſi ſciſcitantibus dicere: introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Talis exiſti de conſpectu Domini, plena gratiarum, ſplendens, & ſapiens, de conſortio domini ſermonis proficiens contemplando & orando magis in Chriſto, Dei virtute, & Dei ſapientia, quàm legendo in pagina, vel audiendo magiſtros in ſchola. Quoties in lectulo tuo per noctes quæſiſti quem diligit, imò quem dilexit anima tua? caritas enim nunquam excidit. Etſi ædicula caritatis caro tua in morte deciderit, verum anima tua inter carnem & caritatem media, caritatis adjutorio & veritatis teſtimonio nunquam non vivit. Gaude & lætare nunc filia Syon cùm per ſpeculum & ænigmate vides regem gloriæ: ſed quantum in carne ambulanti, & non ſecundum carnem militanti licuit videre. Suſtuliſti tamen te ſuper te dicens in corde tuo: O quis dabit pennas mihi ſicut columbæ, & volabo & requieſcam. Tendebas ad illas cavernas maceriæ, maceriæ ex parte deſtructæ, ruentibus ex ea lapidibus ignitis, in quorum medio lucifer ille teſte Ezechiele ambulavit felix, donec igne Dei flagravit infelix, cùm ignem alienum, hoc eſt, invidiam, accendit: unde & ruit, & tertiam partem ſtellarum ſecundum Joannem poſt ſe traxit, & facti ſunt de principibus lucis principes tenebrarum, contra quos nobis certamen eſt, non contra carnem & ſanguinem. Hæc meditans Mæthildis noſtra, immò Dei, quia ſi * cognovimus eam ſecundum carnem, ſed nunc jam non novimus, & ipſa ſecundum carnem neminem agnovit, Mihi, inquiens, adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam. Quæ retro ſunt oblita eſt, in anteriora ſe extendens ſuperiora ſitiens, æterna mente complectens. Macerie illa angelica oculum ſuum frequenter exacuit, purgans eum à pulvere terreni deſiderii, inungens ſtibio cœleſtis ſapientiæ, ut ſapientiam ipſam videret, componentem omnia, & ſingulos ordines cœleſtium virtutum compſitos in ſapientia, diſpoſitos in ipſa macerie. O quàm illi deſiderabile, cogitare ſapientiam, attingentem à fine usque ad finem fortiter, & diſponentem omnia ſuaviter, ædificantem Jeruſalem illam de vivis lapidibus, quæ ex parte regnat, ex parte adhuc

Pſal. 44. *Cant.* 2. *Ezech.* 28. *Apoc.* 12. *Epheſ.* 6. *Pſal.* 72. *Sap.* 8.

* *Patet hanc S. Mechtildem auctori notam fuiſſe.* CAN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1195. adhuc exultat, & de exilio reverſos quotidiè recipit, & cavernas illas muri Jeruſalem in animabus ſanctis reædificat! Attendit manſiones illas multas in domo patris datas pro meritis, ſufficientes ſingulis, abundantes deliciis, perpetuis gaudiis permixtas cum angelis, diſtinctas gloriis, ſed unitas vinculo, & glutine charitatis. Ire jocundum illi de virtute in virtutem, ire, inquam, animo, circuire deſiderio templum illud, quæ eſt in cœlo, offerre laudis incenſum Deo, ſingulis quoque ordinibus angelorum dare gloriam de cordis ſui ſacrificio. Detulit illis animabus beatis unicuique laudem, petens interceſſionem, & parans ſibi cum illis beatitudinis ſortem. Quî putas fuit illi cum Maria virginum domina, virginum regina? O quoties illi ſuſpiravit, loquens illi, & relevans ſe in ſtratu ſuo cum illa à malitia ſæculi, à laqueis diaboli, ab anguſtiis incolatus ſui. Hanc habuit ſingulare ſolatium, hanc contemplationis principem, hanc vitæ ſuæ formam & ordinem. Per hanc acceſſit ad ſpiritum ſui ſpiritus ducem. ſed & ſcripturam ſanctam adhibuit magiſtram, ut hanc potius ſequeretur, quàm ſenſum ſuum ad contemplationem Dei. His prævиis ſecura incedere, intrans in ſancta ſanctorum, corde ſancto contemplans tabernaculum illud admirabile, exemplar illius quod oſtenſum eſt Moyſi, & dictum eſt: Vide, fac omnia diligenter ſecundùm exemplar, quod tibi oſtenſum eſt. Mirata eſt altare aureum, quod eſt ante oculos Domini, & ſub altari animas occiſorum; thronum etiam Dei, cui viginti quatuor illi ſeniores in ſuis ſedibus aſſederunt: ſed & quatuor animalia ſenas alas habentia, & oculis undique plena: tum etiam illa centum quadraginta quatuor millia, canticum novum cantantia; ſed & ſinum Abrahæ animarum ſanctarum ſuſceptorem: & poſtremò turbam illam magnam quam dinumerare nemo poteſt, ex omnibus populis, tribubus, & linguis, ſtantes ante thronum, & palmæ in manibus eorum. Hæc & his ſimilia contemplari ſolebat Mæthildis noſtra, doctior ipſa in videndo, quam ego in dicendo: ſed & beatior in experientia, quàm inexpertus in ſcientia. Adhuc libet ſequi Abbatiſſam noſtram intro in atrium regis ingreſſam: ſed fulgorem quo ipſa paſcitur, ferre non ſuſtinens, reverberatis oculis, ceu cæcutio, & clamo poſt tergum ejus: Intra in gaudium Domini tui: ſic enim digna es, & memento mei, cùm benè tibi fuerit, ut ſuggeras ſponſo, ut mei meminerit.

Exod. 25. *Apoc. 4.* *Luc. 16.*

XIII. Quod in ſtramine ſine plumis jacuerit.

HOc opus ejus, immò otium, non otioſum in Eccleſia. hoc illi actitare per diem dulciſſimum; ſed & noctis in hoc plurimum conſumpſit, vel tempus totum. Unde ne lectus ei blandiretur, & ſegnior eſſet ad ſurgendum, non in plumis, ſed in ſtramine jacuit. ſed & ſtramenta reſpuiſſet, niſi fugiſſet laudem, & libentiſſimè quieviſſet ſuper humum nudam, aut ſuper lapidem, ſororibus tamen clementior ubique quàm ſibi, providit lectiſternia, pulvillos & lintea ſtratorum & indumentorum mundicias, dicens nihil hoc animabus nocere, ſi modo non haberentur ſuperbæ vel ſuperfluæ. Modum modis omnibus commendabat, quem tamen ſibi negabat in beneficiis corporis, corpori non parcendo, ſervavit tamen in ceteris, à nulla plus, quàm poſſet exigendo. Munditias, ut prædictum eſt, amavit cum paupertate, atque ut honeſto ſatisfaceret, noluit videri pauper, ſed eſſe. Saccum ergò palearum pro plumis ſub ſe habuit, qui tectus linteamine pompam oſtenderet, & pretium non haberet. Sed quæ cura? Curavit magna præparatione cor ſuum Domino, quærens in lectulo ſuo, quem dilexit anima ejus, ſed non inveniens, ſurrexit & circuivit civitatem, quærens dilectum; civitatem dico illam, quæ ſurſum eſt Jeruſalem, quæ eſt mater noſtra. O quoties invenerunt eam vigiles, qui cuſtodiunt civitatem, quos ſciſcitata eſt, num quem diligit anima mea vidiſtis? Pertranſivit & illos, & invenit quem diligit anima ſua. Ipſum habuit ſocium, ſociam ſe paravit illi, & adhærens illi unus ſpiritus fuit. Quid dico fuit? Eſt potius amans tunc in ſpe, ſed non in re; tunc in deſiderio animæ, nunc ſaturitate, non quæ faſtidium generat, ſed dilectio diligendi perpetuet. Dixit autem cum Iſaia Domino, immò ſponſo. Anima mea deſideravit te in nocte, ſed & ſpiritus meus in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Ita dormivit, ut diceret: Ego dormio, & cor meum vigilat. Sic illa cum ſponſo ſuo vigilavit, ut in palea dormiens palatium cœli ſomniaret; ſed & ſomnium crederet, & paleam reputaret omne quod mundus iſte ſuſpiceret. Unde & fletibus lavabat lectum ſuum, & lacrimis ſtratum ſuum rigabat. Vigilias communes antevenire conſuevit, ut principes illos, angelos dico, qui conjungi pſallentibus ſolent, & non præveniret, inveniretur tamen ipſa prima in medio juvencularum tympaniſtriarum.

Gal. 4. *Cant. 5.* *Eſa. 26.* *Cant. 5.* *Pſal. 6.* *Pſal. 67.*

XIV.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1195.

XIV. Quod honorem non effugit.

OPera hæc lucis in lucem venerunt, tegi non poterant, ſicut nec civitas ſuper montem poſita. Habuerunt amatores omnes rectos corde & laudatores omnes tranſeuntes per viam, ut & fama virtutis ejus pervolaret terram, & perveniret ad curiam. Mirum viſum de perſona, quia nobilis, quia pulchra, quia juvencula, & eo fama gratior, quo junior, quo acceptior fœmina: ſolet enim carnis nobilitas ignobilitatem mentis plerisque generare, & eo licentius peccant, quo ſe reprehendi, vel redargui tardius putant. Cæterum hoc non in publico, ſed in angulis, quis non vituperet, quis non judicet, quis non condemnet? Ubi duo vel tres congregati fuerint, in medio eorum eſt, cum duobus tertia, cum tribus quarta. Hæc eſt pars nobilium ignobiliter agentium. ſed aliter Mæthildis, quæ hominum laudes cùm fugeret, non effugit. juxta illud Hieronymi: Gloria virtutes quaſi umbra ſequitur, & appetitores ſui deſerens, appetit contemnentes. Hæc ſancti viri ſententia probata in Mæthilde noſtra, quæ quanto plus ſprevit honorari, tanto magis honorata eſt, & eo celſior apud Dominum, quo humilior in oculis ſuis, & deſpecta penes judicium ſuum. Veram probavit dominicam & Evangelicam vocem: Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. Exaltationem humiliter experiendo didicit in ſe, humiliationem ſe exaltantis in aliis vidit, videndo perfecit, & manus ſuas lavit in ſanguine peccatoris, lavit & peccantem fletu compaſſionis, lacrimis compunctionis, ſuſpiriis pii doloris. *Luc. 14.*

XV. Quantæ compunctionis fuerit.

TAntæ quippe compunctionis fuit, ut nullius dolorem præteriret, nullius caſum vel infortunium diſſimularet; ſed mox ut comperiſſet, prorupit in lacrymas. Ad orationem confugit, & quod factum eſt, Dei clementiæ flendo commiſit. Hinc multis ſubventum eſt, ipſa orante, ut cederent dolores, minuerentur anguſtiæ, rediret ſalus, ſive corporis, ſive animæ. Inde nomen illi ſanctitatis amplificatum eſt, ut colerent illam, non ut exulantem adhuc in terris, ſed ut regnantem jam in cœlis. Hoc illi. Sed illa de laude ſuſpicata judicium, de favore arbitrata ſupplicium, volvebat apud ſe illud Propheticum: Populе meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & ſemitam greſſuum tuorum diſſipant. Ecce elongavit fugiens, & manſit in ſolitudine, perſiſtens in fletibus, & exitus aquarum David, diviſionesque aquarum Jeremiæ deduxerunt oculi ejus. Si afflictam videret Eccleſiam, exitus aquarum diffudit in lacrymas, omnium miſeriis miſerando compatiens; ſi tangeret afflictio ſingulos, diviſiones aquarum fecit lacrimando per ſingulos. Si peccaſſet quis, flebat pro eo; ſi tentaretur frater aut ſoror, flere non deſtitit, donec ceſſaret ſtimulus, & anima eriperetur à laqueo. Cibavit ſe pane lacrymarum, & potum accepit in lacrymis in menſura; unguentum faciens ſibi de anguſtiis pauperum, de inopiis egenorum, de orbitate viduarum, de oppreſſorum ſuſpiriis, de orphanorum atque pupillorum miſeriis, de captivorum exiliis, aut catenis, de peregrinantium vel navigantium periculis vel naufragiis; ad ultimum de omnibus in omni tribulatione conſtitutis. Hoc, inquam, unguento venit cum illis mulieribus Evangelicis ungere Jeſum; ſed illo non invento, quia reſurrexerat jam in gloria, iſta unguentum non perdidit; ſed expendit in corpus ejus, quod eſt Eccleſia. Unxit omnes, ut dictum eſt, afflictos unctione miſericordiæ, compaſſionis adipe, oleo benignitatis, unguento clementiæ. Ad hoc lacrimas fudit, ut in iis ſubveniret, & ipſa laudaretur non ab homine, ſed ab eo, qui intuetur cor. Suſcepit enim auris ſua venas ſuſurri ejus, & quaſi vocem auræ lenis audivit ſponſi ad ſe loquentis in Canticis: Meliora ſunt ubera tua vino fragrantia unguentis optimis. Et alia ejusmodi unguenta parare conſueverat, unum quod Domino Maria Magdalena ſuper pedes funderet lacrimando pro peccatis: Aliud quod ſuper caput gratias agendo pro beneficiis: Sed melius priore iſtud. Nec illud deſpicitur: quia ſacrificium eſt ſpiritus contribulatus; hoc tamen placet & placat magis, cùm ſit ſacrificium laudis. Tertium quod eſt optimum, compaſſionem proximi, beneficium indigentis, utrique præponderans, ab utroque non diſcrepans, Mætildis noſtra tam actu, quàm affectu prætulit; ſciens illa facere, & iſtud non omittere. Unde placens Deo facta dilecta dilecto, exaudita eſt pro ſua reverentia, quæ nihil aſperum ulli exhibuit, cùm eſſet gravis quidem & matura, ſed dulcedine & ſuavitate permixta. *Iſa. 3. Pſ. 54. Pſ. 118. Thren. 13.* *Pſ. 79.* *Marc. 16.* *Cant. 1.* *Pſ. 50.*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1195.

XVI. Quantum fleverit pro uno otioso verbo, & quod non risit.

DIcere me cogit historia, quod utique per me non dicerem, nisi dicti testem, & dicendi instigatricem, matronam nobilem tàm genere, quàm veritate habuissem. Sed quid dubito? Quid impossibile Deo? Nunquam visa est ridere, nec audita verbum inutile dicere. Finis tamen vitæ cum risu fuit illi, quod in sequentibus dico, dum illò pervenero. Cæterum de verbo inutili redarguit seipsam; redarguit se præter morem conscientia. Quod ita gestum est. Una sororum stetit coram illa, portans quiddam in manibus. Cecidit quod portavit in terram, & Abbatissa subjunxit verbum vulgo tritum: *Calca desuper*. Quod ut dixit, prorupit in lacrimas flens, & ejulans, ac si Romanas effregisset Ecclesias. Multis diebus super hoc afflixit se jejuniis & vigiliis, adjiciens dies pœnitentiæ. Quid ad hæc nos dicimus, loquentes contra interdictum? lacerantes colloquio proximum? sagittantes in occultis immaculatum? exacuentes linguas nostras, ut gladium? Audierat illa in Evangelio: Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii. Audierat, & prævenit diem judicii citius, & felicius ipsa Judex sui. Audierat à sapiente, Melior est ira risu; quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. Irata est sibi, cæterum aliis nunquam visa est irasci. At quomodo, inquies, emendavit excessus? An nemo ibi peccavit? sed erant omnes quasi Angeli Dei in cœlo? Peccantes non arguere peccatum est, & maximum; dicente Domino ad Heli: Quia noverat indignè agere filios suos, & non arguit eos, idcircò, inquit; Juravi Heli, ut non expietur iniquitas domus ejus victimis & muneribus usque in æternum. Cavit hoc Mæthildis corripiens, sed in misericordia increpans, & cum modestia, ut ipsa, quæ peccaverat, non iram deputaret, cùm puniretur; sed justitiam. Cæterum resistere illi nemo auderet, nemo tentaret; tanta fuit gravitas judicantis, ut lux vultus ejus non caderet super terram, sed quasi tonantis de cœlo audiret sententiam. siquidem cum Ecclesiaste risum deputavit errorem, & gaudio dixit: Quid frustra deciperis? Quæ cum Job dum sederet circumsepta sororum exercitu, erat tamen mœrentium consolatrix, in judicando justa, in consolando benigna, in actu severa, & cum Apostolo omnia omnibus. In multis erat secundum Salomonem quasi inscia, nihil tamen negligens, quia timorata, sciens mutare quodlibet, sed ipsa non mutari: Et cum Anna vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati. Habes ô lector in hac fœmina multa virtutis insignia, quæ si retexas, invenis ab infantia sanctitatis exempla, & à prima hora diei laborantem in vinea, non causantem de pretio, sed pretium sibi non aliud delegisse, quàm Domini gratiam. Habes sanctitatem probatam, factis sanctificatam, meritis quæsitam; sed nec dum laboribus manifestam virtutem virtutum signis. Nec ista viventi defuerunt, multo magis defunctæ non desunt.

mit Füssen drauf.

Ps. 63.

Mat. 12.

Eccl. 7.

1. Reg. 2.

Job. 29.

Eccl. 7.

Job. 29.

1. Cor. 9.

1. Reg. 1.

Mat. 20.

XVII. Curiam adiens, ex aqua ter vinum bibit.

CAusa extitit, ut & vocata palatium adiret, utilitas monasterii sic exegit. damnum maximum si non isset. Per alios voluit agi negotium. *Fridericus* tunc Imperator quæsivit Abbatissam, jus ipsum id poscere ut veniret, & finiretur res per ipsam. Veniat, inquit, cognata mea Ratisbonam: Solennis res est, nec aliter, quàm solenniter agenda coram Principibus & curia. Ivit, licet invita, comitatum habens nomini suo congruentem, & majorem quàm vellet; cui solitudo amabilior, quàm palatium. Videres alteram Judith post tot jejunia, non pallorem vultus ostendere, sed omnium oculis apparere gratiosam; & nisi probata virtus corriperet insipientem, insipiens non deesset, qui putaret eam vacasse delitiis potius, quàm laborasse jejuniis. Probatum est ibi, quid egerit domi, quod verè habuerit jejunia pro delitiis; & hinc vultus ejus, præ crapula spiritus, similior specie rosarum, quam cineris; respuens cum Daniele, & sociis ejus, cibos regios, & esu contenta leguminis. Talis astitit Imperatori videnti pulchritudinem, nec ignoranti virtutem, & deferenti sanctæ plus ob sanctitatem, quàm propter genus & sanguinem. Lætabatur quàm maximè, talem se habere consortem generis; mirabatur sanctissimam de non sanctis, & quasi rosam processisse de spinis. Hoc prædicavit de ea, & visa gavisus est ea. sed & libentius auditâ, causas, pro quibus venerat, fecit & perfecit omnes pro ea. Ventum est ad mensam: cœna familiæ; prandium Abbatissæ vesperi parabatur: carnes cæteris; Abbatissæ positus est cibus Danielis. Ipsa cum cæteris indifferenter visu & olfactu percepit omnia; sed ab omnibus gustu divisa, non habuit in gustu nisi legumina. Pincerna ejus miles erat, maturus

Fridericus I. Barbarossa.

Dan. 1.

Digitized by Google

maturus ipſe; ſciens quid Deo, quid ſeculo deberet; nec præteriens, quod dominæ voluntatem agnoſceret. Præmonitus fontem clam hauſtum ſolenniter cum ſociis procedens, detulit Abbatiſſæ. Nam aliis omnibus ad omnem copiam vinum propinabatur. Et illa guſtans, ſe deceptam, vel contemptam præter ſolitum mirabatur: fons enim non fontem, ſed vinum optimum ſapiebat. quo protinus abſtinens, pincernæ modeſtius innuebat, inobedientiam arguebat, auferre vinum, & afferre fontem, clanculo faciebat. Miſit ille pediſſequum ſuum, hauſit fontem, tulit in domum. Propinat denuò, bibit Abbatiſſa vinum ex fonte; pincernam increpat de obſtinatione. Jurat ille, ſervum aquam haurientem ſe vidiſſe, nec præterquam hauſerat, ſe obtuliſſe. Tunc illa, Bibe, inquit, & teipſum redargue. Bibit alter Architriclinus; factus eſt laudator vini hujus. Nihil, inquiens, huic *Bawaria* ſimile genuit, nihil Auſtria protulit, nihil Francia vel Alſatia miſit, nihil Cyprus aut Græcia huic comparandum dedit. Laudantem compeſcuit Abbatiſſa, fontem tertio poſcit. Currit ille, hauſit per ſe, & affert. Aſſerit ſe hauſiſſe, guſtatum noluit aliud eſſe, quàm vinum, quod Abbatiſſa voluiſſet occultum eſſe, ſed rei magnitudo latere non valens, venit in publicum.

SÆC. XII. ANNO 1195.

Vides quàm dilectam habuit Dominus, quam omnibus ſuis abundantibus vino, ſolam noluit aquam bibere. Sed de botro Cypri, quod ipſe fuit, vinum miniſtravit ei, ut dilecta dilecti tali gratuletur convivio, & coram principibus, quos latere non poterat, glorificaretur miraculo. At ipſa honoris impatiens, ſuppreſſit, & ſupprimi optavit verbum; ſed exemplo Domini quo magis tegitur, eſt detectum. Fugit ergò de Curia, nolens gravari rumuſculo, ſed odorem reliquit poſt ſe, dignum Deo, qui contemptum delitiis, faciens amorem jejunio, honorem Deo, aſpernationem ſæculo. Hoc initium ſignorum habuit cum Domino Jeſu domina Mæthildis, utrobique, ut credo, commanente & monente Maria, Vinum non habent. Idemque fecit hic vinum ex aqua pro una quam dilexit, qui pro multis ibi, quos diligentes & credentes effecit. Ipſa nihil ſibi ſuper hoc laudis vel honoris occultè vel publicè vendicans, manus ſuas excuſſit, immunem ſe dicens facti hujus; Dominum eſſe factorem omnium, nihil propter ſe vel à ſe, ſed propter alios, ſi quid novi accidit, factum. Sic remiſit virtutem ad dominum virtutum, ſicut ad mare fontes & flumina recurrunt, ubi origo eſt omnium. ſiquidem omnia flumina intrant mare, & mare non redundat, & Mæthildis ad locum unde exierat, miraculum reverti fecit, ut iterum fluat, fluat, inquam, & non deficiat iteratum.

Cant. 1. *Joan. 2.* *Eccl. 1.*

XVIII. De Dæmoniaca curata.

ADjecit adhuc Dominus facere cum ea, & facti ſunt lætantes habitantes ſub ea. Filia cujusdam carnalis erat, dæmonium habens, cui locum pater impetraverat in Monaſterio præbendariæ, non ſororis, ſed à ſororibus ſequeſtratum; & hoc prece, non pretio factum. Genus hoc dæmonis peſſimum, & ſimile illi de Evangelio, quod in nullo exiret niſi in oratione & jejunio. Unde nec illud diſcipuli, nec iſtud ſorores potuerunt ejicere, cùm frequenter oraſſent pro ea, ſed adhuc nihilominus dæmon erat cum ea. Erat in ea videre miſeriam, nudam diſcurrere, implere clamoribus omnia, ſpiritu exagitante diſcerpere ſeipſam, quærere locum præcipitandi ſe, vel in igne, vel aqua, horrenda viſu & auditu committere dæmon, ut eam perderet. Gravis omnibus, omnium vicerat gravitatem, ut ne dicam ſervire infirmæ, ſed nec videre, aut audire illam jam eſſet facile. Senſit hic Mæthildis operandum: & revelante ſibi ſpiritu, animata ſpe atque fiducia, aggreditur dæmonem, oratione præmiſſa jubet, ut exeat, reclamanti, ac ſi flagris cæderetur, ne ultra ibi ſit, imperat. Fremit dæmon, dentibus ſtridet, & multum diſcerpens eam, Domino Jeſu adjuvante ſponſam ſuam, exivit, oſtendens diſcerptione ipſa, qualis & quantus fuerit in malitia. Sanata eſt puella, teſtis ipſa virtutis Abbatiſſæ, ſerviensque dum viveret Deo vita Sanctitatis & Juſtitiæ. Volebat & hoc Abbatiſſa eſſe celatum, ſed clamavit miraculum. Ipſa hoc dicente, quia idem eſt JESUS Dominus in cœlis, qui fuerat in terris ad operandum, & idem inviſibilis facit, quod viſus exhibuit. Hinc factum eſt, ut frequentaretur à multis, frequentia ſigna faceret & multa; quæ ſic obumbravit, ut benedictionibus verborum aſcriberet, ſibique de virtute virtutis nihil arrogaret. Sed non latuit meritum operantis in opere, & de fructibus ſuis non cognoverunt eam, referentes ab ea ſalutem, & auxilium de tribulatione, reddentes Deo pro ea honorem, cum gratiarum actione. Illa quæ curata fuerat, quod pænè omiſeram, etiam muta erat, ſed Domino curante, & Mæthilde orante, dæmonem perdidit, & loque-

Matt. 17.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1195.

lam recepit; Conterens de cætero Sathanam ſub pedibus ſuis, & ore facundo pronuncians laudem Domini Salvatoris, imitansque & magnificans vitam S. Mæthildis. Viderunt ſorores ſe non deceptas, ſed habere fructum ſuum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam. Cujus jam ſpiritus maximam præguſtaſſent in centuplo, quod *Rom. 6.* eis dederat Deus pro contemptu ſæculi, & imitatione Jeſu Chriſti. Totis ergò viribus anhelabant ad ſuperna, cupientes diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: hoc enim multò melius: & currebant omnes deſiderio, fervebant ſtudio, nitebantur affectu. Currebant omnes: Sed Mæthildis præcucurrit citius cæteris; ſed non introivit præ cæteris, multas ipſa præmittens ad thalamum ſponſi, à quibus maluiſſet inveniri, quàm præveniri, præventa in benedictionibus dulcedinis, ut geſtiret exire de corpore, & Chriſto præſens eſſe. Mundum vidit in maligno poſitum, vidit, inquam, non tan- *1. Joan. 5.* tum in locutione, ſed magis in actione; vidit vanitatem cunctam ſub ſole, & contendit animo ſupra ſolem. O, inquit, quando veniam & apparebo ante faciem Dei *Pſ. 14.* *1. Cor. 15.* mei? Quando abſorbebitur hoc quod mortale eſt à vita, & corruptibile hoc induet *Rom. 7.* incorruptelam? Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Et reſponſum accepit à ſpiritu, reſponſum Apoſtolicum lætum & jocundum: Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Voces iſtæ cordis ejus auditæ & exauditæ ſunt in cœlo, introierunt in ſancta & miſſum eſt ei auxilium de ſancto.

XIX. Quod obitum præſcivit ſuum, & in Dyezzen rediit.

SCiens ergò ſe in brevi morituram, ſimile quid Patriarchæ Joſeph faciens, qui filiis mandavit de oſſibus ſuis transferendis, Dyezzen ſe oblatam & deſponſatam Chriſto memoravit, & illic cum ſororibus ſuis ſepulchrum optavit. Convocatisque ſororibus ſuis, indicat diſſolutionem ſui corporis imminere, Dyezzen ſe oportere redire, valdè infirmam eſſe dicens; ibi aut cito mori, aut in brevi convaleſcere, Aſſenſerunt vitam ejus exinde ſperantes, ſimul etiam nulla in ea mortis ſigna videntes. Ivit non dubia ſe morituram, vel potius tranſituram de morte ad vitam, quæ vitæ ſunt mandans ſervare ſororibus, maximè quæ didiciſſent & vidiſſent verbo & exemplo ipſius. *Act. 20.* Munda, inquit, ſum à ſanguine omnium veſtrûm: non enim ſubterfugi, quo mi- *Apoc. 20.* nus annunciaverim vobis omne conſilium Dei. Vado à vobis, utrum revertar, incertum, certum autem quod reddat Dominus unicuique ſecundum laborem ſuum. Et exoſculans omnes, Deoque commendans, abiit Dyezzen. Triſte ſuſcepta eſt. quia infirma, ſed omni cura & humanitate procurata, non ut hoſpita, ſed ut mater *Oſea. 10.* chariſſima, & ut loci Domina. Dolor crevit, ſed die & nocte non aliud corde verſabat & ore ſponſa Dei, niſi laudem Dei. Sic vitula, ut in bonam partem interpreter, docta diligere trituram, aliud facere neſciens in tempore infirmitatis, oſtendit commiſerationem ſuam. In vigiliis, in jejuniis uſum tenuit ſuum, niſi tantum, quantum potuit exorari, ut reficeret paululum. Convocat ſorores, & carni vim faciens, ſpiritus virtute ſalutat omnes, dulci alloquio, deinde affatur hoc ſermonis exordio: *Luc. 2.* Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum, verè Paſcha mihi, quia lætum, jocundum, quia ſemper optatum Paſcha inquam, id eſt, tranſitum. En ego dulciſſimæ viam univerſæ carnis ingredior, jam ad Patres meos colligor, ego & cum *Joſue 23.* Adam cinis in cinerem redeo. Hoc indeclinabile, hoc fugiunt omnes, & nemo ef- *1. Cor. 4.* fugere valet. Nihil mihi conſcia ſum, ſed qui judicat me, Dominus eſt; miſerator *Pſ. 11.* quidem & miſericors & juſtus. ſi decreverit ſalvare me, continuò liberabor. ſi labo- *2. Tim. 4.* rem aſpiciat, nihil ſubterfugi, quo non ſtuduerim placere illi. In omnibus laboravi, non autem ego, ſed gratia Dei mecum. Illius adjutorio bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, nec dubito quod mihi ſupereſt corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus, quæ corona, quæ finis & merces pugnæ. conſiderate Dominæ momentaneum, & leve hoc tribulationis noſtræ, quod ſupra modum in ſublime æternum gloriæ pondus operatur in nobis, contemplantibus nobis non ea quæ videntur, ſed quæ non videntur, quæ enim videntur temporalia ſunt, quæ autem non videntur æterna. Et temporalia quidem blanda contempſi, adverſa non timui, *Mat. 7.* & finem utrumque nunc habeo in redditione jocunditatis, in plenitudine gloriæ, in æternitate lætitiæ. potueram illam viam latam & ſpatioſam ducentem ad mortem cum moralibus ambulaſſe; nunc eſſet finis voluptatum, ſed tormentorum initium, *Pſ. 123.* de quibus non evadere, ſed cadere de pœna in pœnam ſæculorum ſæcula. Nunc *Joan. 13.* anima mea liberata eſt de laqueo venantium, ſpirituum dico malignantium in nos, & trahentium ad peccatum; ſed laqueus contritus eſt, &, Deo gratias, ego liberata *Luc. 16.* ſum. En venit princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam; quia mundo

me

Digitized by Google

me numquam præbui ſociam, familiarem, vel amicam. Abrahæ ſinus me recepit, thalamus me Chriſti expectat, & Maria mater Domini mei, cum S. Virginibus, in occurſum mihi properat, patriarcharum & prophetarum chorus, Apoſtolorum ſenatus, Martyrum glorioſus exercitus, ſed & omnium electorum innumerabilis exercitus adventui meo congaudet & tripudiat, cœlum lætatur, paradiſus exultat; & ipſe Chriſtus Dominus ad epulas & ad convivium ſuum me invitat. Ecce venio, gratias ago. cum his ero, qui redempti ſunt à Domino, qui venient in Syon laudantes, & lætitia ſempiterna erit ſuper capita eorum. Gaudium & lætitiam obtinebunt, fugiet dolor & gemitus. O me felicem, quæ evaſerim judicium Dei, ſupplicium æternum, gehennæ pœnam, ignem inextinguibilem, vermem immortalem, vincula manuum ac pedum, tormenta parata peccatoribus, & malleos jugiter percutientes impiorum corporibus. Evaſi per Dei gratiam os leonis, manum canis, facies diras tortorum, mortem ipſam, Sathan & diabolum. Procul à me erit Behemoth, ille Leviathan, ſerpens antiquus, draco tortuoſus, aſpis & baſiliſcus, aper de ſylva, & ſingularis ferus, idem ipſe multis & diverſis nominibus appellatur, quibus magna & mille artifex ſignificatur malitia ejus. Hunc mihi viciſſe in Chriſto, quanta ſit gratiæ, gloriæ immenſæ. de hoſtis magnitudine vos penſate. Et ecce apertus eſt mihi paradiſus, janua cœli patet, & Jeruſalem illa cœleſtis, quæ fundata eſt in Saphyris, cujus propugnacula Jaſpis, gemmis ædificantur turres ejus, & omnis lapis pretioſus ſtructura murorum ejus. Plateæ Jeruſalem ſternentur auro mundo, & per omnes vicos ejus Alleluja cantatur, & Virginum chorus illic canticum novum cantans, agnum quocunque ierit ſequitur. His ego conjungor unà lætantium & cantantium, in plenitudine gaudii, in ſaturitate convivii, cujus micas & minutias cum canibus ſub menſa dominorum colligere ſolebam & edere: Siquidem plenitudo gaudiorum eſt in cœlis, & inde ſententiæ illæ ſcripturarum, quibus conſolamur in terris. Inde vox illa, vox plena gaudii: Ecce ego creo cœlos novos, & terram novam, & non erunt in memoria priora, neque aſcendent ſuper cor, & gaudebitis & exultabitis in his, quæ ego creo: quia ego creo Jeruſalem in exultationem, & populum ejus in gaudium, & exultabo in Jeruſalem in exultationem, & populum ejus in gaudium, & exultabo in Jeruſalem, & gaudebo in populo meo, & non erit in eo ultra vox fletus, & vox clanoris. Eia dilectiſſimæ feſtinate ingredi in civitatem illam. & ô me beatam, ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei in ea; vos dico ſemen non carnis, ſed cordis mei, quia per Evangelium ego vos genui.

SÆC. XII. ANNO 1195.

Eſa. 35. & 51.

Job. 40.

Pſ. 79.

Apoc. 21.

Apoc. 4.

Luc. 16.

Eſai. 65.

Tob. 13.

1. *Cor.* 4.

XX. Quod ad Charitatis donum ſorores admonuit.

IRe illuc, diligere eſt. nam niſi per charitatem non intratur in eam, nec aliud gaudium, quàm charitas eſt in ea. Hoc mihi dicere notum, vobis autem neceſſarium; quia neceſſe eſt in hac parte vos emendare, ut majorem operam detis charitati ſervandæ. Pulſatis vos, & fatigatis invicem injuriis, iras diu tenetis, pro nihilo litigatis, & de feſtuca trabem, de ira odium vobis facitis. Laudo vos, in hoc non laudo. Laudo vos, quod eſtis alacres ad divinum officium, quod promptæ ad jejunandum, quod veloces ad vigilias, quod paratæ ad obedientiam, caſtæ ad continentiam, vigiles ad omne bonum; non laudo, quod contentiones inter vos habetis & zelum. Quid eſt Deum laudare, & vituperare proximum? Fons ex eodem foramine non emanat dulcem & amaram aquam, ut ait Jacobus. nec Deus accipit laudem ſui cum vituperio proximi. Quid valet jejunium cibi, quem Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & comedere carnem ſororis aut fratris calumniis aut detractionibus? Quid vigiliæ proſunt, in quibus ore cantatur Deo, & corde cogitatur malum ſorori, vel mali talio. Quid utile habet obedientia hominis cum contemptu conditoris? Quid confert continere carnem à luxuria, & non continere cor ab invidia, linguam à contumelia? Et de his quidem, quæ bona ſunt, laudo vos, ſed non laudo, quod invidiæ & contentiones inter vos ſunt. Virgines eſtis; non valdè gloriemini; fuerant & illæ, quæ reprobatæ ſunt, quæ oleum charitatis in vaſis ſuis non habuerunt, quibus pulſantibus dictum eſt: Neſcio vos. Avertite à vobis, chariſſimæ, illam ſcilicet Hieronymi ſententiam: Peſſimum virus invidiæ vipereo ſemini comparatur, mente interficit matrem ſuam. Hoc eſt ſolum, quod timeo vobis; hoc ultimum moneo emendare, & ſpero certiſſimè, vos ſalvari, nec foris cum fatuis virginibus remanere, ſed cum prudentibus intus ad ſponſum intrare. Cum gratiarum actione admonitio ſuſcepta eſt, emendatio promiſſa, & in omnibus, quæ habuerunt

1. *Cor.* 11.

Jac. 3.

Mat. 151.

S. Hieron.

adverſum

SÆC. XII. ANNO 1195.

adversum se aliquid, confestim exhibita. Vocat ad se omnes, sigillatim exosculatur, Deoque commendans, requiescit exiguum.

XXI. Quod Decima totius substantiæ patris ejus in Dyezzen, data est Ecclesiæ sanctæ Mariæ Virginis in Dyezzen.

DOlor crevit in dies. non aliud corde versabat, & ore sponsa Dei, nisi laudem Dei; & ut Dei famulos & famulas, fratres, & sorores ejus in Dyezzen Deo famulantes, sicut viva, sic & mortua, sicut & verbo, sic exemplo, sic & aliquo reficeret stipendio, convertens se ad parentes beata Mæthildis patrem suum *Bertholdum*, & matrem suam *Sophiam*, coram omnibus leni voce sic alloquitur: O pater, memor esto, quòd me juvenculam destinasti in hanc Ecclesiam, in qua sancti spiritus, me gubernante gratia ita profeci, quòd quamvis indignè, tamen magisterii nomen effugere non potui. Deinde in *Oetilisteten*, sicut ipse nosti, nomine Abbatissæ usque nunc florui. Constat ergò paternitati tuæ, quod in seculari habitu vitam honestam duxisse potuissem tecum, si Deo hæc mea vita contemplativa plus quàm activa non placuisset. Patet sanè omnibus intelligentibus in Oetilinstetten, magis delicatè quàm in sæculo vixissem, si voluissem; quia quàm plures libertatis socias ibidem habuissem. Nunc ergo quia in Dyezzen fui juvencula & magistra, dignum æstimo, ut ego ancilla & filia tua tecum hic merear sepeliri. Num pater mi, si me desponsasses viro mortali, nonne illi partem substantiæ tuæ nomine dotis mecum tribuisses, & isdem deinceps non solùm pro genere, immò pro hærede totius tuæ substantiæ se gessisset? Verum quia Rex regum, & dominus dominantium Jesus Christus me filiam tuam sibi elegit sponsam, & nunquam tam dulci sponso meo, creatori, redemptori, ac salvatori tuo pro me, & pro anima tua, aliqua sponsalia dare deliberasti. Cognosce igitur pater pie, quod Ecclesia *Dyezzen*, à te & prosapia mea fundata, in qua thalamus materialis mihi est à Deo præordinatus, sita est in loco nemoroso, * aquoso & infructuoso. Da ergo, pater charissime, sponso meo immortali, non de tuis, sed de suis, quæ sibi in prima totius mundi elegit constitutione, da, inquam, quæso, mihi, & tàm juste congrueque petenti sponso, nomine sponsalium, decimam substantiæ tuæ, quam habere dinosceris circa *Isaram*, in confinio *Diengen*. Pater verò ejusdem sponsæ Christi præcordialis filiæ suæ, intellecta petitione, communicato parentum suorum consilio, gaudenter & affectuose ipsi adimplens petitionem, dixit: O filia mihi præ omni cognatione tua dilectissima, decimam totius substantiæ meæ circa *Iseram* in confinio *Diengen*, ob amorem tui, huic Ecclesiæ sanctæ Mariæ in *Dyezzen* confero, sub testimonio omnium circumstantium, super hoc altare sanctæ Mariæ matris & virginis *Jesu Christi* delego. Ad quod sponsa Christi beata Mæthildis dixit voce gratulabunda: O pater mi, jam congaudeo tibi, quia meæ per omnia satisfeciisti petitioni. Convertens ergò se beata Mæthildis ad Præpositum *Hartwicum*, & ad conventum fratrum, & sororum, flexis in terra genibus, erectisque manibus, cum lacrimis rogabat Deum, dicens: Domine *Jesu Christe*, suscipe jam tibi collatum munus, & conserva famulis & famulabus tuis, hic tibi devotè famulantibus, ad usum profuturum. Post hæc subjunxit pater ejus, dicens: O dulcis, Deoque dilecta filia, mecum, precor, ora Deum, si quisquam, quod absit, meorum posterorum donum jam per me datum impedire attentaverit, ut isdem hic condigna pœna puniatur, & non in extremo judicio cum Caïn perpetuò crucietur. Hac finita prece, audita est vox in aëre sanctorum spirituum respondentium, & cum dulcissima voce clamantium, Amen.

XXII. Quo eventu mirabili semel carnes comederit, vinum biberit, & semel riserit.

CUm beata Mæthildis cognovit tempus, & horam adductionis decimæ de confinio Diengen, quæ nomine ejus, Ecclesiæ sanctæ Mariæ virgini in Dyezzen est collata, accedens Præpositum Hartwicum, coram omnibus fratribus & sororibus, tali usa est sermone, dicens: O in Christo pater & domine, jam gaudeo, quod dotem pro meæ desponsationis testimonio adduci video, quia sicut præsentis vitæ refectionem

* *Etymon habet Andreas Ratisponensis de fundationibus monasteriorum Bavariæ his verbis: Anno Domini 802. Embricho Ratisponensi Ecclesiæ præficitur Episcopus. Iisdem temporibus Rathardus presbyter apud Diesensee (Disend-see) quod per sonitum aquæ ibi decurrentis, nomen accepit, monasterium S. Georgii martyris construxit; ibique Canonicos Regulares, ordinis B. Augustini coadunavit. Hoc postea per Arnolphum Ducem Bavariæ, & Comitem Palatinum, perditionis filium, penitus est destructum, & ab inhabitatione hominum per multa temporum curricula desolatum permansit, donec per alios Christi fideles exstitit restauratum. Hæc Andreas.* CAN.

Digitized by Google

nem ſentio, ſic & æternaliter in futuro in cœleſti patria refici confidenter ſpero. Poſt hæc cùm fratres & ſorores more ſolito, cymbalo ſonante ad refectorium convocarentur, Præpoſitus Hartwicus, relicto ordine fratrum ad refectorium ſororum properavit, beatam Mæthildem his alloquens verbis, dixit: O in Chriſto filia, Deo & hominibus dilecta, quia parata ſunt jam cibaria, quæ dulciſſimò tuo interventu nobis & ſucceſſoribus ad refectionem corporum ſunt collata. Decet itaque tuam piiſſimam devotionem hodiè in charitate carne cibari, & vino potari; auctoritate ejus, qui viſibiliter coram te poſitam aquam in vinum mutavit, moneo, peto, & in virtute ſanctæ obedientiæ tibi præcipio, ut de omni cibo, quo hodie & deinceps nos & noſtra ſucceſſio reficimur, quòd eodem in inſtanti hora gaudenter reficiaris. Ad hujus præcepti verba, ingemuit beata Mæthildis, & tacitè arridens, dixit: O pater & domine, riſus dolore miſcetur, & extrema gaudii luctus occupat. Nunc ergò quid faciam, ignoro, niſi hoc ſolum ſcio, quod nunquam inobediens volo inveniri. Ad hanc vocem omnes ſorores, ad pedes ejus proſtratæ, gratias immenſas ei referebant, non tantùm pro ſtipendii, quo fruebantur, collatione, quantum de ejus ſolemni refectione, cui omnes congratulabantur. Porrò magiſtra ordinis, dante ſigno, ut ſorores de menſa ſurgerent, & cum Pſalmo, more ſolito, Eccleſiam peterent, beata Mæthildis tremebunda cum ſororibus concinens, vocem audivit in aëre dicentem: O beata Mæthildis, ſcias te hodie non cum Eſau reprobato, ſed cum Elia in aëra levato eſſe cibatam. Huic voci auditum præbens, tacitè Deo gratias referebat. quod non audientes, ſed intelligentes ſorores, ſciſcitabantur, quid eſſet, quod intra ſe animadverteret, & cum aliis non pſalleret. ad hoc beata Mæthildis cum Propheta reſpondit: Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi. ſuper tali ejus reſponſione univerſæ admirantes ſorores, quid facere poſſent, cogitabant. Cumque mutuo inter ſe, ut dictum eſt, diſceptarent, Magiſtra conventus piarum ſororum, dixit: Si eſt ad placitum veſtrum, ne diu ſic inter nos diſceptemus, dominum Præpoſitum vocemus. Hoc audito omnes dicebant: O domina magiſtra, placet nobis, quod dominum Præpoſitum vocetis, ut ejus per auxilium, quid beatæ Mæthildis fuerit ſecretum cognoſcamus. Ad hæc verba eſt vocatus Præpoſitus Hartwicus, qui veniens inquirere cœpit, quare vocatus eſſet. cui magiſtra pro omnibus, ſicut decuit, ſororibus reſpondit, dicens: O pater & domine in Chriſto venerande, cum hodie more ſolito de menſa ſurgeremus, & Eccleſiam peteremus, domina & ſoror noſtra beata Mæthildis, quasdam habuit, ſicut intellexeramus, cum ſanctis ſpiritibus collocutiones; & dum piè inquireremus apud eam, quid eſſet, quod locuta fuiſſet, reſpondit: Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi. Super tali ejus reſponſione, pater & domine in Chriſto, vos noveritis eſſe vocatum. His auditis Præpoſitus Hartwicus vocari ad ſe juſſit beatam Mæthildem, quæ cùm vocata eſſet; dixit ad eam Præpoſitus Hartwicus: O filia Deo & hominibus dilecta, ſi me vereris, ut dominum, & ut patrem veneraris, dico tibi cum * Zacharia Propheta: Si ſum tibi pater, ubi eſt amor meus; ſi dominus, ubi timor meus? ſub obtentu ergò paterni amoris, & magiſterii timoris, dic mihi, cur dilectis conſororibus dixeris, cùm à te, quid ageres, ſciſcitarentur, & tu reſpondiſti, Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi? Ad hæc Mæthildis reſpondit: Anima mea liquefacta eſt, ex quo tu pater amande, & domine mihi ſemper timende, ſic locutus es: & ſtatim ad pedes Præpoſiti Hartwici proſternere ſe diſponens, Præpoſitus Hartwicus recepta manu ejus, pie eam elevans, parumper ſeorſum eam ducens, didicit ab ea quod ſpiritus angelici dixerunt ei: O beata Mæthildis, ſcias te hodie non cum Eſau reprobato, ſed cum Helia in aëra levato eſſe cibatam. Vix finito tali ſermone, cum lacrymis, inquit Præpoſitus Hartwicus: O beata Mæthildis Deo & hominibus dilecta, tu ſis nunc & in æternum benedicta. Et ſine mora præcepit, ut ambo conventus fratrum & ſororum cum devotione pſallerent ad laudem Dei, qui hodie mirabilia declaravit in beata Mæthilde hunc Pſalmum: Benedicite omnia opera Domini Domino. En mirum; cùm jam cantatus eſſet ultimus verſus hujus Pſalmi, pater beatæ Mæthildis Comes *Bertholdus* aſtans foribus Eccleſiæ, iterato incepit eundem ultimum verſum cum lacrimis aiens: Benedictus in firmamento cœli, & laudabilis & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula, qui in filia mea tanta facis virtutum mirabilia. Quo dicto à Præpoſito Hartwico, & à beata Mæthilde, & ab omnibus honorificè eſt receptus. ſuper qua ſalutatione omnibus regratians, ſubjunxit, dicens: Audite precor, & intelligite, & quomodo venerim huc, mecum perpendite. Hac nocte circa pullorum cantus dum de filia mea ego, & mater ejus colloqueremur, quædam vox inſonuit auribus meis, dicens: O Comes *Pertolde* ſurge, & ad filiam tuam propera. Et cum feſtinatione ſurgens, ſicut cernitis, adveni.

ANNO SÆC. XII. 1195.

Joan. 2.

Prov. 14.

Gen. 25. 3. Reg. 19.

Eſa. 24.

* Leg. Malachia. Malach. 1.

Dan. 3.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1195. Nunc ergò ô Præpoſite Hartwice, quid ſit geſtum, mihi narrate. Ad hæc Præpoſitus Hartwicus reſpondit, dicens: Audio & intelligo, quod Deus noluit vos ignorare mirabilia, quæ nuper in domina mea filia veſtra, & Dei ſponſa beata Mæthilde ſunt, ut ex parte cognoviſtis, & plenius cognoſcetis, peracta: & conſedentes, narravit ei ſingula. Quibus auditis Comes *Pertoldus*, reſpondit, dicens: Deus qui huc venire me fecit ad tantam ſolemnitatem, illi ſit mea devotio nunc & in ævum oblata, ſitque ei laus perpes nunc & in perpetuum.

Cant. 5. Vix Comes Bertholdus ſermonem ſuum finierat, & beata Methildis ſubinferens, dixit: Ego dormio, & cor meum vigilat. O quàm dulciſona voce Chriſti ſponſa ſui cordis protulit arcana, quia ſicut omnium juris eſt ſponſarum, curam ſuorum gerere ſponſorum, ſic multò decentius eſt veram Chriſti ſponſam corde vigili recolere ſponſi ſui Jeſu Chriſti amorem, quem in ea habuit, dum propter eam carnem induit, cùm in cruce pendens, ſomnum cepit, & in ſomno mortis corporalis per apertionem ſui lateris de fonte ſui cordis ſanguinem & aquam nobis propinavit. Illius amoris memor beata Mæthildis, inquit: O in Chriſto pater & Domine, venerande Præpoſite Hartwice, ego miſella precor, provida veſtra diſpenſatione mihi detur, ut de decima per præſentem patrem meum huic Eccleſiæ Dyezzen, nomine meo collata, pars tantæ tantæ quantitatis ad *Oblatas* inſtituatur, ut etiam omnibus adjacentibus Eccleſiis largè & perpetim tribuantur. Gaudium etenim mihi generat, & ſalutem omnibus reſiduis ejusdem decimæ partibus fruentibus, ſi panis ille myſticus, qui de *Oſee. 7. Levit. 1.* cœlo deſcendens in uterum virginis, & in cruce pendens, qui teſte Oſee Propheta, coctus eſt in clibano, ut nobis fieret eſibilis. Ut ergò nos eodem pane pariter reficiamur in regno cœlorum, id quod petii veſtra, pater pie Hartwice Præpoſite, mihi præſtet gratia, & confirmetur conſenſu omnium confratrum & dominorum meorum hujus Eccleſiæ Canonicorum.

Completa hac petitione omnes pari voce dicebant: O beata Mæthildis, quod jam petiſti, hoc omnes conſulimus, & fieri poſtulamus. Ad hæc pius caritativus Præpoſitus Hartwicus manu fratribus ſilentium imponens, dixit: O beata Mæthildis Deo & hominibus delecta, gratum eructaſti verbum; quia omnium corda noſtrorum excitaſti ad tuum complendum deſiderium. Ut igitur tui affectum deſiderii ad optatum ducam effectum, in nomine patris, & filii, & ſpiritus ſancti conſtituo, & omnibus officialibus præcipio, ut ſingulis annis in tàm ſuperabundanti quantitate medulla frumenti de Decima in Diengen, & de confinio ibidem ſpecialiter ad oblatas, ſicut beata Mæthildis petiit, perenniter tribuatur; & ſicut ſalutaris illa Euchariſtia in eadem panis forma figurata, nulli pœnitentis ſimul & poſtulantis affectui eſt neganda, ita etiam ipſa panis ſubſtantia nunquam cuiquam denegetur. Conſtat ſanè omnibus Chriſtianiſſimæ fidei cultoribus per hanc ſaluberrimam conſtitutionem, dotem deſponſationis beatæ Mæthildis in Eccleſia Dyezzen apud Deum & homines eſſe celeberrimè confirmatam.

XXIII. Quod oculum excuſſum ſubula, reſtauravit.

CUm ſoror una, cui uſus erat ſcribendi membranam, dum ad lineas punctaret, ſubulam incaute trahens, oculum transfigit, pupillam perforat, & continuò exivit ſanguis & aqua. Dolor elicit clamorem, concurrunt omnes ad ſororem, geminatur moleſtia de languore deſperabili matris, & de excæcatione ſororis. Siquidem utilis erat, & dilecta omnibus; & hinc magis doletur dolor ejus. Excitat matrem tumultus ille, vocatur & adducitur illa, cum aqua pupilla defluxerat, & adhuc ſanguis rivatim fluebat. Nulla ſpes oculi rehabendi, nulla de cætero videndi; ſolus dolor, ut quieſceret, optatur dolenti. Jubetur accedere, adtractat oculum manu, & manus Domini affuit fugans dolorem, reddens ſanitatem, & luminis claritatem. Stetit ſanguis, & ſanitas perſtitit adeò, ut nunquam clarius viderit, nec ſuavius habuerit. Hoc fecit in morte Mæthildis noſtra, conteſtans ſe non mori. ſed de morte tranſire ad vitam, & viventibus conſulens ad meliorem vitam.

XXIV. De exhortatione Præpoſiti Hartwici ſuper ægram.

INterim auditur foris Abbatiſſam infirmam, formari jam ad mortem. Præpoſitus Hartwicus accurrit exanimis, irruunt fratres cum fletu maximo & lamentis, fit ſuper eam mugitus, & gemitus proprius cuique, & planctus in commune ſolennis, Sciebant quod per eam Dominus ſalutem dediſſet domui, & ſequentia præcedentibus

raro

Digitized by Google

raro ſimilia. Tunc Præpoſitus Hartwicus exorſus eſt fari, Abbatiſſam conſolans, & conventum exhortans: Te quidem ô mater video in defectu corporis maximo, non tamen adhuc de vita tua deſpero: potens eſt Dominus te reddere nobis in ſalutem domus, quæ tota pendet in te, quam plangimus, quam lugemus. Scimus te Chriſtum deſiderare, quem diligis; ſalva ſunt tibi præmia meritorum, nec dilata minuentur. Noſtri potius miſerere, quos deſeris. En quod in duobus locis Chriſto lucrata es tuæ ſanctitatis exemplo, en fratres & ſorores, quos per te Chriſtus acquiſivit, omnes ad coronam tuam pertinentes, & gemmarum inſtar in decore tuo fulgentes. En omnes vicini odorantes de te odorem ſuavitatis in operibus tuis, quæ compererunt in verbis, quæ de te audierunt, ſed & in diſciplina morum tuorum quam viderunt, in his omnibus gloriam Chriſto acquiſiſti, nec eſt quod neget tibi oranti. Oramus ergò ut petas vitam adjici tibi, neceſſariam nobis magis, quàm tibi. Quis ultrà, te ſubtracta, proteget nos orationibus, fovebit ſuaſionibus, muniet conſiliis, relevabit auxiliis? Principes genus tuum ſunt, omnes tui gratia gratum habuerunt locum, impenderunt beneficium, averterunt omne contrarium, inclinaverant ad nomen tuum. Te vivente pacem habuerunt noſtri; omnes tui fuerunt ex te honorati; nihil audebant maligni; ipſi qui oderunt pacem, tuis fuere pacifici. Optamus vitam tuam, ſed ſi Chriſto magis placet, ut migres, vade ſæcura, certa de corona, glorioſa de victoria. Et vos, inquit, ô ſorores, ecce via quam currimus ad finem, hinc tendimus, ut vitam hanc morte terminemus. Atque utinam morte hac terminaremur, nos qui malè vivimus, & non alia mors ſequeretur immortalis, qua peccatrix anima in æternum moritur, & nunquam permoritur. Vivit enim ſemper recens ad ſupplicium, nec defertur ad terminum, conſumimur, & non conſummamur, habens in æternum, quod doleat deſperans, & deſperata quod evadat. Eia nunc ſorores beatas vos dixerim, quas Dominus aſſumpſit ſibi, quas non ancillas, ſed ſponſas ſuas vult vocari; quia non à nobis vult timeri, ſed diligi; vel ſi timetur, timore delectatur filiali, immò ſponſali non ſervili. Cernitis ante vos Ducem veſtram currentem, & curſum jam conſummantem, & pulſantem ad januam cœli; & ecce jam aperietur ei. Felix ipſa quam deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei, & dedit illi ſcientiam Sanctorum, honeſtavit illam in laboribus, & complevit labores illius, deducens eam auxilio, oſtendens regnum, conſilio dans illi ſcientiam, ſapientia honeſtans in laboribus conſtantiam, complens labores perſeverantia. & vos filiæ eadem virtute armamini, veſtigia matris veſtræ ſectamini, ut cum ipſa currentes perveniatis ad bravium, & ipſius meritis perveniatis ad regna cœlorum, ſponſo ipſius & veſtro parante, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

SÆC. XII. ANNO 1195.

Sophon. 10.

1 Petr. 4.

XXV. Quomodo exitum ejus Angeli vel dæmones obſervabant.

EXitum ſanctæ ſancti Angeli obſervabant, & dæmones obſervabant, & ſorores. Tum ſubitò illa flere cœpit amariſſimè; poſt fletum, quod antè nunquam viſa eſt feciſſe, riſit cum lætitia magna: & ſic tertiò fletum iteravit, & riſum, non impos mentis, ut ſæpè fit, ſed optimè habens ſenſum. Nulli tamen indicavit, quare id eſſet factum. Super hoc conjectandi quisque licentiam habeat. mihi non ut ſapienti, videtur, cauſam fletus ſui dæmones fuiſſe, quos ſancta vidit, mala ejus numerantes & penſantes; angelos autem ſanctos bona opera è contra numerando ſuperantes; & ex hoc rectè ridens exultavit, ſicut defluerat, dum malignos fore victores extimuit. Ter verò ideò factum; quia tribus modis bonum vel malum committitur, cogitatione, locutione & opere, quæ ſingula inimici dæmones trutinant, ut primùm opera in trutina ponant, quæ ſi bonis præponderent, animam malè operantem vendicant ſibi; minora ſi ſint bonis, fugiunt victi. Adhuc tamen de verbis cauſantur, quæ & ipſa deducunt ad libram; & his victi ſecundam exhibent fugam. Poſtremò ne ultimam cogitationem prætereant indiſcuſſam, ubi ſi vincantur, ultra nihil juris habent in animam. Sicut autem ſpiritus mali ſtudent rapere, ita boni conantur eripere animas, ut nihil malorum patiantur deduci ad medium, quod fuerit ſatisfactione deletum: tantumque exaggerant boni bona, quantum mali mala. Credo huic ſanctæ de ſe vidiſſe iſtud datum, ſed dicere non fuiſſe datum, ut ipſa lætior, quò ſecurior de corpore exiret; & alium minus ſanctum fletu ſuo ſollicitum redderet, riſu quoque fiduciam non negaret.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1195.

XXVI. Quod in morte gaviſa eſt Viſionem ſanctæ Mariæ.

QUod & ipſa perſeverantia gaudii probavit. Nam ita læta jacuit poſtea, tanquam ad epulas invitata, & cum Angelis convivata. Vidit enim ſanctam Mariam dominam noſtram, vidit & ſalutavit. Ave, inquiens, Maria, gratia plena, Dominus tecum. & in Benedicta tu, defecit, & riſit, & magno tripudio exultavit. Obtulerunt ei ſorores imaginem ſanctæ Mariæ: manu avertit illam, convertens oculos ad viſionem quam vidit in ſpiritu, quaſi diceret, Ego ſaluto ſanctam Mariam, *Pro. 14.* non in imagine, ſed in veritate. Et ſicut extrema gaudii ſtultorum luctus occupat, *Pſ. 33.* ita expectatio juſtorum lætitia, & ſicut mors peccatorum peſſima, ita pretioſa in con- *Pſ. 115.* *Eccleſ. 1.* ſpectu Domini mors Sanctorum, in hac Sancta probatur. probavit dè ſe dictum: Usque ad tempus ſuſtinebit patiens, & poſtea redditio jocunditatis. Vidiſſes eam ad *Joſ. 7.* præceptum JESU obmutuiſſe, nec verbum de ore ejus exiſſe, circuiſſe muros ſeptem dies, & tunc clamaſſe, & clamore muros disjeciſſe, & morti mortem inſultaſſe, nec mortis amara præ dulcedine vitæ ſenſiſſe. Riſit tunc, ante non ridens, & videns *Job. 1.* impletam illam Baldad Suitis ſententiam: Deus non projicit ſimplicem, nec porrigit manum malignis, donec impleatur os tuum riſu, & labia tua jubilo. Evaſerat omnem anguſtiam, vidit ad vitam ſe transferri; perfecta merito, certa de præmio, vocatione Chriſti, & Angelorum conductu. Hæc illi cauſa riſus, hæc materia jubili; quæ potuiſſet in occulto fieri, niſi paraſſet illi Deus apud homines in benedictione memoriam, ſicut apud ſe gloriam, ut & nos traheret ad ſimilem vivendi formam.

XXVII. Chunrado gratias egit.

NEc dum tamen penitus defecerat, reſpiravit, & locuta eſt in gaudio, mirantibus cunctis, ſingulas quasque conſolando exhortans & confortans manus earum in Deo, & gratias ſingulis agens pro impenſo ſervitio. Vidit Chunradum nomine, fidelem & devotum ſibi, qui de milite converſus, & familia parentum ejus omne Monaſterii fecit opus. quem alloquens, multa conſolatione replevit, inſtruens verbis ſalutaribus. Tu, inquit, mihi adjutor & miniſter fidelis in Domino, benè ſerviſti mecum in officio domus Dei, en ego cucurri ad terminum, & hodie percipio bra- *2. Tim. 4.* vium: Supereſt mihi corona juſtitiæ, & requies æternæ vitæ: confide & tibi ſupereſſe, nec diu differri, quia tu mihi coronam magnam ex parte præparaſti. Si quid oratione, meditatione, vel lectione profeci, tu me reddidiſti expeditam, & tui laboris inſtantia, fuit requies mea; ita nunc erit merces tua cum mercede mea. Sta ergo nunc, & perſta, quaſi miles bonus, certa ut fidelis bonus athleta. Labor quidem eſt, ſed brevis & modicus, ad futuram gloriam, quæ nec modum habet, nec finem; quam ego nunc video, non tantùm per fidem, ſed certè per ſpeciem. Video coronas noſtras pro labore noſtro reddendas, tantæ jucunditatis, tantæ glóriæ, ut nullius ſenſus, nullius lingua tibi poſſit edicere. Perſevera benefaciens, adjicis quotidiè divitias tibi & gloriam in cœlo; ſicut ille qui theſaurizat, nihil contemnit in lucro. Hæc locuta eſt, & reincipiens à Dei laude non ceſſavit, quamdiu linguam movere prævaluit.

XXVIII. Quod inviſibiliter communicavit.

SAna frequentius communicavit, agnum comedens cum lactucis agreſtibus; quia *Exod. 12.* *Num. 9.* nunquam ſine lacrimis & amariſſimis fletibus communicavit, & poculum ſanguinis Chriſti cum fletu temperavit. Communicaverat, & in lecto doloris accipiens de con- *Jacobi 5.* ſilio ſancti Jacobi Apoſtoli, & Sacramentum unctionis ſanctæ, atque in ea indulgentiam peccatorum. Iſtud ab hominibus inter homines vivens. Sed jam cum Angelis victura, manibus communicavit angelicis. Ad finem deducta vocem ultrà non habuit, geſtu corporis præſentiam majeſtatis oſtendit, inclinans reverenter, hians ore competenter, glutiens gutture decenter, ſed & geſtum bibentis imitans, & inclinans frequenter. Hoc viſo miratæ ſunt ſorores, & qui aderant, ſed miraculum exhibens, animam mox ſolvit, communicans communicatoribus ſanctis in gaudio, & abiens cum eis ad rem Sacrament i de Sacramento, & de re fidei ad vultum ſpeciei.

Erat illic videre miraculum, ſigna non mortis in mortua; ſplendorem, ſed vitæ. viventi ſimilior, vultu roſeo, roſis martyrum admixtum oſtendit ſpiritum ſuum; ſed

lilii

Digitized by Google

lilii candorem imitans corpus reliquum, virginibus ſociam teſtabatur animam, tam ſpiritu quàm carne incorruptam. SÆC. XII.

Gaude nunc & lætare Mæthildis, filia Syon, & non captiva Babylonis, canta cum David canticum Domino in terra tua, quod plenè non poteras in aliena. Dic, dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, eo quod effugeris de fornace ferrea Babylonis, & habites in luce cum filiis lucis. ANNO 1195. *Pſal. 115.*

XXIX. Quod in tranſitu ejus pius fuit fletus ſed magis pium gaudium omnium.

CElebrantur exequiæ; ploratum ibi non eſt multum; nam lacrymas abſorbuerat gloria. magis gaudebant de virtute manifeſta; fletus ſi qui erant per ſe cuique ad ipſam non pro ipſa. Corpus olim jejuniis attenuavit, acceſſu infirmitatis prorſus abſumptum, nihil reliquit vermibus devorandum, ſed ſuper oſſa cutis extenſa hanc ab ea vocem Job elicuit: Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum, & derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos. Nonne & diſſimilis erat illi, qui cucurrit adverſus Deum erecto collo, & pingui cervice armatus eſt? Operuit faciem ejus craſſitudo, & de renibus ejus arvina dependet. Nihil horum in Mæthilde: Spiritus ejus rexerat artus, ad ferendum faciles, quò ipſe vellet, nec velle ipſius aliud, quàm ut de morte ad vitam tranſiret. Et factum eſt ita. Nihil exequiis defuit gloriæ ſpiritualis, Pſalmis, Hymnis, & canticis ſpiritualibus celebratæ ſunt, accenta luminaria plurima, ſed vento vehementi & frequenti extincta. Fecit autem Deus miraculum, ut cum præ flatu ventorum homines ſtare non poſſent, candelæ inceſſanter arderent, & cùm jam extinctæ viderentur, arderent denuò inviſibiliter reaccenſæ, & qui imperavit ventis & mari, voluit ſponſam ſuam luce, quam ſemper dilexit, nec in morte privare. *Job. 19.* *Job. 15.* *Mat. 8.*

XXX. De Chunrado quodam qui à gravi Capitis dolore ibidem curatus.

VOluit Deus oſtendere, quod viveret, & poſt mortem ſignum dans in fratre, qui mortuus fuiſſet, niſi mortua ſubveniſſet. Nomen illi Chunradus, non ipſe, quem proximo, ſed homo liber, ſpiritali amore converſus, ita infirmus capite, ut reſponſum mortis haberet quotidiè, ſed præcipuè poſt fletus in morte Abbatiſſæ. quid ageret? Uno tantùm gradu ipſe morsque dividebantur. Cœpit concepta fide audaciam, accedit ad mortuam, cogitans Evangelicæ mulieris exemplo, Quod ſi tetigero fimbriam veſtimenti ejus, ſalvus ero. Tetigit ipſe caput ſanctæ, & ſuo capiti ſalutem acquiſivit, quod ad mortem ultra usque non doluit, & ſe de cetero virtutis Abbatiſſæ teſtem & præconem dedit. *Marc. 6.*

XXXI. De gloria exequiarum ejus.

AFfuit de provincia plebis multitudo, exequias celebrantis. offertur pro ea ſalutaris oblatio, offerunt ſinguli ob ſui memoriam, commendantes Sanctam Deo, & ſe Sanctæ commendantes coram Deo. Vicini aderant fletu ejulantes, viduæ & orphani damna ſua plorantes, ac ſi Dorcas jaceret præſens, & oſtenderent Petro, quas illi tunicas feciſſet & veſtes. Affuerunt & infirmi ſanati ab ea, confitentes illas, & illas infirmitates ſe evaſiſſe per eam: ſed per hoc celaſſe, ne Sancta gravaretur. Siquidem fuerat comminata, ſi proderent, quòd in eadem mala reciderent. Hæ minæ finem acceperunt in morte ipſius; illuc usque pactum fuit; poſtea quod vellent, dicere licuit. Proceſſerunt plurimi tunc, qui dicerent, ille, ſe cæcum fuiſſe, & vidiſſe; ille, ſurdum & audiſſe; ille paralyticum, & convaluiſſe; & alii atque alii diverſas & innumeras infirmitates per eam evaſiſſe. Venerunt etiam infirmi ad exequias: plurimi ſanati ſunt, quorum numerum ideo non ſcribo, quia præſentium negligentia non annotavit. Invidia quoque ſi affuiſſet, pro evidenti miraculo celare non potuiſſet. *Act. 9.*

Sepulta eſt cum honore, poſita in Dyezzen, ante altare ſancti Joannis Baptiſtæ, ſpiritu ejus exultante in Domino, & corpore ejus in teſtimonium illic poſito, contra eos, qui agunt vitæ illius contraria.

Age nunc Sancta Dei, cognoſce figmentum noſtrum, cognoſce & tuum, & te nihil potuiſſe, præter auxilium divinum, idemque nobis impetra ad faciendum bonum. & ſi tuum non poſſumus attingere meritum, ad gloriam eminentem, vel pœnam poſſimus evitare per te, Deo conjunctam, in omnipotente nihil non potentem. *Rom. 6.* *Mar. 13.*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1195.

Regnas cum Deo, da ut non regnet peccatum in mortali corpore noſtro. & qui tibi contulit fructum centeſimum cum virginibus, conferat nobis ſexageſimum cum continentibus; imò vel triceſimum cum conjugatis ſibi placentibus. Ornet te lilium in corona gloriæ, & ſerto exultationis; nobis fiat vel viola teſtis pœnitentiæ & humiliationis. Tu ſedeas cum ſponſo in throno regni, dormias in ſinu ejus, conſors quietis, & ſocia thalami; nobis ſufficiat evaſiſſe ſupplicium, & in regno cœlorum vel ultimos fieri. Tu cum virginibus virgo ſequaris agnum, quocunque ierit, & cantes canticum novum; nos verò per lamentationes propheticas declinemus illud væ tormentorum. Tu poſtremò ſedeas cum Chriſto judex vivorum & mortuorum, nos cum dextris aſſiſtamus in numero benedictorum, percepturi regnum tuis precibus, quod non poſſumus juſtitia meritorum, ipſo præſtante, qui vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Rom. 6. *Mar. 13.* *Apoc. 14.* *Mat. 19.*

XXXII. Defunctæ crines abſciſſi contra tonitruum valent.

AD finem nimium feſtino. Supereſt unum dicere, quod hiſtoria prohibet reticere. Conſilio Pauli comam nutrierat dicentis: Mulier ſi comam nutriat, gloria eſt illi. Quod audiens, & obediens, nequid mandatorum præteriſſe videretur, cogitavit obſervare, acquieſcens verbo doctoris, non ſpeciei corporis. Nam capillos ita velatos habuit, ut nunquam viderentur; & laboris plus quàm decoris fuit, eos non tonderi, cum laſciviæ ejus nihil ſervierint, ſed totum oneri corporis, totum militiæ ſpiritus; & oculus ejus ſimplex eſſet in omnibus. Defunctæ abſciderunt eos, ſervantes pro reliquiis: nec fallit pietas fidei. nam tactu eorum ſæpe ſanantur infirmi. Certiſſimo autem ſunt remedio contra tempeſtates & fulgura; & ſurgentibus ventis, atque minitantibus, capillos Sanctæ ſuſpendunt in aëra; ſicque tempeſtates conquieſcunt, conticeſcunt tonitrua, ac ſi Dominus Jeſus imperet eis, ſicut in mari quondam, ita nunc in terra. Hoc tam ſolitum in Monaſterio, tam notum in provincia, ut capillorum S. Mæthildis oſtenſio, ſit tempeſtatum depulſio: nec poſt mortem ejus illic noxiæ fuerint, cum prius ſæpe nocuerint.

1. Cor. 11. *Mat. 8.*

Oremus & nos Sanctam, ut ſanctitatis ſuæ meritis nos defendat à tentationum tempeſtate, protegat precibus ſuis à diaboli laqueis ignitis; accendat potius ſpiritu judicii, & ſpiritu ardoris, ut zelum habeamus Dei per dilectionem, & animum contemperatum proximo per diſcretionem. Impetret nobis S. Mæthildis S. Spiritus gratiam; depellat iram, ſedet invidiam, extinguat odia, premat ſuperbiam, ſanet conſcientiam, occidat luxuriam, tribuat caſtitatem, adaugeat fidem, cumulet ſpem, adjiciat charitatem, ut ipſum, qui charitas eſt, videamus Deum in illa bonitate electorum viventem, & regnantem in ſæcula ſæculorum. Amen.

In MS. erat præterea hymnus de S. Mechtilde; & officium Miſſæ de eadem.

ECKER.

Digitized by Google

ECKERHARDI
DECANI
SANCTI GALLI,
DE VITA
B. NOTKERI,
COGNOMENTO BALBULI,
MONACHI S. GALLI.

ITEM,

Actus sive Proceſſus Canonizationis ejusdem BEATI NOTKERI, permiſſu & authoritate ſanctiſſimi Domini Leonis Papæ hujus nominis Decimi &c. à Notariis juratis publica fide conſcriptus.

Ex MS. Bibliothecæ ejusdem Celeberrimi Monaſterii S. Galli.

JACO-

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1198.

JACOBI BASNAGII DE EKERHARDO OBSERVATIO.

I. *Eckerardi quinque. Vita Notker. c. 51.*

I. *Eckerhardi* vel *Eckehardi* fuerunt quinque. Prior Sæculo decimo vixit in Monasterio Sangallensi decanus, hoc est decem monachis præfectus; alter *Ottoni* fuit a sacris an. 963. & Sangallensium suorum fuit patronus dum apud Imperatorem variis de causis traducerentur. Tertius Sæculo undecimo decanatu functus est in Monasterio Sangallensi, qui scripsit vitam Virobadæ. Quartus *Junior* dictus eodem tempore, hoc est, anno MXL. scripsit *de Casibus Monasterii Sangallensis*, quemadmodum antea fecerat *Ratpertus*, incipiens à temporibus B. *Columbani* usque ad *Salomonem* Episcoporum, hoc est, nonum desinens Sæculum. Cæteris omnibus recentior est *Eckerhardus* de quo nunc agitur; testatur ipse vitam *Notkeri* elucubrasse ducentos aut circiter annos post ipsius mortem. Obiit autem *Notkerus* an. 912. sed cave ne *Eckerhardum* annos acurate computasse conjicias; asserit enim alio loco *Udalricum* Romam Profectum cum *Innocentio* III. Pontifice Sermonem de *Notkero*, cujus tunc nulla celebrabatur festivitas, habuisse. Vixit igitur *Eckerhardus* hujus nominis quintus, vitæ *Notkeri* scriptor, ad sæculi duodecimi finem vel sub decimi tertii initia.

c. 18.

II. *De vitâ Notkeri.*

II. Asserit *Eckerhardus* se *Notkeri* Gesta qualia à prioribus fuerant relicta compilasse. Nullus apparet *Notkeri* vitæ scriptor præter *Eckerhardum Juniorem*, quanquam revera nostro fuerit senior, qui aliqua de Notkero *in casibus Monasterii Sangallensis* attigerat. Deinde vero qua fide alienas schedas descripserit *Eckerardus* facile patebit. Primo quanquam ipse notaverit plures eodem tempore fuisse *Notkeros Sangallenses*, ipsi tamen parum noti fuerunt. *Notkerum Piperis Granum* dictum ob acrimoniam vel severitatem a *Notkero Physico* distinguit, quamvis unus idemque sint; deinde vero *Notkero Balbulo* cæcitatem tribuit, quam passus est Medicus, non Balbulus.

Eckerhardus. c. 10. c. 13. c. 17. c. 18. c. 29.

Secundo *Notkerum Balbulum Carolo Magno* coævum, imo ipsius nepotem facit; nec in errorem dormitans incidit, quippe ita frequenter inculcatur ut partem vitæ cum *Carolo Magno* transegisse videatur *Notkerus*, qui *Carolum* numquam vidit nec videre potuit, ut pote qui centum annis post *Carolum Magnum* obierit. Ut a mendo liberent *Eckerhardum* Critici, ultra Sæculum vitam produxisse Notkerum affirmant; sed levi imo prorsus nullo argumento. Multa nullius momenti, multa incerta, multa veritati adversantia referuntur hac in vita *Notkeri* in album Sanctorum a *Leone X.* relati, quamquam nihil certius de eo habeatur. Ob plurima menda quibus scatebat illa vita, omissa fuit in Actis Benedictinis; sed legitur apud socios Bollandianos ad VI. Aprilis.

INCI-

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1198.

INCIPIT PROLOGUS IN VITAM BEATI NOTKERI COGNOMENTO BALBULI.

Capitulum primum.

IN primis conqueror, quod maxime ſubolet, perfectos viros ac ſapientiſſimos in Cœnobio beati Galli degentes, multorum patrum ſive fratrum inibi commorantium, laudabilia geſta non ſcripſiſſe, atque dixiſſe. Ideo multo mœrore affectus ſum: demiror valde quid cauſæ exſtiterit, quid tanti viri, quibus immeritus eſt mundus frui: Quorum inſtitutione informatur Clerus, per quos omnium artifex, Spiritus ſanctus voluit ornare officium divinum: In quo jocundantur animæ juſtorum, quorum doctrina fulget & lætatur Eccleſia Dei, non ſolum per Alamanniam, verumetiam à mari usque ad mare, & in univerſo mundo usque ad terminos orbis: In hymnis & ſequentiis, in tropis & letaniis, in diverſis cantibus & melodiis pluribusque Eccleſiaſticis diſciplinis. Nam cum ſciamus eorum ſanctiſſimos atque doctiſſimos fuiſſe: & in ſanctorum numero aliquos ipſorum aſcitos, grave nobis & tædioſus eſt, nihil de eorum virtutibus ſcriptum repe-

Nemo ſcripſit vitam Notkeri.

Notkeri Hymni &c.

riſſe: Sed nos eadem quamvis modica geſta quæ majores in ſcriptis nobis relinquerunt, de Notkero cognomento Balbulo, viro doctrina ſophiæ tunc in tempore famoſiſſimo, meritorumque ſanctitate beatiſſimo, ejusque ſodalibus, quæque invenimus in cedulis, in unum compilare ſtuduimus: licet enim huic operi longe impar ſim: laudabilis vitæ converſatio & ſapientia prænominati Notkeri balbuli, valde hoc expoſcit, ut lucerna tam clara non ſub modio, ſed ſuper candelabrum ponatur, ut luceat omnibus qui in mundo ſunt. Virtutes quoque ſancti viri ſuamque vitam digne ſcribere non tepentis animi officium eſt: cum ad hoc opus ſufficere non credam quemlibet ſapientiſſimum: Quidam vero in rationis inquiſitione aut in ornatu eloquentiæ laborantes, ea quæ ſimpliciter proferri poſſent & plane; audientibus vel legentibus faſtidium ſæpius præbent. Nos itaque nec Donati regulis ad plenum imbuti, vel Grammatica Priſciani, minusve Dialecticis verſutiis exercitati, nec Rhetoricis floribus Philoſophicæ eloquentiæ exhilarati; non in ſublimitate ſermonis; ea quæ collegimus, vera fideli humilitate, dictante rationis juſtitia exequemur: Unum vero timendum & verendum mihi eſt, cum narravero magnalia facta ſanctorum; ne dicat mihi Deus peccanti *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Ego non de juſtitia præſumendo; ſed invocato ſancto viro Dei, ut meritis ipſius & precibus adjutorium per Spiritus ſancti gratiam mihi conferatur, ut inceptum opus devote perficiatur, quod quaſi libamen aliquod ad deguſtandum auribus & animo veſtro propono. Si quid vero diſplicuerit; rogo ut emendetur & nobis concedatur.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1198.

INCIPIT VITA BEATI NOTKERI BALBULI MONACHI.

CAPITULUM II.

Virtutes varias Deus dat.

CHRISTUS Dei virtus & Dei ſapientia, qui miſericorditer, ut nos à peccatis liberaret, formam carnis ſibi aſſumpſerat peccatricis: Sicut nos peccatores per diverſas vocat ætates: Ita etiam propter diverſas meritorum virtutes juſtificat & ſalvat. Quosdam enim adhuc in utero ſanctificat & replet Spiritu ſancto. Quosdam autem in lacte matris licet virtutum qualitates non diſcernentes, ornatum (*a*) pudicitiæ ſuperinduit. Alios autem adhuc pueros, ut à laſcivitate quieſcant continentiæ dote roborat: Ipſos vero juvenes maximam carnis adverſus ſpiritum pugnam quaſi nimis ferventes paſſos, in victoriæ corona triumphare donat: Senes jam quaſi ad mortem declinatos, ad pœnitentiam revocat: Eos denique qui in decrepita ætate ſunt, variis affectos tribulationibus, tandem amore cœleſtis patriæ ad ſuperna ſuſpirare concedit. Has igitur virtutes licet partim & per diverſas ætates aliquibus det, multos tamen videre licet, quos Eccleſiæ ſuæ ſpeculum & formam propoſuit. Ut eum de quo nobis ſermo eſt, omnibus his virtutibus decorat. De cujus virtutibus ea quæ virorum valde venerabilium veraci relatione didici: vel pro quantitate ut ſcripta in continenti comperi, ne amore loci aliquid fingere arguar, ſimpliciter humili caraxatione proſequamur, & ſingula ejus facta vel dicta ſanctarum Scripturarum auctoritatibus, eo Spiritu quo vir ſanctus abundabat corroborante, confirmantes: ad relationis noſtræ propoſitum redeamus.

CAPITULUM III.

Notkeri nativitas & educatio.

IGITUR beatus Notkerus de pago qui Turgowe dicitur, oriundus fuit & in vico qui Sacerpagus vocatur Latine, vulgariter vero appellatur Heiligotwe/ à nobiliſſimis progenitoribus procreatus eſt. Nam de Carolorum genere & ſanguine & (*b*) Saxonum antiquorum: de quibus illo in tempore Imperatores Ottones orti ſunt, erat parentum proſapia. Etymologiam vero ſui nominis per vices temporum adimplens: cum Apoſtolo *neceſſarie deſiderans* (*c*) eſſe cum Chriſto multo melius: Sed tale nomen in tali loco non caſu arbitror accidiſſe, ſed Dei diſpoſitione: ſine cujus nutu nec pluviæ gutta in terram cadit. Filius enim Dei qui Bethlehem ubi naſceretur, elegerat, Nazareth ubi nutriretur, Jeruſalem ubi pateretur, quique loca ipſa nominibus (*d*) tantis ſacramentis convenientibus voluit appellari: Cujus præfati parentes, cum ſæcularis vitæ nobilitate eleganter floridi pollerent, ab ipſo matris utero filium ſuum Grammaticæ artis flagello ſubdere devoverant. Quia vero in Monaſterio Sancti Galli ſeptem liberalium artium ſtudium, & regularis vitæ rigorem vel diſciplinam florere audierant, Spiritu ſancto eis tale deſiderium inſpirante, ut eundem locum virtutibus tanti viri, ob meritum beati Patroni adornaret, monaſticæ eum vitæ ibidem ſubjicere propoſuerant. Proceſſu etiam temporis, poſtea eorum pene omnis ſubſtantia collata eſt huic

(*a*) *Ornatu. Hanck. n. m.ſ.*
(*b*) *Forte abundat. Hanck. n. m.ſ.*
(*c*) Papebroch Nothghere interpretatur deſiderium rerum neceſſariarum; & quidem hodierno die *Noodig* Batavis eſt, *neceſſarium*; *begeertre* vero *deſiderium* ſignificat; ex abbreviatis illis vocabulis facile fit *Notger*; quemadmodum ſæpius imo frequentius dicitur Notkerus. BASN.
(*d*) *Tanquam. Hanck. n. m.ſ.*

Digitized by Google

huic Monaſterio. Quem etiam ſub Archimandrita qui tunc loco huic præerat nomine Grimaldo Abbate Canonico, admodum venerabili & ſanctitate honeſto viro, regulariter Domino & Patri Gallo cum oblatione deferentes, atque inibi ſacræ inſtitutionis gratia Spiritus ſancti prælibuto, coma capitis ſub ejusdem Abbatis regimine depoſita, magiſterio Yſonis omnium artium eruditiſſimo, & maxime divinarum Scripturarum peritiſſimo imbuendus traditur. Litterali itaque diſciplinæ bonæ indolis puer appoſitus, tanto ingenio quæque docte didicit, ut facile agnoſceretur, non hoc humani ſtudii eſſe capacitatem, ſed divini Spiritus operationem: Qui ſicut in Regum libro legitur de David, Spiritum ſanctum accipiens infantulus per omne tempus vitæ ſuæ manſit cum eo, & in reliquum. Namque ut ejusdem Paracliti gratiam in baptismate ſuſceperat: ita à pueritia per omnes ætates in DEI timore immaculatus conſervabat. Præterea ſine quibus homo eſſe non poteſt vivens, nunquam de ſecreto cordis ſui, ubi verum Dei templum eſſe debet, eam expulerat. Hic quaſi novus Daniel, adhuc puer, ſeniorum patrum diſcutiebat facta, ac tanta diſcretione penſabat, ut quicquid virtutis in eis videret conveniens ætati ſuæ, hoc in abſcondito mentis ſuæ depingens imitaturus recondidit: Si quid aut vitioſum vel reprehenſibile ſenſerat, aut unde ſibi ſuſpicio naſci poſſet, ſtatim ad ſui ipſius reſpiceret miſeriam: Sciens quia vix eſt homo qui non aliquando excedat, pro rigore magiſterii clauſtralis diſciplinæ, qui ſemper in eodem loco ob cuſtodiam ſanctæ regulæ puerili ætate maximus inerat: Nolens vel audens arguere, ſed cito removens à ſe, & longe de ſuæ recordationis intentione abjiciens: Erat enim ei in deſiderio magis cœlibem in terris ducere vitam, & fraternam charitatem conſervare ad omnes, quam oculo ſuſpicionis alere odium nutrimentum detractionis. SÆC. XII. ANNO 1198.

CAPITULUM IV.

SANCTUS vir Dei cum de infantili ſimplicitate proceſſiſſet ad juventutis florem, animum tamen ſemper habebat firmum ad devotionem propoſiti boni, ſciens ſcriptum: Adoleſcentia & voluptas vana ſunt, plus ſe convertens in illam ſententiam quæ dicit: *Lætare juvenis in adoleſcentia tua:* Nunquam eo ſe jocundiorem exhibebat, ſed amplius gravitatis exempla præbebat coævis: Amoris namque flamma ſic ardens, & quotidie in oratione mentem afficiens & carnem macerans, per compunctionis lachrymas nihil terrenum nil tranſitorium quærens, ſolus ſibi vacabat, ut ei qui omnia fecit, mente collecta in unum adhæreret, & ejus deſiderio tranſcendens mundana omnia: Non jam timore pœnarum, non memoria vitiorum, ſed dilectionis igne ſuccenſus cum odore virtutum. Ita ut merito in ſponſæ laude diceretur animæ ejus: Quæ eſt iſta quæ aſcendit, per deſertum ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii? Itaque juſti viri oratio concepta ex virtutibus intimi amoris: quaſi fumus ex aromatibus lachrymas elicere ſolet, quia dum ſola cœleſtia poſtulat, fit plerunque interdum tantæ ſubtilitatis vis amoris, ut hanc nec ipſe animus comprehendere poſſit, qui illuminatus haberi meruit: & ideo thuris, myrrhæque incenſum ſacrificat: Dum aſſidue carnis vitia mortificat, & ad Dei viſionem, ad quam pervenire medullitus inardeſcit: ſeque ipſum in bonis virtutum operibus Deo exhibet, & exercet, ac ſic velut pigmentariorum pulveres offertur. *Notkeri adhuc Juvenis pietas.*

CAPITULUM V.

HABEBAT vir beatus defectum à pueritia, eo quod tardioris & impeditioris linguæ eſſet, ſed velociſſimus erat facundia ſpiritus. Erant enim in eodem Monaſterio tres Notkeri vocabulo nominati viri doctiſſimi & nobiliſſimi genere. Sicuti cœnobium ſancti Galli ab exordio ſui ſemper habuit nobiliſſimos filios magnorum terræ Monachos: Horum trium virorum unus dicebatur Notkerus Phyſicus, qui & Abbas poſtea factus, vir multæ ſcientiæ & prudentiæ magnæ, doctor & pictor valde ingenioſus: cujus geſta habentur in libro caſuum Monaſterii: In cujus electione cum à ſenioribus domus præſentaretur Imperatori Ottoni Magno, ſprevit nimiam juvenilem ætatem in homine, timens ruinam domus & diſciplinæ, reſponſum eſt à Ruperto Decano: Et in hoc errat oppidò diſcretio Regis: Inter tot utique Marias optimam partem dudum eligentes, nec unam quidem Martham quæ ſollicita ſit, & circa frequens miniſterium ſatagere velit, invenire potuimus. Ideoque talibus relictis, ad minorem ætatem deſcendimus, & optimam mihi crede, ſi eam digneris ſuſcipere, comperimus. Qui tandem annuens votis, inveſtitum cum ſociis remiſit. Veniens ergo *Notkeri plurimi.*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1198. ergo domum ita gratanter & gaudenter receptus est: ut cum Tullio meliori quidem ipse concinnare potuerit metro: O fortunatam Galli me * consule cellam. Erat alter Notkerus qui cognominabatur piperis granum, eo quod fuit valde acris ingenii, homo doctissimus, strenuus ac religiosus. Notkerus de quo nobis sermo est, qui cognominabatur Balbulus, voce quidem, sed spiritu eloquentissimus. Quod non casu ei evenisse putandum est. Sed sicut beatus Moyses, ex quo loqui cum eo cœperat Dominus, ineloquentem se fatebatur: Ita iste accepta sancti Spiritus gratia, redditus est exterior homo elinguis, ut interior loqueretur plane.

* *Præsule Hanch. n. m. s.*

CAPITULUM VI.

Notkeri virtutes. STUDUIT namque vir Deo plenus, ut gratiam collatam sibi de facili non amitteret, omni custodia muniens cor suum: orationi, vigiliis, jejuniis, abstinentiæ & patientiæ operam dedit, ac subito se ipsum transcendens, juxta illud Esaiæ: *Qui ingrediuntur impetu ad Jacob, florebit & germinabit Israel, & replebunt faciem orbis semine.* Omni vero impetu nisus est sternere carnem, superare dæmones, ut perveniret ad eam celsitudinem, qua invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiceret. Ideoque oculum contemplationis per fenestellam dirigens humilitatis, ad supernam civitatem Jerusalem, & ad universum inibi cœtum filiorum Israël, id est, videntium Deum, ubi de plenitudine sedentis in dextra, id est, Domini nostri Jesu Christi acciperet, unde repleret sanctam Ecclesiam per latum orbem diffusam semine, id est, exemplo, doctrina & laude. Sacros vero ordines, quos adhuc puer ipse susceperat, ita beatis moribus ornabat, ut si ætatis teneritas non repugnaret, altioribus quibusque sacramentis coaptari potuisset: Cumque puerilem ætatem cum coævulis suis, & earundem virtutum suarum æmulis transiret, ita se eisdem in omni familiaritate & morum honestate conjunxerat, ut in ipsis laudem sine invidia, & pares amicos facile invenias. Ea autem quæ vitiosa juvenum & lubrica ætas exposcit, sicut est, discurrere, vagari, circuire, lascivire, superbire, ambire, voluptatibus uri, stulta consortia, inutilia loqui, & alia plura quibus juvenes afficiuntur, ita prorsus detestatus est, ut nunquam extra portas Monasterii, nisi obedientia coactus pedem posuisset: Et cum firma religio eum id compulisset: quasi fortius pugnaturus, antequam egrederetur, signo crucis se muniens, veniis per singula altaria sanctorum sibi cum lachrymis expostulans præsidia, prostratus etiam fratrum religiosorum pedibus, ne aliqua sæculari macula, vel delectatione inficeretur, deprecatus est ut orarent: Nam Psalmus vel sancta meditatio foris dum esset, raro aut nunquam defuit: Cætera quæque parvipendit, ista nunquam neglexit: In Monasterio vero nullus eum unquam de solio surgere vel ambulare, nisi ordinate viderat, nunquam se juvenum vel sodalium jocis immiscuit, sed ipsis jocantibus, quia extrema gaudii luctus occuparet sæpius proclamavit: Sed nec illius præcepti oblivioſus auditor: In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. Fuit quidem in omni mansuetudine omnibus subditus: & ad serviendum promptissimus: etiam Domini sui factus imitator, qui ad filium Regis non ivit, cellæ infirmorum frequentius interesse, quam cum sanis conversari studuit. Quos blande consolatus, ne ipsam infirmitatem inaniter, sed ad suorum veniam peccatorum proveniſſe sperarent, fideliter monuit. Sordes autem & fœtores infirmantium ita familiariter & delectabiliter passus est, quod non fœtoris, sed dulcissimi odoris redolentiam eum sensisse putares.

CAPITULUM VII.

Mulieres devitat. PRÆPOSITURAS vero & decanias aut alicujus ordinis officium seu prælationem nunquam concupivit: Dicens prælationem sæpius superbiam, jactantiam, arrogantiam, discursus & multiloquia comitari, & huic sine crimine interesse, non humanæ virtutis, sed divinæ donationis fore. Ipsis tamen conpassus, non transgredientes dure aut strenue arguit, sed eos priorem sibi requiem fletibus & precibus exposcere diligentius rogavit. Prælationes enim aliquando ex virtutibus, quandoque etiam ex vitiis ad majorem ipsorum damnationem occulto Dei judicio provenire conteſtatus est. Mulierum quoque colloquia quasi certos tentatoris laqueos fugit, à forma ipsarum etiam consanguinitatis catena conjunctarum oculos dimovit, dicens cum Psalmista: *Averte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua vivifica me.* Castitatis videlicet & cordis mundiciæ tam arduus sectator & amator extitit, prout ipse sæpius ad exemplum cum sociis confabulabatur, ut agni vestigia immaculatus sequi posset:

Nun-

Digitized by Google

Nunquam præſtigiis aliquarum fœminarum dæmonum inſtinctu imaginationi conſenſit, ut ullo fornicationis genere ſe pollueret, ſed mentem ſuam ſub tali cautela ſervabat, ut juxta beati Job exemplum nec quidem cogitaret de virgine: Si quos etiam ſermones bleſos aut riſui aptos proloqui audierat, illis quia de omni verbo otioſo reddituri eſſent rationem, caritatis amator prædixit. Narrando ſive laudando viri ſanctiſſimi Notkeri balbuli geſta, laudes ſociorum ejus minime queo reticere. Ideoque parcendum eſt mihi, ſi neceſſitate compulſus, plectro linguæ à latere tangam cordam, qua reſonent virtutum facta vel dicta dulciſſimi viri ſodalium laude digna huic operi inſerenda. SÆC. XII. ANNO A. 1198.

CAPITULUM VIII.

CUM beati viri mens micis de magna menſa ſanctæ Scripturæ cadentibus ſaturata, cum ſodalibus Raperto & Tütilone æque Monachis ſub Yſone Magiſtro hoc in tempore litteratiſſimo, artium liberalium ſubtilitates, non pro gloria ſeu favore ſæculari, ſed pro utilitate ſanctæ DEI Eccleſiæ admodum ſatis edocta eſſet, & in divinis non mediocriter prælibata adepta fuiſſet, tamen cupiens amplius imbui, poſtulans in fide, nihil hæſitans Spiritum ſanctum, qui eum ab infantia repleverat, qui ubi vult ſpirat, ut ejus deſiderium compleat. Nam ſicut terræ arenti ſerotinum imbrem, quo infundatur, ut germinet, mittit: Ita mox quendam Epiſcopum Scottigenam nomine Marcum Dominus miſit ad cellam ſancti Galli: Qui rediens à Roma repatriare volens, Gallum tanquam compatriotam ſuum viſitat: Cui comitabatur filius ſororis Mœngal nomine: poſtea à noſtris Marcellus diminutive à Marco avunculo ejus eſt vocatus: Hic erat in divinis & humanis ſcripturis eruditiſſimus, cujus doctrinis beati viri Notkeri ſitibundum cor infuſum refocillatum eſt. Cumque à fratribus honorifice ſicut Epiſcopum decuit, ſuſciperentur, cognita beatus vir Notkerus ſcientia ſupradicti Marcelli, cucurrit ſubito ac preces Domino fudit, obnixius cum lachrymis oravit, ut eis voluntatem ibi morandi ob meritum ſancti Galli daret, petiit: Qui ſtatim exauditus eſt. Itaque tantum deſiderium loci & regularis vitæ, utrumque Spiritus ſancti gratia id operante cœperat, ut ſi abire etiam cogerentur, ipſi quantum viribus prævalerent, ſtare repugnarent. Quid plura? Rogatur Epiſcopus cum ſociis loco noſtro aliquandiu ſtare allecto nepote, diuque ſecum deliberantes, tamen tandem conſenſit remanere Epiſcopus cum nepote, & paucis ſuæ linguæ apparitoribus. Cæteris igitur repatriantibus ſtola indutus abeuntes benedixit, & multis lachrymis utrinque diſceſſum eſt. Traduntur poſt breve tempus Marcello ſcholæ clauſtri cum beato Notkero balbulo & cæteris Monachici habitus pueris. Exteriores vero, id eſt Canonicæ Yſoni cum Salomone & ejus comparibus: Iſte Salomon quis vel qualis fuerit in ſequentibus dicemus. Marcello vero præſidente, mentes diſcipulorum Notkeri, Raperti, Tütilonis aliorumque, ſeptem liberalium artium ſcientia ad plene imbuit: Muſicæ autem jocundiſſimæ arti, diligentius hi tres præ cæteris animum appoſuerunt, ſed præ omnibus ſanctus Notkerus: Quæ cum cæteris artibus ſit naturalior, & quamvis difficilius apprehenſa, uſu quidem ſit commodior ac ſuavior, tantum in ea demum prævaluerant, quantum in ſingularum operibus quæ jam ante tetigimus aliarum ſex artium, ſcilicet: Tres iſti diſcipuli Marcelli, Notkerus balbulus, Rapertus, Tütilo. Ita unanimes in omni familiaritate, virtutum honeſtate, & morum converſatione erant, ut eſſet eis cor unum, & anima una eſſet. Individui in amore fraternæ charitatis, & ſicut mater unicum filium, ita amabiles in vita ſua dilexerunt ſe, & cum morte ſint ſeparati, in regno tamen Chriſti in unum ſunt congregati, & quamvis votis eſſent unicordes in fraterna caritate, natura tamen, ut fit, erant diſſimiles: Quantum autem vir Domini Notkerus cum ſociis in arte Muſica profecerit, ſubſequentia declarabunt. *Notkeri Studia ſub Yſone & Marcello.*

CAPITULUM IX.

DUM more ſapientiſſimi Salomonis ſecundum inſtitutum Regis David patris ejus in domo Domini propter compunctiones Muſicæ dulcedinis beatus Papa Gregorius, ut ſcribit de eo Joannes ſedis Romanæ Archidiaconus, antiphonarium centonem ſtudioſiſſimus nimis utiliter compilaſſet, Scholam etiam cantorum, quæ hactenus eisdem inſtitutionibus in ſancta Romana Eccleſia modulatur conſtituit: Hujus ergo modulationis dulcedinem inter alias Europæ gentes, Germani ſeu Galli ſive Alemanni, diſcere crebroque rediſcere potuerunt: Incorruptam vero tam levitate animi, *Germani muſicæ inepti.*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1198.

qua nonnulla de proprio Gregorianis cantibus miſcuerunt, quam feritate quoque naturali minime ſervavêre. Alpina ſiquidem corpora vocum ſuarum tonitruis altiſone perſtrepentia, ſuſceptæ modulationis dulcedinem proprie non reſultant. Quia bibuli gutturis barbara groſſitas, dum inflexionibus & repercuſſionibus & diaphoniarum diphthongis mitem nititur edere cantilenam, naturali quodam fragore quaſi plauſtra per gradus confuſe ſonantia rigidas voces jactat: Sicque audientium animos quos mulcere debuerant tales, exaſperando magis ac obſtrependo conturbant: Ejusmodi gens ſi forſan deſunt bona naturalia, vel ſi nolunt aut non poſſunt bonum modum adipiſci, ſtatim deſpiciunt, & incidunt in illam ſententiam: Stulti contemnunt ſapientiæ doctrinam, & cum ſint incompoſiti moribus, & incompta voce, magiſtri tamen & rectores propter alicujus quem arrogant ſibi religionis intuitum volunt videri, & ſolummodo ipſi non percipiunt: verum etiam alios impediunt, ut non percipiant modulaminis dulcedinem & intellectus. Hinc eſt quod hujus Gregorii tempore cum Auguſtino tunc Britanniam adeunte, per Occidentem quoque Romanæ inſtitutionis cantores diſperſi, barbaros inſigniter docuerunt. Quibus defunctis, Occidentales Eccleſiæ ſubito ſuſceptum modulationis organum vitiarunt. Iterum Joannes quidam Romanus cantor cum Theodoro æque Romano, ſed Eboraci Archiepiſcopo per Gallias in Britannias à Vitaliano Papa deſtinatur. Qui Joannes circumquaque poſitarum Eccleſiarum filios ad priſtinam cantilenæ dulcedinem revocans, tam per ſe quam per ſuos diſcipulos, multis annis Romanæ doctrinæ regulam ſervaverunt, ſed his defunctis ſtatim deviarunt. Hic eſt ille Vitalianus Præſul, cujus adhuc cantum quando Apoſtolicus celebrat, quidam qui dicuntur Vitaliani, ſolent edere in præſentia ejus.

CAPITULUM X.

Cantus Eccleſiæ Romanæ.

INTEREA Carolus qui dicebatur Magnus, Rex Francorum, cum eſſet Romæ, offenſus diſſonantia Romani & Gallicani cantus, cum Gallorum procacitas à quibusdam noſtratibus næniis argumentaretur eſſe corruptum, noſtrique è diverſo authenticum antiphonarium propabiliter oſtentarent, interrogaſſe fertur, quis inter rivum & fontem limpidiorem aquam conſervare ſolet? Reſpondentibus fontem, prudenter adjecit: Ergo & nos qui de rivo corruptam lympham hactenus bibimus, ad perennis fontis neceſſe eſt fluenta principalia requiramus. Mox itaque duos ſuorum induſtrios Clericos Adriano Papæ dereliquit: His quidem ſatis eleganter eruditis, Metenſem Eccleſiam ad ſuavitatem modulationis priſtinæ revocavit, per quam totam Galliam correxit. Sed cum poſt aliqua tempora, defunctis his, qui Romæ educati fuerant, cantum Gallicanarum Eccleſiarum à Metenſi diſcrepare prudentiſſimus Regum vidiſſet, ac unumquenque ab alterutro vitiatum cantum jactantem adverteret: Iterum inquit redeamus ad fontem. Fuit interim in maximo deſiderio Prælatis ſancti Galli & beato Notkero aliisque magiſtris ibi degentibus, ut cantum ſecundum authenticum antiphonarium regerent, & melodias Romano more tenerent. Qualiter autem iſta proſecuti ſunt, intimare curavimus poſteris. Mittens ergò Imperator Carolus Romam, ad Adrianum Papam, rogat, ut ei iterum mittat duos Romanos cantuum gnaros in Franciam. Tunc Papa regiis precibus annuens, juxta petitionem ſuam ſecundo duos mittit, cum authenticis antiphonariis, & ſeptem liberalibus artibus: quorum Imperator omnes quidem corripuiſſe dulcedinem Romani cantus, levitate quadam cognovit. Vocabatur unus eorum Petrus, & alter Romanus, cantuum & ſeptem liberalium artium admodum paginis ſatis imbuti Metenſem Eccleſiam ut priores adibant. Qui cum in ſeptimo lacuque Cumano aëre Romanis contrario quaterentur, Romanus febre correptus, vix ad nos usque pervenire potuit. Antiphonarium vero ſecum Petro renitente, vellet nollet, cum duos haberent, unum ſancto Gallo attulit. In brevi autem tempore, Domino ſe juvante, convaluit Romanus de febre. Petrus quidem pergit ad Imperatorem, qui comperto de Romano, mittit celerem nuncium, qui eum ſi convaleſceret, nobiſcum ſtare nosque inſtruere juberet. Quod ille quidem patrum hoſpitalitati regratiando libentiſſime fecit. Deinde nuntius ſubintulit verba Caroli ad congregationem. Quatuor, inquiens, mercedes vos ſancti Domini in me uno acquiſiſtis. Hoſpes erat, & in me eum collegiſtis. Infirmus, & viſitaſtis. Eſurivit, & dediſtis mihi in eo manducare. Sitivit, & dediſtis mihi in eo bibere. Deinde uterque fama volante ſtudium alter alterius cum audiſſet, æmulabantur, pro laude & gloria, naturali gentis ſuæ more, uter alterum tranſcenderet. Memoria dignum eſt quantum hac æmulatione uterque locus profecerit, &

non

Digitized by Google

non ſolùm in cantu, ſed & in cæteris doctrinis excreverit. Fecerat quidem Petrus ibi jubilos ad ſequentias, quas Meteníes vocant. Romanus vero e contra Romanè & amænè de ſuo nobis jubilos modulaverat: Quos utíque poſt, ſanctus vir Notkerus quibus videmus verbis ligabat, frigdore videlicet & occidentane, quas ſic nominabat, quibus animatus etiam ipſe de ſuo cogitavit. Romanus autem quaſi noſtra præ Metenſibus extollere, fas fuerat, Romanæ ſedis honorem ſancti Galli cœnobio, ſiquidem ita inferre curavit. Erat Romæ inſtrumentum quoddam, & theca ad antiphonarii authentici publicam omnibus adventantibus inſpectionem repoſituram, quod à cantu dicebatur cantarium. Tale namque ipſe apud nos ad inſtar illius, circa aram Apoſtolorum cum authentico locari fecit, quem ipſe attulit exemplato antiphonario: In quo usque hodie in cantu ſi quid diſſentitur, quaſi in ſpeculo error ejusmodi univerſus pervidetur atque corrigitur. In ipſo quoque primus ille literas Alphabeti ſignificativas notulis quibus viſum eſt, ſurſum aut deorſum, ante aut retro aſſignare excogitavit. Quas poſtea cuidam Lamperto amicè quærenti beatus Notkerus balbulus dilucidavit: Cum & Martianus quem de nuptiis miramur, virtutes earum ſcriberc molitus ſit: Abinde ſumpſit exordium totâ fere Europa, & maxime Germania ſive Teutonia ſecundum modum & formam, ſicut in Monaſterio ſancti Galli viri peritiſſimi ediderunt, beatus Notkerus balbulus & Romanus, cæterique magiſtri correxerunt juxta exemplum authentici antiphonarii Gregorii, elegit cantare, & hunc ritum modulandi ſervare, quem etiam omnes uſum appellaverunt. Hos itaque ſupradictos viros ſecutus Berno Monachus ſancti Galli, poſtea Abbas Augenſis, ſuper hunc uſum ſummam valde ſubtilem ſcribit ad Epiſcopum Peregrinum Colonienſem.

Sæc. XII. Anno 1198.

CAPITULUM XI.

QUANTUM cella ſancti Galli in hoc tempore virtutum auſpiciis ob merita inhabitantium ſpiritualibusque diſciplinis augeri cœperit, tandemque floruerit, memorari jocundum eſt. Erat enim Senatus reipublicæ loci illius tunc quidem ſanctiſſimus, ut Adelbero Auguſtenſis Eccleſiæ Antiſtes teſtatur. Qui beatus Prælul ſigna & virtutes ſancti Galli à pluribus audiens: locum in die feſtivitatis ejus orandi gratia adiit, & præſens plura conſpiciens: Major eſt, inquit, gratia loci hujus, quam rumor quem audivi. Igitur domum rediens, interrogatus inter cætera aliquando à ſuis, eſſet ne nobiſcum ut fama vulgavit religio cum doctrina, ſeveritas cum diſciplina? Cæteri (inquit) quid ſentiant neſcio, quid mihi animo eſt pronuncio. Unum ego ſanctum & hunc defunctum quæſivi: vivos autem ut vere fratres fatear ſanctiſſimos inveni. Doctrinam vero illorum & diſciplinam, in virtutum eorum operibus videre eſt. Delectat me enim talium memorari, quos quidem ut iterum videam vix exſpecto: Oportet ut omnibus modis meis me juvantibus præparem, quatenus ad proximum ſancti Galli diem viros DEI viſitem, frater illorum conſcriptus fiam, & quantum mihi gratiæ eſt, charitatem illorum regratier: Venerat Dei electus ut ſpoponderat, & magnis donis fratres & familias exhilaravit.

Monaſterium Sangallenſe floret.

CAPITULUM XII.

EODEM modo accidit etiam Petrum Veronenſem Epiſcopum inopinatum venire: Hunc ergo fratres ſuſcipientes, quod melius quidem habebant Evangelium ei offerebant. At ille arbitratus ſe deſpici, quoniam famam loci magnam audierat, de vilitate ſecum fluctuabat libri: Ad Miſſas argenti calix proponitur, quo etiam melior habetur: de quo etiam..... ſiniſtrum trutinat. Cumque prandio ſumptuoſo paſceretur, ſurgens à menſa, fratrum petit alloquium: Quibus collectis: bene, ait, Domini mecum egiſtis, & ut audivimus ſic vidimus, ſed pro Evangelio & calice vilibus propoſitis manet ſcrupulum: Quamvis ſim indignus ac vilis, non tamen vilis loci dicor Epiſcopus: Conſtanter nobis proteſtantibus meliora non eſſe ſancto Gallo, ſpiritus hominis quievit. Sumens tandem quosdam fratrum in partem ſecreto, locutus eſt eis: Mittite (inquit) poſt me Veronam, ſex quos habetis fidiſſimos viatores, qui bini & bini per tres vias quæ hinc illo ducunt, mihi adveniant, ſingillatim tamen ſe mihi bini & bini oſtendant, ac pollice in manum recurvo eleemoſynam petant. Quos ego ut alios ſoleo in penetral meum, ſolus ſolos coram meis inducam & veſtiam, aurum autem cujus æquipondium vobis do, cruribus eorum faſciolis circumligabo, & dimittam eos, ut ad vos eodem artificio quo venerant, fortuna comite redeant:

De Petro Veronenſi.

Factum

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1198.

Factum eſt, ut largitor acutus docuit: allatum eſt ſancto Gallo & fratribus ejus grave pondus auri Veronenſis, & concordat pondus æquipondio. Quid ergo? De auro Petri fit calix, fit capſa, fit cavea Evangelii, omnia pretioſiſſimis gemmis ornata.

CAPITULUM XIII.

De Landeolo.

SIMILI modo Landeolus vir ſanctus Darvienſis Epiſcopus: hic Suevus & nobilis erat, & apud ſanctum Gallum educatus & doctus: Qui etiam multa dona contulit cœnobio ejus & fratribus. Igitur Epiſcopus factus: Romam ſæpius adire ſolebat, ſed tandem aliquando a Roma, Gallum ſuum & fratres vſiitare cupiens, Italici aëris vitio febre correptus, vix ad nos usque pervenire prævalens: Qui ſciens ſuperveniſſe ſibi vitæ præſentis finem, vocatus ad ſe Abbate ac fratribus coram eis diem ultimum clauſit, ac nobili obitu tranſiit, & cum omni honore in Eccleſia ſancti Petri corpus ejus humatum. Ad cujus tumbam ſæpe infirmi, meritis ipſius ſanitatem adepti ſunt. Hæc ſint pro gloria domus ſcripta, in qua tales ſancti habitabant, quos venerint ab Oriente & Occidente æmulari Pontifices regionum & principes terrarum, ſed ad propoſitum revertamur.

CAPITULUM XIV.

Notkerus Propheta.

SCRIPTUM eſt: Theſaurus occultus & ſapientia abſcondita, quæ utilitas in utrisque? Sanctitas viri perfecti ignota ſic eſt, quaſi Sol in nocte ſub nube, nulli lucet. Ideo veritatis voce docemur, ut lumen ſanctitatis non ſub modio, ſed ſuper candelabrum ſiſtamus, ut omnibus qui in domo ſunt, rutilet, & civitas ſupra montem poſita non obnubiletur latebris ignorantiæ. Licet ſigna non ſint fidelium, ſed infidelium, tamen Chriſtus Dei filius dilectum famulum ſuum Notkerum, prophetiæ ſpiritu coronavit, per quem ſignis quam plurimis, ut ſancti viri bonitas innoteſceret mirabiliter donavit. Enimvero in Spiritu Dei, multa bonis & malis aut fortunia prædixit aut infortunia: Nam his qui, ut Apoſtolus Paulus ait, Spiritu Dei aguntur, data eſt poteſtas filios Dei fieri, ſicut Joannes aſſerit: Tales etiam aliquando ſigna ex poteſtate faciunt, velut Petrus qui Tabitam ſuſcitans orando mortuam: Ananiam vero & Saphyram increpando morti tradidit: Ita beatus iſte, unum ſuperbe disquirendo puniens dejecit: Alterum per fatuam ſtultitiam in mortem lapſum, à pœnis inferni, precibus ad perpetuam vitam revocavit, de quo in ſequentibus dicemus. Carolus magnus Imperator qui multis bonis ditaverat locum ſancti Galli, ipſe Rex per ſe hebdomada ſancti Othmari propoſitor & pincerna fuit. Eo ergo tempore ut more ſolito ſæpius ibi conmanebat, fratres lætificaturus ad prædictum Monaſterium venit, & per triduum ibidem caritative moratus, profundiſſimis Scripturarum quæſtionibus apud ſanctum virum Notkerum nepotem ſuum ſe exercitavit. Quem quidam Cappellanus ſuus elatæ mentis comitatus eſt. Sed Deus qui arrogantes deponit, mitibus autem dat gratiam, in hoc oſtendit quantum ſit juſtos deſpicere, eos odiſſe, quod proprie eſt ſancti Spiritus blaſphemia quæ nec hic remittitur neque in futuro, virtutibus eorum detrahere. Is ergo cum audiſſet Regem ſe interrogando & quærendo exercere: ipſumque dulciſſimis ſancti patris Notkeri reſponſionibus certificatum, inſufflavit Sathanas in cor ejus, ut ſapientiæ, juſtitiæ, & humilitati ſancti viri invidens, ſicut ſemper ſuperbi humilibus adverſantur, cœperit alludere, torquere & contemnere. Et cum per Eccleſiam ſecum hæc omnia cogitando vellet tranſire, virum Dei pſalterio ut ſolebat aſſidentem præteriens conſpexit: Agnitoque quod is eſſet, qui Imperatori Carolo plura quærenti pridie, quæſita reſolveret, comitantibus ait: Ecce inquam iſte eſt quo neminem in regno Caroli ajunt eſſe doctiorem: Sed ſi vultis, ego illum tam præcellentiſſime doctum ad irriſionem vobis tentabo, & quod tantæ famæ vir ſolvere omnino neſciat, interrogabo. Illis vero ut hoc faceret curioſe ipſorum adventum miratus, quid petant an quid velint requirit: At hic infelix, de quo præfati ſumus: Scimus, inquit, homo doctiſſime, omnium artium profunditates te ex ſtudio ſcire, cœleſtia vero ſecreta ex ſanctæ vitæ contemplatione omnia noſſe. Quid autem nunc jam Deus in cœlis faciat, ſi noſti, à te cupimus audire: Tunc ſanctus promiſſionibus Domini certus dicentis: Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: Spiritu ſancto per os ejus reſpondente: Scio, inquit, ſcio & optime ſcio. Nunc enim facit, quod ſemper facit, utique & tibi quam mox in brevi facturus eſt: *exaltat humiles, & humiliat ſuperbos:* Quod ſanctum virum non voto maledicentis aut vindictæ dixiſſe, ſed officio prophetantis, ipſe propheticus ſpiritus, qui malivolam animam non ingreditur, pro-

Digitized by Google

probat: Abibat tentator ille & irriſor, à ſuis magis irriſus, parvipendens quid ſibi futurum prædixiſſet. Quid plura? Sonant continue campanæ ad concurſum & laudes Cæſaris receſſuri: Arripit ille infelix futurus labarum ſuum: eo die ordinis ſui dominum antecedendi, & equo ſuperbe invectus, ante portam civitatis offendens cecidit, & miſere in facie colliſus, crus confregit, committitur novo Abbati nomine Bernhardo procurandus: Mox accurrunt fratres, proſtratum ſublevant, clauſtro inferunt, diverſis fomentis, ut crus ejus coaguletur, atque ut uniretur laborant. Sed cum nihil ſuas artes profeciſſe viderent, comperto tandem fratres beati viri Notkeri præſagium, hortantur ut viri Dei ſe inviſere dignetur abſolutionem, & tanti patris benedictionem ſibi petere non negligat: Quod cum ille, ut ſemper perverſæ mentis fuit, deſpective de Notkero audiens, nihil ſibi mali ejusdem patris vaticinio contigiſſe proclamaret, coagulari illa fractura nullis fomentis, nullis adunari valuit ligamentis. Cum ergo continuo dolore diu cruciaretur, tandem in ſe reverſus, recogitabat, qualiter tentaverit virum Dei, media quadam nocte ſupplicat fratres, ut famulum Dei ad ſe venire, & benedictionem ei impoſiturum deprecarentur: Qui ſtatim juſſa complentes, concite ſanctum Dei accerſierunt, miſerati ſuam paſſionem & clamores. At ille veniens, quid velit inquirit: Tunc ille, pater ſancte peccavi in Deum & in te, tentando te: Rogo ergo ignoſce mihi, & tange crus meum, & ſpero ſanari. Qui cum crus contrectaſſet, confeſtim conbullire ſenſit illud, ac ſubito coagulatum & unitum eſt, ita ut ipſe infirmus paucis diebus priſtinæ ſanitati reſtitueretur meritis ſancti viri: & verbis ejus correptus, ne amplius ſuperbiret, quomodo Deus ſuperbos humiliaret: humiliatus autem mente & corpore, ſevere dedicit de cætero humilia ſentire, ſanatus ad ſua cum gaudio remeavit.

SÆC. XII. ANNO 1198.

CAPITULUM XV.

De Salomone.

TEMPORIBUS prædicti Grimaldi Canonici Abbatis, & Harmoti ejus Conabbatis, Salomonis parentes cum eſſent clari & illuſtres, ipſum Yſoni ſancti Galli Monacho tunc temporis doctori nominatiſſimo tradunt erudiendum, & Clericatui initiandum. Quem adprime, ut aiunt, ipſe erudierat, ſed & Notkeri balbuli, Raperti, Tutilonis & Hartmanni Commonachorum ſtatui prætulerat, & delicatius quaſi Canonicum educaverat. Creverant inde clandeſtinæ inter ſummæ indolis condiſcipulos invidiæ, & cum conliberales eſſent genere & ingenio, ut ea ætas ſolet, æquanimiter non ferebant alienum ſibi qui fratres forent præferri: & qui natalibus eſſent pares, doctrinarum profectibus ab illo præiri. Defunguntur Salomonis adhuc parentes pueri, & ipſe hæres effectus, ſcholisque ablatus jam adoleſcens petiit frater fieri conſcriptus, quod & conſecutus eſt. Grimaldus Abbas qui erat Archicappellanus eum ſibi ſuffecerat, & eo juvante fit Archicapellanus Ludovici pii Imperatoris: cujus ſingulari gratia potitus in brevi, ut adhuc Canonicus primo Elewangis, poſt etiam Campidonenſibus præficeretur. Tandem Hattone Archiepiſcopo Maguntino favente pluribus locis Abbas præponitur: Locum vero S. Galli præ omnibus diligebat, unde tradidit de prædiis ſuis, ut manſio ei fieret, dum crebro ab aula veniens Abbati & familiæ non eſſet oneroſus, Clauſtrum enim quia potens erat, absque duce, & quod magis confuſionis tunc erat & eſt, lineus diatim introiit, propter quod ab æmulis ſuis murmura ſurgunt ipſo ignaro. Nam cum uni pellitium vellet dare, pellitium (ait ille) tuum optime appretiabor, duas cucullas habeo, quarum tibi unam, ut clauſtrum eo decentius nobiſcum in ea introëas, induendam contrado. Et ille: Eya (inquit) hæc utique Tutilo & Rapertus, vel alii invidi mei in ore tuo poſuerant: Receſſit homo artificioſus ratione ſimplicis quaſi devictus, reputans hominem tanti meriti non niſi in Spiritu Dei ſibi talia prolocutum, & deinceps abſtinuit absque aliquo patrum, ut moris eſt, præduce, clauſtrum introire manifeſte. Itaque ingreditur clam penetralia clauſtri noſtri bonus fur noctibus nudipes, cappa quidem, uti fratrum unus putaretur, indutus. Senſerant illum prædicti ſex ſodales, Notkerus, Rapertus & Tutilo, ſed ſanctam fraudem texerant. Nimis (aiunt) inſolens eſt præter Monachi habitum quemquam intrare intima noſtra, maxime noctibus. Initur conſilium, & conſtituuntur duo vigiles, qui obſervent inceſſum ejus. Ingreditur iterum ille ſicut fur in nocte. Senſerat hunc Rutkerus ſenior qui prævenerat vigilias matutinas, ſtans in oratione: Cumque vidiſſet hominem in tenebris neſciens quis eſſet, ſed agnitus eſt cum vigiles approperant cum lumine. Rurſum pater ille: Per S. Galli (inquit) meritum, ſic enim Patres jurabant: Hunc in clauſtro ejus, his horis non patimur habitum. Tremefactus autem ille ab non ignari hominis verbis, nam eum ſemper præ oculis habebat,

Juramentum antiquorum Patrum ſancti Galli.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1198.

bat, & ſibi in his, quæ ad Deum fuerant, ducem & cuſtodem elegerat. Patere me, ait, Pater reverende, oratorium ſancti Petri ingredi, ibi poſtquam oravero, numquam niſi ut lex loci habet clauſtrum intrabo. Te vero juvante & fratribus, cras precari Abbatem eſt animo, ut Monachico habitu mihi liceat clauſtrum egredi & ingredi, deforis autem coram militibus meis & cæteris Canonico, ut ſoleo, indumento verſari: Imo (ait) ſenior: Sanctus Gallus in cor mittat, ut ſi ſemel eo induaris, nunquam quoad vixeris, niſi ſolito more Monachis tempore exuaris. Panditur animus hominis & petitio Abbati, Rudkero aſtipulante. Erant tunc in republica noſtra ſenatores ſancti viri & prudentes, qui conſuluntur: Hartmannus conſilio magnus, qui letaniam Sanctus humili prece texuit, & melodiam fecerat, Notkerus balbulus qui Sequentias, Ratpertus qui letaniam, Ardua ſpes mundi: Tutilo qui tropos, hodie cantandos, & pluraque alia dictaverat. Fuerunt & alii Cœnobitæ S. Galli viri doctiſſimi & ſanctæ religionis: Hartmannus junior & Waltrannus aliique quam plures ſancti viri, quorum melodiæ ipſi quales fuerint non celant: opera enim illorum multa per Eccleſiam clara extant. Qui omnes ab Abbate loqui juſſi ſunt. Regula noſtra (ait Hartmannus,) non ſimilitudinem Monachi, ſed Monachum quærit. Notkerus (ait) prætexta hæc qua ſuperindui deſiderat, ſi togam præcederet, non utique diſpliceret. Rapertus (dixit) aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros, aut aliquis hic latet error. Tütilo (inquit) fraternam ſocietatem ei plene conceſſimus, hanc ei quantum in me eſt, mi Abba, non denego. Si autem lupum ovino vellere quærit induere, per alios quam mei conſenſum perficiet: Audiens Bernhardus Abbas quid ſuſpicarentur in homine: Scio (inquit) filii quid ab illo vereamini, ſed exiſtimo melius actum fore nobiscum, ſi apud nos initiatus Monachum ſe aliquando noſtrum faciat, & habitum à ſancto Gallo ſumat, ne ſi arte acciderit quod veremur, ut iterum Canonico ſubdamur, noſter tamen ſit frater & Monachus. Mittitur ad illum Rudkerus cum aliis quibusdam rem ſuaſurus: In proceſſu temporis, Deo dante, pollicetur facere quod conſulitur, tamen interim propter clauſtri reverentiam, talis ſibi habitus rogat ſit licitus. Variis hinc inde fratrum tractatibus vix tandem conceditur: Deſignatur ei locus, ubi intrans habitum indueret, exiens exueret: Aliquando poſtea veniens ab aula, inter cætera de muneribus Regis Arnolphi, quæ ſancto Gallo ſe daturum ait, etiam munus valde glorioſum attulit: capſam ſolide auream, gemmis regaliter inclitam, reliquiis ſummis refertam, in modum Capellæ formatam, cui ſimile quidem nihil unquam vidimus, cujus ſuperſcriptio ſic eſt:

Verbum aureum.

En crucis atque piæ cum ſanctis capſa Mariæ.
Hanc Carolus ſummam delegit habere capellam.

Suadet iterum Rudkerus homini non aurum, ſed ipſum Gallo ſuo offerre, & ſe Monachum ejus verum tandem perficere. Factum eſt, ut magni conſilii Angelus hortatus eſt. Regi datori Arnolpho poſtquam votum aperuit ſuum, capſam illam ſuſpendens collo, tunica Monachi & cuculla indutus, aram ſancti Galli Bernhardo Abbate annuente nudipes adiit, peccata deflens, ſæculo renuncians, ſancti Galli Monachum ſe profitetur. Quem etiam Abbas tanquam de palatio Monachum delicatius tractavit, ac præ cæteris habuit. Poſt modicum tempus conſiliis hominis carere non poſſe, republica tota perſonante, Abbatis ſui permiſſo, Rex eundem Salomonem iterum in aulam aſſumpſit, & priorum honore ſtatuit: tandem quoque & auxit. Nam Augenſem Abbatiam ei tradidit, Bernhardo per conſilium Hattonis Abbatia reſignata, idem Salomon ſubſtituitur, & locum ſancti Galli ſuſcepit regendum, quem præ omnibus locis poſtea apud Deum & homines amplificare curavit, in theſauris, in ornamentis ex auro & argento, gemmisque pretioſis, & ſanctorum reliquiis, & ſubſtantia magna. Cum vero annum & dimidium loco ſancti Galli præfuiſſet, tandem Conſtantiæ eſt prælatus, & Dei factus paſtor & Epiſcopus: Erat enim homo fortunatus, prudens conſilio, & eloquens valdeque liberalis. Ajunt enim cum præſulatu duodecim Abbatias rexiſſe. Sic quoque ipſe & Hatto Magontinus Archiepiſcopus Monachus & Abbas Fuldenſis, uterque duodecim Abbatiis præfuit. Inſuper proviſores regni erant, poſt Regem imperium tenuerant. Idem Salomon à Roma Conſtantiæ attulit, Pelagium Martyrem, & ut putatur à Peruſio, & Conſtantium Epiſcopum & Martyrem, quibus ſarcophagus miro artificio auro & gemmis & ebore, aliaque plura in honore ſanctæ Mariæ, nec non & Galli unici ſui, cruces, vaſaque diverſa, veſtes varias, omnia per manus Tütilonis comparavit: ſic ſcribere jubens in aliquibus ævo longiori duraturis: Verſus,

Tertius

Digitized by Google

Tertius hic hagiæ, Salomon dat dona Mariæ:
Tertius hic almo, Salomon dat munera Gallo.

Qui plura ejus gesta desiderat nosse, librum qui de casibus Monasterii scriptus est, legat.

CAPITULUM XVI.

EO tempore Cunradus tunc Romanorum Rex natale Domini Constantiæ egit: Ipsa die post mensam cum Episcopus ei processiones vespertinas tridui apud sanctum Gallum laudaret, Rex ait: O utinam ibi essemus: Et quare illuc, anime mi, matutini non ibimus? Parantur continuo naves, quibus mane conscensis cum Episcopis, & cætero comitatu, Rex littus nostrum attigit meridianus, & sancto Gallo appropians novis laudibus dictatis, in loco glorioſus susceptus est, tribusque noctibus cum omni hilaritate, loco immoratus, quarto die abscessit: Longum est dicere quibus jocunditatibus dies exegerit & noctes, admirans senes cum junioribus, qualiter sicut Angeli in choro, in omnibus gestis & disciplinis incederent: & maxime in processione infantum, quibus poma in medio Ecclesiæ pavimento antesterni jubens, cum neque unum parvissimorum moveri nec ad ea attendere vidisset, obstupuit tantum rigorem religionis: Refectorium vero fratrum hora mensæ cum duobus Episcopis intrans in die Innocentum, plura sibi assurgentibus læta locutus, nobiscum velitis nolitis partiri habebitis. Decanum autem qui mensæ Abbatis sui causa cedere parabat, amplexatum retinens assedit: & ei apposita ad se sumens omnes circumspectans & arridens: His (inquit) in nomine Domini interim cum gratiarum actione participemur: Misit quantocyus ad Salomonem Episcopum & Abbatem ne sibi superveniret, sed uterque pro altero mensas teneret: Præposito deinde cum nihil quod fratribus paratum esset juberet apponi: O Rex (inquit) nostra infortunia: quid superventurum diem non exspectabas? Cras enim panem & fabas nudas forsitan habebimus, sed hodie non sic. Enimvero ait ille, & cras nobis Deus misereri poterit: Infantulis deinde per ordinem lectitantibus & analogio descendentibus, aureos in ora ad se levatis misit: Quorum unus pusilior cum clamitans aurum expueret: Iste (inquit) si vixerit, bonus quandoque Monachus erit: Surgens tandem à mensa hilariter fratribus multa locutus, optimæ spei esse monebat, quoniam si adviveret, tales convivas lætificaret, rediensque ad suos, Salomoni Abbati nostro & Episcopo gloriatus aiens: Se nunquam lætius convivatum: At Rex vesperum & noctem cum egisset, diluculo conventum petens fratrum, omnium faventibus votis fit frater conscriptus: Ingressus vero basilicam sancti Galli pretiosis vestivit altaria palliis, Oratorium beati Othmari intrans, seque reum quasi ipse interfuerit afflictioni ejus, quæ illata quondam ei fuerat, ejus aram adiit, palliis quoque auro & argento sanctum placavit: nam parentes ejus erant, qui eum vexaverant. Facta oratione Rex conversus ad Salomonem: eo (inquit) pacto, ut fratres nostri conscripti pro convivio nostro hesterno, abundantius à Carolo statutam hebdomadam natalis Domini: hujus etiam in memoriam mei debeant convivari: & subridens: nam & ego hodie frater conscriptus, volo prandere cum fratribus, & fabas nostras de meo piperare. Aguntur celeres Regi Missæ à fratribus super id ipsum altare, Præmaturatur prandium, & impletur refectorium, vix unum lector recitaverat periodum: caritas quæ non agit perperam, licenter tunc amovit disciplinam: Nunquam tale per se tripudium, Galli habuit refectorium: Jocunde & humiliter cum fratribus Rex convivatus, graviores quosdam fratrum spectat inter strepitum, ridet quorundam vultus contractos propter rerum talium insolentiam: tamen repressit unusquisque se dissimulans & sustinens propter Regiæ Majestatis præsentiam. Finito convivio Rex discedit, vespertinus, fratrum suorum lachrymosis laudibus prosecutus, quibus si vivere liceret, bene facturum promiserat: Valedicens ergo fratribus: abiit & commendans se orationibus eorum, venit cum Episcopo Constantiam.

Conradus Romanorum Rex S. Gallum petit.

CAPITULUM XVII.

AGENTE eodem Imperatore Cunrado pascha apud Maguntinam civitatem: Sancti Galli Monacho scholas inibi regente & procurante, etiam cantoris officium est, ut solitum est, in medio chori imponens, crebro coronatus, & infulatus, adornatusque pretiosissimis indumentis: Cumque manum ille ad modulos sequentiæ pangendos rite levasset, tres Episcopi hominis quondam discipuli, Imperatori suo in throno proximi:

De Monacho S. Galli scholas Moguntinas regente.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1198.

proximi: Ibimus (ajunt) Domine Rex, & magiſtrum in eo quod ipſe nos docuit juvabimus: Illo hoc gratum fore dicente: Deſcendentes veſtiti pontificalibus ſociantur ſancti Galli Monacho, inclinantes inclinato, opus Dei quod docuit, reverenter cum eo perficiunt: Flebat homo cum gaudio, gratias referens ſancto Gallo: Poſt Miſſas peractas vix ille coactus pedes imperii, ut moris eſt petere, auri uncias in ei poſitas ſuſtulit. Ad Imperatricem vero ridente Imperatore per vim tractus, & ibi aurum ejus ſumpſit è pedibus. Mathilda quoque ſoror ejus annulum ei in digitum vellet nollet inſeruit: Hæc idirco enarravi, ut honorem doctrinæ & diſciplinæ, ſicut à Spiritu S. beatus vir Notkerus in ſecreto cordis ſuis contemplando didicerat, ad efficationem audientium proponerem. Nam eandem diſciplinam Angelicam Deus dedit viro ſancto & ſociis ſuis per Spiritum S. ſuum docere Eccleſiam ſuam, in jubilis ſequentiarum agendam. Ideo ut reor, ut per intuitum Angelicarum diſciplinarum oriatur hominibus mentis devotio, & dilatato corde, mens ſeipſam tranſcendat & ſpiritalior fiat, Heliſeus Propheta, ſicut liber Regum narrat, requiſitus de verbo Domini, cum ſe ſenſiſſet Spiritum prophetiæ tunc temporis non habere, fecit ſibi pſalten adducere, quo pſallente ſtatim Spiritum propheticum hauſit. Solet namque ut plures novimus, dulcis harmonia cor exhilarare, & ei ſua gaudia ad memoriam revocare, & quo unius cujusque animum ſuus amor arctius afficit, eo profundius audita harmonia exteriori affectu tangit, & interiorem illam ſpiritalem harmoniam ad memoriam reducit, ut audita melodia, audientis animum ad aſſueta gaudia ſuffulciat atque levet. Pſallente itaque ſeu laudando viam Domino paramus, qua ad nos miris quibusdam myſteriorum ſuorum revelationibus venire deſiderat, quando ex magno cordis tripudio in divina præconia jubilamus, & in gratiarum actionem aſſurgentes ex intimis viſceribus medullitus in Dei laudes ſincero mentis amore, cum magno cordis clamore reboamus. In tali igitur pſalmodia, ſpiritalique harmonia, anima contemplativa, ſpiritalibus theoriis aſſueta, incipit tripudiari & præ gaudii nimietate ſuo quodam modo geſtire, ac ſpiritales quosdam, & ſui generis ſaltus dare, & ſe à terra terrenisque omnibus ſuſpendere, & ad cœleſtium contemplationem, tota mentis alienatione tranſcendere. Tali etenim doctrina repleverat Spiritus ſanctus, vas ſibi electum beatum Notkerum. Sequentias quas idem pater ſanctus fecerat, deſtinavit per bajulum urbis Romæ Papæ Nicolao & Luitwardo Vercellenſi Epiſcopo, tunc temporis Caroli magni Imperatoris Archicancellario. Qui venerandus Apoſtolicæ ſedis Pontifex, ea quæ vir ſanctus Spiritu ſancto annuente dictaverat, ſancivit: atque ſanctæ Eccleſiæ Chriſti per mundi climata in laudem Dei colenda inſtituit, & non ſolum ea quæ beatus vir Notkerus dictaverat, verum etiam ea quæ ſocii & fratres ejus, in eodem Monaſterio ſancti Galli compoſuerant, omnia canonizavit, videlicet hymnos, ſequentias, tropos, letanias omnesque cantilenas, rythmatice, metrice, vel proſaice quas fecerant, & diſciplinas quas docuerunt, totum authenticavit, ac divulgavit in laudem ſanctæ matri Eccleſiæ: Quoties in oratione verba ſuperant affectum, fit multiloquium, in quo peccatum non deerit. Neque prece tali exaudiuntur homines à Deo, quaſi eum pluribus verbis conentur inflectere. Neque conciliat eum multiplex ſermo orantis, ſed pura ſinceraque orationis intentio. Si autem triſtitiæ fuerit oratio, ululatus dicitur, ſi vero gaudii, jubilus, tunc neque verbis quidem exprimi, neque prorſus valet ſileri. Ideoque vir ſanctus, quia habuit defectum linguæ, nitebatur ſemper corde orare. Inſuper ſciebat etiam bonum eſſe & ſono vocis Deum hymnis & canticis ſpititualibus glorificare. Modicum ajebat prodeſſe ſono vocis canere ſine cordis devota intentione. Sed ſicut ait Apoſtolus: Cantantes in cordibus veſtris Deo: hoc eſt, non ſolum voce, verum etiam corde pſallentes, unde & alibi dicit: Pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Sicut ergo orationibus regimur & docemur, ut devoti ſimus Deo, & ſtabiles in virtutibus; ita Pſalmorum ſtudiis delectamur ineffabilia æterna. Pſallendi enim utilitas triſtia corda conſolatur, gratiores mentes facit, ſtudioſos oblectat, mentes exuſcitat, peccatores ad lamenta invitat, mundiora reddit hominis interiora, & promptiorem ad pietatis opera. Nam quamvis dura ſint carnalium corda, ſtatim ut dulcedo inſonuerit ad effectum clementiæ animum eorum inflectit. Itaque dum Chriſtianum non vocis modulatio, ſed tantum verba divina debeant commovere, neſcio quo tamen pacto, quandoque modulatione canentis, major naſcitur compunctio cordis. Multi enim reperiuntur, qui cantus ſuavitate commoti, ſua crimina plangunt, atque ex ea parte magis flectuntur ad ſpiritum contritionis, & lachrymarum ubertatem ac benivolam emendationem, ex qua non verborum, ſed pſallentium dulcedo vocum & diſcretio inſonuerit jocundiſſima. Oratio in præſenti vita tantum pro remedio peccatorum effunditur. Pſalmorum autem decantatio perpetuam Dei laudem deme-

Digitized by Google

dememorat, ſicut ſcriptum eſt: *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſeculorum laudabunt te.* Sequentiæ etenim canticum victoriæ deſignant, quo juſtorum animæ in Deo pro ſua liberatione exultant. Sicut filii Iſraël pro ſua ereptione, canticum victoriæ canebant, & quondam Romani. Jubilus autem, id eſt neuma, quem quidam in organis jubilant; plauſum victorum lætantium commendat. SÆC. XII. ANNO 1198.

CAPITULUM XVIII.

Sequentia à Notkero Carolo M. miſſa.

FERTUR de beato viro cum quadam die dormitorium tranſiret, auſcultans, erat enim molendinum juxta vicinum, cujus rota tarde volvebatur, propter penuriam aquæ garriens, quosdam dabat quodammodo vocum ſonos. Quod audiens homo Deo dignus, ſtatim fuit in ſpiritu, & illud elegans dictum edidit, de poſſeſſore ſuo nectareum modulamen eructavit, ſcilicet eodem almo ſpiritu, ac toti mundo ad ſalutem propinavit, ſequentiam dico quæ eſt de Spiritu ſancto: Sancti Spiritus aſſit nobis gratia. Cum ergo eam compleſſet, miſit eam pro Xenio magno Imperatori Carolo, qui forte tunc morabatur Aquisgrani: Idem verus Chriſticola Imperator miſit ei per eundem bajulum, quod ſibi idem Spiritus inſpiraverat: Hymnum, Veni creator, talibus alis ſolent pennata animalia ſe mutuo ferire, id eſt, perfecti viri & docti ſpiritali ſcientia eruditi, ſolent ſe diverſitate adhortationum exercitare, ſicut ſanctus Auguſtinus beato Hieronymo, & ſanctus Hieronymus beato Auguſtino per internuncium Paulum Oroſium fecerunt. Græci etiam ſimili modo Pythagoram Philoſophum affirmant tranſiſſe ſecus fabricam aliquam, & audiens malleatorum ictus ſuper incudem, diſcrevit ſex voces muſicales. Bene hic ponendum eſt, quod noſtris temporibus evenit colloquium de beato viro Notkero apud ſedem Romanam. Venerabilis Abbas ſancti Galli Uldalricus, piæ memoriæ, hujus nominis ſextus, in legatione Regis Friderici ſecundi poſtea Cæſaris, venit Romam ad Innocentium Papam tertium miſſus. Cumque de multis eſſet ſermo eorum & plura conferrent ad invicem: accidit Miſſam celebrari ante Apoſtolicum, de S. Spiritu cum ſequentia; ſancti Spiritus aſſit nobis gratia, præſente Abbate. Fecerat & ipſe idem Papa ſequentiam de S. Spiritu, videlicet, veni ſancte Spiritus. Peractis Miſſis & orationibus convenerunt iterum ad fabulandum, & inter cætera requiſivit Papa Abbatem dicens: Quis fuit Notkerus tuus? quomodo agis diem anniverſarii ejus? Erant enim Romæ aliqua ſcripta de eo in libris ſequentiarum, quæ ipſe Papa legerat. Reſpondens Abbas: Simplicem Monachum eum fuiſſe in domo ſua, de nobiliſſimis terræ ortum, valde ſciolum & ſanctum. Ad quem Papa: Agis ne feſtivitatem ejus? Cui ille: Non Domine: Scimus quia ſanctus eſt, privatim tantum agitur de eo, ſicut pro alio defuncto. His verbis Papa commotus: O nequiſſimi (inquit) malo veſtro, tanti tamque ſanctiſſimi viri, qui erat pleniſſimus Spiritu ſancto, non facitis memoriam? Quod hujus feſtivitatem non celebratis, infelices eritis.

CAPITULUM XIX.

Notkeri Clementia.

NUNC ergo quales tres iſti prædicti Senatores extiterint, ſcriptis dememoremus. Otio nunquam vacabant, & quod ſemper doctorum eſt & utilium, in lenitate ſpiritus & in quiete cordis ambulantes, raro aut nunquam ſine opere aut meditatione vel exercitio virtutis præteribat eis tempus: unde aſſiduas ab aliquibus detractiones & dorſiloquia, ut vitioſe ſolet fieri in conventibus, patiebantur. Sed maxime, quia minus refellere ſolebat, ſanctus, ut vere aſſeram, Dominus Notkerus. Tutilo quidem & Rapertus, acriores talibus, minusque ad contumelias habiles, rarius ab eis lædebantur. Notkerus autem hominum mitiſſimus, quid injuriæ eſſent in ſemetipſo didicit. De quibus pluribus unum aliquem, ut quantum Satanas in talibus præſumat, ab uno diſcas omnes, introducere volumus. Erat hic quidem refectorarius nomine Sindolphus, fictis autem poſtremo obſequialibus, cum alias in nullo eſſet utilis, accuſans fratres criminibus confictis, per quæ agnitus eſt ipſe proditor, & proditi perfecti inventi ſunt: Nam cum eſſet refectorarius, pro commodis incommoda ſæpius quibus auſus erat exhibebat, præ cæteris autem S. viro Notkero. Quod ille æquanimiter ferens compatiebatur inferenti, & orabat pro eo. Salomone vero in multis occupato, neque ad ſingula attendere ſufficienti, alimonia interdum cum ei detraheretur vel depravaretur, clamabant plures pro injuſtitia. Inter quos etiam aliquando iſti tres quos dicimus, aliqua locuti ſunt. At Sindolphus diſcordiæ ſemper fomes, ſciens antiquam condiſcipulorum odii facem & cauſam, accommodat ſe auribus Salomonis,

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1198.

quasi pro suo honore rem sibi sit dicturus: Ille vero etsi nihil nocivius sciſſet Prælatis ab subditis, quam susurros & detractores audire, quid novi afferret quæsivit: Cui subdit: Tres (inquit) illos semper super se verba jacere solitos, hesterno quæ Deo importabilia sunt, mentitur locutos. Credidit ille sermoni quem dixit, & contra se nil mali opinantes rancorem portavit, tandem & ostendit. At illi cum nihil ab eo reatus sui exsculpere possent: Sindolphi se technis ariolantur fuisse circumventos. Re tandem coram fratribus discussa. cum ipsi testantibus nihil se omnino erga Episcopum dixisse, & eum cum cæteris convincerent, falsidicum ut judicet, & vindictam super eum faciat, quisque sibi rogant: Quod cum ille dissimulasset, taciti quieverunt.

CAPITULUM XX.

Sindolphus calumniator fustigatur.

ERAT tribus illis inseparabilibus consuetudo, permisso quidem Prioris, in intervallo laudum nocturno convenire in scriptorio, collationesque tali horæ aptissimas de scripturis facere. At Sindolphus sciens horam & colloquia, quadam nocte fenestræ vitreæ cui Tutilo assederat clandestinus foris appropiat, aureque vitro affixa, sed * quid rapere posset quod depravatum Episcopo traderet, auscultabat. Senserat illum Tutilo homo pervicax, lacertisque confisus, latialiterque quo illum qui nihil intelligeret lateret, compares alloquitur: Adest ille (inquit) & aurem fenestræ affixit: Sed tu Notkere, quia timidulus es, cede in Ecclesiam: Ratperte autem anime mi, rapto flagello fratrum quod pendet in pyrali, deforis accurre, ego enim illum cum appropinquare te sensero, vitrio citissime readaperto, captum capillis, & ad me pertractum violenter tenebo. Tu autem cor meum confortare & esto robustus, flagelloque in illum totis viribus increpita, & Deum in illo ulciscere. Ille vero ut semper erat ad disciplinas acutissimus, modeste exiens, rapto flagello cucurrit celerrime, hominemque intro capite tractum totis viribus à dorso ingrandinat. Et ecce ille manibus pedibusque renisus: flagellum quo vapulabat capiens tenuit. At Rapertus è vicino virgam ejus propius aspectam rapiens, ictus ei validissimos infregit. Cum parci sibi male jam mulctatus incassum petiisset, apud se submurmurans voce opus esse, exclamans vociferavit: Statim fratrum pars voce audita, tali tempore insolita, stupens accurrit luminibus, & quidnam esset quæsivit. Tutilo vero Diabolum se cœpisse creber ingeminans, lumen adhiberi rogat, ut in cujus imagine teneret, territus inspiceret. Capite autem minuti hac illacque versato, adinspicientes, si Sindolphus esset, quasi nescius interrogat. Omnibus enim vere ipsum esse clamantibus, & ut illum dimitteret rogantibus, relicto eo, me miserum ait, in auricularem & intimum Episcopi manus misisse: Rapertus quidem accurrentibus in partem cedens, clam se subduxit. Neque enim ipse qui passus est, à quo cæderetur scire poterat. Quærentibus autem aliquibus, ubi nam Dominus Notkerus, Rapertusque abissent. Ambo (inquit) ad opus Dei diabolum sentientes abierunt, meque cum illo in negotio perambulante in tenebris dimiserunt. Vere ait scitote omnes, Angelum Dei ictus ei manu sua incussisse. Demum discedentibus fratribus, à partium sectatoribus, surgunt, ut fit, multiloquia: Alii Dei judicio ut auscultatores clandestini publicarentur, factum dicebant: Alii vero, tali viro, nisi quod Angelum Domini prætendit, simile opus non decuisse. Occultabat ergo se ille confractus corporis pariter & mentis dolore: Interrogat denique Episcopus post aliquot dies, ubinam tam diu moraretur suus famidicus, sic enim hominem nominare solebat & solitus erat, nova semper sibi aliqua clam apportantem. A quo re ut erat veraciter comperta, quomodo tantæ auctoritati pro tam turpiter reo nihil imputare volebat, consolatur accitum sic dicens: Quoniam (inquit illi) à pueritia mei semper æmuli male tibi fecerant, ego si advixero, melius tibi facere habebo: Nam operariorum factus est ab ipso Decanus, contradicentibus cunctis, ne rem tam præclari loci, in tali homine dejiceret. Deinde amplius non destitit adversari tribus illis, de decore sibi illato, & officio collato animatus. Quadam igitur die quod erat refectorarii, Notkero, & Raperto coquinæ ordinariis, mensuram potus ut officii sui erat, cum in vase suo non dico poneret beato viro, sed maledicta mussitans eo absente, adhuc quasi projiceret, vas illud casu accidente de mensa lapsum in terram cecidit, operculoque procul rotante, vas in latus jacuit, vinumque velut si subrectum esset solide continuit: Quod ille videns, huc atque illuc circuiens, tandem morose reversus, cum levasset, accurrentibus qui astantes viderant, & si quicquam de vino effusum sit, terram contuentibus, neque usque ad unam guttam comperierunt exisse: Ne miremini (inquit Sindolphus) si diabolus, a quo nigros libros ipse & socii ejus discunt, fascinatorum suorum calices ne effunderetur continuit. Quod Hartmannus

* *Si Hanch. m.m.s.*

Proab-

Digitized by Google

Proabbas, poſt à dicentibus cum audiſſet, protervoque illi cum occurriſſet: Vide (inquit) bone vir, ne in tales viros injurias tuas tam patienter ferentes, nimium tandem deſipias. Cur ad invidiam in tantum concupiſcat ſpiritus tuus? An neſcis quia ſuſurrones & detrectatores, & qui irritant fratres, ac ſerunt in eos diſcordias, Deo ſunt odibiles? Cui ille, cum ſibi ſolita usque ad convitia reſpondiſſet proterva; Waltrannus tunc Decanus in proximo capitulo, regulari eum vindictæ ſubjecit, ſed tamen adhuc ejus non quievit nequam ſpiritus. Itaque tandem malum per eum viro ſancto, quo dolore intrinſecus cordis tactus eſt, accidit: Epiſtolas Canonicas Græcas à Luitwardo Vercellenſi Epiſcopo ſibi præſtitas, multis ſudoribus beatus vir exemplaverat, & ecce Sindolphus eundem codicem delicate ſcriptum caſu incurrens furatus eſt, & ſingulas quaternionum, ſicut hodie videre eſt, cultro exciſas diſcerpit & depravavit, ac poſtea iterum complicatas, occulte in locum ubi eas fuerat furatus reposuit. Tranſtulit idem ſanctus vir pſalterium de Latina lingua in barbaricam linguam, ſicut hodie eſt in armario. Sæc. XII. Anno 1198.

CAPITULUM XXI.

RATPERTUS inter ambos, Notkerum videlicet & Tütilonem, medius incedebat, Scholarum ab adoleſcentia magiſter, doctor planus & benevolus, diſciplinis aſperior, raro præter fratres pedem clauſtro promovens, duos calceos annum habens, excurſus mortem nominans, & ideo ſæpe Tütilonem itinerarium ut ſe caveret amplexibus monens. In ſcholis ſedulus, plerumque Curſus & Miſſas negligebat, bonas (inquiens) Miſſas audimus cum eas agi docemus. Qui cum labem maximam clauſtri impunitatem nominaſſet, ad capitulum tamen nonniſi vocatus venit, cum ſibi officium capitulandi & puniendi graviſſimum, ut ait, ſit traditum: Cum vero & ipſe ſanctus circa clauſtrum ſancti Galli diu languidus iret, nec tamen docere deſineret: quadraginta diſcipulis quondam ſuis Canonicis, tunc quidem Presbyteris, loco propter feſtum adventantibus, animam ſingulis in manibus commiſit, quoque quisque ei triginta Miſſas obituro promiſerat. Sicque ille lætiſſimus factus, Deum uti ſe diutius morbo coqueret, rogans, ut panis nitidus effectus, inter diſcipulorum manus in paradiſum, ut credimus, tranſiit: Pro quo beatus Notkerus & Tütilo præter cæteros fratres dolentes, qui poſt eum relicti ſunt multa fecerunt: Scripſerat idem homo beatus librum de caſibus Monaſterii, incipiens à temporibus beati Columbani usque ad Salomonem Epiſcopum & Abbatem noſtrum. Dictaverat etiam letanias quas Eccleſia canit per totum orbem in diebus Rogationum, præter alia plura quæ fecerat. *Ratperti obitus.*

CAPITULUM XXII.

LONGE aliter Tütilo, bonus erat & utilis quam ſocii, homo lacertis & omnibus membris, ſicut Fabius athletas eligere docet. Erat enim valde eloquens, voce clara & dulci, celaturæ elegans, picturæ artifex ac mirificus aurifex, Muſicus ſicut & ſocii, ſed in omnium genere fidium & inſtrumentorum & fiſtularum præ omnibus. Nam & filios nobilium in loco ab Abbate deſtinato fidibus edocuit. Nuncius procul & propre ſolers, in ſtructuris & cæteris artibus ſuis efficax, concinnandi in utraque lingua promptulus & potens natura, ſerio & joco feſtinus; adeo ut Carolus noſter aliquando ei maledixerit, qui talis naturæ hominem Monachum fecerit. Sed inter hæc omnia quod præ aliis eſt, in choro ſtrenuus, in latebris erat lachrymoſus, verſus & melodias facere præpotens, caſtus ut Marcelli diſcipulus, qui fœminis oculos clauſit. Ea autem quæ dictaverat, ſingularis & agnoſcibilis melodiæ ſunt, quia per pſalterium ſeu rotam in qua potentior ipſe erat, neumata inventa dulciora ſunt, ut apparet in tropis, Hodie cantandus: & Omnium virtutum geminis: Quos quidem tropos Carolo obtulit canendos, ad offerendam ſcilicet, Viri Gallilæi, quam ipſe fecerat. Hanc etiam Rex offerendam cum dictaſſet, Tutiloni miſit, verſus addere injunxit. At ille appoſuit: Quoniam Dominus Jeſus Chriſtus cum eſſet omnipotens genitor fons & origo, cum ſequentibus: Gaudete & cantate, & ad invicem conſcripſerunt. Sed iſta propoſuimus, ut quia diſpar ejus melodia ſit cæteris, ſi muſicus es, noris. Abbatum vero ſub quibus militaverat permiſſis, plerumque & præceptis, multas propter artificia ſimul & doctrinas peragraverat terras, picturas & aurificia etiam & anaglyphas, carminibus & epigrammatis decorabat ſingulariter precioſis: Tantæque auctoritatis ubicunque moraretur apparuit, ut nemo illum qui vidiſſet, ſancti Galli Monachum dubitaſſet: Erat enim in divinis & humanis æque ad reſponſa paratiſſimus, *De Tutilone.*

&

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1198.

& ſi quid indecens vel inordinatum maxime in Monachis usquam vidiſſet, pro loco, tempore & perſona, Zelator erectus, ut in uno de pluribus dicere habebimus.

CAPITULUM XXIII.

Tutilonis induſtria.

GNARUS namque homo, quoniam erat itinerarius longe lateque terrarum & urbium, miſſus aliquando eſt pro communi cauſa Maguntiam, utique pro pannis laneis emendis, quos ſericales vocant, & tunicas. In ingreſſu ergo civitatis circa ſancti Albani Monaſterium hoſpitium petens, hominibus ſuis ſtatim propter pabula & victualia mercatum miſſis, ipſe ſuper ſedile ſe laſſus, ut pauliſper requieſceret locaverat. Erant autem dies vindemiæ, quibus fratres ad obedientias dimiſſi ſunt per vineas, & ecce primo ſigno ad veſperas pulſato, circator fratres collecturus, aſino pro religione inſidens, oſtio domus hoſpitii jam dicti, quaſi ibi aliquem quæſiturus appropiat, latenter quoque ſi commatrina ſua domi ſit, ſciſcitando domum inquietat. At illa de camera egreſſa, ſalutans compatrem, hoſpitem illum dormire putans, obtulit viro muſtum. Quo ille impigre hauſto vaſeque reddito, mammam fœminæ titillat aſſentientis: Hoſpes vero viſo facinore exilit, ne ulterius procederet in facto, illum ſceleſtum inclamitans, comis apprehenſum in terram dejecit, flagelloque quo ad equum uſus eſt adhuc manu habito, acriter hominem cecidit adjiciens: Hoc (inquit) tibi ſanctus Gallus frater ſancti Albani dedit: Ille quidem quamvis pro reatu ſit triſtis & paſſus, timidus tamen ſui, venia petita uti ſe celatum habere vellet, hominem rogat: Hoſpes illi, ne modo adjicias peccatum peccato, quantum in me eſt bene celaberis: Intimatur Abbati fratrem de ſancto Gallo ante portam hoſpitari, qui ſtatim per nuncium vocat eum in clauſtrum, nomen ſciſcitati, agnoſcunt hominem diu fama vulgatum, charitativeque tractato ipſi exhibebant ei Martham. Ille autem capacibus porrigebat Mariam: Rogaturque ibi morari usque dum thronum Dei in bractea altaris aurea celaret: Cui ſimilem anaglypham, raro usque hodie videre eſt alteram, in circulo ſcribens hunc verſum. *Ecce polo potior ſolio terraque ſcabello.* Cum autem aliquantum tardaſſet, non celatum opus ex parte relinquens, rediensque à noſtris quid deforis egerit rogatus eſt dicere. Fratrem (inquit) ibi indiſciplinatum vidi, quem ut ferirem, flagellum levans intentavi: Quod illi & mihi quidem ut indulgeatur rogo. Sic ille fidei memor, veritati parcens, non tamen mentitus eſt.

CAPITULUM XXIV.

Tutilo celat Thronum Mariæ.

MISSUS aliquando ad Metenſium urbem celaturus thronum, & imaginem beatæ Mariæ deſuper, quod quamvis Monachi non fuerit, propter naturam tamen hominis dicere volo. Cum ergo iter ageret, ibat per ſylvam latronibus aptam, duobus ſuis comitatus, uno ſcutato cum lancea, altero ſine: Et ecce à duobus audaciſſimis invaſus, ambos ſuos uterque iſti ſuum equo dejecerat. Interea illo utroque in ſpolio occupato, robur quoddam validum circumſpectum arripuit, & terrore magno minax ſuper illos venit. At illi videntes hominem forti aſſimilem, ſpolia omittunt, ſcuta dorſo rejecta contra illum vergunt. Lanceasque ille latronum præ ſecuritate procul abjectas, ſuos citiſſime rapere juſſit, & ut ſe defenderent acer verbis emonuit. Quas cum dejectas celeres raperent, tanti ducis violentiam minime ſe perpeti poſſe videntes, hoſtes ab eo exarmati divertunt. Sic iſti etiam lancea ſua levata, ut ſi illi reverterentur, Domino ſuo eam darent, & ita imperterriti ſylvam pertranſeunt. Ergo Tütilo cum veniſſet ad urbem, & operi celaturus aſtans ſatageret, ecce duo viri aſtiterunt juxta illum ſanctæ Mariæ imaginem celanti in habitu peregrini eleemoſynamque petebant. Quibus cum nummos clam tribueret, divertentes ab eo Clerico cuidam à longe aſtanti ajebant: Benedictus vir iſte Domino, qui nos hodie bene conſolatus eſt. Sed eſt ne ſoror ejus (inquiunt) Domina illa præclara, quæ ei tam commode radios ad manum dat, & docet quid faciet? Ille vero miratus quid dicerent, cum nuperrime ab eo digreſſus nil tale vidiſſet. Revertitur ergo cum peregrinis, & quod dixerant velut ad momentum & in ictu oculi contemplatur. Ajunt autem illi Clericus & Peregrini. Benedictus tu Domino pater, qui tali magiſtra uteris ad opera. Qui cum ipſos quid dicerent neſcire aſſereret, vehementer in illos invectus, ne cui tale aliquid dicerent, interminatur. Statim peregrini tranſeuntes diſparuerunt, nec amplius ab aliquo ſunt viſi: In craſtinum autem cum gloriam talem de ſe plures audiret dictitare, occulte ſubtrahens ſe, ceſſit è medio, neque jam ultra in urbe illa operari volebat: In bractea autem ipſa aurea cum reliquiſſet circuli planitiem vacuam, neſcio cujus arte tales celati ſunt apices: Verſus.

Hoc

Digitized by Google

Hoc panthema pia celaverat ipſa Maria:

SÆC. XII. ANNO 1198.

Sed & imago ſedens quaſi viva, cunctis inſpectantibus adhuc hodie eſt veneranda. Dicebant autem nobis patres, quod ipſe vir Dei in reditu iter agendo, in quandam villam ubi ad Miſſas ſonatum eſt properans, Dæmonem ab homine in Eccleſia bacchantem invocatione ſancti Galli ejecerit: Sunt & alia quæ de illo audivimus multa, de quibus nobis nihil certum conſtat, tacere quam ſcribere maluimus. De obitu autem ejus, quia nihil conſtans comperimus, hoc ſolum aſtruimus, quod eum ad gaudia æterna tranſiſſe confidimus, indubitanter aſſerimus.

CAPITULUM XXV.

Notkerus ſtudet aſſiduè.

BEATI igitur viri Notkeri quæ reliqua ſunt de eo audenter narrabimus, quoniam illum ſancti Spiritus vas electum nequaquam dubitamus. Erat enim corpore non animo gracilis, voce non ſpiritu balbulus: In divinis erectus, in adverſis patiens, ad omnia mitis, in noſtratium acer erat exactor diſciplinis, ad repentina & inopinata timidulus erat, præter dæmones infeſtantes, quibus quidem ſe audenter opponere ſolebat, in orando, legendo, meditando, dictando, celeberrimus. Et ut omnes ſanctitatis ejus ſub compendio complectar dotes, Sancti Spiritus erat vaſculum, quo ſuo tempore abundantius nullum. Nam ut prælibavimus, dies noctesque ſemper idem novus, quod Rapertus in ſcholis, hoc ipſe in clauſtro præter verbera, omni charitatis egit cenſura. Priorum itaque permiſſo, magis autem & hortatu, juveniores ad hoc idonei, noctes diesque quando ab orationibus quieſcere velut cum in inſidiis dæmonum erant, ipſe propter regulæ tenorem ſibilis eos, interdum etiam ſtrepitu abſturbarat: Hoc idem cum refutaret, tamen ab Abbatibus per obedientiam ei injunctum eſt. Docebat enim eos bonitatem & diſciplinam & ſcientiam, & mandata Dei ſollicite credere & ſervare, dicens, vitæ mundiciam & puritatem non inveniri in terra ſuaviter viventium: Sed oportet hominem excolere terram cordis ſui, ſicut ruſticus agrum, ut uberes fructus exinde habeat. Qui vero incipiunt & non perſeverant, comparantur perdici, de qua Jeremias ait: Fovit perdix quæ peperit, in dimidio dierum ſuorum derelinquet ea, & in noviſſimo erit inſipiens, non attendentes quia extrema gaudii luctus occupat. Permiſſo Abbatum ſub quibus militabat, ſecundum voluntatem ſuam vivebat ad libitum ſuum, quia videbant verbo Domini firmatum, & ubi Spiritus Domini, ibi libertas, & quoniam ſpiritalis judicat omnia, & ipſe à nemine judicatur. Ardua enim ejus continens vita quiddam divinæ excellentiæ in vultu prætendebat. Oculus intuens in eum jocundabatur, & auris audiens eum gratulabatur: Tamen omnem gratiam quam ſe ſenſerat percepiſſe ſub tutela humilitatis ſtudebat occultare, dicens cum beato Job. Si fuero lotus aquis nivis, & fulſerint mundiſſimæ manus meæ, tamen ſordibus intinges me, & abominabuntur me veſtimenta mea. Propter humilitatis igitur cuſtodiam, cum eſſet homo ſcientiſſimus, ſemper magis aſſidebat pſalterio, quam cæteris libris. Porro non erat hora, neque incompetens dicebatur, ſi codicem in manibus non habuit, quando quis cum eo aliquid conferebat: Inter omnes confratres ſuos ſic ambulabat, majores & minores ita venerabatur, ut nulli ſe præponens, ſed quantum in ipſo eſſet, omnibus amabilis, affabilisque, quam autem melliſluus in reſponſis fuerit & alloquiis, lachrymæ eorum qui hominem viderant, & poſt ipſum ſupererant, requirentibus eum liquido manifeſtabant.

CAPITULUM XXVI.

Notkeri cum diabolo conflictus.

POSTQUAM vero Presbyterii gradum vir Domini Notkerus multa obedientia coactus humillime conſcendiſſet, tunc demum ſic quaſi nil prius virtuoſe aliquid egiſſet, illas quatuor virtutes cardinales & earum appendices, id eſt, juſtitiam, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, tanquam animæ naturales, tanta diligentia obſervavit, diſcuſſit, atque in his ſe exercuit, ut cunctis pateret, quia fortis Chriſti miles, omnia arma ſpiritalia contra diaboli nequitias pugnaturus ſibi induiſſet. Spiritaliter quoque ut diximus fortis erat ſicut Propheta ait: Qui appropinquant Deo accipient de doctrina illius, & qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, & aſſument ſibi pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient, ſed volabunt ut requieſcant ſicut columba in foraminibus petræ, id eſt, Chriſti, & ideo elongantes ſe à conſortio mundanæ offenſionis, fugient & manent in ſolitudine internæ jocundatis: Quantum autem Tutilo robuſtus fuit in homines, tantum vir ſanctus & plus valuit ipſe in dæmones. Alias autem corpore attenuatus ut jejunans & vigilans, debilis, tener & macer. Contigit ergo quadam nocte eum ut in Eccleſia prævenien

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1198.

in maturitate, altariaque circuiens, ut ſolebat in oratione flendo ejularet. Cumque veniens in cryptam duodecim Apoſtolorum ſanctique Columbani, uberrime, acriores de poſt aram oculi ejus deducerent lachrymas, quaſi canem audierat muſſitantem. Interdum etiam mixtam vocem ſicut ſuis grunnientis cum ſentiret, intellexit tentatorem: Es ne tu (inquit) iterum ibi? Bene conſtat virum DEI plures pugnas & conflictus cum eo habuiſſe, de quibus triumphos victoriæ reportarat. Quam bene (inquit) tibi miſer contigit nunc muſſitanti & grunnienti, poſt glorioſas voces illas quas in cœlis habueras? Accenſoque lumine, quo angulo lateret quæſivit. Ille vero ſiniſtro angulo appropianti, tanquam canis rabidus veſtes lacerat: Eya (inquit ille) ſervitium tuum foris cryptam ſatagere habeo: neque enim pœnæ illæ, quas, ut ajunt, jam pateris ſufficiunt, acrius tibi aliquid paraturus ſum. Præcipio autem tibi in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti & iſtorum Sanctorum, ut me in eodem quo nunc indutus es canino corpore exſpectes. Et ille: Faciam, (inquit) ſi volo. At Notkerus velocius abiens: Confido (ait) in Domino, quod velis nolis me exſpectabis. Feſtinato autem aram ſancti Galli adiens, cambotam quam ſanctus magiſter Columbanus per Magnoaldum Diaconum miſerat cum Epiſtola abſolutionis, felici diſcipulo ſuo Gallo, multarum virtutum operatricem, cum ſphæra illa ſanctæ crucis notiſſima rapuit, & in introitu cryptæ dextro ſphæra poſita, cum baculo vero a ſiniſtro introiit, & caninum illum aggreſſus eſt diabolum: Cum autem illum baculo ſancto cædere cœpiſſet, voces ſuas anteriores altius gannitu edidit, latratu & grunnitu. Tandem vero cum ad ſphæram ſanctiſſimam Zabulus cædentem fugiens veniſſet, ultra jam progredi non valens conſtitit, & tot jam ictus & incuſſiones ferre non ſuſtinens: Barbarice clamans: O weh mir/ weh/ vociferavit. Interea ædituus cum baſilicam intraſſet, vocesque horridas audiſſet, lumen velox in manibus ſumpſit, & ad cryptam acceleravit. At pater ſanctus cum dæmoni ictum ultimum feciſſet, baculum ſanctum in locis confregit. Et niſi ædituus ſphæram videns allevaſſet, ſicque diabolum more canis abire permiſiſſet, adhuc cædere eum habuiſſet. Ædituus vero baculo inſpecto attonitus, & baculum ne ſanctum Domine mi in cane fedaſti? Illo conticente addidit: Quis nam erat ille (inquit) qui me, O weh mir/ weh/ vociferavit? Putans ergo ædituus, illum pro pietate furem aliquem celare velle, ivit pedes per totam Eccleſiam, furem comprehendere cupiens, ſed cum neque furem inveniret, neque canem, graditur ſecum tractando fluctuans, quia Eccleſiam poſt ſe introiens clauſerat, quidnam eſſe poſſet quid contigerat ſatis admirans. Virum denique regularem jam ſemel ſibi tacitum, amplius alloqui non auſus eſt præſumere. Secundum autem quod vir ſanctus Domini Notkerus humilis erat & prudens, ædituo foras ire ſignificans, in partem eum ſumpſit, benedictione prælata, quomodo baculum fili mi fregi, niſi tu juveris ſecreta mea habebunt efferri: Sed quia meum non eſt ambulare in magnis, neque in mirabilibus ſuper me, ſilentio fidei tuæ committo quod factum eſt: ſicque ei rem quamvis invitus ut facta eſt enucleavit. At ille baculo per fabrum latenter reparato: quod factum fuerat, ad tempus occultavit. In temporis autem proceſſu, res ut erat in medium venit. Paucosque ſanctorum legimus diabolum ſic coërcitum ſtruxiſſe, ut vapulatus plagas cædentis non potuerit effugere: Unde canis ille infernalis aliquid tale machinabatur intra ſe: qualiter viro ſancto rependeret confuſionem digne ſibi illatam.

CAPITULUM XXVII.

Angeli apparitio.

ERAT eodem in tempore, in loco adoleſcens quidam Monachus admodum litteratus, Comitis de Kiburg filius, beati viri Notkeri de ſorore nepos, nomine Wolo, inquietus & vagus: Cui propter averſionem, cum Decanus ipſe nec Domnus nec ſanctus vir Notkerus ſeu cæteri imperare potuiſſent, crebroque eſſet verbis & verberibus coërcitus, nihilque exinde proficeret, omnes pro talis ingenii viro dolebant. Nam quadam die advenerant in Monaſterium parentes ejus pro eo ſolliciti, per quorum monita cum parumper proficeret, iterum poſt abitum eorum idem erat. Diabolus autem una die ſancto apparuit Notkero diluculo: Mala tibi (inquit) & fratribus tuis facturus ſum nocte. Ut probatius conjici poteſt, datur intelligi dæmoni huic permiſſum futura præſcire. Reſpondit beatus vir ſpiritui nequam: Mala avis frequenter malam famam prodere ſolet. Mox itaque ille bonus Notkerus, ſic enim à vulgo nominabatur, fratribus quæ audierat à Sathana intimavit, ut die illo ſe præcaverent innotuit: Wolo vero cum hoc & ipſe à dicentibus audiſſet: Senes (inquit) ſemper vana ſomniant. Erat autem dies ipſe quo ſibi à Decano ne quoquam, ut ſolebat, clauſtro progrederetur, interdictum eſſe omnes noverant. Cum ergo ſederet ad ſcribendum, ultima ejus ſcriptura erat, Incipiebat enim mori, uti habetur Johannis quarto. Igitur illico

Digitized by Google

illico à loco exiliens cæteris illum inclamantibus: Quo nunc Wolo quo nunc? In campanarium ſancti Galli, per gradus ad hoc quidem nobis paratos aſcendere incipit: Ut oculis quia greſſu non licuit, montes camposque circumſpiciens, vel ſic animo ſuo vago ſatisfaceret: Aſcendens namque cum ſuper altare virginum veniſſet, impulſu ut creditur diaboli, per laquear cecidit, omni corpore concuſſus collum confregit: Plurimis autem qui forte viderant vel audierant accurrentibus cum viaticum ei properanter afferrent, confeſſione dicta communicavit. Illi vero cum eum efferre voluiſſent, & ad domum infirmorum portare: Sinite me (inquit) ſanctas virgines prius inclamare, ipſæ enim ſciunt quamvis alias nefandiſſimus, mulierem tamen nunquam novi. Interea cum alte ejulaſſet beato Notkero accurrente, manus illi porrexit: Tibi (inquit) Domine mi & ſanctis virginibus, quas ſemper amabas, animam peccatricem commendo. Qui ſtatim ſpiritu conturbatus gemendo circa eum ſe jactans: Sanctæ (ait) virgines in vobis confiſus fratris iſtius crimina ſuper me tollo, & ambos nos vobis committo, & hæc dicens, flebat & ejulabat ex intimo cordis affectu. Cumque ille efferretur de oratorio, pro foribus Eccleſiæ quiete petita, Notkerum manu arctiſſime ſtringens, omnibus preces pro eo effundentibus emiſit ſpiritum: Inter exequias ſanctus Notkerus eum lavit, more ſolito in feretrum collocavit, obſequium ipſe faciens, totam ejus ſepulturam procuravit, ſemper quoad vixit, & quamdiu potuit, duo in ſe Monachi officia aſſumpſit, atque perſolvenda ſibi lege ſtatuit: Completorium vero ipſo obitus viri die dum finiretur, Patrum quidam ſimplicior, precem in qua ſcriptum legitur, ut ſicut læti duximus diem, ita noctem quoque tranſigamus, dum recitaſſet, vir Dei mœrens ſurgebat: Quid petis (inquit) frater admirabilis quid petis? Sufficeret hodie dici malitia ſua, & ſuperabundaret, tu autem nocti eadem precaris. Septima autem obitus hominis die, cum ſanctus Dei pernoctans in Eccleſia manſiſſet, circa tempus laudis nocturnæ, parumper ſuper genua pauſans, videt quaſi Rapertum ſuum ſe excitantem & dicentem ſibi. Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Evigilans ergo (ait) unde anime mi? unde hoc noſti? Hæc igitur cum ſubjunxiſſet, quaſi modeſto gradu ille exiit. At ipſe putans eum Eccleſiam, ut ibi licentius loqueretur exiſſe, & dum eum extra velum proſequitur, neque ipſum neque greſſus ejus ullum ſentire poterat ſonum, cereoque accenſo quæſivit illum in lecto. Quem etiam cum inveniſſet de lecto jam ſurgentem, ut & ipſe ſicut ſolebat prævenire in maturitate, & anticipare vigilias, vir Dei cereo exſtincto in Eccleſiam rediit, æſtimabat ſe viſum vidiſſe, & intelligens ſciebat, quod factum fuerat, quia per Angelum fiebat. Mox igitur hilaris factus, gratulabundus, Te Deum laudamus incipiens, præ gaudio flens, ſilenter cantavit. Die autem clare dato quærente Raperto utrum ne ad excitandum ſe nocte veniſſet: Sanctus Dei quid viderat, amabili ſuo aperuit, tandem quoque & cæteros fratres ſpes tanta non latuit: Gaviſi ſunt ergo fratres magno tripudio de ſalvatione fratris, laudantes & glorificantes DEUM in omnibus, quæ audierant & viderant, ſicut dixit illis vir beatus.

SÆC. XII. ANNO 1198.

CAPITULUM XXVIII.

UT datur perſpici adhuc loci religionem conſiderantibus & intuentibus, etiam in pſalmodiis tredecim ſedilia cum pſalteriis, aut auro impictis aut alias nobilibus picturis ornatis, & ſecundum..... valde correctis habebat. Præterea & alias habet illa ſancti Galli baſilica Capellas, in quarum uno angulari foribus proximo beatus vir Notkerus pſallere erat ſolitus: Nempe hic locus eſt ille ubi aſſidue ſanctus Domini humilis ac tremulus videns paupertatem ſuam, præſtolabatur pſallens ſpiritu & mente, ut intelligeret in via immaculata, quando adveniret ad ſe, & in meditatione ſua exardeſceret divinus ille ignis, & eloquium ſuum igniret, quem Dominus miſit in terram, cujus habitatio eſt in Sion & caminus in Hieruſalem, id eſt, in ſpeculativis mentibus, quarum deſideria velut ſcintillæ tendunt ad alta, & in carne degentes, ſupra modum vitæ carnalis ambulantes. O quam ſæpe in eodem loco vir ſanctus lachrymarum imbre infuſus, roreque cœleſti irrigatus, ita ut ignea ejus oratio quaſi fumus aromatum, & ſicut vapor thuris cum ſuavi thymiamate redolens aſcenderet penetrans cœlos, thurificans altare DEI, ut ipſe pſallere poſſet: Dirigatur Domine oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, & Habacuc, & ſuper excelſa mea deducet me victor in Pſalmis canentem, ubi agmina Angelorum ineffabili jubilo collaudant Deum Majeſtatis trinum & unum: Accidit autem, ut quadam die huic occupationi ita inſtaret, ut ſpiritum non relaxaret à continua contemplatione, in tantum, ut ad nonæ ſynaxim non veniret, neque eam per ſe caneret: In illo namque ſolio, cum poſt completorium clara adhuc die precibus inſiſteret, videt ſuper ſe in laqueari interruptis

Nova cum diabolo pugna.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1198.

ruptis trabibus diabolum confediſſe, & ſtylo in tabula ſcribere: Eruperat enim tabulam de laqueari in qua ſcribebat. Quem cum quid ſcelus ſcriberet interrogaſſet? Nonam (inquit) quam tu ſcelus hodie ſuperſederas ſcribo. At ille dicto citius, Deus in adjutorium &c. proſecutusque cætera, videt iterum diabolum manu celerrima, quod ſcripſerat planaſſe: Cumque ad preces ſynaxis ſe vir deinde proſterneret, tabulam laquearis diſrupti, in qua diabolus ſcribebat, ſuper eum dejecit: At vir ſanctus videns, ut ictum declinaret citius, à loco reſiliit. Cachinnans ergo Sathanas: Hoc tantum (inquit) ut mihi aſſurgeres effeci. Enimvero (ait & Notkerus) ſi tu caninus vel porcinus fueris, iterum tecum habeo operari: Statim cum evanuiſſet fugiens, fratres aliqui in extremis templi orantes, ſonum tabulæ vocesque audientes, mirati quid eſſet, cito aderant. Videntes igitur eum, ut ſolebat proſtratum, nolebant illum, eo etiam quod incompetens erat hora, impedire: Tamen Tutilo unus ex ipſis ſigno dato, amicè eum evocans foras, ſilenter in aurem: Magnus (inquit) inquietudines tu & dæmones tui fratribus facere ſoletis. Cui ille: Audierant ne anime mi fratres omnia? Non omnia (inquit) ſed mihi velim quæ hæc turba fuerit, per ſingula pandas. Itaque cum id vir DEI abnueret, & ab eo concitus tabulam, quæ ibi ceciderat ſubtraheret, alii qui viderant in latebris orantes, totum ut factum fuerat, non celabant: Vere locus iſte venerabilior cæteris, & ſanctior angulis univerſis, in quo tantus contemplator, in tantis ſe cœleſtium virtutum gymnaſiis exercuit. Quam occulte autem ac ſubtiliter hoc egerit, breve indicium ſubjunctum declarabit.

CAPITULUM XXIX.

Caroli M. amor ergo Notkerum.

CAROLUS Magnus Imperator in tantum dilexit locum ſancti Galli, & ita familiaris erat fratribus, ut eum non aliter nominarent, quam noſter Carolus. Plus tamen & ampliori dilectionis privilegio nepotem ſuum amabat, quia ſcientia, intelligentiaque & ſpiritalium diſciplinarum virtutumque cœleſtium religioſitas, abundantius inventæ ſunt in eo, hoc eſt in ſancto viro Notkero. Nam & auxit locum prædiis vehementer, & firmavit eum regalibus teſtamentis & honoribus. Erat enim ei vir Domini in ſpiritalibus ſemper conſiliarius, & ubicunque eum apprehendere quibat, aut ipſemet acceſſit ad eum, aut ſi non, per internuncium de conſiliis eum conveniebat. Contigit vero eum aliquando B. viro litteras dirigere per aliquem, forte ab eo exigens de virtutibus & vitiis aliquas quæſtiones enodare, & ſolutiones earum enucleatius exprimere. Cumque nuncius ad locum veniſſet, manſit in loco aliquot diebus. Quadam die tædio victus ibi morandi, adiit virum ſanctum, invenitque eum in horto eradicantem, evellentem & ejicientem herbas inutiles, radicantem autem tranſponentem, plantantem & irrigantem herbas utiles: Intulit nuncius dicens: Sancte pater quid mandas Domino meo? Ad quem ille: Ea quæ me vides facere: Hæc dic ei & nihil aliud. Reverſus ergo nuntius ad Dominum ſuum, nunciavit ei quæ vir beatus dixerat. Deinde ſubinfert quia invenerit eum in horto eradicantem & ejicientem herbas inutiles, & radicantem & ſtatuentem & irrigantem herbas utiles: Ad quem Imperator reſpondit: Satis mihi dixiſti, prudenti viro ſufficeret: Puto quod felix Rex ſenſerit, quia vir Domini admonuerit, ut vitia ſpiritalia ſive carnalia de horto cordis ſui eradicaret, & ejiceret, ut per incrementa gratiarum ſpiritus virtutes ſuccreſcerent, aut forte de Eccleſia Dei ſuper quam imperium ſuſceperat, erroneos & impios evelleret & extirparet, ut juſtorum lucis ſemita creſceret & dilataretur usque ad perfectum diem: Nec mirum ſi vir beatus horti officium libenter agebat. Irrigando, plantando, eradicando & ejiciendo imitans Dominum per Prophetam dicentem: Rigabo hortum meum. Et Oſeæ: Ero quaſi ros: Iſraël germinabit ſicut lilium. Proinde facta eſt anima juſti quaſi hortus irriguus. Et ſponſus in canticis: Deſcendit in hortum ad areolas aromatum ut paſcatur in hortis & lilia colligat. Itaque & à Maria in horto vitus idem ſponſus, æſtimatur eſſe hortulanus. Sic ſic vir ſanctus tendens ad faſtigium ſpeculativæ vitæ, ſicut aquila intuens & renitens contra claritatem Solis; ita oculis interni hominis ſpeculator ſpiritalis, humilitate eximia ſemetipſum tranſcendens, ſupra modum excellens divinæ gloriæ pondus, contemplans arcanum cœleſte: Tali enim lucta laborabat in Dei horto, ut merito cum Jacob Iſraël, id eſt, vir videns Deum poſſit appellari: Hujusmodi vero eruditus vir exercitiis, diſcernebat virtutes à vitiis.

CAPI-

Digitized by Google

CAPITULUM XXX.

ORBATUS igitur ſociis clariſſimus vir Domini Notkerus, quoniam illum Spiritus ſancti vas electiſſimum nequaquam dubitamus: Superſtes ipſe remanſit ſanctiſſimus uterinus in eodem ſpiritu viduus & orbus: Jam enim proceſſerat in dies plurimos, nec tamen relaxabat ſpiritum ab optimo incepto, propter annorum nimiam gravedinem. Sed magis ac magis adhortationibus ſeipſum roborans: Spiritu extendens ſe in anteriora, cogitans illud quod ſcriptum eſt: Quid eſt homo aut quæ gratia illius? numerus dierum ejus, ut multum centum anni, quaſi gutta maris & ſicut calculus arenæ, ſic exigui in die ævi deputati ſunt: Sedebat namque in loculo ſuo ſolus quietus, velut ſapiens in omnibus metuebat: Et ideo media nocte præanticipans vigilias ſemper, præparabat ſe ad orationem dicens cum Propheta: Anima mea deſideravit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis de mane vigilavero ad te. Quamvis nemo ſciat, utrum amore an odio dignus ſit, tamen ſuper cuſtodiam vir ſanctus ſtans jugiter, confidenter præſumens de ſpiritu, qui eum ab infantia ſuis charismatibus illibaverat. Et ſi vinum & muſica lætificant cor, & tibia & pſalterium ſuavem faciunt melodiam, quanto magis amor ſapientiæ, cujus eloquia, id eſt, Chriſti quem dilexit homo ſanctus & juſtus, & dulciora faucibus ſuis ſuper mel & favum, & cuſtodivit ea ab utero matris ſuæ? Non enim privabit eum Dominus virtutum, qui ſic in innocentia ambulat ſperando in eum. Contulit vero illi Dominus gratiam ad merita, ut mereretur in ſua converſatione adipiſci gloriam, & conſortium ſanctorum quorum ampliavit laudem in ſancta Eccleſia in conſpectu filiorum hominum, ut omnis Chriſtianus properaret & caderet in faciem ſuam adorare Dominum Chriſtum: Propterea vir ſpiritalis ſine intermiſſione fudit preces excelſo Deo omnipotenti, & iteravit orationem ſuam, ut Dominus multiplicaret pſallentes vocibus ſuis, ut in cœlum reſonaret ſonus, Spiritus ſancti gratia auctus, omni dulcedinis ſuavitate plenus. Ideoque digne memoria ejus in compoſitione odoris ſanctæ Eccleſiæ facti opus pigmentarii, id eſt, ut non fraudetur virtutum ejus meritis & precibus, ſed more omnium laudetur nomen Notkeri in eo qui fecit eum, & quaſi mel indulcetur ejus recordatio, & ut muſica in convivio vini, quod germinat virgines, id eſt, ut ejus caſtitatis exemplo ardueque continentis vitæ plures erudiantur. Nunc de tranſitu ejus quia modica ſcimus, ſcita cito explicabimus.

Notkeri aſſidua preces.

CAPITULUM XXXI.

ZELO nimio zelatus eſt magnus Imperator Otto primus propter diſciplinam Monaſterium ſui imperii: maxime autem cœnobium Sancti Galli quod præ omnibus diligebat. Venerant aliqui ſpiritu nequam inflati, æmulati non bene, fratribus ſancti Galli detrahentes, accuſabant eos apud Imperatorem, dicunt hoc feciſſe Abbatem Augenſem nomine Ruthmannum ob invidiam, ſicut in libro caſuum Monaſterii plenius ſcriptum habetur: Qui valde turbatus & commotus miſit ſedecim Principes viſitare locum, octo Epiſcopos & octo Abbates: Accedentes vero ad locum nihil tale repererunt, qualis fuit accuſatio. Tot ergo magni conſilii Angeli cum nihil emendabile ibi inveniſſent, orationibus fratrum ſe commendantes, reverſi ſunt ad Regem dicentes: Quoniam ſi juſtus ipſe ſibi eſt lex, magis regulares in veſtro regno Monachos non habetis. Nam ipſorum aliqui educati ibi erant, & nutriti in ſcientia & diſciplina. Quibus adhuc incredulus Cæſar miſit alium quendam hypocritam Monachum de Colonia nomine Sandratum, qui crapuloſus, bibulus ac lubricus ſe ipſum confundens, furtive à loco fugiens abſceſſit: Tunc Abbas militem ſuum mittit, ad curiam, cum literis ſic ſcriptis: Moveat Majeſtatis veſtræ pietatem, tam indiſcreta varietas moleſtiarum ac diverſorum hominum inepta molimina, quæ perpeſſus ſum cum fratribus per aliquod tempus: Audiens ergo Imperator, pœnitentia ductus, accitoque Reginæ conſilio Eckhardo, qui ſemper in curia erat, Monachus ſancti Galli: Scribe Notkero Abbati tuo (ait) & ſuis: non meam tantum illis, ſed illorum mihi, quia commoti ſunt, gratiam. Et ſi eos contriſtavi inſcius, propter invictam illorum mei cauſa patientiam, eos ſi vixero ſciens lætificabo, adventumque noſtrum in Majo, Deo donante, ad eos futurum, & vulnera quibus à perverſis ſeductus eos læſi ſanaturum. Diſpoſuerant enim ire Romam ambo pater & filius. Miles vero Abbatis hilariter dimiſſus, boni nuncii gerulus, omnes ſancti Galli viros lætificans, adventum Regum denuncians, eorumque verbis edixerat, quomodo ipſi jam experti ſunt, quod bene

Ottonis amor erga Monachos S. Galli.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1198.

quidem vellent, posthac viverent, quocunque modo mallent. Neque enim jam ultra ullum eis detrahentem audituros, aut hypocritam spondent immissuros. Parantur in adventum illorum multimodæ laudum dictatarum melodiæ, cæterarum rerum copiosa impendia. Veniunt autem ad locum in vigilia ascensionis, & suscipiuntur honore quo decuit. Otto itaque Magnus à fratre Brunone Coloniæ Archiepiscopo siniſtra ductus, dextra baculo fultus, Filio autem matrem ducente, longe ipse præ aliis, quasi leo præ bestiis, fratre manu osculata decedente, solus in medio stans. Fratribus hinc inde ad laudes in lateribus Ecclesiæ directim statutis, quasi statua constitit, oculisque grandibus in fratres hinc inde circumversatis, quam antea noverat, si adhuc maneat disciplinam probans, baculum sibi decidere sivit: Cunone vero Duce Meranio genero ejus accurrente, baculum ei timorate restituente, stare illum jubens ait. Ecce ego disciplinam horum quam & tu forsitan auditu nosti tentans, baculum mihi decidere sivi, nulliusque illorum caput aut oculos ad hoc motos vidi. Dic ergo Adilheidæ meæ & filio versutiam quam feci: Filius namque sæpe facete loqui solitus erat Cunoni referenti: Miramur (ait) cum tam firmiter imperium teneat, quod baculus ei deciderit. Enimvero quasi leo regna, quæ adhuc cœpit, firmissime tenuit, neque mihi quamvis filio, partem vel unam dedit. Deinde post laudes finitas, Otto rex magnus, neminem nisi quem Notkerus Abbas velit, secum claustrum ingredi edixit, sciens disciplinæ constitutum. Postea Decano & aliis primoribus ad oscula vocatis, ille dulcis nepos suus Notkerus balbulus, ubi esset, an adhuc viveret interrogat. Nam ille tunc ætate grandævus, & caligabant oculi ejus & videre non poterat, loco autem suo in sedili sedens solitarius & tacens, monstratus est Regi. Jubet ergo filio, ut ipse sibi adduceret illum: Qui mox jussa hilariter complens, osculatus eum, ad patrem manu duxerat benignum: At pater apprehensum virum sanctum & ipse gaudens osculatus est eum, & sub chlamyde astrictum multum consolatus est illum, dansque ei manum secum duxit in claustrum: O me (ait Notkerus) felicissimum orbum, qui tantos quantos nullus unquam cæcus meruit, hodie habeo ductores. In claustro autem residens, Imperator juxta se locaverat virum beatum: Ibi eum etiam Episcopi & Abbates, laici quoque & alii majores, quibus sæpe profuit salutabant: Cum multa ædificationum verba haberent ad invicem, benedixit vir sanctus Imperatorem, jussitque eum deduci Rex in locum suum. Die autem crastina Otto magnus & filius & regina habentes colloquium, de disciplina & utilitate domus cum Abbate & fratribus, commendantes se orationibus eorum, abierunt Romam, viam multam valde. Romæ igitur relicto, consecrato filio, Otto magnus à Roma rediens, in civitatem suam Magdburgensem, quam ipse ædificaverat: Ibique defunctus, regio more, ut decuit, honorifice est sepultus.

CAPITULUM XXXII.

Notheri obitus.

VIR itaque sanctus ac spiritalis nimia ætate ingravescente visu luminis carens, in loculo suo, id est, in angulo sedens templi, egestatem rerum & pauperiem spiritus sui reputabat abundantiam. Poterat iste sanctus dicere, ac si attenuatus corpore, omni desiderio aspirans oculis interioris hominis semper suspiciendo in excelsum gemens intra se: O quando ingrediar viam universæ carnis? Aut quomodo introibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei? Putas si ascendam ad populum accinctum, ut requiescam & sim in mansionibus Angelorum, & inter plenitudines sanctorum detentio mea? O quam beati qui habitant in domo tua Domine: ambulabunt enim in lumine vultus tui, & in lumine tuo, videbunt illud ineffabile paternum lumen: Replebuntur & inebriabuntur ab ubertate dulcedinis tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Ideoque sitivit anima mea te fontem vitæ, & de mane consurgens fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: Siquidem homo Dei postquam gratiam Spiritus sancti percepit, ab infantia usque ad hanc ætatem, ita viriliter pugnabat contra minitantem carnem, contra superbiam mundi, ac intrepidus contra dæmonum terrores, ut nunquam mundanæ contagionis aliquid mundum cor suum involaret ad inquinandum, juxta illud Evangelicum: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: Contemptum sui & parsimoniam, ut prædiximus, sic amabat, ut apte sibi conveniat: Beati pauperes spiritu, quia vestrum est regnum cœlorum: Ergo merito fiducialiter securus subinfert: Certus sum enim, quia neque tribulatio vel angustia, neque mors, nec vita, neque aliqua creatura poterit me separare à charitate Christi, quæ promisit decertanti, per os Joannis in Apocalypsi dicens: Vincenti dabo edere de ligno vitæ & manna absconditum, indueturque vestibus albis, & erit columna

Digitized by Google

lumna in templo meo, & ſedere eum in throno meo faciam, ſicut & ego in throno Patris mei ſedi: His & talibus incitamentis, aliisque quam pluribus adhortationibus exercitabat, & ſcopebat in meditatione ſua, ſpiritum ſuum, à juventute usque ad ſenium. Tandem cum tæderet animam ſuam vitæ in hoc mundo vano, oravit Deum ut faceret ſignum in bono, dicens: Quoniam magnus es Domine, & faciens mirabilia, tu es Deus ſolus ſuavis & mitis, & copioſus in miſericordia, patiens & multæ miſericordiæ ac verax omnibus invocantibus te, auribus percipe orationem meam, & intende voci deprecationis meæ. Denique miſit Deus miſericordiam ſuam, & eripuit eum de ſæculo nequam: Et in medio fratrum ſuorum ſuſtulit eum tanquam ovem de grege Domini, & in intellectibus manuum ſuarum deduxit eum. Nam febre utique correptus aliquot dies erat languens. Cumque ſentiret diem vocationis ſuæ adeſſe, & creſcente dolore infirmior exiſteret, convocatis fratribus, coram eis munitus eſt viatico ſacro, ſanctis myſteriis corporis & ſanguinis Chriſti, atque unctione divini liquaminis illinitus, valedicens omnibus benedixit eis, & commendans eos Deo & ſanctis patronis Gallo & Othmaro, ſeque orationibus eorum commendans, multis clarus meritis, virtutumque odoribus redimitus, in ſenecta bona plenus dierum, beato fine deficiens, ſanctum tradit ſpiritum: Non æſtimo dubitare de tam beati viri anima, tot pigmentis laborum ſuorum inſignitam, totiens flamine ſancto ignitam, quæ Angelorum jubilos docuit Eccleſiam Dei, quin in Angelicis carminibus ſit evecta ad cœlica regna, inter pſallentium choros, & inter catervas electorum Monachorum ſiderea ſede conſidens, coronatus effulgeat, & majeſtatem omnipotentis Dei videat Notkerus vas ſignatum Spiritus ſancti, ſexto idus Aprilis: & appoſitus eſt ad patres ſuos, capite baſilicæ ſancti Joannis Baptiſtæ, & beati Petri principis Apoſtolorum, ſepultusque eſt in plaga Orientali.

Sæc. XII. Anno 1198.

CAPITULUM XXXIII.

HYMNO dicto in obſequio viri Dei ſuper ſepulchrum ejus advolventes lapidem, ſignantes monumentum, regreſſi ſunt, fratres gemebundi & triſtes in oratorium, lachrymarum imbribus irrorati: dolentes quod viri ſancti corporalem præſentiam amplius habere non oportebat: Heu me proh dolor & nefas nefas: O negligentia: O ignavia: O torpor quod tam plurium annorum circuli revoluti ſunt, quod tanta ac talis tam elegans, tam lucida, tam præelecta, ac præclara margarita latuit in retro, & non in ante: In diademade reginæ, id eſt, in fronte ſanctæ Eccleſiæ locata, ut omnibus luceret, qui in ea ſunt? Aut cur homo eximiæ gratiæ non plura fecerit miracula? Cui ordinate reſpondendum eſt: Verum eſt quia pater ſanctus pauca ſcripſit, præter ſequentias & alia modica, cantumque etiam correxit ſecundum uſum, juxta exemplaria beati Gregorii, in ſcholis docuit atque inſtituit, ſicut præfati ſumus. Sciebat enim homo Dei quod plures opera plura fecerant, quos doctiores & ſanctiores humiliter ſibi prætulit: & quia ſcientia inflat, ſapientia ædificat, caritas illuminat. Ideoque ſe nullo implicabat negotio, ut largius Deo & ſibi vacaret, & arrogantiam ſive jactantiam liberius declinaret. Erat namque tantæ humilitatis vir ac ſibi deſpectus, ut ſolummodo laudem non quærens ab hominibus, verum etiam quantum in ipſo eſſet, nomen ſuum vellet neſciri in terris: propter gloriam quam adeptus, pro qua multo fervoris deſiderio inardeſcens ſæpius flagrabat. Alio modo de ſignis. Sciendum itaque eſt, quod multi ſunt qui ſigna faciunt, & virtutem ſignorum non habent. Et ſunt alii qui virtutem ſignorum habent, ſigna tamen non faciunt. Sicut legitur in quadam Homilia beati Gregorii: Et ſunt alii plures ſanctorum, qui ſigna valenter & abunde faciunt, quibus tamen majores ſunt hi qui ſigna non faciunt. Nam in ipſis Apoſtolis plus erat mirabilis virtus operum, quam ſignorum: Ita nunc eſt in Eccleſia: Plus eſt bene vivere, quam ſigna facere: Fere nulla ſigna fecerunt Patriarchæ & Prophetæ: Exceptis Moyſe, Joſue, Helia, & Heliſæo. Aut quæ ſigna fecit ſanctiſſima ac præcelſa Dei genitrix virgo æterna? Vel ille cui inter natos mulierum nemo major? Nulla leguntur ſigna feciſſe quamdiu erant in hac vita. Nec ipſe Dominus dinoſcitur ſigna feciſſe in his triginta annis. Nulla igitur ſigna leguntur agmina Angelica feciſſe, ut dicatur hoc ſignum fecit ille chorus, vel ille, ut Cherubin quoque & Seraphin, nec aliquis Angelus de ordine alicujus agminis in propria perſona, niſi forte Michaël vel Raphaël ſoli aliquid fecerint: Sed tamen eorum miniſterio credimus pene omnia miracula patrari. Sunt etiam nonnulli ſanctorum, quorum feſta ſancta Eccleſia valde ſolemniter ſolet celebrare, & commemorationem eorum agere, quibus tamen aliqui majores ſunt, quorum nulla fit mentio: Unus vero illorum erat iſte

Notkeri ſepultura.

ſanctus

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1198. ſanctus ac beatus Notkerus, quia Chriſto confixus cruci, carnem ſuam crucifigebat cum vitiis & concupiſcentiis. Propterea idem Dominus Jeſus Chriſtus ſummus Pontifex factus cum baculo, id eſt, cruce introiit ſemel in ſancta, ut per ſanguinem ſuum ſanctificaret templum, ac dedicaret Eccleſiæ tripudianti in cœlis. In quo canonizavit feſta ſanctorum prædictorum celebranda ab Angelicis ſpiritibus, beati Notkeri & aliorum ſimilium, ibi videlicet in ſui præſentia. In quo templo ſedens cathedra, ſede ſplendet fulgida, & cum eo ſanctorum milia. In dextera ejus ignea lex, & quoniam dilexit eos, in æternum conſervabuntur, & delectabuntur in multitudine pacis: Et quia in pace factus locus eorum, ideo fulgebunt Sole ſplendidius in terra viventium, & regnabunt cum eo in ævum & ultra.

CAPITULUM XXXIV.

Fides auctoris. SI quisquam forte invidiæ vel odii face accenſus, arguet nos de peccato & de injuſtitia, ſuo judicio derogans nobis Domini verbo dicentis de Heliu ad beatum Job: Quis eſt iſte involvens ſententias ſermonibus imperitis? eo quod tantas ac tales auctoritates operi inſeruerim: Quicunque ergo ille eſt, ſcire debet quod rationis eſt, quia myſtica ſanctorum merita, vita & geſta, myſticis ſunt auctoritatibus exemplanda, & ſpiritalibus ſunt comparanda. Idcirco magis me reprehendo & ago pœnitentiam, quod minus dixerim, quam exegerint merita & geſta hominus juſti: Si quis autem impoſuerit nobis falſa finxiſſe: Deum conteſtor, credat qui velit, * nulla me ſcripſiſſe, niſi quæ audivi, vidi, vel legi, alioquin mallem tacuiſſe: Unum tamen dico, & ideo parcendum eſt mihi, licet ſim illitteratus & indoctus, quoniam non cognovi litteraturam, eo tamen ſpiritu quo vir Domini abundabat donante, introiens in potentias Dei, de dextra ſedentis in throno, & de plenitudine ejusdem Spiritus accepi quæ ſcripſi: Et cum non ſim rhetor, rhetoricæ tamen artis regulam imitatus, verarum rerum aut veriſimilium atteſtatione cauſam probabilem reddidi, quia auctoritates quas poſui, qui oculo rationis diſcernit & conſiderat, peroptime agnoſcet quam apte textui conveniant & Dei viro congruant.

* *Egregium Gloſſema. Hanck. n. m. ſ.*

CAPITULUM XXXV.

Notkeri miracula. DE miraculis beati viri Notkeri, quæ poſt tranſitum ſuum ad tumbam ejus, meritis ipſius ſuffragantibus contigerunt, longum eſſet enarrare quanta vel qualia. Nam à die depoſitionis ſuæ quo gleba ſancta latuit, & theſaurus pretioſus eſt abſconditus in terra, plura ſigna ejus interceſſione patrata ſunt, per ducentorum circiter & eo amplius annorum ſpatium ante quos pater ſanctus migravit ad Dominum: Sed ſicut audivimus, ita & vidimus, utriusque ſexus homines, ſenes cum junioribus & infantulis diverſarum ægritudinum infortunio laborantes, circa ſepulchrum offerentes, lumina accendentes, gratiam curationum præſtolantes, divinum auxilium flagitantes. Denique mox meritis ſervi ſui, miſit Deus verbum ſuum & ſanavit eos, & eripuit eos de interitu eorum: Multi etenim eorum tandem ſoſpitate potiti, liberati à malis omnibus, priſtinam ſanitatem adepti, cum gaudio remearunt ad ſua, glorificantes & laudantes Deum, & ſervum ejus ſanctum Notkerum: Qui vero omnia ejus miracula vellet ſcribere, majus volumen fieret quam vita. Etenim plura ab hominibus loci ſunt neglecta, ac proceſſu temporis oblivioni tradita. Cum ergo ſigna non ſint fidelium, ſed propter infideles fiant, & aliis odor vitæ in vitam, aliis ſint odor mortis in mortem, maxime incredulis, & deriſoribus, ne arguamur celare gloriam Dei & viri ſancti, & dicatur nobis hoc Apoſtolicum: canes muti non valentes latrare, laudes Domini & virtutes ſanctorum ejus, & ne ſilentio redarguti, poſtea unusquisque noſtrum mœrens & dolens cum Propheta dicat: Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum, quanta audivimus & cognovimus miracula facta, & patres noſtri narraverunt nobis, & adhuc aliqui narrabunt, in ſcripto poſteris demandamus, quia occultata adhuc ſunt à nobis.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIA

DE

GUELFIS PRINCIPIBUS,

AUCTORE

ALTORFENSI

SIVE

WEINGARTENSI MONACHO.

Ex Codice MS. Auguſtano, Monaſterii SS. Afræ & Udalrici a Caniſio primùm edita.

Digitized by Google

Sæc. XII. Anno 1200.

CANISIUS

Ad Lectorem.

IN MS. Auguſtano, quem beneficio Nobiliſſimi & Ampliſſimi M. Velſeri habuimus, digna ſcitu eſt hiſtoria de Gwelfis; ubi ſub finem colliguntur, brevis Chronici more, anni, & quæ per illos à Gwelfis geſta ſunt. Hanc hiſtoriam excipit chronicon à Chriſto nato usque annum 1179. *Quis utriusque ſit auctor, nec verbulo quidem in MS. Codice expreſſum eſt. Curiosè tamen legenti caput* 1. 3. 6. 7. *&* 8. *manifeſtè patet, auctorem fuiſſe monachum cœnobii Altorfenſis ſive Weingartenſis ad S. Martinum. Imò in Chronico ait:* Noſtrum Monaſterium; *& Weingartenſe intelligit. Talia ſane ſunt, ex quibus hiſtoriæ illius temporis lux accedat: quæ tu te mecum oblecta, dum fortè aliunde nomen hujus auctoris ex adyto alicujus bibliothecæ prodeat.*

CHRO-

Digitized by Google

CHRONICON

SÆC. XII. ANNO 1200.

WEINGARTENSIS MONACHI

DE

GWELFIS PRINCIPIBUS.

Ex Codice MS. Augustano.

WELFI PRINCIPES DE ALTORFF

ET

DOMINI IN RAVENSPURG.

GEnerationes principum noſtrorum ſumma diligentia inveſtigantes, ac multum in diverſis chronicis, hiſtoriis, ſive antiquis privilegiis quærendo laborantes, nullum nominatim ante Gwelfonem Comitem, qui tempore Caroli Magni fuerat, invenire poteramus. Neceſſariò igitur..... hujus ſeriem ab eodem incipere oportebat. Scimus tamen ex plurimis circumſtantiis & ante eum alios fuiſſe, qui hanc domum etiam ante ſuſceptam Chriſtianitatis fidem magnis divitiis & honoribus gubernaverunt, & nomen ſuum per diverſas provincias, utpote per longa tempora alii aliis ſuccedentes magna induſtria dilataverunt. Nam ut in antiquiſſima quadam hiſtoria reperimus, iſti à Francis illis originem traxerunt, qui quondam à Troia egreſſi ſub Francione & Thurco Regibus ſuper ripas Danubii juxta Thraciam conſederunt, & civitatem Sicambriam nominatam ibi ædificaverunt, manſeruntque ibi usque ad tempora Valentiniani Imperatoris, à quo inde expulſi, eò quod tributa Romanis juxta morem ceterarum gentium ſolvere recuſabant. *Origo Guelforum.* *f. generationis.*

Egreſſi inde ſub Marchomiro, Sunnone & Geneſando Ducibus venerunt & habitaverunt circa ripam Rheni, in confinio Francia orientali Germaniæ & Galliæ. Illis ergo loca illa occupantibus, iſti ob multitudinem eorum nimiam ab eis receſſerunt, & terras has pænè inhabitabiles, & adhuc, ut cernitur, nemoroſas cum multis ſibi adhærentibus habitare cœperunt. Quod ſi cui minus credibile videatur, legat hiſtorias gentilium, & inveniet omnes ferè terras violenter ab aliis captas & poſſeſſas. Hoc Trojani, priusquam expulſi à ſuis ſedibus fuerant, facere ſolebant. Hoc Gothi & Alani; hoc Hunni & Wandali, hoc eſt, Longobardi & cæteræ nationum gentes, ſed maximè Septentrionales. Igitur potiti terra & habitatione cuncta, confortati noſtri vires ſuas ultrà protendere, & in diverſis provinciis prædia & dignitates ſibi accumulare cœperunt. Unde & in tantum ditati ſunt, divitiis & honoribus Regibus præſtantiores, ipſi quoque Romano Imperatori homagium facere recuſabant, & viribus propriis confiſi omnes terminos ſuos per ſe magna induſtria & fortitudine defendebant. Domum quoque ſuam Regio more ordinabant, ut ita quæque officia in eis, id eſt, miniſteria Dapiferi, Princernæ, Marſchalci, Camerarii, Signiferi per Comites, vel eis æquipollentes regerentur. Præfecerant etiam familiæ ſuæ * jam majori, minori unum de majoribus curiæ, quem nominabant Advocatum, qui vice ſua pro omnibus ſuis ſtaret coram Regibus ſeu Ducibus, vel aliis judicibus, & in quacunque cauſa vel querimonia pro eis reſponderet. Habebant & aliud quoddam Inſigne quaſi ſub

* *f. tàm majori quam minori.*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1200.

sub privilegio, ut proscriptos quosque, si ad se confugerent, reciperent; & usque ad excusationem vel condignam satisfactionem, sine sanguinis tamen effusione, conservarent. Quæ omnia ad honorem videlicet Curiæ pertinentia à successoribus etiam adhuc immutata consistunt. Ecclesias Regales, scilicet Constantiensem, Augustensem, Frisingensem, Curiensem, Campidonensem, Utinburensem magnis prædiis & multa familia ditaverunt. Quasdam verò ex integro à primo fundamento, quæ adhuc successores spectant, honorificè construxerunt.

De nomine Welfe sequitur.

I. *Nomen Welfe.*

IIs itaque prælibatis de exordio nominis, quod Welff sonat, quod plerique inde quærere solent, sicut audivimus, in medium proferamus. Dicitur, quòd quidam ex antiquissimis istis filiam cujusdam senatoris Romani, qui Kathalina nominabatur, in uxorem duxerit, ac filium ex ea progenitum Kathalinam nominavit: quod quia theutonisatum, Gwelff sonat, placuit omnibus, ut lingua naturali satisfacerent, & Romano nomine refutato, Gwelfum eum theutonicè nominarent. Alii dicunt, quod dum unus ex istis apud Imperatorem moraretur, uxor ejus filium peperisset. Mittens ergo ad virum suum, quod factum fuit, nunciavit, ipsumque ad se revocavit. Ille læto nuncio gavisus Imperatori reversionem insinuat, causam tamen reversionis non indicat. Imperator verò rem percipiens ridiculosè eum taliter affatur: Pro Gwelfo, qui vobis natus est, repatriare festinatis? At ille, Nomen, inquit, quod jam infantulo dedistis, postea plenius dare debetis; nisi enim Deus aliter ordinare voluerit, eum sub hoc nomine de lavacro sancto susceperus estis. Quod ita factum est. Alii utrumque verum esse conjiciunt. Dicunt non primò quidem, ut modò audistis, inventum esse, sed deinde multo tempore refutatum, & quasi in oblivionem traditum, denuo sic per Imperatorem renovatum, & sic nomen quod in principio fuit abominabile omnibus, postremò factum est in hac prosapia quasi naturale & acceptabile. Sed jam ad propositum redeamus.

De primo Welfone.

II. *Welfo primus. leg. Etichonem.*

IGITUR Welfo genuit filium Erichonem nomine, filiam Judith; Quam Judith Ludewicus Imperator, cognomento Pius, Caroli Magni filius, defuncta uxore sua Irolihgardi, (a) ex qua tres filios Lotharium, Pipinum, & Ludewicum progenuit, duxit uxorem; quæ genuit Carolum Calvum, qui in divisione Imperii regnum Francorum obtinuit, & XLV. annis strenuissime rexit, fratribus suis Lothario & Ludowico in Italia & Alamannia regnantibus, primo Pipino defuncto.

De Ethicone, qui fundavit Birgoja.

III. *Ethico.*

ETICHO hujus Juditæ frater patri defuncto pius hæres successit, qui genuit filium, *Heinricum* nomine. Hic itaque Heinricus cùm ad militares annos pervenisset, & suæ voluntatis compos fieret, ignorante patre ad Imperatorem se contulit. Cumque illi summa familiaritate sociaretur, & totius Imperii vires, terminos ejus circumeundo & pertranseundo cognosceret, tandem consilio Principum, & maximè ipsius Imperatoris instinctu, homagium ei & subjectionem fecit, & in beneficio quatuor milia mansuum in superioribus partibus Bavariæ ab eo suscepit. Quod cùm pater ejus percepisset, iratus, nobilitatem suam & libertatem nimis esse declinatam, ultra quàm credi possit consternatus animo, dolorem suum omnibus suis caris exposuit. Et assumptis XII. ex illis, infra montana ad villam, quæ dicitur *Ambirgo* (regalibus ædificiis & possessionibus ditissimis relictis) secessit, & ibi non amodo visurus filium suum consenuit. Cœpit & ibidem collectis monachis cellam construere. In qua etiam postmodum cum XII. suis humatus requiescit. Heinricus autem volens omnimodis dolorem patris mitigare, provinciam ejus fugit, nec tamen solatium necessitudinis ei subtraxit: omnia enim sua illi confinia ex integro ad ministrandum ei subjecit. Deinde comperta Patris morte Heinricus considerans locum, ubi cella incepta fuerat, incommodum & difficilem claustralibus, ad villam quæ dicitur *Altenmunster*, ubi sanctus *Alto* Confessor requiescit, supradictos Monachos cum omnibus suis transvexit, & Abbatiam ibi satis religiosam & divitem perfecit. Postea & in *Altorfensi* villa

(a) *In Chronico Weingartensi vocatur Irmingarda.* CAN.

Digitized by Google

villa Abbatiam cum Sanctimonialibus in Ioco, ubi nunc Parochialis Ecclesia est, construxit. Idem verò Heinricus uxorem duxit de Holnwarte in Bavaria, Beatam nomine, ex qua tres filios genuit, sanctum Conradum Constantiensem Episcopum, Etiochonem, & Rudolfum. Sanctus igitur Conradus in Episcopatum promotus, patrimonium, quod à patre possederat Altdorf, & Wolpteswende, Berge, Fronhoven, cum suis attinentiis, & omnia ultra fluvium nostrum Stutzina sita, sicut ad nos hodie pertinent, fratri suo Rudolfo per concambium donavit, & ipse ab eo remotiora recepit, id est Eitslingen, Andilingen, cum omnibus appendiciis suis & in Alsatia Colmir, & infra Retiam Curiensem * amidis fluminis Lugenetz. Quæ omnia Ecclesiæ suæ Constantiensi, partim fratribus majoris Ecclesiæ ad meliorationem præbendæ, partim fratribus illis, quos canonice in Ecclesia sancti Mauritii ordinaverat, contradidit. * Sæc. XII. Anno 1200.

Eticho frater ejus sine legitimi matrimonii copulatione de hac vita discessit, & Constantiæ juxta supradictam Ecclesiam sepultus est. Genuit tamen ex quadam de ministralibus suis filiam, quam frater ejus Rudolphus libertate donatam pro amore fratris cuidam nobili de Retia Curiensi cum largis prædiis copulavit. Ex qua illi de Herili Sella, de Ustera, de Raprechceswillare & eorum cognatio descenderunt.

De Rudolffo fratre sancti Conradi.

RUDOLFUS frater superiorum accepit uxorem de Oninge Itam nomine, cujus pater Couno nobilissimus Comes. Mater verò ejus filia Ottonis Magni Imperatoris Richluit nomine. Hic itaque Cono quatuor filios progenuit Eggebertum, Leopaldum, Luittoldum, Counonem: quorum primus, Eggebertus scilicet, Marchiam illam, quæ est in finibus Saxoniæ versus Danos, Stadin nominatam obtinuit, & filios ac filias per diversas regiones disseminatas genuit. Habuit quoque idem Couno quatuor filias; quarum una Rudolfo isti, alia cuidam de Rinueldin parenti * Haringiorum, tertia Regi Rugiorum, quarta comiti de * Dyehon nupsit. Rudolfus præfatus ex sua Ita duos filios Heinricum & Welfonem & filiam Rihgardam nomine progenuit. Hic est Heinricus, qui sub annis adolescentiæ in venusta valle juxta villam Lounon in venatione saxo percussus interiit. Rihgardam unus de majoribus Bajoariæ Comitibus uxorem accepit. Sed quia ex ea hæredem non habuit, tres Abbatias ex suis prædiis magnificè, ut adhuc cernitur, fundavit. Quæ sunt Eberspers, Goubac, Gisinueld. Et insuper Guelfoni fratri uxoris suæ villas Uringen, & Selinbach cum omnibus appenditiis suis donavit, ipsaque Richardis Eberspergæ sepulta. Denique Rudolphus postquam debitum naturæ persolvit, in Altorfensi cœnobio juxta patrem & matrem humatus. IV. *Rudolphus Guelfus.* * *f. Zaring.* * *f. Dachau.*

De Welfone vero Filio Rudolfi.

GUVELFO suprà nominatus Rudolphi hujus filius uxorem duxit de gente Salica, de Castro Glihberg Juithan nomine, sororem Heinrici Ducis Noricorum, & Friderici Ducis Lotharingiorum, & Adilberonis Episcopi Metensis, postquam * haberemus Regalem villam Mörigen, & in Longobardia Clismam cortem nobilissimam, cujus sunt XI. milia mansuum uno vallo comprehensi. V. *Welfo.* * *Ita lego. in m. f. est: heremus.*

Qualiter Augustensem civitatem ceperit.

ISTE est Gwelf, qui aliquando auxiliante sibi Ernesto Duce Sueviæ Imperatori Conrado Salico (*b*) rebellabat, & cum Brounone Augustensi Episcopo maximas prædas & incendia faciens, nec non & castella, & munitiones ejus diripiens, tandemque ipsam civitatem capiens diu dimicabat. Cui Frisingensis Episcopus auxilium ferens eadem ab eo perpessus est. Hic etiam Abbatiam Altorfensem, transferendo huc monachos de Altenmünster & sanctimoniales nostras illuc ponendo permutavit. In qua Abbatia & ipse postmodum defunctus requiescit. Uxor verò ejus adhuc diu superstes in Altemünster sepulta est. Hic cùm ad senectutem perveniisset, & malorum, quæ Ecclesiis Augustensi, & Frisingensi intulerat, sæpiusque revolvens animo, recordaretur, ad emendationem cum magna cordis contritione anhelans, examinationem sibi per judicium aquæ frigidæ elegit, in qua non aliud precium sibi sufficere æstimans, VI. *Augustam expugnat.*

(*b*) Hic ducatu Bavariæ privatus est, eo quod obsequium denegaret Conrado secundo. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1200. æſtimans, villas ſuper villas cum omni jure ſuo in ipſo examine accumulans compoſuit, & ſic recompenſando illatum damnum ad perfectam purgationem pervenit. Quas villas, juxta modum & qualitatem damni, utrique Eccleſiæ ſine dilatione in perpetuam poſſeſſionem donavit. Hic genuit filiam Chuniham nomine, quam * Alho ditiſſimus Marchio Eſtenſis Italiæ, cum curte * Eliſma dotatam in uxorem duxit, & ex ea Gwelfum totius terræ noſtræ futurum hæredem & Dominum progenuit. De quo ſuo in loco dicendum eſt. Genuit & filium ſui nominis (*c*) Gwelfum, virum per omnia probatum, qui Ducatum Carinthiorum & Marchiam Veronenſem acquiſivit, & ſtrenuiſſimè rexit. Dicitur de eo, quòd cùm in procinctu eſſet, & Imperatorem Heinricum tertium, per triduum ultra ſtatutum tempus, in loco qui dicitur Rungalle, ubi totus exercitus convenire ſolet, quò & ſe venturum juramento conſtrinxerat, præſtolaretur, & nec nuncium quidem, qui cauſam moræ illius exponeret, haberet, erecto ſigno convocatis Dominis reverſionis iter arripuit. Cui tandem Imperator occurrens nec muneribus nec promiſſionibus, vel ſaltem minis ab incepta repatriatione removere potuit.

** f. Azzo, de quo poſtea.*

** f. Eliſma.*

Qualiter Imperatori reſtitit.

VII. *Imperatori reſiſtit.*

QUODAM etiam tempore cùm Imperator Veronenſibus civibus exactionem inferens, mille marchas ab eis extorſiſſet, ipſe ex improviſo ſuperveniens, tanta eum ſuosque ſeveritate & contumelia afflixit, ut vix Imperator, pecunia ex integro reddita, ſecuritatem exeundi obtineret. Idem etiam Gwelfo monaſterium in montem * antiquum in honore ſancti Martini fundavit, nomen Wingartin impoſuit, in quod de villa tranſlatis monachis, & oſſibus patris ſui Gwelf & patrui Heinrici, & qui Rudolfi Eccleſiam priorem Parochialem eſſe conſtituit.

Hic denique Gwelf ſub juvenili ætate, cùm eſſet in caſtro Botamo, morbo correptus eſt, vidensque ſibi imminere mortem omne patrimonium ſuum cum miniſterialibus, quia hæredem ex ſe non habuit, ad cœnobium Altorfenſe ſancto Martino in perpetuam poſſeſſionem donavit, & hoc perficiendum duobus de Majoribus ſuis, qui tunc ſecum aderant, fideliſſimè commiſit. Ipſe vero diem claudens extremum, illo deportatus eſt, cum maximo planctu ſuorum & totius vicinitatis ſepultus. Mox expleta ſepultura, quibus injunctum fuerat donationem perficere volentes prohibiti ſunt. Mater enim ipſius ſciens ſe hæredem habere ex filia, miſſis in Italiam legatis, juſſit eum adduci, & veniens penitus donationem interdixit; & ſe certum & verum eſſe hæredem proclamavit.

** leg. Balduini.*

De Welfone IV. qui primus fuit Dux Bavariæ.

VIII. *Welfo IV. dux Bavariæ.*

HIC eſt ille Gwelf, qui primus ex noſtris (*d*) Ducatum Bavariorum adeptus magnifica multa in eo ſicut & in aliis regni partibus peregit. Erat enim vir armis ſtrenuus, conſilio providus, ſapientia tam forenſi quam civili præditus. Unde & omnes tempeſtates bellorum contra ſe & contra alios in invicem in finibus ſuis exortas, magna vel moderatione vel ſeveritate compeſcuit. Imperatori, antequam machinationes in mortem ſuam patraſſet, & antequam Eccleſiam Dei manifeſtè impugnaſſet, fideliſſimè adhærebat; eique cum contra Saxones dimicaret, in tribus funeſtiſſimis congreſſionibus ſtrenuiſſimè militabat. At ubi multa inhoneſta de eo in medium proferebantur; &, quod majus eſt, Dominum Apoſtolicum Gregorium ſeptimum, Gwiperto Ravennenſi Archiepiſcopo intruſo, de ſede ſua expulit, ipſe cum aliis Catholicis Principibus ab eo declinavit, & amodo eum multis modis inquietavit. Unde & cum Sigefrido Auguſtenſi Epiſcopo, qui parti, imò inhumanitati ejus favebat, diu & acerrimè dimicavit; quem tandem cum multis in civitate ſua comprehenſum in vincula jecit, & in caſtro Ravenſpurch catenatum multo tempore conſervavit. Civitatem quoque eandem præda & incendio devaſtavit. Accepit autem Reginam Angliæ tunc viduam, filiam ſcilicet Balbubini * nobiliſſimi Comitis Flandriæ Juditam in uxorem. Ex qua duos filios Gwelfonem ſcilicet & Heinricum, quorum

Gregorio VII. adhæret.

Sigifridum Epiſcopum captivum ducit.

(*c*) Guelfus III. hic ducatum Bajoariæ in aliam tranſlatum familiam recuperaverat; quod miror authorem ſilere. BASN.

(*d*) Triplici titulo illum ducatum invadebat. 1. Quod eſſet de proſapia Adelfingorum, qui olim ducatum Bajoariæ tenuerant. 2. Quia filius erat Azonis Italiæ Marchionis & Conizæ, quæ filia fuit Guelfi ſecundi ducis Bajoariæ, de quo ſupra cap. v. 3. Duxerat in uxorem filiam Ottonis Bajoariæ ducis exauctorati an. 1071. BASN.

Digitized by Google

rum uterque Ducatum Bavariæ, (*e*) alter post alterum possederat, progenuit. Hic est ille, qui primus ex nostris, eo quod fautoribus suis, in tot commotionibus bellorum, prædia sua distribuendo, paternos reditus comminuit, manus suas Episcopis & Abbatibus præbuit, & beneficia non modica ab eis recepit. Omnes possessiones Luitoldi Comitis, quas in partibus illis habuit, præter illas quas in Zwyfalten sanctæ Mariæ contradidit, cum duobus castris Achalin & Wulvelingen ipso donante possedit. Patrimonium quoque Comitis Ottonis de Buchorn, eo vivente & bona voluntate tradente recepit & obtinuit. Denique cum ad senilem ætatem venisset, & Raitenbuchensem Ecclesiam construere cœpisset, & satis copiosè dotasset, Altorfense quoque monasterium prædiis, decimis & mancipiis, nec non Ecclesiasticis ornamentis abundantissimè ditavit, alias etiam Ecclesias ad se pertinentes aliquo modo meliorasset, volens de excessibus suis difficiliorem satisfactionem exhibere, Jerosolymitanum iter arripuit: Quod & in maximis persecutionibus & periculis Ungariam & Græciam transiens persolvit. Sepulchrum enim Domini & alia loca sancta omnibus suis pænè amissis visitavit. Deinde ad reversionem se parans Cyprum adiit, ubi de hac vita decedens, sepultus est. Ossa tamen ejus postea inde sublata, ad Altorfense monasterium translata & reposita sunt. Socii autem peregrinationis & laborum ejus, vel interfecti, vel vivi Sarracenis, machinante perfidissimo Alexio Imperatore Græco, traditi sunt. Inter quos Themo Saltzburgensis Episcopus comprehensus & Regi Mempheorum præsentatus ad Idolatriam angariatur. Ille fanum ingressus, animi & corporis viribus robustissimus, Idola, quæ adorare debuit, non Deos sed opera manuum ostendens in frusta comminuit. Ob hoc productus exquisitisque suppliciis affectus Martyrio coronatus est. Itam comitissam matrem Leopaldi Marchionis orientalis: quæ similiter in eodem comitatu fuit, unus de Principibus Sarracenorum rapuit, & impurissimo sibi matrimonio copulavit, ex eaque sanguinem illum sceleratissimum Utamut progenuit.

Sæc. XII. Anno 1200.

fort. Massimus.

De Welfone, qui Methildam duxit & in Choufringin obiit.

IGITUR post mortem patris Gwelfo major natu paternum Ducatum recepit. Vir moderatissimus, qui magis liberalitate & facilitate quàm crudelitate omnia sibi resistentia subjecit. Domum suam ordinatissime dispositi. Unde & nobilissimi quique & utriusque provinciæ filios suos ejus magisterio educandos certatim commendaverunt. In Italia tamen cum his, qui patrimonium suum injustè usurpaverant, & suos pessimis circumventionibus molestaverant, sæpissime durissimos conflictus habuit. Romæ cum Imperatore Heinrico quinto fuit, cum Papam Paschalem captivavit, immunis tamen scelere ab hoc. Nam cum omnimodis ab eo declinare non posset, mediatorem se ad compositionem faciendam interposuit, sicque factum est, ut Imperator tandem ejus consilio ad condignam satisfactionem humiliaretur, & Papa eum pro bono pacis clementer ac paternè susciperet & consecraret.

IX. *Welfo V.*

Accepit autem Mahtildam nobilissimi ac ditissimi Italici Marchionis Bonifacii filiam in uxorem, fœminam virilis animi, quæ ad instar fortissimi principis totam terram illam suo dominio subjugavit, quam tamen postea, nescio quo interveniente divortio repudiavit. Denique omnibus suis benè compositis, morbo correptus in villa Chufringen diem clausit extremum, & in Altorf deportatus juxta patrem & matrem sepultus est.

De Heinrico duce qui factus est monachus.

HEINRICUS (*f*) frater ejus Ducatum & omnia quæ illius erant obtinuit, & potentes ditioni suæ subjugavit. Qui uxorem jam dudum vivente patre de Saxonia accepit filiam Magnonis Ducis, & Sophiæ sororis *suæ* Regis Ungariæ Colomanni Wulfildem nomine. Erat tandem eadem Sophia antea cuidam de Carinthia copulata, ex qua genuit Poponem Marchionem, qui duas filias, unam Bertholdo Comiti de Bogen copulavit. Porro soror hujus Sophiæ Regi Græcorum nupsit. Aliam sororem ejus Berchtam quidam Comes ex claustro quodam sanctimonialium abstractam duxit

X. *Henricus dux & Monachus.* *Hæc vox, suæ, videtur delenda.*

(*e*) Observandum enim Guelfonem quartum, cum Henrico quarto rebellaret, fuisse ducatu Bajoariæ quem in socerum usurpaverat spoliatum; sed cum in gratiam apud Imperatorem rediisset anno 1096. ipsi restitutus fuit: deinde vero filios de rebellione in principem cogitantes continuit, Imperatori reconciliavit & ea ratione ipsis ducatum eo mortuo committi impetravit. BASN.

(*f*) Dicebatur vulgo superbus; successit fratri in Bajoaria & Sueviæ Marchia; sed postea controversiæ cum moverentur inter ipsum & Conradum III. Imperatorem, ob contumaciam privatus est ducatu; secessit Brunsuigii in Saxonia: inde Saxonum duces e Guelfis originem duxere. BASN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1200. duxit, & ex ea Fridericum Ratiſponenſem Advocatum genuit. *Ipſa autem Sophia ex Duce Magmone quatuor filias habuit, Wulfildem noſtram, Alicugam matrem Adelberti Marchionis de Saxonia, tertiam quam duxit Dux Moraviæ, quartam quam Egehardus Comes de Schiten à quodam monaſterio ſanctimonialium in Ratiſpona abſtulit, ac ſibi matrimonio copulavit, Ottonemque Palatinum ex ea progenuit. Heinricus igitur Dux ex Wulfilde, præter illos, quos infra annos ſinus cœleſtis patriæ ſuſcepit, tres filios habuit; Cunradum, Heinricum, Gwelfonem: Et quatuor filias; Juditam, Sophiam, Mahtildem, Wulfildem. Judita nupſit Friderico Suevorum Duci, quæ Fridericum Imperatorem noſtrum, & Uxorem Matthæi Ducis Lotharingiæ progenuit. Sophiam Bertholdus Dux de Haringen, & eo mortuo Leopaldus Marchio de Stira in uxorem accepit; ex qua Odocarum primum Marchionem genuit. Mahtildis primò Theapoldo filio Theapoldi Marchionis Cambienſi de Voheburck, poſtea eo mortuo Gebehardo de Sulzbach copulata eſt. Wulfildem Rudolphus Bregantinus Comes duxit. Conradus in clericum ordinatus cum ſub puerilibus annis domi literarum ſtudiis informaretur, tempore maturo Colonienſi Archiepiſcopo altiori ſtudio & diſciplina clauſtrum educandus committitur. Ibi in utroque tantum profecit, ſed & aliis virtutibus vitia declinans tantum ſe exornavit, ut ab omni clero & populo amaretur, ab omnibus ſummo honore dignus judicaretur: Ipſe vero honores, divitias, laudem humanam fugiens quibusdam ſe monachis ſociavit, cum quibus, omnibus ſuis ignorantibus, Clarävallenſe monaſterium adiit ibique monachum ſe fecit. Deinde procedente tempore Jeroſolymam petiit: ubi cuidam ſervo Dei in heremo manenti adhæſit. Tandem ſentiens ſe quadam infirmitate tactum de reverſione cogitavit, & ingreſſus navem (g) Bairam civitatem ſancti Nicolai pervenit, ibi beato fine diem ultimum clauſit, honorificeque ſepultus ibidem requieſcit. Circa idem tempus pater quoque ejus & mater; pater monachum profeſſus in extremis ſuis in caſtro Ravenſpurg, mater in Altorf XVI. die poſt mortem mariti obierunt, & in monaſterio ſancti Martini ſepulti ſunt.

f. in clauſtrum.

Fit Monachus.

De Heinrico primo Saxonum Duce.

XI. IGITUR Heinricus, defuncto patre, Ducatum ejus adeptus, generalem conventum Ratiſponæ omnibus indixit; Quo collecto milite adveniens, quidquid inſolentiæ in civitate, ſive extra circumquaque ad aures ejus perlatum eſt, provida diſpenſatione dijudicavit. Diſcrimina bellorum inter Principes ſeu Majores terræ diu exagitata compeſcuit; pacem firmiſſimam omnibus annunciavit, & juramento confirmari præcepit. & ſic demum accepta à Burgenſibus pecunia terrorem cunctis incutiens civitatem egreditur, & munitiones ac villas prædonum & proſcriptorum per totam Provinciam devaſtat. Interea miſſis legatis in Saxoniam ad deducendam ſponſam ſuam, Gerdrudem ſcilicet, filiam Lotharii Imperatoris, optimates quosque Bavariæ ac Sueviæ ad nuptias invitat. Quibus laute in *plane juxta Licium fluvium ultra Auguſtam in loco, qui dicitur Concio legum, in octava Pentecoſtes celebratis, eandem in partes iſtas adduxit, & in caſtro Ravenſpurg usque ad autumnum ſtare conſtituit. Ipſe verò ad Imperatorem reverſus Ducatum Saxoniæ, Nurenberch, Gredingen, & omnia beneficia, quæ Imperator ab Epiſcopis & Abbatibus habuit, ſuſcepit; ac rebelliorem, id eſt, Fridericum Ducem, ſororis ſuæ maritum pollicetur. Interea Fridericus Ratiſponenſis Eccleſiæ Advocatus, videns poteſtatem Ducis prævalere, ſuum verò quotidianum in civitate minui, quorundam conſilio, quibus pax odioſa fuit, unum de miniſterialibus Eccleſiæ, qui Duci omni fidelitate in civitate & extra aſtabat, & miniſtrabat, dolo vocavit ad ſe, invitatum vita privavit.

*leg. plano.

Quibus compertis Dux Bavariam feſtinanter ingreditur, ac caſtrum Advocati fortiſſimum Falſchenſtein obſidione cingit, omnesque ſuos ad obſidionem compellit. Dum hæc in Bavaria aguntur, Imperator quoque Spiram civitatem Rheni in injuriam Friderici Ducis obſedit, miſſoque nuncio, Ducem Heinricum, ut ſibi quantocius in auxilium veniat, invitat; qui omni cunctatione poſtpoſita, obſidionem & omne negocium ſorori ſuæ Marchioniſſæ de Stira tunc viduæ, quæ eo tempore cum DCCC. loricis advenerat, committens, ad Imperatorem cum DC. & eo amplius feſtinat militibus. Quo cum magno labore perveniens caſtra ultra Rhenum poſuit, & ut impetus & irruptiones (h) f... præcaveret, militem coadunatum prope ſe locavit. Fridericus

* *An legendum Maginone? m. ſ. habet ubique Magmone.*

(g) *Bairam pro Barium, quo corpus S. Nicolai Myrâ translatum eſt. Martyrol. 9. Maii.* CAN.

(h) *Fort. fatilius, vel: fraudulentas.* CAN. Sed legendum Frederici, contra quem bellum gerebat Lotharius Imperator. BASN.

Digitized by Google

ricus tamen, utpote vir armis ſtrenuus, dum quadam nocte armato milite minus cautè in caſtra irrueret, Heinricus præmonitus armis & equitatura paratus, ad fugam illum compulit, & ita fugientem usque in Gouningen inſequitur, amiſſisque aliquot de ſuis, & omnibus pænè equitaturis ignominioſè evaſit. SÆC. XII. ANNO 1200.

Deinde ſatisfactione & pactione Spirenſium cum Imperatore, Maguntio mediante, compoſita, Bavariam usque regreſſus, caſtrum jam diu obſeſſum capit, ſuosque ibi ad tutandos fines illos & ad conſervandum ſibi caſtrum locavit. Non multo poſt Fridericus Dux memor priſtinæ injuriæ Altorf & Ravenſpurch armata manu invaſit, & villas circumquaque nec non & Mämingen incendio devaſtat, & de noſtris aliquot captivos abduxit. Quod Heinricus ferre non valens ſequenti æſtate copioſum exercitum congregat, finesque Friderici ingreſſus, à villa Cougindorf, quæ eſt in ripa Danubii, incipiens, & ultra Stouphen perveniens omnia circumquaque in tranſitu & in reditu, incendio & præda devaſtat. Ad Ulmam vero divertere noluit, quia ejus territoria & ſuburbia ac villas non longe ante dira vaſtatione deſtituit.

De Conflictu cum Ratiſponenſibus habito.

CIRCA idem tempus Ratiſponenſes mortuo Epiſcopo ſuo Heinricum unum de nobiliſſimis fratrem ſcilicet Ottonis de Wolferatenhauſen, machinante Advocato cum aliis æmulis Ducis, eligunt, & in locum illius conſtituunt. XII. Quod Dux in injuriam ſui factum compenſans, ad depoſitionem ejus omnimodis laborabat, & apud Imperatorem, ut Inveſtituram ei negaret, & apud Apoſtolicum, ut conſecrationem ejus interdiceret, calumnians electionem ejus non eſſe canonicam ſatagebat. Ille verò inter hujusmodi diſcrimina Metropolitanum ſuum feſtinanter adiit, & conſecrationem ab eo ſuſcipiens nuncium Apoſtolicum prævenit, reverſusque ſe & civitatem & omnes ad rebellionem præparat. Dux ergo cùm hujusmodi detractionibus illum avellere non poſſet, ad aliud animum intendit. Sine mora Bavariam ingreditur, civitatis ſuburbia, & omnia Eccleſiæ territoria incendio & vaſtatione peragravit, Caſtrum quoque Epiſcopi Tonſtauphen ex improviſo ſuperveniens arripuit, ſuisque cuſtodiendum commiſit; Quos Burgenſes duris congreſſibus ſæpius inquietabant, aliquando obſidebant, acceſſum & receſſum eis interdum per inſidias impediebant. Deficiente verò aliquando annona, Dux ipſe collecto milite victualia circumquaque collecta illis apportabat, & ſic tota illa provincia multis malis ſubjacebat. Interea his malis & aliud non minus execrabile in ſuperiori Bavaria aſſurrexit. Quadam enim die, dum Dux per fines Comitis Ottonis de Wolferatenhouſen tranſitum feciſſet, ille in ultionem Epiſcopi patrui ſui tam ſubito, & inopinatè eum ſupervenit, ut niſi unus de ſuis de equo, in quo ſedit, procidiſſet, & ſuum pro illius Domino ſubſtituiſſet, inermem vita privaſſet. Unde & ille in equo Domini fugere tentans comprehenſus, & multis vulneribus affectus captivus abducitur. Quapropter Dux collecto milite circa Purificationem ſanctæ Mariæ fines illius invadit, omnia inter montana devaſtat, caſtrum Homeras obſidet & expugnatum incendit. Ad Wolferatenhouſen verò propter ſanctum Quadrageſimæ tempus, quod imminebat, divertere noluit, ſed aſſumpto Gwelfone fratre ſuo, qui eo tempore milites tranſalpinas in partes illas militiæ gratia adduxit, ad civitatem usque revertitur, & ſuos quamdiu jam in caſtro Tuniſtouphen multis malis coarctati vexabantur, inde abduxit, & caſtrum igne ſuccendit. Sed quia Gwelfonis mentionem habuimus, non incongruum videtur, ſi aliquid de his quæ & ipſe circa eadem tempora in tranſalpinis partibus egit, huic aſſertioni inſeramus.

Igitur Gwelfo ſub annis adoleſcentiæ ſuæ, mediante fratre ſuo Heinrico Duce filiam Gotefridi, ditiſſimi Palatini de Caluve Outam nomine accepit uxorem. Unde & omnia quæ illius erant, tam beneficia quam patrimonia obtinuit. Albertus igitur Comes, fratruelis ejusdem Palatini, videns omnem ſuam ſpem, quam in morte patrui poſuerat, fruſtrari, de injuſta eum diviſione calumnians hæreditatis, ac medietatem omnium ad ſe hæreditario jure ſpectare proclamans, caſtrum Caluwe dolo ſubripuit, & milites in eo locavit. Deinde in brevi poſt milites Gwelfonis in villa Gindelvingen quadam nocte ex improviſo ſuperveniens aliis ex eis captis, aliis in fugam converſis, omnibus pæne tam in armis, quam in equitaturis penitus * deteſtitutus villam ſuccendit, ac prædam ad caſtrum ſuum Wartinberg adduxit. Dux ergo collecto milite ſine mora idem caſtrum obſedit, & machinas nihilominus adduci & præparari præcepit. Albertus vero Fridericum & Conradum Duces auxilii gratia adiit, eisque de allodio ſuo villam cum miniſterialibus ac aliis appenditiis ejus, ut Gwelfonem

Welpho ſextus.

* *deſtitutam vel deſtitutis.*

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1200.

nem de obsidione propellerent, contradidit. Illi autem dum ad redimendum castrum collecta manu militum properarent, Gwelf impetum eorum præveniens, castrum armata manu, machinis quoque adhibitis circumquaque impugnat, ac sic laboriosè captum præda sua recepta, & militibus ibidem repertis captivis abductis igne castrum succendit. Eadem quoque tempestate Cunradus Dux de Zaringen avunculus uxoris Stouweburch castrum Gwelfonis obsedit, sed adjutorio Lotharii Imperatoris infecto negotio recessit. Postea & aliud castrum Lewstein, præfati Comitis scilicet, quod inexpugnabile cunctis videbatur, artificiosa congressione Gwelfo expugnat, aliquotque de suis amissis, omnibus vero quos ibidem repererat, captivatis incendio devastat. Post procedente tempore cum etiam Caluve castrum, quod idem Comes ei dolosè surripuerat, collecta multitudine obsidere voluit. Ille se in extremo discrimine positum, nullumque refugium, nullum solatium se ulterius habere compensans, ad deditionem venit, ac se ad pedes Ducis humilians, gratiam quam non meruit, invenit. Dux enim pro solita mansuetudine ac clementia illum eodem castro, ac aliis quibusdam villis inbeneficiavit, omnibusque suis restitutis honorificè dimisit, ac sic composita pace cunctisque terræ illius optimatibus ad se confluentibus, provincia tota ditioni suæ subjecta quievit. Sed jam digressione omissa ad inceptum redeamus.

Henricus Bavariam petit.

Heinricus igitur Dux finita Paschali hebdomada tam copiosum exercitum in Bavariam reduxit, ut & castrum supra nominatum stricta obsidione clauderet, & se ab impetu illorum, qui sibi contumaciter comminabantur defenderet. Episcopus enim per totam cognatos & amicos suos conveniens, hoc agebat, ut Ducem de finibus, si amplius eos hostiliter invaderet, ignominiosè fugarent. Morante igitur in obsidione Duce Episcopus cum Marchione Orientali Leopaldo, seu aliis Comitibus ac totius Bavariæ fortissimis, excepto Palatino, coadunato milite appropinquat, & castro in plano prope Isaram fluviam ponit. Interea Otto Palatinus vir sapientia præditus, cui ad utramque partem accessus patuit, utriusque exercitus apparatum contemplatur, illisque nostrum copiosiorem esse denuncians, terrorem incutit; cogitansque quomodo ad bonum pacis perducat Fridericum Advocatum cognatum suum promissionibus ac minis circumveniens ad deditionem hortatur. Ille utpote omnibus suis destitutus, consiliis Palatini adquievit; & assumpto eo in castra Ducis veniens, & ad pedes ejus se humilians, gratiam ejus recepit. Quo perpetrato Ottonem quoque generum suum ad deditionem & satisfactionem, exponens ei miserias suorum, compellit. Qui similiter ejus & aliorum suorum consilio consentiens, ad deditionem venire non distulit, ac seipsum cum castro in manus Ducis sub omni humilitate contradidit.

Dux verò prout rigor justitiæ exigit, illum patriam & omnes terminos Bavariæ quoadusque per eum advocaretur, abjurare coëgit, & sic eum captivum suis commisit, & ad Ravenspurch secum adduci præcepit; Castrum quoque cum omnibus quæ auferri poterant præter ædificia abstractis, igne succendit. Abducitur ergo uxor illius, quæ & ipsa in castro obsessa fuerat, quam Dux benignè suscipiens & bene consolans, Patri suo Palatino commisit: sicque omnis contumacia Bavariorum, divina ordinatione, suppressa est. Non multo post compositio quoque inter ipsum & Episcopum fit, & comitatus ille, quem Ecclesia Ratisponensis circa fluvium habet, ab Episcopo ei in beneficio conceditur.

Bernardus Imperatorem conciliat.

Circa hæc tempora Imperator in generali Curia Babinberch habita Cunradum & Fridericum Duces interventu Bernardi * Clarevanensis Abbatis in gratiam recepit, ac ita renovata pace expeditionem in Italiam * *secundo* indixit. Quam expeditionem Heinricus Dux perfecturus, Ottonem sæpe dictum Comitem, & alios de Bavaria, quibus initio infestus erat, in gratiam recepit; & stipendia condigna offerens, ad expeditionem illexit. Similiter & alios ex utraque Provincia, ita ut per vallem Tridentinam mille quingentos milites in Italiam duceret. Cum Imperatore ergo in citeriore Italia Gardam & Garistallum cepit, quæ in beneficio ab eo suscepit. Ibi Mediolanenses & Cremonenses diuturnum inter se bellum habentes coram Imperatore causam * Werræ exponunt. Cremonenses ergo à Principibus Italiæ hostes judicantur, proscriptique discedunt. quos ipse subsecutus territoria eorum ac villas seu castella destruxit. Indeque Papiam veniens cives illos pactione pecuniæ in gratiam suscepit. Ibi & Otto Comes de Wolferatenhausen vita privatus occubuit. Bononienses quoque & Emilienses supplices Duce interveniente recepit. Post usque ad Thaurinum progrediens, totam citeriorem Italiam sine ferro subegit. Inde ad Pennunum transiens Imperator Anchonam, Spoletum, cum aliis urbibus seu castellis ulterioris Italiæ in deditionem accepit. Deinde contra Rogerium aciem dirigens Campaniam & Apuliam

* *leg. Clarevallensis.*

* *ita lego. m. s. habet: Sedo.*

* *Guverræ.*

Digitized by Google

Apuliam peragravit. Porro Heinricus noſter per Tuſciam exercitum duxit, quam (id eſt Tuſciam) etiam ab Imperatore beneficio obtinuit, Romamque veniens ſummo Pontifici Innocentio usque ad Imperatorem conductum præbuit. Suburbia Albæ civitatis ſibi reſiſtere nitentis expugnavit, ac deſtruxit. Beneventum cepit, ac Papæ reſtituit. Imperatori non longè ab Arra cum Summo Pontifice obviam venit, ibique caſtrum quoddam, ubi præſidia Rogerii fuerant, artificioſè valde expugnavit, militesque in eo repertos & præcipuè Sarracenos patibulo ſuſpendit. Poſt ejecto de Campania & Apulia Rogerio, Reginaldo vero viro forti ac nobili Ducatu Apuliæ commiſſo de reditu diſponunt. SÆC. XII. ANNO 1200.

De Reditu Imperatoris & ejus morte Lotharii.

IGITUR de Italia per Tridentinam vallem redientes, Imperator morbo correptus in ſylva, quæ eſt inter Oenum & Licum, ſub viliſſima caſa, XIII. regni ſui anno diem obiit. ac inde per Auguſtam & Orientalem Franciam in Saxoniam portatus in Monaſterio Luther honorifice ſepelitur. Dux ergo Heinricus gener ejus in quibus finibus obierat, Regalia reſervavit, ut generali conventu Principum, qui in proximo Pentecoſtes Mogunciæ condictus fuerat, præſentaret. Quidam autem ex Principibus timentes ne fortè in generali Curia Heinricus Dux, qui tunc præcipui & nominis & dignitatis in regno fuit, per potentiam prævaleret, circa mediam Quadrageſimam conſilio habito in oppido Rheni Confluentia conventum celebrant, ibique Cunradum fratrem Friderici, de quo ſupra diximus, præſente Theodowico Epiſcopo Cardinali, Regem creant. Et Saxones & Dux Heinricus aliique qui electioni non interfuerant, Regem non legitimè, ſed per ſurreptionem electum calumniabantur. Quibus omnibus in proximo Pentecoſtes generalis Curia Babinberch indicitur. Quo Saxones omnes ſimul cum viduata Imperatrice Richinza venientes, ultro ſe Conrado Regi ſubdidêre. Heinricus Dux Regalia ſervans aberat, ad quæ reddenda in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli dies ei Ratiſponæ, in brevi poſt Auguſtæ deſcribitur: Quo ex condicto, aſſumptis fidelibus ſuis & milite non modico, venit; ac ſuper Licium ex oppoſito civitatis, Rege civitatem tenente, caſtra poſuit. Internuncii autem ac mediatores ad hanc cauſam prænominati, per triduum huc ac illuc ſæpius tranſmeantes nihil profecerunt. Rex enim non aliter compoſitionem fieri voluit, niſi Dux quædam de his quæ à Lothario Imperatore ſuſceperat, ac poſſederat, reſignaret. Quod cum Dux renuiſſet, ac ſe potius dubiæ ſorti ſupponi elegiſſet, colloquium infecto pacis negocio diſſolutum eſt. Rex ergo metuens aliquid in ſe machinari, dum peracta cæna cubitum ſe ire ſimularet, abductis clam equitaturis cum paucis nulli de Principus valedicens exivit, ac militem ſuum reliquum in magno diſcrimine relinquens, Herbipolim pervenit. Ibi judicio quorundam Principum Dux proſcribitur, Ducatusque ei abjudicatur. Dux ergo in ſubſequenti die poſt egreſſum Regis de Auguſta, ſuis prout poterat probe diſpoſitis, non multis comitatus in Saxoniam properat. Et Rex Ducatum Saxoniæ Alberto Marchioni conſobrino ejusdem Ducis, Noricum vero poſt in Bavariam veniens Leopaldo filio Deopaldi Marchionis fratri ſuo ex parte matris tradidit. Heinricus ergo Dux Saxoniam ingreſſus, cum caſum & miſerias ſuas fidelibus & amicis ſuis exponeret, ad rebellandum eos Imperatori & Alberto excitavit. Inde in brevi eundem Albertum, auxilio eorum, nec non & ſuorum qui de Bavaria & Suevia eum inſecuti ſub ſpecie peregrinationis, terram intraverant, adeo humiliavit, ut caſtris ejus dirutis, terris circumquaque vaſtatis ad Regem auxilii gratia ire compelleret. XIII. *Mors Lotharii an.* 1138.

Interea Leopaldus Marchio ſuſcepto à Rege Norico Ducatu, omnibus pæne Baronibus ad Ducatum pertinentibus amore ſeu terrore ad ſe confluentibus, primo Ratiſponam ditioni ſuæ ſubdit, poſt collecto milite ſuperiores partes Bavariæ usque ad Licum pertranſiens, amiſſis aliquot de ſuis feſtinanter revertitur. Non multo poſt Heinricus dum in Saxonia omnibus ſuis ritè diſpoſitis, in Bavariam redire diſpoſuiſſet, morbo correptus diem extremum clauſit, ac ſic in Monaſterio Luther juxta ſocerum humatur. Quo mortuo Saxones amore filii ſui parvuli, quem eis adhuc vivens commendaverat, Regi denuo rebellant. Leopaldus vero Ducatum Noricum ex hinc ſe potenter habere confidens, dum in obſidione caſtri Valeia duorum fratrum qui in parte Ducis Heinrici ſteterant, incautè moraretur, Gwelfo Ducis ejusdem frater collecto milite ſuperveniens fortiſſime dimicando, cæſis ex utraque parte pluribus, multis captis, Leopaldum ignominioſe fugere coëgit. Ipſe vero Gwelfo privatum Ducatum jure hæreditatis ad ſe ſpectare perclamans, dum Juſtitiam apud Regem impetrare non poſſet, ad rebellionem ſe parat. Ob hoc Rex circa idem tempus

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1200. castrum ejus Vimsperch obsedit. Quem Gwelfo collecto milite in proxima hebdomada Nativitatis Domini, dum incaute pugna aggredi tentat, amissis aliquot, multis captis, cum paucis fugit è prælio. Non multo post Leopaldus moritur, eique in Marchiam frater suus Heinricus de Austria successit. Cui Rex Saxoniam ingressus, pacemque cum Saxonibus faciens, viduam Heinrici Ducis in uxorem dedit, eique Ducatum Noricum concessit. Quæ res maximæ discordiæ seminarium fuit. Gwelfo enim, ut dictum est, eundem Ducatum impetens, extemplo armata manu sub oculis ejusdem Heinrici partes illas ingreditur, cunctisque circumquaque vastatis regreditur. Ob hocque Heinricus ille inflammatus, coadunato milite fines illorum, qui Gwelfonis fautores erant, ingressus, munitiones illorum & villas destruxit. Qui dum Gwelf restaurato milite occurrere parat, audito, quod Rex superventurus est, cessit. Porro Heinricus ille similiter cum Rege castrum Cathouwe scilicet Comitis Cunradi, quod ex parte Gwelfonis erat, obsidione clausit, vastatisque in circuitu universis, adjutorio Regis ad deditionem coëgit, ac igne succendit. Sic tota illa provincia in maximo bellorum discrimine laborabat. Igitur Rogerius Rex Siciliæ audiens hujusmodi conflictationes in Gwelfum & Regem, timens, ne fortè cessante geberra Conradus Rex quandoque Italiam intraret, ac eadem quæ à Lothario ab eo quoque perpessus esset, Gwelfonem adversus eundem muneribus illectum incitat, singulisque annis mille marcas se ad hoc daturum juramento confirmat. Item quoque Rex Ungariæ, eundem Conradum metuens, Gwelf ad se accersivit, dataque pecunia non modica ac deinceps omni anno dandam pollicens ad rebellandum nihilominus instigat. Gwelfo itaque strenui militis officium exercens modo in Bavaria, modo in transalpinis partibus Sueviæ, modo circa Rhenum, tot tempestates bellorum movit, ut Regem potius ad defensionem sui, quam ad externarum nationum invasiones excitaret.

fort. Calowe, de quo supra.

Crucigeri Hierosolymam petunt.

Circa has tempestates gens Francorum cum Rege suo Ludewico, gens quoque Teutonicorum cum Rege suo Conrado aliisque Principibus, Friderico Duce Sueviæ, postea Imperatore, Episcopis, Comitibus, seu aliis cujuscunque conditionis hominibus, pro querimonia transmarinæ Ecclesiæ Hierosolymitanum iter aggrediuntur: Quod & Gwelfum Ducem, licet nondum sedata gwerra, ire compulit.

Egressi itaque anno Dominicæ Incarnationis M. C. XLXII. per Ungariam & Græciam innumerabilem exercitum ducunt: Qui totus pænè, exceptis Principibus seu aliis plus cautis, vel inedia, vel aëris intemporantia, vel ciborum insolentia, vel Sarracenorum invasione, infecto negocio, interierunt. In hoc ergo laborioso itinere Conradus Rex commilitoni suo Gwelfoni, sic enim eum nominare solebat, sæpissimè in necessitate subveniebat. Ac de omnibus, quæ à * Regioisto in Constantinopolitani Imperatoris sibi offerebantur, partem illi tradebat. Denique Hierosolymam venientes, cum alii procinctum sub Rege Conrado contra Damascum moverent, Gwelf in infirmitate captus ac in desperatione positus ad reversionem se parat.

Transito igitur mari convalescens Siciliam attingit. Ibi Rogerius eum cum magno domus suæ tripudio suscipiens, ac honorificè dimittens iterum ad rebellandum Regi maximis muneribus illectum incitat. Igitur reversus in proxima hyeme circa Purificationem Sanctæ Mariæ collecto milite fines Regis invadit, ac castrum ejus Flochperch forti impugnatione sollicitans, dum in reversione militem nimis incautè duceret, à militibus Regis circumquaque diffusis, plus ex infortunio, quàm ex instantia belli, nostri fugam arripiunt, plurimisque captis nullo occiso ignominiosè revertuntur. Ac sic gwerra diu anxiè inter ipsum & Regem agitata, finita est.

Nam Fridericus, fratruelis Regis, sororius ejusdem Gwelfonis, medium se ad compositionem faciendam interposuit, captivosque Duci reddi ac Regem de cætero securum penes illum esse, provida deliberatione confirmavit. Rex ergo accepto consilio Gwelfoni aliquos reditus de fisco Regni cum villa Mardingen concessit ac sic confirmata pace ipse in brevi post vita decedens Friderico fratrueli suo sedem Regni reliquit. Qui avunculo suo Gwelfoni Marchiam Tusciæ, Ducatum Spoleti, Principatum Sardiniæ, Domum Comitissæ Machtildis in beneficio tradidit. Reditus tamen illos ad fiscum pertinentes, quorum jam mentionem habuimus, nihilominus recepit. Igitur dignitatibus prænominatis susceptis Italiam intrat, ac civitates, castella, seu villas per totam Domum Machtildis pertransiens, negocia terræ civiliter pertractat. Ibi legati de omnibus civitatibus Tusciæ nec non & ex omnibus civitatibus Spoleti ad eum venientes ac munera condigna offerentes subjectionem voluntariam promittunt. Cum quibus nuncios suos ad omnes civitates dirigens, ac se in brevi illo venturum promittens, suis rite dispositis, revertitur.

Post

Digitized by Google

Poſt cum Imperatore collecta multitudine terram ingreditur, ac in obſidione Cremenſi usque ad deſtructionem ejusdem caſtri immoratur. Deinde totam militiam ſuam in Tuſciam movens maximum conventum apud ſanctum Geneſium habuit. Ibi Baronibus terræ illius VII. comitatus cum tot vexillis dedit, cæterisque nihilominus de civitatibus ſeu caſtellis ad ſe confluentibus unicuique quod ſuum erat tribuit; Simul & ipſe ſua, quæ ſingulæ civitates ad ſe injuſtè contraxerant, recepit. Denique conventu diſſoluto Piſam in S. Sabbato cum maximo totius civitatis apparatu ingreditur, ac ibidem Paſcha jocundiſſimè celebrans, egreſſus inde à Lucenſibus non minori tripudio ſuſcipitur. Sicque ab omnibus civitatibus ad quas declinaverat, honorificè ſuſceptus atque habitus negotia terræ potenter pertractans, ſuosque ubique in caſtellis ſeu villis ad fiſcum pertinentibus relinquens, usque Ducatum Spoleti procinctum movet. Ibi ſimiliter omnibus benè diſpoſitis, filio ſuo Gwelfoni terram illam ac totam Italiam ad ſe ſpectantem commiſit, ac de ſuis ſtrenuiſſimos quosque ſecum relinquens per vallem Tridentinam revertitur. Gwelfo igitur junior terra potitus conſtantia animi, diſtrictione judicii, largitate & affabilitate inæſtimabili omnibus ſe acceptabilem præbuit: militibus Imperatoris, qui eo tempore civitatibus Italiæ præerant, quotieſcunque fines ſuos injuſta oppreſſione invadere tentaverant, omnimodis ſe oppoſuit; & ob hoc Imperatoris offenſam nonnunquam incurrit: popularem autem favorem eo magis ſibi accumulans omnium civitatum in ſe provocavit affectum.

SÆC. XII. ANNO 1200. *Cremonenſes.*

De execrabili pugna apud Tubingen.

INterea Hugo Palatinus comes de Tubingen in comitatu, quem à patre iſtius poſſederat, quosdam de miniſterialibus ejus, injuſto, ut ajunt, judicio damnatos, patibulo ſuſpendit; ac caſtrum eorundem Moringen deſtruxit. Pro quo Dux Gwelfo querimonia eum impetens, & pro ſatisfactione humile ab eo reſponſum accipiens, ut erat manſuetiſſimus, ab impetitione, licet querimoniam non deponeret, ceſſavit. Deinde procedente tempore pater filium de Italia revocavit, ipſeque illo iturus & negotia terræ per ſe tractaturus filio omne patrimonium & poſſeſſiones, quas ex parte matris habiturus erat, ex integro tradidit; Sicque factum eſt, ut recedente patre Gwelf præfatam querimoniam renovaret, & Palatinum illum pro ſatisfactione ſæpius impeteret. Ille autem non tam in ſuis ſuorumque viribus quam in Friderici Ducis filii Conradi Regis confidens, qui & eum ad hoc impellebat, quaſi bonæ famæ Gwelfonis invidens, & honeſtis actibus ejus detrahens, reſponſionem contumacem ac minacem pro ſatisfactione obtulit; per quam & animum juvenis ad rebellandum incitavit, & toti Alamanniæ execrabile infortunium & infauſtam depopulationem machinabatur. Gwelfo enim ſibi illatam injuriam amicis, cognatis, & fidelibus ſuis exponens, omnium animos in adjutorium ſibi cum optima voluntate aſcivit. Conveniunt ergo collecto milite Epiſcopi tres Auguſtenſis, Spirenſis, Wormatienſis; Bertholdus Dux de Zaringen; Bertholdus Marchio de Voheburch, Herimannus Marchio de Baden; Rudolphus Comes de Pfullindorf, Albertus Comes de Habeſpurch, duo fratres Comites de Calewe, duo de Berge, Gotefridus cum Rudolfo fratre de Romeſperch, Hartmannus de Kilichberg, Heinricus de Feringen Comites; Conradus Advocatus Conſtantienſis cum cæteris terræ noſtræ Majoribus, quinque milibus & ducentis armatorum & eo amplius: & caſtra non longe à Conigen circa veſperam ſabbati VIII. idus Septembris ponentes, dominicum diem in quiete & ocio deducere ſtatuerunt. In adverſa autem parte Fridericus Dux cum omnibus, quos amore vel terrore excitare poterat, Zolrenſes omnes cum magno apparatu ac alii quam plures erant, & militem ſuum coadunatum ſecum in caſtro locaverant, totaque illa nocte alii orationi incumbebant, alii de ſatisfactione, & compoſitione anxiè tractabant. Sed Domino, qui omnium novit corda, cujus & judicia abyſſus multa, aliter ordinante ſeu permittente terminatum eſt. Quidam enim de noſtris, minùs providè ac parum præmeditantes eventum rei, cæteris ignorantibus, ac diem ocio deducere volentibus, caſtris circa horam VI. prorumpunt, & cum quibusdam de hoſtibus, qui ſimili temeritate à ſuis prodierant, prope caſtrum ſub oculis inimicorum congrediuntur. Fit igitur clamor in caſtris, noſtri proſiliunt, arma arripiunt, quique alios in quo poterant, prævenire ſatagunt. Sicque fit ut aliis præcurrentibus, aliis ſubſequentibus, plurimi confuſim, & ſine acie ad locum congreſſionis ſuis auxilium perveniunt. XIV.

Interim & hoſtes de Caſtello non minùs properantes locum ſibi tutiorem elegunt,

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1200.

& noſtris aditum difficillimum ſuper ripam fluminis in modum vallis præſignant. Mox & multitudo noſtrorum acie coadunata Heinrico Comite de Veringen advolat, ſed præ difficultate aditus perpauci ad locum congreſſionis tranſierant. Fortiſſime tamen ab his qui congreſſi ſunt, per ſpacium duarum horarum pugnatum eſt, licet nullus utriusque partis excepto uno corruiſſet: adeo enim armis omnes muniti erant, ut multò facilius capi, quam occidi potuiſſent. Itaque illis, ut dictum eſt, conflictum habentibus, cæteri fugam arripiunt, hoſtibusque immeritam victoriam dantes, ſibi ac poſteris perpetuum opprobrium accumulant. Hoſtes igitur cognita fuga primo illos, qui congreſſi erant, paucis emerſis, captivantes ad caſtrum remittunt: Deinde alios inſequentes velut oves de paſcuis ad caulas propellentes, ut totam ſummam comprehendam, D. CCCC. captivos cum maxima præda abducunt. Reliqui præſidio ſylvarum ac montium ſeu vicinorum caſtellorum effugiunt. Gwelfo ad caſtrum Achalmen tribus tantum comitatus pervenit.

Eodem tempore Gwelfo pater de Italia reverſus, audito quod acciderat, pro redimendis captivis agebat. Hugo igitur inito conſilio captivos reddidit, & facta compoſitione, terra ejus ab omni vaſtatione per annum quievit. Transacto anno pax inter eos rumpitur, terra omnis circumquaque depopulatur, caſtra ejus duo, Chelminzen ſcilicet & Invallare deſtruuntur; in quibus de ſuis XL. captivantur. Ille itaque fractus animo propugnatorem ſuum Fridericum Ducem de auxilio interpellans ad Ducem Boëmiæ auxilii gratia ire compulit. Qui collecta multitudine Boëmos gentem horribilem ac Deo hominibusque odibilem in fines noſtros adduxit, totamque Germaniam à lacu Lemanno usque Boëmiam execrabilibus ſpurcitiis illorum & turpiſſimis deprædationibus ac incendiis inter Epiphaniam & Purificationem ſanctæ Mariæ commaculavit; anno videlicet ab Incarnatione Dom. M. CLXVI. Humiliata eſt & illico ejusdem Palatini contumacia. In feria enim IV. capitis jejunii ſub generali curia Ulmæ habita, in præſentia Ducis Heinrici Domini noſtri ſub oculis quoque ipſius Imperatoris ac Friderici Ducis, idem Hugo Gwelfoni juniori ad deditionem venit, ac ſe pedibus ejus proſternens cuſtodiæ mancipari, & vinctum abduci non reſpuit; & ſic in captivitate usque ad obitum ipſius Gwelfonis per annum ſcilicet & dimidium tenetur. In ſubſequenti verò Hyeme circa Epiphaniam Gwelfo ſenior Hieroſolymitanum iter aggreditur, & in Italia Imperatorem reperiens, ac filium ſuum cum omnibus ad ſe ſpectantibus gratiæ ejus commendans, Paſcha ſanctum apud Sepulchrum Domini celebravit. Interea Imperator Gwelfum juniorem multis illectum promiſſionibus ad ſe in Italiam revocat. Qui collecto milite ſub Paſchali tempore Pireneum per jugum, * VII. montes, qui Rhenus & Oenus fluvium oriuntur, tranſcendens Papiam usque pervenit. Ubi legatos Imperatoris inveniens & ſtipendium ab eis promiſſum recipiens, in Tuſciam, negocia terræ ubique tractans, tranſivit: & ſic ad Imperatorem circa medium Julium non longe à Roma pervenit. Eodem quoque tempore pater ejus Hieroſolymis veniens, reverſus Romæ ei occurrit, ac viſis Imperatoris deteſtabilibus piaculis, ipſum & omnem exercitum deteſtans, ad propria per vallem Tridentinam revertuntur. Imperator enim tanta eo tempore in deſtructione Eccleſiarum, in ſtrage populorum, ſive aliis abominationibus Romæ exercuit, ut vindictam Dei juſto judicio ſequi oporteret. Maxima enim pars exercitus interiit: Epiſcopi, Colonienſis, ille qui totius mali hujus nec non & ſchiſmatis diutini incentor fuit, Spirenſis, Ratiſponenſis, Bragenſis, Werdonenſis, Leodienſis; ac cæteri principes, Fridericus ſcilicet Dux filius Conradi Regis, Gwelfo Dux filius Gwelfonis Ducis, Benrengarius Comes de Sultzbach, Heinricus Comes de Cuningen, cum pluribus Regni hujus Majoribus occubuerunt. Quorum omnium penè oſſa carnibus per excoctionem conſumptis, ad propria reducta ſunt. Tranſlata ſunt autem & oſſa Gwelfonis noſtri, & in monaſterio Staingadem à patre ſuo fundo repoſita ſunt.

Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo primo, Gwelfo Dux ſenior iter Hieroſolymitanum aggreſſus eſt. Tertio Calendas Aprilis.

Anno Dominicæ Incarnationis M. CIX. IV. Idus Januarii prælium juxta Idungensheim inter duos Comites Rudolphum videlicet Comitem Bregantinum, & Hartimannum Comitem de Kilichberg commiſſum; Cæſis ex utraque parte plurimis, cruenta tandem Victoria Hartimanno ceſſit. Cecidit in eo conflictu Waltherus Comes, & alii complures.

Anno

* *Hodie: Prenner. Leg. ſeptem montes, quibus Rhenus & Oenus fluvii oriuntur.*

Digitized by Google

Anno Dominicæ Incarnationis M. CXI. Expeditio Romam facta eſt per Heinricum V. in qua Paſchalis Papa captivatur. SÆC. XII.

Anno M. CXXIII. translatio ſancti Cunradi facta eſt. VI. Cal. Decembris. ANNO 1200.

Anno M. CXIII. Heinricus Dux junior, qui poſtea in Saxonia humatus eſt, arma accepit.

Anno M. CXXIV. inceptum eſt Monaſterium ſancti Martini Wingartin.

Anno M. CXXVII. Heinricus Dux ſenior cum conjuge ſua Wulfildi, quæ XVI. tantum dies ſupervixit, obiit.

Anno M. CXXXV. Heinricus Dux filius Heinrici, poſtea Bavariæ & Saxoniæ Dux, in Pentecoſte baptizatus eſt. Quo & in anno pater ejus in ſecunda expeditione Lotharii Imperatoris ſoceri fui per Italiam in Apuliam mille ducentas loricas duxit.

Anno M. CXXXIX. Heinricus Dux qui in Saxonia humatus eſt, obiit.

Anno M. CXL. Welfo Dux Leopaldum Ducem Bavariæ in Idibus Auguſti pugna juxta caſtrum Valejum aggreſſus vicit: Ipſe verò eodem anno in feſto ſancti Thomæ à Rege Cunrado apud Winiſperch devictus eſt.

Anno M. CXLVII. Iter illud Hieroſolymitanum ſub Conrado Rege noſtro & Ludowico Rege Francorum factum eſt.

Anno M. CL. Welfo apud Flochperg cum principibus & militibus Regis Conradi conflictum habens devictus eſt.

Anno M. CLII. Fridericus regni gubernacula ſuſcepit.

Anno M. CLIII. divortium factum eſt Conſtantiæ inter Fridericum & Adilam filiam Diopoldi Marchionis.

Anno M. CLIV. Fridericus expeditionem Romanam aggreſſus eſt, in qua Imperiali benedictione ab Adriano Papa ſublimatur. In feſto ſancti Michaëlis recedens, & poſt annum in eodem tempore revertens.

Anno M. CLVII. Regni verò Friderici VI. nix magna & frigus inſolitum circa Paſſionem Domini inhorruit, quod mortalitas hominum ad tempus, & exuſtio maxima per totam æſtatem ſubſecuta eſt. Porro in ipſa die Kalendarii Julii tanta ſeveritas grandinis, tantaque concuſſio ventorum invaluit, ut ſegetes circumquaque conſumeret, robuſtiores arbores radicitus evelleret. In Altendorfenſi quoque cœnobio campanas omnes usque ad duas de minoribus confringeret, ædificia etiam caſtrorumque munitiones humo proſterneret. *f. Kalendarum.*

Anno M. CLVIII. Fridericus Imperator ſecundo expeditionem in Italiam imprudenter movit, propter rebelles Mediolanenſes. Sed quia ex levi eos itinere vincere nequiverat, Principes qui relicti fuerant, ſequenti anno ſubſequuntur; Heinricus videlicet Dux Bavariorum & Saxonum circa Pentecoſten, in mille ducentis loricis. Welfo verò circa feſtum ſancti Michaëlis in trecentis loricis Teuthonicorum, anno videlicet M. CLIX.

Sequenti anno, id eſt, M. C. LX. Dux Heinricus rediit ab expeditione.

Anno M. C. LXII. in feſto Sancti Clementis diſſidium factum eſt inter Heinricum Ducem & Uxorem ſuam Clementiam filiam Conradi Ducis Conſtantiæ. *al. anno 1167.*

Anno M. C. LXVI. devaſtatio Boëmiorum ſub Ducatu Friderici Ducis filii Conradi Regis in partibus iſtis facta eſt. *al. anno 1167.*

Anno M. C. LXVII. Gwelfo ſecundo Hieroſolymitanum iter perſolvit: filiusque ejus Gwelfo eodem anno defunctus eſt.

Anno M. C. LXXII. Heinricus Dux Bavariorum & Saxonum Hieroſolymitanum iter aggreſſus eſt circa Purificationem ſanctæ Mariæ.

Anno M. C. LXXIV. Fridericus Imperator expeditionem tertio in Italiam movit, circa feſtum ſancti Matthæi: & in ſequentis Paſchæ vigilia conflictum cum Italicis habuit apud Alexandriam.

Anno M. C. LXXVI. in diebus Rogationum feria quarta fuga miſerabilis, & devaſtatio in partibus iſtis facta eſt, Epiſcopo Colonienſi, & Comite Flandriæ cum aliis quam pluribus hîc tranſeuntibus, ab Imperatore in Italiam avocatis.

Anno M. C. LXXVII. Unio Eccleſiæ ſub Alexandro Papa reddita eſt.

Anno M. C. LXXX. infra feſtum ſancti Galli & ſancti Martini Fridericus Imperator habita curia Herphurt Ducem Saxonum & Bavariorum duobus annis bellis attritum exilii proſcriptione damnavit.

Anno M. C. LXXXII. Indictione prima & * Idus Novembris dedicatum eſt monaſterium novum ſancti Martini Wingarten à venerabili Bernio Conſtantienſi Epiſcopo. ** f. ad Idus.*

Anno

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1200.

* Anno M. CLXXX. vero filii Imperatoris Friderici † S. Heinricus Rex, & Fridéricus Dux Suevorum in Pentecoſtes Moguntiæ arma ſumpſerunt.

Eodem anno in Auguſto Imperator ſine armis Italiam ingreſſus eſt, & à Veronenſibus cum maximo honore ſuſceptus.

Sequenti de hunc anno Heinricus Dux Saxonum poſt feſtum ſancti Michaëlis de Anglia reverſus eſt.

‡ Anno M. CLXXXI. Welfo Dux illuſtriſſimus Wingartenſi cœnobio duas Curias hæreditario à ſe jure poſſeſſas contradidit, Berge videlicet & Willare cum omnibus appendentiis ſuis, & omni utilitatis proventu, qui exinde provenerit, pratis & nemoribus, paſcuis, molendinis, aquis, aquarum decurſibus; & inſuper beneficia, quibus vaſalli ſui inbeneficiati erant, ea conditione dedit, ut ipſi iisdem beneficiis dum vivunt, utantur, ſucceſſores vero eorum, niſi ſecundum velle Abbatis & fratrum de his nihil hæreditabunt. Acta ſunt hæc Idus Auguſti, regnante Friderico Imperatore ſereniſſimo, in villa Mamigen, teſtibus quam pluribus aſtantibus.

* *Leg. Anno M. C. LXXXIV. uti conſtat ex Godefr. monacho, Chron. Auguſt.*

† *f. ſcilicet.*

‡ *Suſpectus numerus propter anteriores, & ea quæ Chron. ſequens habet ſub an. 1191.*

FINIS.

CHRO-

Digitized by Google

CHRONICON

EJUSDEM

WEINGARTENSIS

MONACHI,

A

Chriſto nato usque ad annum 1197.

Ex MS. Auguſtano a Caniſio primum editum.

POst tempora conſulum Monarchi in Romana Republica imperium obtinuerunt, primo Julio Cæſare arripiente imperium, repetitusque eſt Romæ mos uni parendi, anno ab urbe condita * D. CCXX. uno, ab exactis vero Regibus D. LXXX. pro Rege Imperatore, vel ſacratiori nomine, poſt Auguſto appellato.

Primus Julius Cæſar regnavit annis quinque, poſt quem Cæſar Auguſtus regnavit annis LVI. Cujus anno quadrageſimo (*a*) vero natus eſt Chriſtus. Propterea anni, quibus regnavit Auguſtus ante nativitatem Chriſti, id eſt, anni XL. (*b*) vero non computantur ad ſummam, ſed XIV. ſequentes, quibus tempus ab Incarnatione Verbi colligimus.

Regnavit autem quinque annis Julius Cæſar, à quo Cæſares.

Auguſtus Cæſar, à quo Auguſti, qui non eſt paſſus Dominum ſe vocari. Hic Antonium & Cleopatram vicit, & ſub eo Herodes alienigena ſubintravit, & Cyrinus in Syriam mittitur.

Chriſtus naſcitur * anno LVI. * *Vitios.*

Tyberius privignus Auguſti, ſub quo Pilatus Judææ Procurator dirigitur.

Herodes Tetrarcha Joannem Baptiſtam decollavit & Chriſtus crucifigitur. Stephanus lapidatur. * r. a. XXIII. * *Regnavit ann.*

Cajus Caligula, ſub quo Pilatus interfecit ſeipſum. Herodes Agrippa Rex conſtituitur. Matthæus Evangelium ſcribit. Regnavit annos III.

Claudius, qui & Tiberius. Diſperſio Apoſtolorum facta eſt, Jacobus decollatur. Petrus incarceratur. Idem Romam venit. Marcus Evangelium ſcribit. Regnavit annos XIII.

Nero ſororius Caligulæ, ſub quo prima perſecutio Eccleſiæ. Petrus & Paulus Romæ necantur. Marcus Evangeliſta coronatur. Regnavit annis XIII. Lucas Evangelium ſcribit.

Veſpaſianus, ſub quo Hierolyma evertitur. Joſephus captivatur. regnavit annos VIII.

Titus regnavit annos II. filius ſuperioris.

Domitianus frater prioris, ſub quo perſecutio * vero orta eſt. Joannes in Patmos relegatur. regnavit annos XV.

Nerva, qui dicitur Pius. Joannes Epheſum redit cum cæteris. regnavit annum I.

Traja-

(*a*) *Videtur leg. Quadrageſimo ſecundo. Autographum fort. habuit* XLII. *exſcriptor autem numeri binarii notam pro u. accipiens, vero, interpretatus eſt.* CAN.

(*b*) *f. Duo* CAN. *Optime; vide in Domitiano Scriver. not. m. f.* BAS.

* *Fort. ſecundo. video illud vero pro ſecundo uſurpari paſſim in hoc m. ſ.* CAN.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1200.

Trajanus. Joannes obiit. Perſecutio III. orta eſt, ſub qua Clemens Papa & Alexander Hermes, Nereus & Achilleus paſſi ſunt. regnavit an. XIX.

Ælius Adrianus. Hic Hieroſolymam reædificavit. Aquila interpres fuit. regnavit annos. XXI.

Antoninus pater cum filiis regnavit annos XXII.

Marcus Antoninus Verus cum fratre Aurelio, & poſt cum filio Lucio Antonino. Perſecutio quarta orta eſt. Polycarpus Presbyter patitur. regnavit annos XIX.

Lucius Antoninus Commodus poſt mortem patris, ſub quo Theodocion interpres. regnavit menſes XIII.

Ælius Pertinax regnat menſes VI. Julianus Juriſperitus. regnat menſes VII.

Severus Pertinax. Symmachus interpres. Perſecutio V. orta eſt, in qua Perpetua & Fælicitas paſſæ ſunt. regnavit annos XVII.

Balbinus Juliani ſocius. Sub quo Narciſſus Epiſcopus. regnavit annos V.

Antoninus Caracalla Severi filius. Thermæ Romæ conduntur. regnavit annos VII. Quinta editio habetur.

Macrinus qui & Opilius. regnavit annum I.

M. Aurelius Antoninus Eliogabalus, ſub quo editio VI. regnavit annos IV.

Aurelius Alexander filius Mammeæ. Origenes claruit Romæ. Coronantur Caliſtus, Papa Urbanus, Cæcilia, Tiburcius & Valerianus, Palmatius, Calipodius, Gordianus. regnavit annos XIII.

Maximinus Julius, ſub quo perſecutio ſexta. regnavit annos III.

Gordianus. regnavit annos VI.

Philippus cum Philippo filio, Hic primus Imperator Chriſtianus. regnavit an. VII.

Decius ſub quo perſecutio VII. Romæ. Coronatur Fabianus, Papa Cornelius, Abdon & Sennes, Sixtus, Laurentius, Hippolytus, Stephanus Papa. Antonius Monachus claruit. regnavit annos III.

Gallus cum Voluſiano filio. regnavit annos XV.

Æmilius regnavit menſes III.

Galicius cum filio regnavit annos VII.

Valerius cum Gallieno filio regnavit annos XV. Cyprianus coronatur.

* *Gennus* regnavit annos decem.

Poſtumus regnavit annos X.

Claudius ſub quo perſecutio VIII. Quintillus frater ejus regnat dies XVII.

Aurelianus primò quidem clemens. Perſecutio IX. orta eſt. regnavit annos V.

Tacius vel Tacianus, ſub quo Vincentius & Gregorius paſſi ſunt.

Florianus regnavit menſes II. & dimidium.

Prusbo. regnavit annos VI.

Carus cum Caricio & Numeriano filiis regnavit annos II.

Diocletianus & Maximianus Herculius. Perſecutio X. exorta eſt, in qua divinis libris aduſtis, plures paſſi ſunt, Agatha, Cyriacus, Sebaſtianus, Pancratius Marcellinus, Primus, & Fœlicianus, Agnes, Mauritius, Vitus, Afra, Lucia. regnavit annos XX.

Conſtantius cum Valerio Maximo regnavit annos XVI.

Coraſius regnavit annos VII.

Maximinus & *Severus* regnavit VIII.

Conſtantinus Conſtantii ex concubina Helena filius. Hic Conſtantinopolim ſedem regni fecit, & dimiſit ſancto Sylveſtro Romam. Synodus fit. Nicolaus claruit. regnavit annos XXX.

Conſtantius cum Conſtantino & Conſtante fratribus; filii Conſtantini. regnavit annos XXIV. Athanaſius & Hilarius claruerunt.

Julianus Apoſtata regnavit annos II. ſub quo Baſilius & Gregorius.

Jovinianus Pannonius Chriſtianiſſimus, ſub quo Athanaſius. Epiſcopi revocantur. regnavit menſes VIII.

Valentinianus cum Valente fratre, qui & ipſi Pannonii. Iſte Valens fuit hæreticus, cujus gratia Gothi Arriani fiunt. regnavit annos XI. Ambroſius, Maximus, Hieronymus claruerunt.

Valens poſt mortem fratris cum Gratiano & Valentiniano filiis fratris regnavit annos IV. Hermanaticus Gothorum Rex claruit.

Gratianus cum Valentiniano poſt mortem Valentis regnavit annos VI. Gratiano Romæ Gothi ſubjecti ſunt, mortuo eorum Rege Athalarico. A Valentiniano expulſi

ſunt

Digitized by Google

sunt Franci à Sicambria. Postea Gratianus Theodosium Hispanum in regni consortem assumpsit. Sæc. XII.

Theodosius post mortem Gratiani regnat annos XI. Augustinus Episcopus, Joannes Chrysostomus, Orosius Presbyter. Anno 1200.

Arcadius & Honorius filii Theodosii regnant annos XIII. Alexius confessor.

Honorius defuncto Archadio cum Theodosio filio fratris regnat annos XV. Wisigothi sub Alarico Rege eorum, rupto fœdere, Romam irrumpunt. Corpus Stephani protomartyris revelatur.

Theodosius filius Archadii Honorio defuncto regnat annos XXVI. Augustinus & Briccius Episcopi obierunt.

Valentinianus filius Constantini regnat annos XII. Hic fuit filius sororis superiorum. Athila Hunnorum Rex & Theodoricus Wisigothorum Rex. Paulinus Episcopus.

Martianus & Valentinianus regnavit annos VII. Geisericus Wandalorum Rex secundo cum suis Romam irrupit. Athila Hunnorum Rex cum Romanis bello congressus est, in quo Theodoricus Wisigothorum Rex occubuit.

Leo major regnavit annos XVII. Hic Theodoricum Theodmari filium ab Ostrogothis obsidere accepit. Remigius Episcopus claruit.

Avitus Romæ. *Zenon* cum Basiliſſo Constantinopoli regnavit annos II. solus XV. Theodoricus Rex Ostrogothorum extitit.

Majorianus Romæ. regnavit annos IV.

Severus. Anthemius Romæ. Hos Leo Imperatores fecit, quorum uterque occiditur. I. Imperante Leone fuerunt Olibrius menses VII. Glycerius annos II.

Nepos Patricius. *Anastasius* regnat constanter annos XXVIII. Hic Clodoveo, qui Ludewicus dicitur, Francorum Regi consulatum obtulit. Olybrius Romæ menses VII. regnavit. Fulgentius Episcopus claruit.

Justinus. senior Illyricus verus Christianus regnat annos XI. Benedictus Abbas claruit. Cassiodorus & Boëtius Severus, Dionysius Abbas.

Augustulus. Hic Zenone Augusto XI. mense deposuit regnum Romanum.

Odoacer. Iste Odoacer genere Rugus cum procinctu veniens Romam subegit. Teodoricus, qui occiso Odoacro regnavit. Zenon Augustus Theodorico Theodmari filio, Ostrogothorum Regi Imperium Rom. permisit. Theodoricus iste Arrianus Symmachum, patricium Boëtium, & Joannem Papam in vinculis fame necavit.

Athalaricus Nepos prioris ex filia Rom. regnavit. Hic à suis occiditur.

Justinianus Justini ex sorore nepos constanter regnavit annos XXV. Sanctus Remigius migravit. Lotharius Rex Franciæ, Totila Rege occiso Wandali in Affrica extinguuntur. Priscianus Grammaticus. Iste Justinianus Rempublicam factis & dictis reparavit.

Theodatus Rom. regnavit. Hunc Belisarius ab Augusto missus interfecit. Vitigus. Hunc idem captivum Constantinopolim misit. Hic Justinianus reduxit Imperium superato Witigi per Belisarium, & deinde Totila per Narsetem interfecto, qui illi successerant.

Justinus minor regnavit annos XXI. Armenii fidem suscipiunt. Sanctus Vedastus. Hilpericus Rex F. Thotila iste Rex Gothorum Romam occupavit. Hunc Narses Patricius missus à Justino minore, auxilio Longobardorum interfecit.

Tiberius Constantinus largus pauperibus. regnavit annos VIII. Longobardi Italiam invadunt. Gregorius claruit.

Mauritius Capadox regnat annos XX. Gothi Catholici fiunt & Angli. Columbanus Abbas, Gallus & alii.

Focas regnat annos VIII. Persæ superant Romanos.

Heraclius. Crux Christi exaltatur. Isidorus. Gallus cellam construxit. Sanctus Oswaldus. Lotharius filius Hildperici. regnavit. Regnavit autem Heraclius annos XXVI.

Heraclonas regnavit annos II. Filius Heraclii cum matre sua Macrina.

Constantinus filius Heraclonæ nepos Heraclii Augusti regnavit menses VI. Glodoveus regnavit & Sigibertus.

Constantinus filius Constantini regnat annos XXVIII. sanctus Oswaldus à Penda Rege occiditur.

Constans filius Constantini superioris regnat annos XVII. Sanctus Lampertus Episcopus.

Justinianus minor filius Constantini regnat annos X. Willibrordus Episcopus. Sanctus Kilianus.

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1200.

Leo Leoncius regnavit annos III. Ludewicus, qui & Clodovejus. Pippinus Anſigiſi filius Major domus: cujus filia ſancta Gerdrudis. * Günpertus Epiſcopus claruit.

Abimarus, qui & Tiberius regnat annos VII. Beda presbyter.

* al. Gudpertus.

Juſtinianus ſecundo cum Tiberio filio regnat annos VI. Hyltipertus Rex filius Theodorici, & Dagobertus junior.

Philippicus qui & Bardanicus regnavit annum I.

Anaſtaſius qui & Arthemius verus Chriſtianus regnavit annos III.

* L. Tutudes. Scrivar.

Carolus * Tutucles, Major Domus, magni Caroli avus Sueviam ſubjugavit.

Theodoſius regnavit annum I. Romæ ex inundatione Tiberis Letaniæ inſtituuntur.

Leo filius Conſtantini Syrus & impius regnavit annos IX. Wünfridus qui & Bonifacius Archiepiſcopus. Othmarus Abbas. Pirminius Epiſcopus. Theodoricus Rex filius Tagoberti.

Conſtantinus Leonis filius regnavit annos XXVII. Burchardus & Wilibaldus Epiſcopi. Rondpertus Epiſcopus. Fuldenſe cœnobium fundatur. Pippinus filius Caroli Rex Franciæ.

Leocazarus filius Conſtantini regnavit annos V. Corbinianus Epiſcopus Friſingenſis. Andogarius primus Campidonenſis Abbas.

Carolus Magnus Rex Franciæ.

Conſtantinus cum matre Hyrene regnavit annos XIV. Hic conſilio matris excæcatur. Carolus Magnus Patricius Romæ fit.

Hyrene ſola regnavit annos V. Carolus ex patricio Rom. Auguſtus factus coronatur. Hyrene dum pace facta Carolo nubere poſuit, ejecta eſt.

Anno ab Incarnatione Domini D. CC. LXXVIII. ſub hoc tempore Imperium Romanum ad Reges Francorum translatum eſt, Carolo magno filio Pippini Regis primo Imperatore facto: In Conſtantinopoli vero regnum ſolo Imperii nomine permanſit, & poſt Hirenen Nicephorus, qui & Theophilus imperium arripuit.

Carolus Magnus regnavit annos XLVII. Imperii XIV. Brema conſtituitur. & Dacia convertitur à ſancto Wilibrordo.

Ludowicus Magnus, qui & Pius, Caroli magni f. regnavit annis XXVII. Qui Eccleſias ditavit. Huic ſucceſſerunt IV. filii.

Anſgardus. Angſardus Epiſcopus Suevos convertit.

Welfo primus pater Judith. Hanc idem Ludewicus defuncta uxore ſua Irmingarda, ex qua III. filios, Lotharium, Pippinum, & Ludewicum progenuit, duxit uxorem; quæ genuit Carolum Calvum, qui in diviſione Imperii Regnum Franciæ obtinuit XLV. annos, poſtea Imperator annos III.

Lotharius filius Ludewici pii imperat annis XVII. in Italia. Carolus Calvus in Francia ſive Gallia regnat. Ludewicus in Alemannia ſive Germania, Pippinus in Aquitania. Hi quatuor fratres filii Ludewici pii Imperium diviſerunt. Corpora ſanctorum Martini & Remigii transferunt. Rabanus claruit, & Maginardus heremita.

Ludewicus filius Lotharii cum fratribus Lothario, Carolo, Pippino regnavit annis XXXVI.

Carolus minor filius Ludewici cum fratribus Carolomanno & Ludewico regnavit annis XI. Eticho filius Welfonis.

Arnolfus filius Carolomanni regnavit annos XII. Salomon Abbas & Epiſcopus Conſtantienſis. (*c*) Ungari Italiam vaſtant.

Ludewicus filius Arnolphi regnavit annos XII. (*d*) Heinricus filius Etichonis, pater ſancti Conradi, primus fundator Altorfenſis cœnobii.

Cunradus filius Cunradi principis regnavit annos VII. Ungari Saxonia & Turingia invaſis.

Heinricus filius Ottonis Ducis Saxonum regnavit annos XVI. Sanctus Udalricus & ſanctus Cunradus Epiſcopi claruerunt. Rudolphus princeps filius Heinrici frater ſancti Conradi Epiſcopi.

Regnum Theutonicorum cœpit ex hinc.

Otto Magnus filius Heinrici regnavit annos XXXIX. Parthenopolis conſtruitur.

Otto

(*c*) *Hunc ajo fuiſſe Salomonem ejus nominis tertium, illum ipſum qui Ungarorum irruptionem in Italiam carmine hic edito deplorat: Inſtant Italides, ſpoliata civibus urbes.* CAN.

(*d*) *Verius umbra regis quam rex, ſeptennis puerulus Regnum adiit; inde Salomon orbitatem Germania quaſi ſine rege fuiſſet deploravit.* CAN.

Digitized by Google

Otto filius prioris, regnavit annos. IX. SÆC.
Otto filius ejus regnavit annos XVIII. Nogger Abbas claruit. XII.
Heinricus Dux Bavariæ regnavit annos XXIII. Sub hoc tempore Ravenſpurg conſtruitur. Babinberg conſtruitur. Ruſſi, Poloni & Ungari Chriſtiani fiunt. ANNO 1200.
Cunradus Francus regnavit annos XV. Stephanus Ungariorum Rex piæ memoriæ obiit. Spira conditur. Bruno Auguſtenſis Epiſcopus, & Welf Rudolphi filius confligentes.
Heinricus pius filius Cunradi. regnavit annos XVII.
Herimannus Contractus claruit. Welf Dux Carinthiæ, filius Welfonis, frater Chounihæ, quam duxit Azzo Marchio Italiæ, Baldenwinus Comes Flandriæ incendia faciunt.
Heinricus filius Heinrici pii regnavit annos XLIX. Hieruſalem à paganis capta eſt. Alexius Conſtantinopolitanus. Welf Dux Noricorum filius Chornihæ & Azzonis.
Heinricus filius ſuperioris regnavit annos XVIII. Qui patrem ejecit, & Paſchalem Papam captivavit.
* Kalo Joannes Imperator Græcorum. Heinricus & Dux Welf Duces Bavariæ filii Welfonis. * *Joannis Comnenus.*
Hieruſalem Franci Duce Gothefrido liberant anno ab Incarnatione Domini M. XCIX. Lotharius regnavit annos VIII.
Emanuel Græcorum Imperator. Heinricus Dux Saxonum & Bavariæ, filius Heinrici & Welf frater ejus.
Cunradus filius ſororis Heinrici Regis regnavit annos XV. Huic præfati Duces prope ad finem reſtiterunt. Sub hoc expeditio Hieroſolym. facta eſt anno ab Incarnatione Domini. M. C. XL. Unde pro querimonia tranſmarinæ Eccleſiæ propter immanitatem impiiſſim. illius ſanguinis. Hujus expeditionis principes erant Rex ipſe Conradus Rex Franciæ Ludewicus, Dux Sueviæ Fridericus filius Friderici Ducis fratris Cunradi Regis, poſtea Imperator; Gwelf Dux Heinrico fratre jam defuncto, Heinricus frater Regis, Cunradus tunc Dux Bavariæ; Epiſcopi plures cum Comitibus & diverſis hominibus.
Fridericus filius Frederici Ducis & Luduitæ ſororis Welfonis regnavit anno ab Incarnatione Domini M. CLII. Hic avunculo ſuo Welf Marchiam Tuſciæ, Ducatum Spoleti, Principatum Sardiniæ, Domum Comitiſſæ Machtildis in beneficio tradidit: & Heinrico Duci Saxonum, filio Heinrici avunculi ſui Ducatum Bavariæ, Patruo ſuo Heinrico de Oſterich ablatum reſtituit; tali compoſitione facta, ut quo prius Marchia, ex hinc Ducatus per ſe conſiſteret. Hic ſecundo expeditione in Italiam facta contra rebelles Mediolanenſes, turribus tandem civitatis depoſitis eos ſubegit, anno Regni ſui VII.
Eo anno defuncto Adriano Papa, ſchiſma inter Alexandrum & Octavianum cœpit.
Orta demum gewerra idem Imperator Heinricum Ducem Saxonum & Bavariorum filium avunculi ſui & Welfonis fratruelem duobus annis bellis attritum ablato utroque Ducatu, nec non beneficiis & prædiis exilii proſcriptione damnavit.
Sub hoc etiam Saladinus Rex Babyloniæ omni Palæſtina occupata ipſam Chriſti urbem Hieruſalem cepit anno ab Incarnatione Domini. M. C. LXXXVII.
Anno dehinc tertio circa feſtum ſancti Georgii Imperator Hieroſolymos expeditionem movit cum filio Friderico Duce Suevorum & Epiſcopis & Comitibus, & innumerabili multitudine electorum militum. Tranſiens autem hyemavit in Græcia; & circa Paſcha cum omni multitudine tranſvectus brachium ſancti Georgii, quod eſt mare Proponticum, cum incredibili periculo ſuorum tandem circa Pentecoſten venit Iconium. Qua ſubacta & omni recreato exercitu cum ſumma alacritate ceptum iter aggreditur. Sed occulto Dei judicio inter montes Ange lacrimabili obitu vita privatur Regni.... Hujus vero filius Dux Fridericus Princeps totius exercitus conſtitutus Antiochiæ veniens carnem quidem patris honorificè tumulavit, ſed oſſa usque Accaron tranſtulit, ubi & ipſe cum multis nobilibus migravit.
Heinricus filius Friderici Imperatoris regnavit anno ab Incarnatione Domini M. CXCI.
Anno M. C. XCI. XVIII. Cal. Januarii Gwelfo nobilis Altorfenſis, Principum noſtrorum illuſtriſſimus, Heinrici Ducis videlicet & Woulfhildis filius carne ſolutus migravit à ſeculo; in quo nobilitas Altorfenſium non mediocriter completa deſiit. Innatam ſiquidem nobilitatem virtutum ampliavit moribus: ſæculari etiam dignate pleniſſimè

Digitized by Google

SÆC. XII. ANNO 1200.

præditus: circa ſtatum ſpiritualis vitæ ſumma vigilare ſtuduit diligentia. Quid plura? Quotidie pauperum comminavit expenſas, atque donis munificentiæ ſuæ Monaſteriorum vel Eccleſiarum diſcrete ſupplevit indigentiam. Monaſterio etenim Wingartenſi principaliter à parentibus ſuis fundato ſpeciali condeſcendit benevolentia, & fratribus Deo & ſancto Martino ibidem ſervientibus inter alia beneficia tradidit Berge & Willare cum non modica familia, & ſuis appenditiis. Fratribus etiam in Augea pro remedio animæ ſuæ contulit prædium in Fidanshoven. In montanis etiam clauſtrum Steingadin à primaria fundatione conſtituit, quod ſuæ providit ſepulturæ, quod & conſecratione & multa dote ditavit. Quibus ex ordine rerum ita diſpoſitis nobile patrimonium cum prædiis nec non Advocatiis & Miniſterialibus Friderico Romanorum Imperatori, filio videlicet ſororis ſuæ & filio illius Friderico Duci Suevorum ſub jure poſſeſſionis contulit. Quibus in expeditione Hieroſolymitana mortuis idem Welfo propter innatam familiaritatem & conſanguinitatis lineam prædictorum patrimonium cum omnibus ſuis pertinentiis Heinrico illuſtri Romanorum Imperatori ſub hæreditaria poſſeſſione contradidit.

Diffuſa latè Welfonum nobilitate,
Nomine poſtremus obit & virtute ſupremus:
Sublata fatis hoc principe nobilitatis
Gloria multorum ruit, & lux aurea morum:
Plangat orbati vitam Ducis incinerati;
Mortis in edicto qui vivimus ordine ficto
Labimur ut fœnum, cum florem perdit amœnum.

* *leg.* 1191. *repone C. loco X.*

Anno ab Incarnatione Domini * M. C XXI. *Heinricus* Imperator Friderici Imperatoris magno electorum militum comitatus exercitu circa mediam Quadrageſimam Romam ingreſſus eſt, & à Domino Apoſtolico Cæleſtino in ſecunda feria Dominicæ Reſurrectionis gloriosè conſecratus: Roma vero digrediens cum eodem exercitu Apuliam infeſtaturus adiit, & obtentis quibusdam caſtellis circa menſem Auguſtum Neapolim obſidione vallavit; ubi maximum exercitus conſecutus eſt infortunium. Nam ex inſolita corruptione aëris cecidere quique majores & nobiles, adeoque excrevit peſtis illa miſerabilis, ut idem Imperator amiſſis viribus langueſceret, & relicta obſidione per montana rediens mortalitatem illam quodammodo declinando vix evaderet. Tranſiens ergo per terminos Alemanniæ Welfonem illuſtrem cognovit occubuiſſe, cujus omne patrimonium ſuo mancipavit dominio.

Eodem anno Leopaldus Dux Auſtriæ Richardum Regem Anglorum à mari ignotis in partibus præcipitatum captivavit, & quandam habens de eo tranſmarini negocii querimoniam Imperatori tradidit: ſed inter ſe facta compoſitione, idem Rex à Domino Imperatore ſatis honeſtè dimiſſus eſt.

Circa terminum autem ejusdem anni Heinricus Imperator caſum primæ expeditionis animo revolvens, Apuliam conſultius diſponit invadere, edictaque Imperiali Curia, cunctosque ſui Regni convocavit principes, illisque paratis ad arma ſecunda in Apuliam juratur expeditio, atque larga militibus dantur ſtipendia.

Ann. M. C. XCII. Heinricus Imperator coadunato milite circa Aſcenſionem Domini montana tranſcendit & à Mediolanenſibus cum maximo gloriæ apparatu ſuſceptus potenti manu totam ſibi ſubjugavit Apuliam. Palernam quoque metropolim Siciliæ obtinuit. Atque Margaritam piratam peſſimum cum aliis perfidis captivatum rediens ante ſe præmiſit.

Panormm, quæ nunc vulgo Palermo.

Utroque igitur regno tam Romanorum, Siciliæ in pace diſpoſuit, Imperator glorioſus Hieroſolymitanum cœpit iter diſponere. Pollicitisque non modicis ſtipendiis multos accendit, ad redimendam civitatem Domini.

Infra idem tempus Chunradus illuſtris Dux Suevorum mota gwerra adverſus Bertholdum Ducem Zäringenſem, omnes regni iſtius pænè commovit provincias. Sed eodem Bertholdo in magno terrore poſito morte præventus in menſe Auguſto occubuit. Pro cujus requie miniſterialibus & hominibus ſuis mediantibus non parva cœnobiis donata ſunt allodia. Inter quæ Monaſterio Wingartenſi collatum eſt prædium in Beengartin cum Eccleſia & omnibus appenditiis nec non familia.

Heinricus Romanorum Imperator in Apulia poſitus, audito triſti rumore, ultra quam credi poteſt, animo conſternatus eſt, quippe cujus mœſtitia ex tanti viri & fortis amiſſione vix alleviari poterat. Demum conſumpta conſolatione, Philippo fratri ſuo penes ſe poſito Ducatum Sueviæ conceſſit. Qui quamvis puer partes iſtas ingre-

Digitized by Google

ingrediens, terram ſatis ſtrenuè rexit, Herena filia Regis Græcorum aſſumpta in matrimonium, quam pridie Imperator devicto Palerno filio Dancredi diſponſatam illi copulavit. SÆC. XII. ANNO 1200.

Anno ab Incarnatione Domini M. CXCVII. Philippus illuſtris Dux Suevorum convocatis cunctis terræ iſtius Principibus nec non adducta uxore in inſigni equitatura in Pentecoſten glorioſè arma ſumpſit, in loco qui Concio legum dicitur. Transacto poſtmodum aliquanto tempore aſſumptis iterum terræ Majoribus, nobili militum apparatu Dominum & fratrem ſuum viſitare volens, tranſmontanas partes adiit, ubi infauſto quodam exagitatus omine, ut in ſequenti linea videbitur, difficulter rediit.

Anno ab Incarnatione Domini M. C. XCVII. Heinricus Imperator regnum totius Siciliæ, Apuliæ & Calabriæ potenti manu nullo reſiſtente tenuit. Sed poſtquam multas indigenarum, ut ajunt, evaſit inſidias, poſt depoſitos terræ illius præfectos & Tyrannos, poſt direptas munitiones & caſtella morte interveniente diem clauſit extremum.

Eximium ſydus lucens aſſidere refert*
Quod factor ſydus ſtellis hoc munere præfert
Ætheris infixa ſolio ſtat clarius una
Cornibus innixa, noctis fugat abdita Luna
Sydera regali ſata partu quina ruere
Lege pater tali, genitrix Sol, Luna fuere.

* *Lego: Lucentia ſidera. Scriver. not. m. ſ.*

FINIS. Tom. III.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
OPUSCULORUM.

TOMUS III.

PARS I.

CONTINET

SÆCULUM X.

VIta S. Burchardi Herbipolenſis Epiſcopi, Auctore Anonymo, Anno 910. Pag. 1

Synodus Engilenheimenſis anno 948. 8

Synodus Auguſtana, anno 952. 11

Vita S. Willibaldi Epiſcopi Aichſtadiani Auctore Anonymo, anno 985. 13

Chronicon Hippolyti Thebani; græce & latine, anno 990. 20

De S. Adalberto Pragenſi Epiſcopo, Pruſſorum, Boëmorum, Polonorum & Francorum Apoſtolo, Auctor æquævus cum fragmento triplici ex Chronico Magdeburgenſi, Chronico Adamari & ex libello de Translatione Sanctorum Abundii & Abundantiani, anno 1000. 41

De Adalhaide conjuge Ottonis I. libri duo, Auctore familiari ejus, ut videtur Odilone Cluniacenſi, an. 1000. 69

SÆCULUM XI.

Meginfredi Magdeburgenſis Præpoſiti de vita & virtutibus B. Emmerammi liber unus. anno 1010. 86

Arnolfi ex Comitibus de Cham & Vochburg, Monachi

Digitized by Google

INDEX

chi S. Emerammi de Miraculis beati Emerammi Libri duo, an. ~~1010~~ 1032-1044 Pag. 103

Panegyricus Wiponis carmine ſcriptus ad Heinricum III. Imperatorem, Conradi Imperatoris filium, anno 1044. 161

Vita Sanctorum Kiliani, Epiſcopi Wirzburgenſis, Kolomanni Presbyteri & Totnani Martyrum, auctore Anonymo, anno 1050. 171

Vita S. Guntheri Thuringi Monachi Altahenſis, demum Eremitæ, auctore Anonymo, anno 1050. 183

Hermanni Contracti Comitis de Vöringen, Majoris Augiæ Monachi Chronicon anno 1054. 191

Humberti Sylvæ Candidæ Epiſcopi adverſus calumnias Michaëlis Patriarchæ Conſtantinop. liber unus. Ejusdemque liber alius contra Nicetam Pectoratum, cum relatione brevi rerum Conſtantinopoli ab Apoſtolicæ ſedis Legatis geſtarum, anno 1054. 257

Vita Nobilis viri Henrici à Zwifaltach, in Monaſterio Ochſenhuſano Prioris, ſcripta à Monacho Ochſenhuſano, anno 1074. 329

Othloni Fuldenſis Presbyteri Libri duo de vita S. Bonifacii, Germanorum Apoſtoli Archiepiſc. Mogunt. anno 1074. 333

S. Anshelmi Lucenſis Epiſcopi Libri duo contra Guipertum Antipapam pro defenſione Gregorii VII. an. 1082. 369

Ejuſdem Collectanea. 389

Statuta Canonum de Officio Sacerdotum, incerto collectore an. 1090. 396

Menologium Græcorum, an. 1095. 409

TOMI

Digitized by Google

OPUSCULORUM TOM. III.

TOMI III.

PARS II.

CONTINET

SAECULUM XII.

Udalscalci Narratio de controversiis inter Hermannum Episcopum Augustanum & Eginonem Abbatem S. Udalrici, una cum Epistolis Paschalis quinque, Arnoldi Mogunt. Archiep. tribus & Eginonis quatuor an. 1120. Pag. 1

Vita & res gestæ S. Henrici I. Imperatoris, incerto Auctore, anno 1145. 23

Libri tres de vita beati Othonis Episc. Bamb. Pomeranorum Apostoli, auctore Anonymo, una cum quibusdam Epistolis Paschalis, Calixti & Innocentii Pontificum & Bolislai Polonorum Ducis, ut & Imbraconis Herbip. Episcopi Oratio in funere S. Ottonis, an. 1150. 35

Vita & Passio S. Tyemonis f. Theodamari Archiep. Salisb. Auctore æquævo anno 1150. 97

Metelli Tegerseensis Quirinalia in laudem S. Quirini Martyris, anno 1160. 113

Fragmentum ex libro contra Folmarum, an. 1165. 197

Officium de S. Carolo, an. 1166. 205

Brevis Relatio de origine, fundatione & progressu Monasterii Windbergensis in Bavaria, an. 1167. 209

Chronicon incerti auctoris à Nativitate Domini usque ad annum 1167. 226

Digitized by Google

INDEX OPUSCUL. TOM. III.

Monumenta Salisburgenſia, anno 1190. Pag. 263
I. Deſcriptio Urbis & Monaſterii Salisb. 277

II. De Epiſcopis Salisb. S. Ruperto, S. Virgilio, S. Eberhardo, S. Hartwico, S. Gebehardo, Auctore S. Eberhardi diſcipulo. 281

III. Hiſtoria S. Rudberti Epiſc. Salisb. 317
Vita S. Erendrudis Abbatiſſæ Nubergenſis. 328
Vita S. Rudberti I. Epiſc. Salisb. auctore S. Eberhardi Diſcipulo. 338

IV. Hiſtoria de Miraculis S. Vitalis. 345

V. Vita S. Virgilii Epiſc. Salisb. 393
Vita S. Eberhardi Archiep. Salisb. 408
De S. Hartwico Archiep. Salisb. 419
De Corpore S. Martini Epiſc. Turon. 423

VI. Aliqua de ſummo Templo Salisburgenſi. 426
Catalogus Epiſcoporum Salisb. 427
Vita S. Gebehardi Archiep. Salisb. 433

VII. Amonis annotatio ſive Index Donationum. 449

VIII. Donationes factæ Eccleſiæ Salisburgenſi. 461

IX. Chronica Salisburgenſia. 477
Epiſcoporum Chiemenſium Catalogus. 494

Friderici I. Imperatoris cognomento Barbaroſſæ Expeditio Aſiatica, ab auctore æquævo conſcripta, an. 1194. 497

Vita S. Mechtildis Abbatiſſæ in Dieſſen & Octilſtetten, auctore Engelhardo Abbate in Lankhaim, an. 1195. 527

Ekerhardi Decani S. Galli de vita B. Notkeri cognomento Balbuli, ejusque canonizationis proceſſus, an. 1198. 551

Hiſtoria de Guelfis Principibus, auctore Altorfenſi ſ. Weingartenſi Monacho, an. 1200. 577

Chronicon Weingartenſe a Chriſto nato ad an. 1197. anno 1200. 593

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

1000.-
Aug. 8[illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google